

# BVLLARIVM CASINENSE,

## SEV

## CONSTITVTIONES SVMMORVM

Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum,
& Decreta Sacrarum Congregationum

PRO

## CONGREGATIONE CASINENSI

Cæterisque Regularibus cum eàdem directè, vel indirectè participantibus.

## TOMVS PRIMVS

Complectens

*Priuilegia Libertates, Immunitates, Exemptiones, Prerogatiuas, & Onera.*

Ex eiusdem Congregationis Archiuis plerumque selecta

PER


R. P. D. CORNELIVM MARGARINVM
eiusdem Congregationis Generalem Archiuistam.


AD COMMODVM, ET VTILITATEM CVNCTORVM REGVLARIVM.

*Cum Appendice reciprocarum, inter Regulares, communicationum Priuilegiorum; Summarijsque, ac quadruplici Indice.*

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.





VENETIIS. M. DC. L.

Typis Omnibenij Ferretti.

# SANCTISSIMO D. N.
# D. INNOCENTIO X.
# PONTIFICI OPTIMO
# MAXIMO.

D. CORNELIVS MARGARINVS

*humilis Monachus Casinensis, Sanctissimis pedibus prouolutus.*

SYbillinos libros, Cœlo exaratos, à fatidicà Anu Senatus Populique Romani tutelæ traditos, vetus credebat Roma. Hinc nulla suscepta, abolitavè bella, nulla explosa, amplexatavè Religio, nisi petitis Sybillinis folijs. Ecquis Beatissime Pater, Cœli expressos prelo hos libros ibit inficias? Cum in illis Sanctissimæ Sedis, quà, Orbis bono, sedes, Sacra Oracula tonent; A quibus omnis, non modo Casinensis, verum totius Cœnobiticæ Militiæ salus pendet? Hinc contrà hostes petenda fulmina, assumendaque clypea. Hic Religionis seruandæ, augendæque penu. Hic omnis cultus, & splendor continetur. Tibi igitur, qui omnes superiores Pontifices sacro pectore claudis, Pontificum Diplomata, & tuos potiùs, quàm nostros, sacrandos libros censui. Vt, quæ Clauium tuarum beneficentià nobis sunt reserata bona, iterum tuà auctoritate robores, Sanctitate benedicas. Et qui Regum, Imperatorumque es Maximus, Regum, Imperatorumque Priuilegia reficias. Tuis igitur Sanctissimis pedibus, à tuo Solio nobis fęlicitatis arma ministrata, submitto; vt quæ tua sunt, tuà potentià tuearis. Interim ad Christiani Orbis incolumitatem, incolumis Viue diu.

# SACRÆ CASINENSIVM, AC REGVLARIVM VNIVERSITATI.

## *D. CORNELIVS MARGARINVS CASINAS P. P. P. P.*

E Tenebris, ac è ſepulchris, diù ſitu ſqualentia, puluere, carieque abſumpta, ad lumen reuoco Pontificum Diplomata, Cæſarum, Regumq; fauorabiles Tabulas. Peſſum Caſini res ibat. In emortuis, ſepultiſque membranis, membra, vis, anima, ac omnis fermè Cœnobiticus ſplendor occiderant. Reuixere Patrum Noſtrorum iuſſu, meoque labore, qui omnium Regularium ſaluti deſudat. Immane opus aggreſſus, omnium Congregationis noſtræ Scriniorum, Bibliothecarumq; monumenta lecturus, excuſſurus. A Comitijs generalibus, Generalis Scriniarius nuncupatus, pauca vix dum Cœnobia perluſtraui, & ſelectiora hæc Diplomata, prȩlo committenda, delegi. Reciprocas, quæ occurrerunt Priuilegiorum Communicationes, Appendicis loco inſtruxi. Reliqua, Deo auſpice, prodibunt breui. Nihil hic adulterinum, omnia fidelia, vel apices erunt, prȩli lapſus ſi demas. Quæ chartis impreſſa vides, Fulgura, Voces, & Tonitrua ſunt, quæ à Sacro Petri Throno prodeunt, ad Caſini, ac totius Cœnobiticæ, Regulariſque Militiæ decus, tutelam, & incrementum.

*Commissio Dietæ Congreg. Casinensis pro reuisione Bullarii Casinensis.*

Reuerendiss. P. Abbas Littoris, & Reuerendiss. P. Abbas Iadræ diligentèr videant, & examinent Bullarium Casinense, dispositum à R. P. D. Cornelio ab Vrbe Archiuista Congregationis nostræ, & referant Reuerendiss. Definitorio, an dignum Typis existiment. Dat. in Dieta habitá in Aedibus S. Calixti Romæ die 26. Decembris 1648. *D. Iustinianus à Ferraria Canc.*

*Approbatio Deputatorum.*

Nos Deputati recognouimus Librum supradictum, & eum existimamus dignum, qui prelo cōmittatur, ob beneficium publicum.

*D. Aloysius à Venetiis Abbas Littoris.*
*D. Iouita à Bergomo Abbas Iadræ.*

*Decretum pro eodem euulgando, emanatum à Capitulo Generali eiusdem Congregationis.*

Visa attestatione, & approbatione supradicti Bullarij facta per prædictos Reuerendissimos Prælatos; cum opus nedum nostræ Congregationi, verùm etiam cęteris Regularibus sit profuturum, dignum publicà luce iudicamus, & Typis dari concedimus, atq; decernimus. Dat. in Capitulo Generali habito in Monasterio S. Iustinæ de Paduà die 29. Aprilis 1649.

*D. Aloysius à Venetiis Scriba Capituli Generalis.*

---

*Noi Reformatori dello Studio di Padoua.*

*Hauendo veduto per fede del R. P. Commissario del S. Officio, che nel libro intitolato* Bullarium Casinense *non si troua cosa alcuna contra la S. Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario nostro, niente contra Prencipi, & buoni costumi, concedemo licentia che sia stampato, douendosi osseruar le leggi in questo proposito, & presentarne due copie: vna per la libreria publica di Venetia, & l'altra per quella di Padoa. In quorum fidem &c. Dat. adì 8. Settembre 1649.*

( Pietro Sagredo Procurator Reformator.
( Girolamo Lando Cauallier Reformator.
(

*Aluise Querini Segretario.*

Registrato al Magistrato Eccell. contro la Biastemma.

*Tomaso Emo Nodaro.*

# INDEX ALPHABETICVS

Nominum Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, ac Principum, quorum Constitutiones in Tomo I. Bullarij Casinensis, eiusque Appendice, comprehenduntur.

# INDEX ALPHABETICVS

## Constitutionum Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, ac Principum, in Tomo I. Bullarij Casinensis, eiusque Appendice comprehensorum.



De

# INDEX CHRONOLOGICVS.

| Anno Christi | | | |
|---|---|---|---|
| 1434 Febr.23. | Eugenii IV. Et si ex debito. 1. | Const. 59. | fol. 59 |
| 1434 Februar.23. | Eugenii IV. Et si ex debito. 2. | const. 58. | fol. 63 |
| 1434 Octob.29. | Eugenii IV. Sacræ Religionis.1. | const. 60. | fol. 66 |
| 1436 Iunij 27. | Eugenii IV. Ex iniuncto.1. | const. 61. | fol. 67 |
| 1436 Iunij 30. | Eugenii IV. Regularem vitam. 1. | const. 62. | fol. 68 |
| 1436 Iunij 30. | Eugenii IV. Et si quaslibet. | const. 63. | fol. 70 |
| 1436 Iunij 30. | Eugenii IV. Regularem vitam.2. | const. 64. | fol 73 |
| 1436 Iulij 2. | Eugenii IV. Ad Monasteriorum. | const. 65. | fol. 75 |
| 1436 Iulij 2. | Eugenii IV. Licet ex debito. | const. 66. | fol. 76 |
| 1436 Iulii 3. | Eugenii IV. Ad Ecclesiarum. | const. 67. | fol. 77 |
| 1436 Iulii 11. | Eugenii IV. Ex iniuncto. 2. | const. 68. | fol. 77 |
| 1436 Nou.24. | Eugenii IV. Militanti Ecclesiæ. | const. 69. | fol. 78 |
| 1437 April.1. | Eugenii IV. Romanus Pontifex. | const. 70. | fol. 79 |
| 1437 Iunij 27. | Eugenii IV. Iniunctum Nobis. | const. 71. | fol. 80 |
| 1437 Aug.13. | Eugenii IV. Romani Pontificis. | const. 72. | fol. 82 |
| 1437 Sept.12. | Eugenii IV. Sacræ Religionis. 2. | const. 73. | fol. 83 |
| 1438 Iunii 26. | Nicolai Marchionis Estensis. Dominos Patres. | const. 74. | fol. 83 |
| 1441 Augusti 10. | Eugenii IV. Acceptam Deo. | const. 75. | fol. 84 |
| 1441 Sept.12. | Eugenii IV. Sacræ Religionis. 3. | const. 76. | fol. 85 |
| 1442 Maij 23. | Eugenii IV. Ex Apostolicæ. | const. 77. | fol. 86 |
| 1444 Aprilis 27. | Eugenii IV. Insinuastis Nobis. | const. 78. | fol. 86 |
| 1445 Martii 25. | Eugenii IV. Beatissimæ Pater. | const. 79. | fol. 86 |
| 1449 Iunii 13. | Nicolai V. Licet ex debito. | const. 80. | fol. 87 |
| 1451 Maij 17. | Nicolai V. Solicitudo Pastoralis. | const. 81. | fol. 87 |
| 1452 Octob.7. | Borsij Ducis Estensis. Dominos Patres. | const. 82. | fol. 88 |
| 1456 Febr.1. | Nicolai V. Circumspecta. | const. 83. | fol. 89 |
| 1457 Ianuar.3. | Callisti III. Cum Ordo. | const. 84. | fol. 90 |
| 1458 Ian.18. | Pii II. Licet ex debito | const. 85. | fol. 90 |
| 1459 Octob.24. | Pii II. Super gregem. | const. 86. | fol. 90 |
| 1460 Iulii 7. | Pii II. Alias felicis. | const. 87. | fol. 91 |
| 1461 Febr.9. | Pij II. Exigit Sacræ. | const. 88. | fol. 91 |
| 1461 Dec.23. | Pii II. Dudum vt nuper. | const. 89. | fol. 92 |
| 1462 Sept.9. | Pii II. Prouida Romani. | const. 90. | fol. 92 |
| 1469 Iunii 6. | Pauli II. Decet Romanum. | const. 91. | fol. 93 |
| 1469 Iulii 29. | Pauli II. Bullam præsentibus. | const. 92. | fol. 94 |
| 1474 Aug.24. | Sixti IV. Prouisionis nostræ. | const. 93. | fol. 95 |
| 1476 Ianuar.3. | Sixti IV. Beatissime Pater. Cum pluriès. | const. 94. | fol. 95 |
| 1476 Ian.3. | Sixti IV. Beatissime Pater. In Regula. | const. 95. | fol. 95 |
| 1483 Ian.13 | Sixti IV. Alias cum exposuisses. | const. 96. | fol. 96 |
| 1485 Nou.28. | Innocentii VIII. Nobis nuper. | const. 97. | fol. 96 |
| 1485 Dec.10. | Innocentii VIII. Cum sicut Nobis. | const. 98. | fol. 96 |
| 1486 Ian.25. | Innocentii VIII. Sacræ Religionis. | const. 99. | fol. 97 |
| 1486 Febr.20. | Innocentii VIII. Supplicari Nobis. | const.100. | fol. 98 |
| 1486 Iunii 23. | Innocentii VIII. Deuotionis augumen tuum. | const.101. | fol. 98 |
| 1487 Nou.1. | Innocentii VIII. Exposcit iniunctum. | const.102. | fol. 99 |
| 1488 Ian.5. | Innocentii VIII. Cum sicut Nobis. | const.103. | fol.100 |
| | Innocentii VIII. Beatissime Pater.1. | const.104. | fol.100 |
| | Innocentii VIII. Beatissime Pater. 2. | const.105. | fol.100 |
| 1492 Nou.20. | Alexandri VI. Ex Apostolicæ. | const.106. | fol.101 |
| 1495 Febr.10. | Alexandri VI. Exponi Nobis.1. | const.107. | fol.102 |
| 1496 April.22. | Alexandri VI. Digna exauditione. | const.108. | fol.103 |
| 1498 April.10. | Alexandri VI. Nuper Nobis. | const.109. | fol.104 |
| 1501 April.1. | Alexandri VI. Inter cœteros. | const.110. | fol.105 |
| 1502 Martii 15. | Alexandri VI. Exponi Nobis.2. | const.111. | fol.107 |
| 1502 Augusti | Ludouici XII. Regis Galliarum Notum facimus. | const.112. | fol.108 |
| 1504 Ian.13. | Sacræ Pœnitentiariæ. Oblatæ nobis. | const.113. | fol.108 |
| 1504 Dec.1. | Iulii II. Super Cathedram. | const.114. | fol.109 |
| 1506 | Iulij II Cum lis,& Causa. | const.115. | fol.110 |
| 1510 April.8. | Iulii II. Exponi nobis. | const.116. | fol.110 |
| 1513 Iulii 22. | Leonis X. Decet Romanum.1. | const.117. | fol.111 |
| 1514 Ian.16. | Leonis X. Nuper ex parte 1. | const.118. | fol.112 |
| 1514 Ian.16. | Leonis X. Nuper ex parte 2. | const.119. | fol.113 |
| 1515 Febr.18. | Leonis X. Gregis Dominici. | const.120. | fol.114 |
| 1515 Aug.21. | Ferdinandi Regis Aragonum. Sanctissimo. | const.121. | fol.115 |
| 1515 Nou.20. | Francisci Primi Regis Galliarum. Vidimus litteras. | const.122. | fol.117 |
| 1516 Maii 12. | Maximiliani Imperatoris Arbitramur nos. | const.123. | fol.118 |
| 1516 Iunii 1. | Leonis X. Et si dispositione superna. | const.124. | fol.119 |
| 1517 Febr.17. | Leonis X. Superiore Anno. | const.125. | fol.121 |
| 1517 Martii 26. | Leonis X. Decet Romanum. 2. | const.126. | fol.121 |

# INDEX CHRONOLOGICVS.



1571

# INDEX CHRONOLOGICVS.



1608

b IN-

# INDEX CHRONOLOGICVS

## Appendicis ad Tomum I. Bullarij Casinensis.



INDEX

# INDEX MATERIARVM TOMI PRIMI

## Bullarij Casinensis, ac eius Appendicis.

### A

Admi-

*Abbates Congregationis Cistercienfis.*



*Abbates Congregationis Lateranensis,Canonicorum Regularium.*



*Abbates Congregationis Montis Oliueti.*



*Abbates Congregationis Montis Virginis.*



Matri-

Alber-

*Appellationes.*

*S.Benedicti de Ferrariâ Monasterium Congregationis Casinensis.*



*S.Pe-*

Ca-

*Cappellæ.*



*Cappellanatus.*



*Cappellani Vide Clerici.*

Cap-

*Casinensis Congregationis Monachi.*



Baptis-

Suspen-

*Casinensis Congregationis Monasteria.*

Ca-

*Census.*



*Centenaria Præscriptio. Vide Præscriptio.*

*Cessio iurium.*



*Charitatiuum Subsidium. Vide Subsidium.*

*Chirothecarum vsus. Vide Pontificalium vsus.*

*Chrisma, seu Confirmationis Sacramentum.*



*Cistercienfis Congregatio.*



*Ciuiles Causæ. Vide Processus.*

*S. Claræ Moniales.*



*Clausura.*



*Clerici.*



c fis

Cœna

Con-

Obli-

*Delinquentes.*

Bal-

### *Egressus.*



### *Electio.*



### *Eleemosinæ.*



### *Epidimia.*



### *Episcopi.*

*Exem-*

Ha-

Lega-

Mendi-

*Mendicantes Ordines Regulares.*



*Mensa.*



*Militia Cruciata. Vide Cruciata.*

*Milites Iesu Christi Reformati Portugalliæ.*



*Militum Hospitatio. Vide Hospitalia, seu Hospitatio.*

*Minimorum Sancti Francisci de Paulâ Ordo.*



*Ministrantes Infirmis Clerici Regulares.*

S.Iu-

*Moniales.*



Epi-

bentes

gre-

per

## O

### *Oblati.*



### *Obligatio.*



i Obse-

Mino-

*Pecunia.*



*Pensiones, ac Pensionarij.*



*Peregrini.*



*Permutatio.*



*Personæ.*



*Sancti Petri Cœlestini Congregatio. Vide Cœlestinorum Congregatio.*

*Sancti Petri de Mutinâ Monasterium Congregationis Casinensis.*



Bona,

*Processiones.*



*Processus, seu Causæ, vel Lites.*

Re-

*Reductio.*



*Refectorium.*



*Regalis Protectio.*



*Regula S.P.N. Benedicti.*



*Regulares Canonici. Vide Canonici Regulares.*

*Regulares Ordines.*



*Sac. Regularium, & Episcoporum negotijs Præfectorum Congregatio.*



*Religiones. Vide Congregationes. Ordines Regulares.*

*Religionis Mons.*



*Reliquiæ Sanctorum.*



na-

Suffra-

*Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorm Ordo.*



*Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Hispaniæ Discalceatorum Ordo.*



V

*Vacatio.*



*Vallis Vmbrosæ Congregatio.*



*Vasa Sacra, seu pro vsu Sacrorum.*



*Vassalli.*



*Serenißs. Venetus Senatus.*



*Verbera.*



*Vestimenta Sacerdotalia. Vide Paramenta Ecclesiastica.*

Præ-

DEO GRATIAS.

# BVLLARII CASINENSIS TOMVS PRIMVS.

## CONSTITVTIO I.

### SVMMARIVM.

*Anno 594. Maij.*

### GREGORIVS PAPA I.

*S. P. N. Benedicti Regulam à Concilio Lateranensi approbatam confirmat; eiusque obseruationem omnibus, & singulis Monachis Latinis præcipit.*

*Ex Archiu. Sublacen.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Reuerentissimo, ac prudentissimo Honorato Presbytero, & Monacho, atque Abbati Ven. Monasterij Sancti Confessoris, ac Patris Benedicti, & Sanctæ Virginis Sororis eius Scholasticæ, quod ponitur in Sublaco, tibi, tuisque successoribus inibi Deo seruientibus, vel introeuntibus in perpetuum. Si semper sunt concedenda, quæ pijs desiderijs congruunt &c. *& infrà.* Ego GREGORIVS Sanctæ Romanæ Ecclesię Pręsul scripsi Vitam Beati Benedicti, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu propriâ scripsit; laudaui eam, & Confirmaui in Sanctâ Synodo: & per diuersas partes Italiæ, & vbicunq; latinæ litteræ legerentur præcepi, vt diligentissimè obseruarent quicunque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsq; ad finē mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quæ ipse Sanctus construxit. &c. Scriptum per manum Benedicti Scriniarij S. R. E. Mense Maio, Indict. 12. Pontificatus Domni Gregorij in Sacratissimâ Sedę Beati Petri Apostoli Anno Quarto.

## CONSTITVTIO II.

### SVMMARIVM.

*643. Maij 4.*

### THEODORVS PAPA.

1 *Bobiensis Cœnobij initia per Beatum Columbanum; eiusque insignes progressus, enumerat.*

2 *Mitræ, aliorumque Pontificalium vsum, ac Populi solemnis Benedictionis elargitionem, ab Honorio I. Papa Abbati eiusdem Monasterij, concessam, confirmat.*

3 *Ab omnimoda Episcoporum Iurisdictione, ac Decimarum solutione, Monasterium prædictum, eiusq; Personas, Clericos, & Ecclesias liberas fore, declarat.*

4 *Monasterium prædictum soli Apostolicæ Sedi subiectum, enunciat.*

5 *Excommunicationem, ac dignitatum priuationem contra vsurpantes bona, & iura, vel molestias eidem Monasterio inferentes, promulgat.*

*Ex Arch. Bobien.*

THEODORVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Vener. Bobuleno Præsbytero, & Abbati Ven. Monasterij Beati Petri Apostolorum Principis Ebobio constituti, eiusque Congregationi in perpetuum.
1 1 Quamquam priscæ Regulæ decreta nos doceant, quæ oportet perhenniter custodiri, & Patrum constituta indiminuta seruari; attamen & Nos super hoc regulariter decementes, vota supplicum, & maximè Orthodoxâ fide fulgentium, iusto in omnibus debent effectu mancipare; quatenus eorum pia deuotio Apostolicis inuiolata permaneat institutis, atque decretis. Dum igitur Excellentissimus filius noster Rotharith Rex, & Gloriosissima filia nostra Gundiberga Regina gentis Longobardorum piâ, & religiosâ deuotione prospicui, Nos scriptis postulasse noscuntur, vt Apostolicæ Sedis priuilegium Monasterio Beatissimorum Petri, & Pauli in loco, qui dicitur Ebobio constituto; in quo Vener. Columbanus ex partibus Hiberniæ, in quibus ortus fuerat sanctis studijs feruens, cum largitate regiâ, in regno gentis Longobardorum, postquam alia fundauit Monasteria, accedens, Monasterium construxisse perhibetur. Vbi non paruam Congregationem Monachorum instituens, etiam se, cum eis, paribus piæ deuotionis studijs, mancipauit. In quo nunc vir Vener. Bobulenus Præsbyter, & Abbas, vnà cum centum quinquaginta Monachis conuersari videtur, & in Dei laudibus, vno Regulæ spiritu, supernâ inspiratione commotus, ad laudem Omnipotentis Dei pium, exhibet famulatum, conferre debeamus. In quo Monasterio, Monachi sub Regulâ Sanctæ memoriæ Benedicti, vel prædicti Reuerendissimi Columbani Fundatoris loci illius, conuersari videntur. Pro quâ re, supplici expetierunt deprecatu, vt priuilegium Apostolicæ Sedis nostræ in eodem mirificæ sanctitatis Monasterio concedere deberemus. Quod salubriter annuentes; nec non etiam, quia & charitatis debito prouocamur, & Apostolicæ Sedis benignitate, ac beneuolentiâ incitamur honorem fratribus exhibere, & specialibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filijs, specialis prærogatiuæ gratiam elargiri; vt hominibus spectabiles actiones appareant, & commissas sibi Ecclesias, Apostolicæ dilectionis familiaritate suffulti, tutius regant, atq; ipsorum subditi maiorem eis re-
2 uerentiam, & honorem exhibeant; hoc priuilegium perhenni auctoritate seruandum ipsi Monaste-

2 rio,& eius Ecclesiæ alacriter indulgemus. 2 Vt videlicet liceat Abbati eiusdem Ven. loci Mitra, & alijs Pontificalibus vti. Et quia etiam de Beati Petri, & nostræ dilectionis gratia dispoſuimus ipsum Monasterium, & eius Ecclesiam peramplius honorare; ex Apostolicæ Sedis liberalitate concedimus, vt Abbas eiusdem Monasterij infra sacra Ministeria constitutus, signaculo Sanctę Crucis populum valeat pręmunire. Ita quod ad honorem Dei, & ipsius Monasterij, & eius Ecclesię, supradicta valeat exercere, sicut à prędecessore nostro Apostolicæ recordationis Honorio, eidem Monasterio indultum esse conspicitur. Hæc enim noua postulantium, vel indulgentium est auctoritas, priuilegium largiendi; dum profectò cunctis Apostolicę sedis, non solum sub ditione nostra cōstitutis; sed etiam in cœteris longis regionibus postulata semper indulgenda sanxerunt; præsertim in vicinitatem nostram, idest in Regno Longobardorum. Dum profectò cunctæ Ecclesiæ, vsq; ad fines terræ, & Oceani terminum, sub Beati Petri Principis Apostolorum ditione consistunt, oportet omnes omnino medullitùs obedire, quæ per Beati Petri Apostolica Sedes dignoscitur indulgere. Et ideo per interuentum Excellentissimi prędicti filij nostri Regis Longobardorum, & præcipuę Gloriosissimę filię nostræ Gundibergę Reginæ super hoc litteris postu-
3 lata concessimus. 3 Interdicentes omnibus Episcopis vicinis, vel procul ab ipso Monasterio constitutis, nihil vsurpare, nihilq; præsumere contra hoc, quæ tenor huius priuilegij, & norma decernit. Vt videlicet Episcopus, quem Pater Monasterij, vel cuncta Congregatio voluerit ad celebrandum Missarum solemnia, aut consecrationes Præsbyterorum, seu Diaconorum, vel etiā Tabularum, in quibus Missę debeant celebrari, habeat facundiam, in eodem Monasterio ingrediendi ad pij opus ministerij; quo peracto nihil contingens, sed gratis omnia peragens, ad propria mox regredi non moretur, nihil, sicut diximus, vsurpans de rebus Monasterij, non de sacris altaribus, non de paramentis, neq; de vasis, neq; de sacris voluminibus, nec quicquam maius, vel exiguum, sed nec concupiscere adtemptet. Quia, si priuata cōcupiscere satis est noxium, quantò magis sacra auferre, vel desiderare, & iuri suo mancipare, Domino est inimicum. Interdicentes etiam Episcopo, in cuius Parochia esse videtur prædictum Monasterium constitutum, vt nihil cōtra tenorem p ræsentis decreti, pia postulatione, indulti quicquam adtemptet, neq; vllo modo eius Baptismales Ecclesias, seu Decimas sibi vindicet; nec ipse, suiq; successores præsumant prohibita contingere. Chrisma igitur, vel quicquid ad sacra Ministeria pertinet, si à Patre Monasterij fuerit postulatum, a quibuscunq; præuiderit, concedimus Præsulibus tribuendum. Et vt superius dictum est, & sępe dicendum est, nullam potestatem habere permittimus Episcopos in eodem Monasterio, neq; in rebus, vel ordinandis personis; sed quod cuncta Congregatio elegerit, post mortem Patris Monasterij, ipse debeat in eodem Monasterio ordinare. Super hoc neq; Presbyteros, neq; Diaconos neq; quamlibet personam, in eodem Monasterio habere vllo modo potestatem,
4 immutare quicquam, vel agere. 4 Cognoscentes, quod sub Sede Apostolica, idest Beati Petri Apostoli, ex prædicti Regis, seu Reginæ consensu, & postulatione, sub quorum defensione esse videtur, Nostrum præsentis priuilegij indulta concedere. Rogatus vero Episcopus à Patre Monasterij, vel à cuncta Congregatione, suam exhibeat præsentiam; non autem petitus, ad secreta Monasterij accedere non præsumat; ne quietam Monachorum vitam, qui solitaria propter Deum studia peragere decreuerunt, frequēs Sacerdotum insolentia irrumpat, vt in Dei laudibus conuersantes, pro incolumitate Sanctæ Sedis Apostolicæ Nostrę, & pro Excellentissimis Regibus, pia postulatione, poscentibus, assiduè Dominum deprecari non cessent. Si autem, quod non optamus, Monachi in eodem Monasterio constituti tepidi in Dei amore, aut contra instituta Patrum torpentes quandoq; existere visi fuerint; secundum regulas Patrum ab Abbate, idest à Patre Monasterij corrigantur. Si autem, & ipse Abbas in torpore contra instituta Patrum, & Regulę fuerit depręhensus, aut in aliquam, vel sinistram partem inclinatus; à Sede Apostolica, sub cuius ditione consistit, instituimus corrigendum. Nec enim cuidam Episcopo damus licentiam, sub obtemptu repręhensionis, aliquam in suprascripto Monasterio suam extendere potestatem; sed eius capiti, idest Apostolicę Sedi, si certo zelo Dei, & instinctu pietatis innititur, suis epistolis debebit suggerere; vt quod Pontifici Romanę Sedis Apostolicę placuerit, iuxta suam prudentiam, præuideat disponendum. Quo facto, tunc irrepręhensibiles actiones videntur existere, Constituta Sedis Apostolicæ inuiolabiliter custodiendo, si studuerit, quæ contra hunc tenorem agi perspexerit fideliter nunciare; & non semetipsum in eorum machinatione quomodocunq; immerge-
5 re. 5 Quod si quidam, calliditate aliqua, vel auaricię instigatione, quicquam de prohibitis præsumpserit adtemptandum, & contra superiùs decreta quoquomodo obuiandum; primum quidem sui ordinis gradu, & dignitate priuabitur, & ex Beati Petri Apostoli auctoritate, qui ligandi, soluendiq; in cœlo, & in terra meruit potestatem, sit à participatione Domini Nostri Iesu Christi Corporis, & Sanguinis immunis, ac à nostro consortio seclusus, & etiam Excellentissimi, qui pro tempore fuerit, Regis, nihilominus submouendus, queat; & quæ statuta sunt, perpetuā possint diffinitione manere; & temeratores præsentis decreti de sua temeritate pœnis multiplicibus subiacere. Bene Valete. Dat. quarto nonas Maij Imperij Domini Pijssimi Augusti Constantini anno II. Consulatus primo. Indictione prima. anno Domini 643.

## CONSTITVTIO III.

### SVMMARIVM.

741. Feb. 18.

## ZACHARIAS PAPA I.

1 *Sanctissimi Patris Nostri Benedicti gesta, & Casinensis Monasterij initia, & progressus, recenset.*
2 *Casinensis Monasterij restaurationem à Gregorio Papa III. incohatam, & à se perfectam, enarrat.*
3 *Dona eidem Monasterio à se collata, enumerat.*
4 *Sanctissimi Patris Nostri Benedicti; & sororis eius Scholasticæ sacra Corpora intemerata inuenisse, eademq., pro reuerentia, minime tetigisse affirmat.*
5 *Dedicationem Ecclesię dicti Monasterij peregisse. Bonaq; eiusdem confirmata voluisse, quæ iterum enumerat, & confirmat.*
6 *Abbati dicti Monasterij primum locum super omnes Abbates in Concilijs, & Conuentibus assignat.*
7 *Monasterium prædictū cæteris totius orbis Monasterijs præcellere, ac vniuersi Monastici Ordinis Caput*

*put esse, eiusq. Abbatem, cæteris Abbatibus subliniorem constituit.*

8 *Abbatis eiusdem Monasterij electionem è votis Monachorum dicti Monasterij pendere, Confirmationem autem, & Consecrationem à summo Pontifice petendam.*

9 *Monasterium prædictum, eiusq; bona, Ecclesias, & Iura, Romanæ tantum Ecclesiæ subiecta esse.*

10 *Episcopis in eodem Monasterio Missas celebrare, inuitis Monachis, interdicit.*

11 *Bona, & Iura eiusdem Monasterij auferre, vel perturbare prohibet. Oblata firma, & stabilia permanere, decernit.*

12 *Ordines Sacros, Altarium consecrationes, Chrismatis susceptionem pro eiusdem Monasterij Ecclesiis, & bonis, à quocunq. maluerint Episcopo, recipere posse Monachos, vel Clericos eidem Monasterio subditos, indulget.*

13 *Hymnum Angelicum Dominicis, & festiuis diebus in Missarum solemnijs decantari posse ab eisdem Monachis, concedit.*

14 *Signum in horis diurnis, vel nocturnis pro officio diuino pulsari posse, indicit.*

15 *Fontem Baptismalem in dicto Monasterio, & Ecclesiis benedici, & Sacrum Baptisma celebrari posse, absq. alicuius Episcopi conniuentia, concedit.*

16 *Quos quidem Episcopos in Ecclesiis Monasterij Populum Christianum congregari, prohibere posse, interdicit.*

17 *Decimarum exemptionem prædicto Monasterio, & eius bonis in quocunq. Episcopatu concedit.*

18 *Clericos dicti Monasterij excōmunicare, vel ad Synodum vocare non posse Episcopos, indulget.*

19 *Synodum conuocare posse Abbatem. Clericos quoq; cuiuscunq. Diœcesis pro Ecclesiis dicti Monasterij administrandis recipere posse, nulla Diœcesanorum petita licentia, constituit.*

20 *Excomunicationem contra perturbantes, & contrafacientes præsenti indulto decernit.*

*Ex Archiuio Casinense.*

1 ZACHARIAS Episcopus seruus seruorum Dei. Omnibus Ecclesiæ Catholicæ filijs salutem, & Apostolicam benedictionem. 1 Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quòd gloriosus in Sanctis suis, atque mirabilis est, & virtutes suas vbicunque vult, ineffabili bonitate, ostendit. Ipse quippe, dignationis suæ potentia, Beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum. Ipse eum Monasticæ legis latorem, & operatorem esse disposuit. Ipse illius meritis Casinense Monasterium, in quo, & sanctissimè vixit, & gloriosissimè obijt, omnibus per totum Orbem Monasterijs, clementi bonitate, præfecit. Qui Pater Sanctissimus, dum vitam eremiticam duceret, diuina reuelatione monitus, ad eumdem locum peruenit, duobus se Angelis comitantibus, cum Beatissimis Mauro, & Placido Tertullij Patricij filio, alijsque nonnullis; vbi Templa Idolorum destructa, Monasteriumq; constituens, Apostolicis illum decorauit virtutibus. Inter quæ, dum ei reuelatum fuisset, quòd supradictus locus esset destruendus, & ob id inconsolabiliter fleret; Omnipotentis Dei ad se vocem audiuit, dicentem. Noli probatissime, ac dilectissime Benedicte pro ijs, quæ huic euentura didicisti loco, mæstum gerere animum; quoniam, quod semel à Deo præfixum est, immutabile, atque irreuocabile est, solis tibi, tuo merito, concessis habitantium in loco animabus; sed aderit Omnipotentis Dei consolatio, qui locum istum in ampliorem, & multo meliorem, quàm nunc est, restituet gradum; & huius Ordinis doctrina de hoc iterum per totum Orbem radiabit loco. Quod post eiusdem Patris obitum consummatum est. Nam à Longobardis peruasum, & igne crematum est. Fratres autem ad Apostolicam Sedem veniētes, ex concessione S. prædecessoris nostri Pelagij, iuxtà Lateranense Palatium Monasterium construxerunt, atque
2 per prolixum temporis habitauerunt. 2 Sed cum iam Omnipotens Deus censuisset Casinense Cœnobium restaurare, ac Cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, à Reuerendissimo Gregorio III. prædecessore nostro Petronax dilectus filius noster est ad restaurandum directus; qui dum ad eumdem locum venisset, idem prædecessor noster Gregorius ex hoc mundo migrauit. Sed post eius excessum, quum paruitas nostra in Sede Apostolica successisset, opus ab illo cœptum in restauratione eiusdem Cœnobij, ad
3 iuuante Domino, ad finem vsque perduximus. 3 Hæc autem eo die, quò Sanctissimi Patris Ecclesiam dedicauimus, paruitas nostra obtulit. Libros scilicet sanctæ scripturæ, & librum Regulæ, quam Sanctissimus Pater manū propria scripserat. Pondus etiam libræ panis, & mensuram vini, nec non, & diuersa ad Ecclesiasticum ministerium ornamenta, & possessio-
4 nes, Apostolica liberalitate, concessimus. 4 Qualiter autem eiusdem Patris pignora, Sororisque eius sint posita perspicientes, intemerata inuenientes, pro re-
5 uerentia tanti Patris, tangere minimè ausi sumus. 5 In dedicatione vero eiusdem, dum illic, cum tresdecim Archiepiscopis, & sexagintaocto Episcopis adessemus, idem dilectissimus filius noster cœpit, quatenus possessiones, quæ eidem Monasterio oblatæ sunt à quibuscunque fidelibus, per nostrum priuilegium roboraremus. Illorum desiderijs, vtpote amabilium, annuentes, hæc per præsens priuilegium, quæ à nobis, alijsque fidelibus concessa sunt, in eodem loco in perpetuum roboramus. Ecclesiam, quam Sanctus Pater Benedictus construxerat, vnâ cum omnibus pertinentijs suis. Castrum Casinum, cum pertinentijs suis, Villam, quæ dicitur Eutelia, cum pertinentijs suis. Monasterium Sublacense, cum omnibus pertinentijs suis, nec non decem, & octo Curtes, quas Tertullus Patricius, vnà cum Placido filio suo Beato Benedicto obtulit, cum seruis septem millibus, & Portū Panormitano, & Messano. Ecclesiam Sanctæ Crucis, & Sanctæ Mariæ in Termiti, cum pertinentijs suis. Monasterium S. Mariæ in Plumbariola, cum pertinentijs suis. Curtem de territorio Gentianæ, cum pertinentijs suis; nec non & Portum Traiactensem, & Vulturnensem, & totam piscariam de Ciuitate Lesina, vnâ cum Ecclesiā S. Focatis, alijsque Ecclesijs ibi vobis pertinentibus. Concedimus etiam vobis, atque in perpetuum confirmamus, & corroboramus cuncta in circuitū, tam campestria, quam montana, quæ dilectissimus filius noster Gisulphus Beneuentanorum Dux in perpetuum eidem Monasterio concessit, per has, videlicet, terminationes, & fines, quemadmodum incipit ab ipsō fluuio, qui dicitur Canellus, & ascendit per aquam, quæ vocatur Ban-

Bantra, vſque in Riuum Siccum, & ſic aſcendit per
ipſum Riuum, vſque in Furcam S. Martini, & inde
aſcendit per Serras, & vadit in Montem, qui dicitur
Ciſinus, & ſic inde pergit in Peſclum Coruarum, &
qualiter vadit per ipſas Serras ad Furcam, quæ dici-
tur Popplus, & inde pergit ad locum, qui vocatur Vi-
cecoſus, & inde vadit ad Aquam fundatam, & aſcen-
dit in Montem de Silo, & vadit exinde in caput aquæ
de Rapido, & inde aſcendit in Montem, qui dicitur
Caballus, & pergit in Montem, qui vocatur Rende-
naria maior, & inde per Serras Montium venit ad
Rendenariam Minorem, & qualiter indirectè vadit
per pedes Montium, qui vocantur Freſelona, & per-
git in aquam, quæ dicitur de Melarino, & deſcendit
per eandem aquam, cum vtriſquæ ripis, & vadit in
parietes de Balnearia, & inde vadit per locum, qui
dicitur Anglona, & aſcendit ad Furcam de Valle Lu-
ci, & quomodo vadit per ipſas Serras Montium, &
deſcendit ad Petram ſcriptam; & exinde aſcendit ad
Serras Montis, qui dicitur Horticoſa, & quomodo
vadit per Serras Montium, & peruenit ad peſcora,
quæ vocatur Falconaria, & qualiter vadit per duos
Montes, quorum vnus vocatur Spinarius, alter Por-
carius, & qualiter inde vadit ad criſtas Montis, qui
vocatur Caira, & deſcendens peruenit ad petias ſu-
per Aquam niuolam, & aſcendit ad Collem Gombe-
ruti, & deſcendit in Querquatulum, & inde Foſſatum
iuxta S. Damaſum, & exinde directè pergit in ſilicē,
loco vbi dicitur Arcus Geſuli, & qualiter vadit ad
locum, qui vocatur Zadepradi, & quemadmodum
inde pergit in Farmetum, & inde in riuum, qui dici-
tur Maroza, & qualiter deſcendit in ipſum Fluuium
Carnelum, & per eumdem Fluuium aſcendit in
aquam, quæ nominatur Coſa; inde per Serras Mon-
tis S. Donati; inde per Monticellos de Mari deſcen-
dens vadit ad peſclos, qui ſunt in Pedemontis, qui di-
citur Balba; inde per duos Leones; & inde pergens
aſcendit per Serras Montis ſuper Caſale, & ſic de-
ſcendit per ipſum Montem, vſque ad Villam de Ga-
riliano, inde ad peſclum qui nominatur Crypta Im-
peratoris, & inde pergit vſque ad prædictum Flumen
Garilianum, atque per ipſum Flumen aſcendit vſque
ad priores fines; vnà cum omnibus Caſtellis, Vicis,
Domibus, Eccleſijs, Molendinis, & aquis, cæteriſque
6 omnibus, quæ intra prædictos fines habentur. 6
Præterea corroboramus, & in perpetuum confirma-
mus eidem dilecto filio, eiuſdemque ſucceſſoribus in
omni Conuentu Epiſcoporum, & Principum, Supe-
riorem omnibus Abbatibus ſedem; & in Concilijs, &
Iudicijs priorem ſui Ordinis omnibus proferre ſen-
tentiam, pro reuerentia tanti loci, qui primum, &
ſummum Monaſticæ legis latorem viuum, & mor-
tuum in perpetuum retinere promeruit; quique ip-
ſius legis lationem in eodem Caſinenſi Cœnobio,
ſcribens, verbo, & exemplo Cœnobitale propoſitum
appetentibus in toto Mundo ſole clarius euibra-
7 uit. 7 Pro quo, Caſinenſe Cœnobium exaltantes,
decernimus, & in perpetuum confirmamus, vt ſupra-
dictus locus dignitate, vigore, ac honorificentiâ præ-
cellat omnia Monaſteria, quæ conſtituta, vel conſti-
tuenda ſunt in toto Orbe terrarum. Abbaſque eiuſ-
dem loci celſior, & celebrior exiſtat omnibus Abba-
tibus eamdem Regulam tenentibus. Illicq; lex Mo-
naſtici Ordinis, caput teneat, ac principatum, vbi
eiuſdem legis deſcriptor Benedictus Pater Sanctiſſi-
mus eamdem deſcribens promulgauit Regulam.
Ibiq; Abbates, & Monachi honorem, ac reuerentiam
deferant, & ibi vſque ad diem Iudicij quærant Re-
ctorem, vbi Monachorum vniuerſalis Magiſter, &
Doctor Benedictus Pater Almificus corporaliter,



vnà cum ſorore ſua quieſcens, glorioſæ reſurrectio-
8 nis diem expectat. 8 Defuncto autem Abbate, ex
ſe ſe ipſa Congregatio ſecundum ſanius conſilium
ſapientum, & ſeniorum fratrum ſibi Abbatem eli-
gat, & Apoſtolicę Sedis Pontifici firmandum, & con-
ſecrandum exhibeat; nec aliter ibi Abbas conſtitua-
tur, aut aliunde illuc intromittatur, niſi fortè ex ſe
aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, &
9 ob id ſaniori conſilio extraneum ſibi elegerint. 9
Inſuper autem præſenti priuilegio ſupradictum lo-
cum, vnà cum omnibus ſibi pertinentibus Eccleſijs,
& poſſeſſionibus per totum Orbem roboramus, at-
que, vt nullius alterius Eccleſiæ, niſi Romani Ponti-
ficis ditioni ſubmittatur, auctoritate Apoſtolica in-
10 terdicimus. 10 Itaut niſi ab Abbate, vel à Præpo-
ſito fuerit inuitatus Miſſarum ſolemnitatem, nullus
Epiſcopus celebrare prȩſumat in eiſdem poſſeſſioni-
bus. Quod à præſenti prima Indictione irreuocabili-
ter in perpetuum ſtabilimus retinendum, & cum Dei
11 timore ſeruandum. 11 Statuentes inſuper Apo-
ſtolica cenſura ſub diuini Iudicij obteſtatione, & va-
lidis, atque atrocibus anathematis interdictionibus,
vt nullus vnquam qualibet dignitate, aut poteſtate
præditus præſumat eidem Monaſterio, vel omnibus
eius poſſeſſionibus inferre, vel aliquid de ijs, aliquo
modo auferre, vel alienare; ſed nec pacis, nec bellico
tempore ibidem aliquam iacturam, aut moleſtiam
inferre; dum perenniter illud firma ſtabilitate decer-
nimus ſub ditione S. Romanæ Eccleſiæ permanen-
dum. Promulgantes quidem, & auctoritate Beati
Petri Apoſtolorum Principis coram Deo, & eius ter-
ribili examine, per hoc noſtrum Apoſtolicum priui-
legium conſtituimus, ſancimus, atque decernimus, vt
in omnibus prouincijs, per totum Orbem commuta-
ta atque oblata, aut inpoſterum eidem Cœnobio à
qualibet perſona cōceſſa fuerint, firma ſtabilitate ſub
iure ipſius Monaſterij exiſtentia, atque in perpetuum
permanentia, ſtatuimus, ne licentia ſit, vt dictum eſt,
cuilibet magnæ, paruæque perſonæ aliquid ex ijs au-
ferre; ſed inconcuſsè, & irreuocabiliter ibidem in per-
12 petuum permanere. 12 Conceſſimus etiam hoc
Apoſtolico priuilegio, vt pro oblatione, vel ordinatio-
ne Præsbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum,
& Altarium conſecratione, Chriſmæq; acceptione in
quibuslibet eiuſdē Monaſterij poſſeſſionibus quem-
13 cumque voluerint Epiſcopum inuitandum. 13
Hymnum quoque Angelicum in Dominicis, & in
feſtiuis diebus, concedimus in Miſſarum ſolemnijs
14 decantandum. 14 In horis verò diurnis, & noctur-
nalibus ſignum in Eccleſia pulſandum, ſimili modo
15 licentiam damus. 15 Et corroboramus in præfa-
to Monaſterio, & in omnibus eius Eccleſijs per to-
tum Orbem terrarum conſtructis Fontem benedici,
& Sacrum Baptiſma celebrari; & non ſolū ibi, ſed in
his quoque, quæ amodo in poſſeſſionibus prædicti
Cœnobij præſentis, vel futuris temporibus Eccleſiæ
ædificandæ ſunt, remota ſcilicet cuiuſcumque Epiſ-
16 copi interdictione. 16 Addimus etiam, vt nullus
Epiſcopus prohibeat Chriſtianum populum ingredi
ad eaſdem Eccleſias, vel in eiſdem de ſuis rebus ali-
17 quid offerre, vt ſolet fieri, religione pia. 17 Obſer-
uari quoque hanc noſtram iuſſionem volumus, vt
nullus Epiſcopus in iàm dicto Caſinenſi Cœnobio, &
in omnibus eius Cellis per totum Orbem terrarum
18 conſtructis, decimas tollat, 18 Sacerdotem exco-
19 municet, vel ad Synodum prouocet. 19 Simili
etiam modo licentiam damus, eidem dilecto filio;
eiuſque poſteris Abbatibus, Monachorum Synodum
congregandi, & quemcumque Clericum voluerit,
cum ſuis ſubſtantijs, ſeu rebus ſuſcipere ad habitan-
dum

dum in omnibus Casinensis Monasterii possessionibus, siue Præsbyter sit, aut Diaconus, vel cuiuslibet Ecclesiastici Ordinis, & nullius Episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem religioso Petronaci, eiusque posteris, & eorum Præpositis in perpetuum vindicare prædictas Ecclesias, curtes, & possessiones per totum Orbem terrarum, & omnem in eisdem possessionibus degentem Clericum ad officium promereri, absque personæ sæcularis potestate, & cuius-
20 libet Episcopi contradictione. 20 Si quis autem, quod absit, ea, quæ ad laudem pro stabilitate, ac Casinensis Cœnobii conseruanda eius dignitate, & possessionum eius tutelà à nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare, aut refragare præsumpserit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & à Regno Dei alienatum, & cum Diabolo, & eius pompis, & Iudâ Iesu Christi Domini nostri traditore æterno supplicio, æternæq; maledictioni deputandum. At vero qui pio intuitu huius nostri Apostolici constituti obseruator extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Deo nostro, per intercessionem Beatissimi Patris Nostri Benedicti consequatur,& vitæ æternæ præmia adipisci mereatur. Scriptum per manus Leonis Notarii Regionarii, atque Scriniarii Carissimæ Romanæ Ecclesiæ in Mense Februario, per Indictionem subscriptam 10.

*Zachariæ I. Papæ Signum.*

ZACHARIÆ S. R. ET APOSTOLICÆ S. PAPÆ

IC XC.

S. PETRVS. S. PAVLVS.

Dat. duodecimo Calendarum Martiarum Aquini, per manum Benedicti Episcopi Sanctæ Siluæ candidæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Zachariæ Summi Pontificis, & Vniuersalis Papæ, in Sacratissima Beati Petri Apostoli Sede primo, in Mense Februario, indictione supraſcripta 10.

## CONSTITVTIO IIII.

*SVMMARIVM.*

*749. Ian.*

### ZACHARIAS PAPA I.

1 *S. P. N. Benedicti Regulam à Gregorio I. approbatam confirmat.*

2 *Festum eiusdem, Sororisque eius Scholasticæ, & S. Mauri instituit; ac velut Natiuitatis Domini diem solemnizari mandat.*

3 *Tertullo Patricio, Gregorio Papæ III. sibique Anniuersarium depositionis; S. Placido verò Missarum solemnia, celebrari constituit.*

*Ex Arch. Casin.*

ZACHARIAS Episcopus seruus seruorum Dei. Omnibus Christi sanguine redemptis salutem, & Apostolicam benedictionem 1 Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quòd gloriosus in Sanctis suis, atque mirabilis est, & virtutes, ac dona ineffabili largitate dispergit. Ipse quippè Beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum. Ipse illius meritis Casinense Monasterium in solo Tertulli Patricii fundatum, omnibus per totum orbem Cœnobiis, clementi benignitate præfecit: vbi ipse Sanctus Monachorum Regulam scripsit; quam Sanctæ memoriæ prædecessor noster Gregorius in libro Dialogorum satis approbat, & laudat; & Nos approbamus, & laudamus, & Sanctam constituimus,& ordinauimus in Dedicatione eiusdem Ecclesiæ; dum ibidem,cum tresdecim Archiepiscopis,& sexaginta & octo Episcopi adessemus. Constituentes etiam, vt qui contrà hoc venire attemptauerit, anathematis
2 vinculo innodetur. 2 Vt ita Patris Benedicti, Mauri, ac Virginis Christi Scholasticæ festiuitates, sicut
3 diem Natalis Domini celebrent. 3 Nec non Tertullo Patricio plenariam,& solemnem commemorationem vnoquoque anno persoluant quartadecimâ die mensis Iulii. Et Beatissimo Placido similitèr eâdem die commemorationem Missarum celebrent. Pari etiam modo constituimus, vt prædecessori Nostro Gregorio tertio, ac Nostræ paruitati Anniuersario depositionis die solemnem, & festiuam commemorationem faciant. Obseruatoribus huius Edicti Apostolicam benedictionem, contradictoribus diuinæ sententiæ vinculum inferentes. Scriptum per manum Leonis Notarii Regionarii, atque Scriniarii S. R. E. in Mense Ianuario, per Indictionem subscriptam primam.

## CONSTITVTIO V.

*SVMMARIVM.*

*835. Maij.*

### GREGORIVS PAPA IV.

1 *S. Petri de Perusio Monasterium, eiusque bona, & iura, aduersus infestantes quoscumque, hoc priuilegio communit.*

2 *Reges, Principes, Archiepiscopos, & quascumq; dignitates, Monasterio predicto vim inferentes, vel iurisdictionem in eodem exercentes, hàc constitutione voluit comprehendi.*

3 *Episcopis quoq; iurisdictionem in eodem quamcumque exercere, nec quidem Missarum solemnia in eodem peragere; eisque per Apostolicam Sedem facultatē vllam ad hoc impertiri posse, prohibet.*

4 *Romani tantùm Pontificis ditioni subdit.*

5 *Abbati, eiusdem Cœnobij moderamen, rerumq; ac iurium eius custodiam committit; dilapidationem prohibet.*

6 *Abbatis electionem non ad Reges, vel Principes, sed ad Monachos, Consecrationem verò ad Summum Pontificem spectare decernit.*

7 *Constitutiones quascumque iuri eiusdem Cœnobij aduersantes, eneruat, & inane, decernit.*

8 *Clericorum Monasterij ordinationem cuicumq; Episcopo demandari posse constituit, Eosq; ad Synodum vocare, vel excōmunicare cuicumq; Episcopo interdicit. Sed ad Synodum à Summo Pontifice coactam conuenire debere decernit.*

9 *Summis Pontificibus, successoribus, cęterisq; inferioris ordinis sub Diuini iudicii, & anathematis contestatione contrà hoc priuilegium agere quomodocumq. interdicit.*

*Ex*

*Ex Archiv. S. Petri Perusin. Caps Primi n 1.*

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei.
Reuerentissimo in Domino nostro spirituali
filio Bonizoni religioso præsbytero, & Mo-
nacho, atque coangelico Abbati Ven. Monasterij
Beati Petri Apostolorum Principis, quod situm est
prope Ciuitatem, quæ dicitur Perusia, fundatum in
loco, qui vocatur Caprarius, tuisque successoribus
Abbatibus, perpetuam in Domino Iesu Christo salu-
1 tem. 1 Quoniam si quid ad honorem Dei ordinamus,
mercedem inde in futuro Nos recepturos ab ipso non
dubitamus. Idcirco Nos, quibus Ecclesiarum Dei
regimen commissum est, Ecclesiæ Beati Petri Apo-
stoli prouidentes in posterum de rebus suis, quæ iure
competere sibi videntur, Priuilegium Nostræ auctori-
tatis constituere ratum duximus. Arbitramur ete-
nim ad futuræ vtilitatis fructum plurimum valere,
quod contrà infestationem Tyrannorum, & quo-
rumlibet prauorum hominum iure videtur habe-
re. Igitur auctoritate Apostolicâ constituimus de-
fensionis Priuilegium de omnibus rebus prædicti
Monasterij, quatenùs prædictæ res quietè maneant,
& Monachi Deo seruientes securè eas possideant.
Hoc est ipsum prædictum Monasterium vndique
circundatum, & reædificatum in integrum, cum
cellis, & cæteris Ecclesijs suis, seu curtis, & fundis,
& casalibus. Videlicet Monasterium Sancti Sergij,
quod nuncupatur Canelicum, situm Romæ Regio-
ne quartâ in Suburrâ, cum Ecclesiâ Sanctæ Euphe-
miæ iuxtà se positam, & cum omnibus suis perti-
nentijs intùs, & deforis, & Plebem Sancti Constan-
tij, & Sancti Rufini, & Sancti Martini, cum omni-
bus eorum pertinentijs, & Ecclesiam Sancti Iusti-
ni, & medietatem Sancti Iuliani in Casale, & Eccle-
siam Sancti Andreæ in Ripulâ, & Ecclesiam Sancti
Benedicti in Albutiano, & Ecclesiam Sancti Benedi-
cti, quæ posita est in Agilione, & Ecclesiam Sancti
Benedicti in Petrâ valliolâ, necnon Ecclesiam San-
ctæ Mariæ in prædicto Agilione; & cætera omnia,
quæ ibidem habere videtur; simulque Ecclesiam
Sancti Marci positam sub Papiano, & Ecclesiam
Sancti Syluestri in Murcellâ, & Ecclesiam Sancti
Andreæ Apostoli in Colle, & Ecclesiam Sancti An-
geli in Aliano, & vnam portionem Ecclesiæ Sancti
Petri in Ceriano, & Ecclesiam Sancti Syluestri in
Petriolo, & Ecclesiam Sancti Sixti in Coloniolâ, &
Ecclesiam Sancti Petri in Comitatu Assisinato, in
loco, qui vocatur Petroniano, pariterque Ecclesiam
Sancti Petri apud Montem in ipso Comitatu, & me-
dietatem Ecclesiæ Sancti Donati de Valle Pontis
iuxtà Ciuitellam, cum omnibus eorum pertinentijs,
& adiacentijs; necnon Curtem de Petroniano, & de
Petriolo, & quartam partem de Castello de Rancu-
redulo, cum omnibus eorum pertinentijs, & Cur-
tem de Casale, cum suâ pertinentiâ. Confirmamus
etiam ipsi Monasterio Sancti Petri Massas duas, vnâ,
quæ vocatur Casalini, & alteram, quæ vocatur Po-
sulo, cum Ecclesijs, casis, vineis, campis, hortis,
montibus, cultis, & incultis, syluis, & arboribus po-
miferis, fructiferis, & infructiferis, aquis, aquarum-
que decursibus, vel cum omnibus adiacentijs, ac
pertinentijs earum, territorio Perusino positis. Im-
mo autem concedimus, & confirmamus vobis Ec-
clesiam Sanctæ Mariæ in Pitiniano, & Ecclesiam
Sancti Clementis in Ripâ fluminis positam, cum
omnibus earum pertinentijs ac adiacentijs. Cæte-
rasque terras cultas, & incultas, seruos quoque, &
ancillas, vel omne quod dici, & nominari potest, ei-
dem Ven. Monasterio pertinentes, siue quicquid in
futuro à Regibus, & Ducibus, vel à qualibet perso-
nâ fidelium ibidem concessum, & oblatum fuerit,
Nostrâ auctoritate, liberum, & securum ab omni ex-
2 traneâ potestate permaneat. 2. Vnde volumus, vt
nullus Rex, nullus Marchio, nullus Princeps, nul-
lus Dux, nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus,
nullus Comes, nec Vicecomes, neque vlla magna,
paruaque persona in eis, quæ suprà dicta sunt, pote-
statem exerceat, aut vim facere præsumat, vel con-
tra hoc Nostrum Priuilegium aliquod aduersitatis
3 agere audeat. 3. Et omnes Episcopos, cæterosque
Clericos in præfato Monasterio, & in omnibus suis
ditionem quamlibet habere, ac auctoritatem præ-
bere Sedem Apostolicam prohibemus, nec Missarum
solemnitatem ibidem quispiam præsumat celebrare,
nisi à vobis, vestrisq; successoribus Abbatibus fuerit
4 inuitatus. 4. Romano autem Pontifici, prædictus
locus sit semper subiectus, eique seruiens obediat,
& sub nullo alterius iure, vel potestate consistat.
5 5. Abbates verò eiusdem loci liberam moderandi,
atque ordinandi ea, quæ necessaria fuerint, habeant
potestatem, & non audeant confundere, seu dissipa-
re, necnon vendere, seu quolibet modo alienare ea,
quæ Monasterij esse videntur, nisi ad vtilitatem, &
honorem eiusdem Venerabilis Monasterii, & Nostri
6 Apostolatus. 6. Statuimus autem, cum Abbas ipsius
Monasterii obierit, neque à Regibus, neque ab Ar-
chiepiscopis, siue ab Episcopis, neque à Marchioni-
bus, vel Comitibus, neque à qualibet personâ ho-
minum, aliquâ cupiditatis causâ, ibidem eliga-
tur, neque consecretur Abbas, sed qualis à cunctâ
Congregatione Monachorum ibidem degentium
eligetur, & communi consilio à Nobis, Nostrisque
7 successoribus Pontificibus consecretur. 7 Iubemus
insuper, vt omnes nociuæ Ecclesiæ vestri Monaste-
8 rii Bullæ, omninò vacuæ, & inanes consistant. 8 Da-
mus quoque licentiam vobis, vestrisque successori-
bus Abbatibus ordinandi vestros Clericos à quali-
cunque volueritis Episcopo, & Chrisma accipien-
di. Similiter volumus, vt nullus Episcopus, vel ip-
se, in cuius parochiâ situm est idem Ven. Monaste-
rium, aliquem vestrorum Clericorum seruientium,
tàm in eodem Monasterio, quàm in cæteris vestris
Cellis audeat excommunicare, vel ad Synodum pro-
uocare. Quandoquidem verò ad Nostram Synodum,
siue pro aliquâ Nostrâ vtilitate vocati fueritis, re-
motâ contradictione omnium Clericorum, ac lay-
9 corum, venire non recusetis. 9 Quapropter sub ob-
testatione diuini iudicii, & anathematis interdictu
promulgantes decernimus, vt nullus Nostrorum suc-
cessorum Pontificum, vel aliqua magna, paruaque
persona hominum audeat, vel præsumat contrà hoc
Nostrum Apostolicum Priuilegium aliquid iniustè
agere. Si quis autem (quod non credimus) teme-
rario ausu contrà hoc Nostrum Apostolicum Priuile-
gium venire tentauerit, nisi resipuerit, auctoritate
Beati Petri Apostolorum Principis anathematis vin-
culo sit innodatus, & à Regno Dei alienus, & cum
Iudâ traditore Domini Nostri Iesu Christi in Infer-
no consistat sociatus. Insuper autem Nostro Palatio
viginti libras auri purissimi coactus exoluat. At, qui
pro intuitu custos, & obseruator extiterit huius No-
stri Apostolici priuilegii, benedictionis gratiam à
Nostrâ Sede, & Cœlestis Regni gaudia à misericor-
dissimo Domino Deo Nostro consequi mereatur.
Scriptum per manus Ioannis Scriniarii, & Notarii
nostri Palatii Mense Maio, Indictione tertiadecimâ.
Bene valete.

CON-

CONSTITVTIO VI.

SVMMARIVM.

1023. Iulij 28.

BENEDICTVS PAPA VIII.

*Corpus Beatissimi P. N. Benedicti Casini quiescere, ex eiusdem S. P. N. reuelatione Henrico I. Imperatori facta, & salutis restitutione ex ylij dolore eidem Henrico præstita, testatur.*

*Ex Arch. Casin.*

BENEDICTVS Episcopus seruus seruorum Dei. Notum volumus esse omnibus fidelibus Christianis, tàm Prælatis, quàm subditis. Quia Dominus Henricus Imperator specialis noster filius, perrexit ad Monasterium Sancti Benedicti, quod situm est in Monte quid dicitur Castrum Casinum; vbi Sanctissimum Corpus eiusdem Sanctissimi Benedicti humatum est. Et quamuis maximam circa eundem locum deuotionem gereret; nusquam terribilius, & venerabilius Oratoriū vidisse se assereret. Sæpius tamen dubietatis scrupulo monebatur; vtrumnam Beatus Benedictus corporaliter in eodem Casinensium Cœnobio quiesceret. Præ dolore autem ylij, quò grauissimè idem Imperator cruciabatur, nec penè dormienti, nec ex integro vigilanti, Sanctissimus Pater Benedictus eidem Imperatori apparens, vbi nam pateretur inquirit. Cui langorem protinùs confitenti, Sanctissimus Benedictus ait. Scio quoniam tu me hactenus hic dubitasti quiescere; sed ne super hoc amplius dubitetur, meumque in loco isto vnà cum Sorore mea certissimè quiescere corpusculum credas, hoc tibi signum erit. Quum primùm hodiè surrexeris, in egestione vrinæ tuæ, tres lapillos non paruos mingere habebis; & ex tunc dolore isto ampliùs non laborabis. Et scias quia Ego sum Frater Benedictus. Et his dictis prestò disparuit. Experge-factus Imperator, confestim surrexit, ac iuxta visionem, quam viderat, sanitati pristinæ redditus, Deo, & Patri Benedicto gratias maximas retulit. Manè autem facto, veniens in conuentu Fratrum, Imperator ait. Quid nam Domini mei me consulitis donare Medico, qui me curauit? Quumq; responsum illi fuisset, vt quicquid de Monasterio, sibi placeret, tolleret, ac Medico daret. Non ita oportet, inquit, Imperator; sed quoniam Sanctissimus Pater Benedictus hac me euidenter nocte curauit: ratio est, & quidem iustissima, vt de meamet Camera illius debeam remunerare medelam. Et hæc dicens, cum lachrymis gaudio mixtis, retulit omnibus quæ audijsset, atque vidisset; adijciens. Nunc planè pro certo cognoui, quoniam verè locus iste Sanctus est, & nulli mortalium est vlterius ambigēdum, quin hic Sanctissimus Benedictus Pater, pariter cum Sancta Sorore sua quiescat. Ad fidem autem istorum, tres illos lapillos, quos secundum tenorem visionis ante paululum minxerat, palàm omnibus ostendebat. Imperator autem surgens, & ad Corpus Beati Benedicti perueniens, obtulit eidem Beato Benedicto munera hæc videlicet. Textum Euangelij, de foris quidem ex vno latere adopertum auro purissimo, ac gemmis valdè prætiosis, ab intus vero vncialibus litteris, atque figuris aureis mirificè decoratum. Calicem aureum, cum Patena sua gemmis, & margaritis, ac smaltis optimis laboratum, cum mappulis, cum quibus offeruntur. Olosérica auro intexta, & Planetam de pallio dyopastin, adornatā optimis listis aureis, & Orarium, & Mappulam, atq; Cingulos, & Stolas, singula intexta auro. Similiter, & Pluuiale dyaspṛum, cum listis auro textis; nec non & Tunicam eiusdem subteguminis, aureis ex operibus exornatam. Situlam quoque, & Cuppam argentatam cum quà Fratres in festiuitatibus biberent. Planetam dyarrodinam aureis listis ornatā, vnà cum Alba, & Cingulo, Stola, atque Manipulo. Recollegit autem à Iudæis, qui retinebant in pignore pro quingētis aureis, vnam vestem de Altario Sancti Benedicti, quæ Caroli Regis fuit, nec non & Calicem argenteum saxonicum maiorem, cum Patena sua; quem Theodoricus Saxonum Rex Beato Benedicto olim transmiserat. Nostra vero paruitas, Imperatoriæ saluti congratulans, posuimus super Altare Sancti Benedicti Planetam optimam veneti coloris, listis nihilominus aureis decenter ornatam, & Stolam optimam aurobrustam, cum Manipulo suo. Similiter, & Belgrimus Archiepiscopus obtulit Planetam purpuream optimam, aureis listis, XII. signa habentibus in circuitu, adornatam, & Stolam cum auro, & Pluuiale vnum. Quæ omnia posuimus super Altari B. Benedicti in perpetuum ibi habenda. Quapropter Ego qui supra Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei, cum prædicto Imperatore, omnes qui Christiano vocabulo censentur, obsecramus per Deum Patrem Omnipotentem, & per Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui pro salute totius mundi nasci, mori, & resurgere voluit, & per Spiritum Sanctum ex vtroque procedentem, & Beatissimum Petrum Apostolorum Principem, qui habet potestatem ligandi, atq; soluendi; vt nullus vnquam de prædicto thesauro, & de omnibus, quæ prædictus Imperator pro redemptione animæ suæ in prædicta Ecclesia in antea contulerat, quolibet modo, vel ingenio aliquatenus tollere præsumat. Si quis autem, quod non optamus, hanc nostram obtestationem, vel obsecrationē pro nihilo duxerit, & aliquid de eis, quæ superius scripta sunt de prædicta Ecclesia quolibet modo, temerario ausu, tollere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, & à Regno Dei alienum, & cum Diabolo, & eius atrocissimis pompis, atq; cum Iuda traditore Domini Nostri Iesu Christi æterno incendio, & supplicio contremandum sit deputatum. At vero, qui, pro intuitu, seruator, & in omnibus extiterit custodiens huius nostri Apostolici constituti, ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Nostro, per intercessionem Beati Benedicti, multipliciter consequatur; & vitæ æternæ particeps esse mereatur. Interfuerunt huic rei Pupo Patriarcha Aquilegieñ. Belgrinus, Archiepiscopus Coloniensis; cum omnibus ferè Episcopis, Archiepiscopis, & Abbatibus totius Galliæ, & Italiæ, Anno ab Incarnatione Domini M.XXIII. Pōtificatus vero Domini Benedicti Papæ Octaui Sedis anno duodecimo. Imperij verò Domini Henrici Imperatoris Romanorum decimo. Indictione sexta mense Iulij die 28. Amen.

CONSTITVTIO VII.

SVMMARIVM.

1066. Ianuarij 30.

ALEXANDER PAPA II.

*Pontificalium vsum Monasterij Cauensis Abbatibus concedit.*

*Ex*

*Ex Arch. Cauensi.*

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Marino Cauensi Abbati salutem, & Apostolicam benedictionem. Et bonæ opinionis,& famæ,& vitæ integritas, composita religio, atq; ordinata charitas, quibus Monasterium tibi commissum ab antiquo,& tempore tuo maximè redolere dignoscitur,hortatur nos multipliciter, & inuitat ad incrementum, & conseruationem ipsius solicita,& vigili meditatione intẽdere, & quod speciali priuilegio amoris,& prærogatiua dilectionis, & gratiæ te, & idem Monasterium decorare. Vt autem charitatis, & desiderij affectum, quem circa personam tuam, & præscriptum Monasterium gerimus, experientia operis, valeas certius comprobare, Tibi, tuisque successoribus vsum Mitræ, & Anuli, Sandaliorum quoque, & Chirothecarum, Tunicæ verò atq;Dalmaticæ in præcipuis solemnitatibus, in Concilijs Romanorum Pontificium, & in obsequijs Ecclesiasticarum personarum, & nobilium defunctorum, auctoritate Apostolica cõcedimus. Optantes,vt de die in diem idem Monasterium in proposito religionis proficere debeat, & potiora semper suscipere munimina virtutum. Dat. Beneuenti tertio Cal. Febr. Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO VIII.

### SVMMARIVM.

1092. *Ianuarij* 14.

### VRBANVS PAPA II.

1 *Cauensis Monasterij incrementa, & immunitates à Gregorio Papa VII. concessas commemorat, & confirmat. Idemq; Monasterium ab omni sæculari, Ecclesiasticaq; iurisdictione liberum decernit.*

2 *Sanctissimæ Trinitatis Ecclesiam à Salernitani Episcopi iurisdictione vendicatam à se, & dedicatam recenset.*

3 *Monasterium prædictum,eiusq;Ecclesias,etiam Parochiales,præsentes,& futuras, eiusq; Monachos,& Clericos sæculares,in Salernitana Diæcesi existentes,ab Archiepiscopi Salernitani iurisdictione liberos fore, & pleno iure ad idem Monasterium spectare decernit.*

4 *Ordines Sacros in eadem Salernitana Diœcesi, à quocunque maluerint Episcopo; in alijs quoque, sed Diæcesano primitùs requisito,Monachos, & Clericos sæculares eidem Monasterio subiectos, suscipere posse concedit.*

5 *Ecclesias Monasterij extra Salernitanam Diæcesim positas, ab omni Episcopali iure; præterquam Cathedratico,à Clericis sæcularibus tantumdem persoluendo,immunes declarat.*

6 *Parochiales dicti Cænobij Ecclesias per Monachos æquè,ac per Clericos sæculares administrari posse constituit.*

7 *Monasterium prædictum eiusq;bona,& iura turbari à quoquam interdicit.*

8 *Idem Monasterium, eiusque bona,& iura præsentia, & futura ad Romanam Ecclesiam pleno iure pertinere. Eique trium aureorum solutionem quotannis Sedi prædictæ faciendam,indicit.*

9 *Centenariæ præscriptionis priuilegium, quod Sedis Romanæ speciale est, eidem Monasterio communicat.*

10 *Causas,& lites eiusdem Monasterij: cum sæcularibus coram Abbate,vel Monachis Monasterij prædicti,aut coram Sede Apostolica, vel eius Legato decidendas statuit.*

11 *In contrauenientes Diuinam vltionem cõminatur.*

*Ex Archiu.Cauensi.*

VRBANVS Episcopus seruus Seruorum Dei. Dilecto in Christo Filio Petro Abbati Monasterij Cauensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad hoc Nos(licet indigni)Sedis Apostolicæ regimen suscepisse cognoscimur, vt per nos potissimum, auctore Deo, Ecclesiarum statum dirigatur,stabiliatur,& augeatur. Cæterum,cum vniuersis Sanctæ Ecclesiæ filijs id Apostolicæ Sedis auctoritate, ac beneuolentia debeamus; illis tamen locis, atque personis, quæ ampliori religionis gratia eminent, propensiori nos conuenit charitatis studio
1 imminere. 1 Apostolicæ ergò memoriæ prædecessoris nostri Gregorij VII. institutis tenacius adhærentes,Cauense Cænobium, cui etiam tua strenuitas præsidet, quod ipse singulariter dilexit, & suæ institutionis priuilegio communiuit, Nos quoque,nostri priuilegij pagina,communimus, & ab omni,tam sæcularis, quam Ecclesiasticæ personæ iugo liberum esse omnino decernimus. Idem namque Apostolicus Pontifex, dum in Romana Sancta Ecclesia Archidiaconatus adhuc fungeretur officio prædictum locum à Gisulpho Salernitano tũc Principe, in cuius manu fuerat, postulauit. Cellas quoque quampluri-mas, quas vsque ad id tempus idem Princeps in manu propria detinuerat, ab ipso acquirens, eidem Sancto loco contulit, & eius habitatores per principale rescriptum omnibus fecit angariarum, pensionum, & telonei persolutionibus absolutos; vt nihil in eo, aut ipsi vlterius, aut suis liceret successoribus vendicare. Præterea Cluniacum locum illum famosum dirigens,inde te, vt Abbatem præfato Monasterio præponeret asciuit. Quem deinceps, cum vniuersis subiectis, siue locis, siue personis singulariter dilexit, fouit, tuitus est. Mox Pontifex factus, eorum libertatem decreti sui pagina confirmauit. Sic præstante Deo,ab omniũ viuẽtium iugo liberum,
2 vsque ad tempora nostra permansit. 2 Nostris autẽ diebus Alphanus Salernitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Confrater noster, ad eiusdem loci subiectionem, modis cœpit omnibus, anhelare. Nobis itaque, disponentibus, in ipso loco Sanctæ Trinitatis, Basilicam dedicare; illæ, suæ Ecclesiæ minui iura clamitabat;cui Nos,ex abundanti,satisfactioné iuris ob. ulimus. Ille,cum ad postulatum,& acceptatum actionis terminum peruenisset, actionem aggredi refutauit. Sic Nos, præsentibus Confratribus nostris Reuerendissimis Episcopis Vbaldo Sabinensi, Ioanne Tusculanensi, Brunone Signino, Rangerio Regitano, Girardo Troyano, Ioanne Rapullano, & Cardinalibus Ecclesiæ nostræ Hermanno Presbytero ex Titulo Quatuor Coronatorum. Gregorio ex Diaconia Sanctæ Mariæ in via lata. Ioanne ex Diaconia Sanctæ Mariæ in Schola Græca, & Teutione Diaconibus; astante, ac postulante dilectissimo filio nostro Duce

Duce Rogerio, cum innumerâ Clericorum, & Laycorum turbâ, prestante Domino, ad honorem Sanctę Trinitatis in eodem loco Basilicam dedicauimus
3 die Nonarum Septembrium. 3 Ipsum igitur Sanctę Trinitatis Monasterium, Nos pro Religione excellentiori excellentius diligẽtes, ad eius omnimodam immunitatem, pręsentis Decreti paginam promulgamus, & predecessoris nostri Gregorij Apostolicę memorię Episcopi vestigijs insistentes, ob Regularem obseruantiam, quæ ibi, auctore Domino, incipit pullulare; ac, vt Fratres illic morãtes, in Christi seruitio animentur; eo quod locum ipsum, charitatiuâ experientiâ, cognouimus ab antiquo, eius immunitatem, de speciali gratiâ, duximus ampliandam. Decernentes, vt tam ipsius Cęnobij Caput, quam omnes Ecclesiæ, quas nunc habet, vel quas in futurum habiturũ est, siue Parochiales fuerint, siue non, in Salernitanâ Ciuitate, & Diœcesi tantum sitæ, ab omni Archiepiscopali iurisdictione, penitus sint exemptæ; itaut in nullo Archiepiscopali iure, seu contentiosâ iurisdictione Tu, successores tui, Fratres ipsius Monasterij, aut etiam sæculares Clerici in Ecclesijs tuis commorantes in præfatâ Ciuitate, & Diœcesi sitis, per Salernitanum Præsulem, qui pro tempore fuerit, aut Capitulum constringantur; sed cum omnibus suis iuribus, & pertinentijs pleno iure ipsi Mo-
4 nasterio sint subiectæ. 4 Si verò aliquos de tuis Monachis, seu sæculares Clericos in Ecclesijs Ciuitatis præfatæ. & Diœcesis commorantes, ad Sacros elegeris ordines, promoueri, licitum sit tibi, tuisque successoribus, quemcumque malueris Episcopum conuocare. In alijs verò Ecclesijs, requisito primitùs
5 dumtaxat Diœcesano. 5 De quibus Ecclesijs extra iam dictam Ciuitatem, & Diœcesim sitis, & ad tuũ Cœnobium pertinentibus, statuimus, vt ab omni Episcopali iure præter Cathedraticum penitus sint immunes; ad quod Diœcesanis Episcopis persoluendum, non Monachi ipsius Monasterij, sed sæculares Clerici celebrantes in ipsis Diuina Officia constrin-
6 gantur. 6 Et tam Monachis tuis, quam etiam Clericis sæcularibus in Ecclesijs Parochialibus eiusdem Cęnobij commorantibus licitum sit absque contradictione cuiusquam, totum officium Parochiæ suę, peragere, dummodò sint idonei talia exercere.
7 7 Interdicimus etiam in nomine Dñi Nři Iesu Christi, & ex authoritate Beati Petri Apostolorum Principis, cuius vice Sanctę Romanæ Ecclesiæ deseruimus, & omnino prohibemus, vt nullus Archiepiscopus, aut Episcopus, nullus Regum, vel Ducum, nullus Principum, aut Comitum, nullus Clericorum aut Laycorum, quælibet omnino magna, vel parua persona pręfato Sanctę Trinitatis Cęnobio in vniuersis ad ipsum spectantibus, quocunque modo, seu quâlibet occasione aliquid auferre, minuere, vel dolos, vel molestias inferre, aut Dei seruos inquie-
8 tare, punienda temeritate, præsumat. 8 Quatenus Romanæ soli Ecclesiæ idem Monasterium cum omnibus Ecclesijs suis, pleno iure perpetuò sit subiectũ. Cuius subiectionis causâ decernimus, vt anno quolibet tu, & successores tui pro ipsius Monasterij capite, & membris suis habitis, & habendis Romanę Sedi tres aureos solidos exsoluas, qui vsualis monetæ Salernitanæ summam tarenorum quindecim non
9 excedant. 9 Præterea ex eo, quod Monasterium præfatum prærogatiuâ quâdam, prosequimur dilectionis, statuimus, & edicto perpetuo prohibemus, vt in ipsius possessionibus, libertatibus, iuribus, ac redditibus occupandis priuilegio gaudeat Centenariæ pręscriptionis, sicut iam dicta Romana Ecclesia gaudet, cui, auctore Domino, deseruimus. Tantò enim Religiosi Monachi ibidem Deo seruientes sinceriori mẽte diuinum opus exequi, deuotione debitâ, poterunt, quantò nos eorum quieti nostrâ, immo Beati Petri Apostolorum Principis auctoritate
10 prouidere studemus. 10. Si quis autem aduersus prædictum Monasterium iustam se putat habere querelam, & apud te, vel successores tuos, vel ipsius loci Monachos litem suam decidere, ac diffinire noluerit; volumus atque statuimus, vt ante Nos, vel Legatos nostros querimonia deferatur; quatenus æquitate iudicij, sine personarum acceptione, sua
11 vnicuique iustitia, Deo auctore, seruetur. 11 Si quis autem contra hanc nostri Decreti auctoritatem ire temptauerit, sciat se Beati Petri Apostoli gratiam ammissurum, & Apostolicę indignationis vltioni feriendum. Obedientes verò, & huiusmodi paginæ præcepta seruantes, dignam à Deo retributionem accipiant, & Apostolicam benedictionem consequantur. Datum Salerni per manus Ioannis Sanctę Romanæ Ecclesię Diaconi Cardinalis xix. Kal. Februarij Indictione quinta. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo secundo, Pontificatus autem Domini Vrbani Papæ Secundi Anno quinto.

## CONSTITVTIO IX.

### SVMMARIVM.

1092. *Septemb.* 14.

### VRBANVS PAPA II.

*1 Cauense Cœnobium liberum, & exemptum ab omni Ecclesiastica, & sæculari seruitute, decernit.*
*2 Bona eidem Monasterio à Gregorio VII. collata enumerat, & confirmat.*
*3 Progressus eiusdem Cœnobij, & Petri Abbatis institutionem, commemorat.*
*4 Exemptionem eiusdem à iurisdictione Salernitanæ Ecclesiæ, elargitur.*
*5 Cœnobij, & Ecclesiæ eiusdem Consecrationem à se factam, affirmat.*
*6 Indulgentias eidem concessas, enumerat.*
*7 Facultatem concedit Abbatibus eiusdem Cœnobij Ecclesias construendi, cum cruce signandi, aliaque Pontificalia, & spiritualia exercendi. Exceptis Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium Consecratione, & Chrismatis confectione.*
*8 Ecclesias eidem Monasterio subiectas, & Clericos etiam sæculares, vel Monachos eisdem Ecclesiis seruientes, ab omni Ordinariorum iurisdictione, eximit.*
*9 Ordines Sacros à Monachis, vel Clericis eidem Cœnobio, subiectis à quocunque maluerint Episcopo recipi posse, indulget.*
*10 Animarum curam, tam per Monachos, quam per Clericos liberè, & licitè exerceri posse.*
*11 Legatorum, & donatorum eidem Monasterio non licere Episcopis tertiam, vel quartam exigere, cuiuscunque consuetudinis prætextu.*
*12 Præscriptionem nullam obesse iuribus prædicti Monasterij, decernit.*

13 *Sepulturam in Cœmeterio Monasterij, & alijs Ecclesiis eidem subiectis licere vnicuiq. sibi eligere.*

14 *Vassallorum Monasterij lites, etiam de eiusdem monasterij interesse agentes, licere eidem Monasterio iudicare, & decidere, iuris communis apicibus minimè obstantibus.*

15 *Concessiones Rogerij Ducis enumerat, & confirmat.*

16 *Decimam partem piscium piscatorum à Mare Aualloni, vsque ad fluuium de Cætera per quinque millia passuum exigere, & vendere posse Monasterium prædictum, absque solutione cuiuscumque datij.*

17 *Vassallos prædicti Monasterij exemptos à grauaminibus, & Curiâ ipsius Ducis, sed tantum Curiæ eiusdem Monasterij subiectos, tam in causis ciuilibus, quam in criminalibus; præterquam sanguinis decernit. Appellationes quoque eorumdem ad Curiam Monasterij remittit.*

18 *Vltimo supplicio damnatorum, si quos obuios habuerit, liberationem per vniuersam ditionem Rogerij Ducis concedit Abbati Cauensi.*

19 *Bonorum eiusdem Cœnobij à Vassallis occupatorum recuperationem, propriâ authoritate, faciendam, impertitur Monasterio.*

20 *Bona, etiam feudalia, Ducatus Rogerij posse elargiri Monasterio concedit; eaque sic oblata ab omni feudo & seruitio libera decernit.*

21 *Bona ad fiscum Ducale legaliter deuoluta, & deuoluenda, eidem Monasterio concedit.*

22 *Recuperationem bonorum Monasterij faciendam per Curiam eiusdem Monasterij, contra quam in his Centenariam tãtum Præscriptionem possit opponi, confirmat.*

23 *Præsentis priuilegij paginam nunquam ab hæredibus, & successoribus Rogerij Ducis, posse irritari, quæcumque, etiam longissimi temporis, Præscriptione intercedente, cauet.*

24 *Supradictas concessiones, Confirmationes, exemptiones, & indulgentias, Apostolicâ eiusdem Pontificis authoritate roborat. Contra easdem venientes per Abbatem excommunicari posse, etiã quauis exceptione vallatos; nec absolutionis beneficium, nisi dignâ præstitâ satisfactione recipere valere, decernit.*

*Ex Arch. S. Io: Euang. Parmen. Capsf. 24. n. 1.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Reuerendissimo, ac Reuerentissimo Fratri Petro Cenobij Cauensis Abbati, & successoribus canonicè promouendis, salutem, & Apostolicam benedictionem in perpetuum. Cùm vniuersis sanctæ Ecclesiæ Præsbyteris, pro Sedis Apostolicæ authoritate, ac beneuolentiâ debitores existamus; illis tamen locis atquè personis, quę specialius, ac familiariùs Romanæ adhæserint Ecclesiæ, quęquè amplioris religionis gratiâ eminere noscũtur, propensiùs, Nos in-
1 ducunt charitatis studio imminere. 1 Apostolicæ ergo memoriæ prædecessoris nostri Gregorij septimi Institutis tenaciùs adhærentes, Cauense Cœnobium, cui summa religio viget, quod ipse singulariter dilexit, & suæ institutionis priuilegio communiuit, Nos quoq; huius nostri priuilegij paginâ communimus, & ab omni, tam sæcularis, quàm Ecclesiasticæ perso-
2 næ iugo liberum esse omninò decernimus. 2 Idem namque Apostolicus Pontifex, dum in Romanâ sanctâ Ecclesiâ Archidiaconatus adhuc officio fungeretur, prędictum locũ à Gisulfo Salernitano tunc Principe, in cuius manus fuerat, postulauit. Cellas quoq; plurimas, quas vsq; ad id temporis spatiũ idem Princeps in manu propriâ detinuerat, ab ipso aquirens, eidē sancto loco contulit absolutè, cum omnibus habitantibus, & habitaturis, tam in Cilenti monte, eiusq; pertinentijs, quàm in locis Pasciano, Mitiliano, Castro Sancti Adiutoris, & pertinentiarum eorumdem locorum, cum omnibus angarijs, & perangarijs, pensionibus solutis, tam ratione terrarum, quàm pro quolibet foculari ipsorum locorum, sicut Nos ipsi in Registro ipsius Principis enucleatiùs vidimus contineri. Quam donationem, Nos authoritate Aposto-
3 licâ, ex certâ scientiâ confirmamus. 3 Præterea Cluniacum illum locum famosum dirigens, inde Te, vt Abbatē præfato Monasterio præponeret, asciuit; quē deinceps cum vniuersis subiectis, siue locis, seu personis singulariter dilexit, fouit, atquè tuitus est. Mox Pontifex factus, eorum libertatem, decreti sui paginâ confirmauit. Sic præstante Deo, ab omnium viuentium iugo liberum, vsque ad tempora nostra permã-
4 sit. 4 Nostris autem diebus Alphanus Salernitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus confrater noster ad eiusdem loci subiectionem, modis cœpit omnibus, anhe-
5 lare. 5 Nobis itaquè disponentibus Basilicam ipsius loci dedicare, ille, suæ Ecclesiæ minui iura clamitabat; cui nos, ex abundanti, satisfactionem Iuris obtulimus. Ille autem, cum ad postulatum, & acceptatum actionis terminum peruenisset, actionem aggredi refutauit. Sic Nos, præsentibus Fratribus nostris Reuerendissimis Episcopis Hubaldo Sabinensi, Oddone Albanensi, Berardo Pręnestino, Ioanne Tusculanensi, Brunone Signinô, Rangerio Regitano, Gerardo Troiano, Ioanne Rapullano, & Cardinalibus Ecclesiæ nostræ Hermãno Presbytero ex titulo Quatuor Coronatorum, Gregorio Presbytero ex titulo S. Vitalis, Benedicto Presbytero Sanctæ Susannæ, Gregorio ex Diaconiâ S. Mariæ in Viâ, Ioanne ex Diaconiâ S. Marię in Schola Græcâ, Petro ex Diaconia in S. Adriano, Iacobo ex Diaconiâ S. Eustachij, & Teucione, ex Diaconiâ S. Georgij ad Velum aureum Diaconibus. Adstante etiam Dilectissimo filio nostro Duce Rogerio, cum innumerâ Clericorum, & laycorum turbâ, præstante Domino Nostro Iesu Christo, cuius vicem, licet immeriti, gerimus in terris, ad honorem Summę, & Indiuiduę Trinitatis, manibus nostris proprijs, in eodem loco, qui Metiliani Caua vulgariter nũcupatur, Basilicam Dedicauimus
6 die Nonarum Septembrium. 6 Indulgentes eidem Monasterio, contemplatione cuiusdam pręrogatiuę specialis charitatis, quam experti fuimus in eodem Cœnobio, immò potius perfectam, religionis obseruantiam, dum adhuc essemus in minoribus ordinibus constituti, Vt quicunque in statu pœnitentiæ, Domino opitulãte, fuerit positus, & ad dictum locum accedens, fuerit ibi vno die ante ipsius Basilicæ Cõsecrationem, & per totum diem sequentem; necnon in die Iouis sancti, atquè per totum diem Veneris sancti sequentem, de omnibus peccatis, de quibus verè contritus fuerit, & confessus, illam Indulgentiã, & veniam à Domino consequatur, quam mereretur in eundo, & redeundo ad Sanctum Iacobum Compostelanum. Reliquis verò temporibus, & diebus singulis, causa deuotionis illius accedentes, quatuor anno-

annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam
suorum peccatorum obtineant, de Sedis Apostolicæ
gratiâ speciali. Qui verò ad Cappellam tuam, sitam
in eodem Monasterio, ac eodem die consecratam
per Venerabilem Fratrem nostrum prædictum Bru-
nonem Episcopum Signinum in diebus, & festiuita-
tibus supradictis, septem annos, & totidem quarante-
nas de indulgentiâ pro suis peccatis confessis, à Do-
mino consequantur. Accedentes similiter ad Eccle-
siam constructam in Casali eidem Monasterio adia-
centi, & eminenti, dedicatum ipso die per iam dictum
Venerabilem Fratrem nostrum Rangerium Episco-
pum Regitanum, in diebus, & festis prædictis; necnon
& in omnibus festiuitatibus Virginis Gloriosę, ad
cuius vocabulum constructa est Ecclesia memorata,
septem annos, & quarantenas totidem de indulgen-
7 tiâ à Domino, promereantur. 7 Concedentes, &
edicto perpetuo confirmantes, vt tam Tu, quam suc-
cessores tui per terras tui Monasterij habitas, & ha-
bendas, liberè possis Ecclesias construere, cum cruce
signare, aliaquè Pontificalia, & spiritualia exercere,
Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Alta-
rium consecratione, ac Chrismatis confectione, tibi
tuisquè successoribus, dumtaxat, abdicatâ penitùs po-
8 testate. 8 Decernentes, vt tam ipsius Cœnobij ca-
put, quàm Ecclesię, quas nunc habet, vel quas ex
nũc inantea habebit, siue Plebanæ fuerint, siue Rura-
les, in Ciuitate, & Diœcesi tantummodò Salernitanâ
situatæ, ab omni iure, & iurisdictione Archiepisco-
pali sint exemptæ de plenitudine potestatis, & gratiâ
speciali; itaut in nullo iure, seu foro contentioso, Tu,
vel successores tui, Fratres ipsius Monasterij, seu Cle-
rici sæculares in prædictâ Ciuitate, & Diœcesi tan-
tummodò, per Salernitanum Præsulem, aut Capitu-
lum aliquatenùs constringantur. Quinimmo Eccle-
siæ, cum omnibus suis iuribus, & pertinentijs pleno
9 iure ipsi Monasterio, sint subiectæ. 9 Si verò aliquos
de tuis Monachis, siue Clericos sæculares in Eccle-
sijs Ciuitatis prædictæ, & Diœcesis commorãtes, ad
Sacros elegeris Ordines promoueri; liceat Tibi, tuis-
què successoribus quemcumque malueris Episco-
pum conuocare, dummodò catholicus fuerit. Sed
in alijs Diœcesibus, requisito duntaxat Diœcesano;
de quibus Ecclesijs sitis in iam dictâ Ciuitate, &
10 Diœcesi nihil Diœcesanus exigere pręsumat: 10 Im-
mò potius tam Monachi, si Clerici defuerint, quàm
ipsi Clerici, absquè quorumlibet contradictione to-
tum officium sacerdotale, quod animarum cura exi-
git, & requirit, exerceant; dummodo sint idonei ta-
11 lia exercere. 11 De his autem, quæ à Catholicis
Christianis eidem Monasterio tàm inter viuos, quàm
in vltimâ voluntate donata fuerint, vel legata à quo-
cunque, vel vbicunque, nulli Episcoporum Diœcesa-
norum licitum sit, quartam, vel tertiam partem in
ipsis legatis, seu donatis, tàm in stabilibus, quàm in
mobilibus exigere prætextu consuetudinis cuiuscun-
12 que. 12 Et si processu temporis per quoscunquè
contra tenorem huiusmodi nostræ concessionis fue-
rit per aliquos attentatum, illud ex nunc decernimus
iuribus vacuatum, Pręscriptione in hoc longi tempo-
13 ris non currente. 13 Si quis verò ad eundem locum,
vel eius Ecclesias, sibi sepulturam elegerit, licitum sit
Tibi tuisq; successoribus, & Fratribus in Ecclesijs ip-
sius Cœnobij commorantibus ipsum in suo Cœme-
terio sepelire, absquè cuiuslibet contradictione;
14 dummodò Christianus, & Catholicus habeatur. 14
Statuimus insuper perpetuò valiturum, vt quotiens
inter Vassallos eiusdem Monasterij orta fuerit quæ-
stio, quæ ipsum quamuis contingat Cœnobium; li-
ceat Tibi, tuisquè successoribus, & partibus ipsius,





quærelas huiusmodi decidere, iustitiâ mediante; iure
communi super hoc edito, in aliquo non obstan-
15 te. 15 Insuper memoratus Excellentissimus Dux
visâ huiusmodi Dedicationis solemnitate, compun-
ctus, vt credimus Diuino Spiritu, Nobis, & nostro
Apostolatui attentiùs supplicauit, vt Donationem, &
Confirmationem, quam ipse eidem Monasterio face-
re, ob reuerentiam Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis,
& suorum peccatorum remedium, intendebat, digna-
remur Apostolicâ authoritate confirmare, nostroque
mandaremus inseri priuilegio diligenter. Nos igi-
tur suis in hâc parte præcibus iustissimis inclinati; in
fauorem ipsius loci, quem speciali prosequimur dile-
ctione pariter, & deuotione, Concessiones, & Dona-
tiones ipsas in nostro præsenti priuilegio inseri feci-
16 mus ad cautelam. 16 Concessit itaquè præfatus
Dux eidem Monasterio in perpetuum, vt partes dicti
Monasterij, absque quâlibet contrarietate hęredum,
& successorum suorum, possint exigere, & recipere
integram decimam partem piscium, qui capti fue-
rint in Mari Aualloni, qui de Gallocanta dicitur,
vsq; ad fluuiũ de Ceterâ, qui est de territorio ipsius
Monasterij per quinque millia passuum intra mare.
Prędictum verò Monasterium mercimonia sua abs-
que omni datione, solutione, seu exitura liberè ven-
dat; nedum in suis littoribus, vel Portubus; immò per
totum suum Ducatum, tàm ipsum Cęnobium, quam
ementes eius mercimonia liberos constituit perpe-
17 tuò à qualibet præparatione. 17 Indulsit etiam, vt
omnes homines, quos dictum Cœnobium habet, &
habebit in prædictis locis Metiliano, Pasciano, Villu-
lâ adiacenti, Castro S. Adiutoris, in Cilenti monte, &
pertinentijs eorumdem locorum, tam Clerici, quam
layci, semper sint liberi ab omni exactione pecunię,
vel rerum quarumlibet aliarum, quas pro aliquâ op-
portunitate, vel causâ, ipse, sui hęredes, vel successo-
res aliquando duxerit â suis hominibus faciendas. Et,
vt de ipsis hominibus liberam Curiam, & forum, fa-
cturos, omnes sine vllo suo Baiulo, vel Ministro, ha-
beatis, & in Curia ipsius Monasterij per eius summa-
rium veniant ad iustitiam faciendam, & â Iudicibus,
quos eis statueritis, debeant rationabiliter iudicari;
quos, & Notarios publicos statuendi liberam vobis
tribuit facultatem, tàm in causis ciuilibus, quàm in
criminalibus omnibus; præter nonnullis causis, de
quibus condemnati legitimè debent mori; de alijs
autem criminibus omnibus, de quibus pœnam aliã,
absquè morte subire debebũt; quicquid volueritis, fa-
ciatis. Sin autem, & de Duellis supremis causis inter-
uenerint. Appellationes verò supremæ, si ipsis vestris
hominibus fuerint oportunæ, ad vestram Curiam ap-
pelletur. Quoniam quicquid ex prædictis homini-
bus locorum ipsorum, & in tenimento in quo mo-
rantur, possit ipse Dux, & eius successores exigere,
statuere, & ordinare; statuendi, & ordinandi atque
18 exigendi vobis perpetuò tribuit potestatem. 18 Con-
cessit etiam vobis in perpetuum, vt in quâcunque
parte sui Ducatus, Tu, vel successores tui personali-
ter fueritis, & vnus, vel plures homines ibi fuerint,
ad mortem, vel quodlibet supplicium iudicati, possi-
tis Vos, sicut volueritis, liberare, & vbicumque per
suum Ducatum transitum feceritis, obuiosquè ha-
bueritis in vestro transitu condemnatos, qui ad su-
spendium, vel decollationis supplicium deportentur,
19 valeatis eos, si vobis placuerit, facere liberari. 19 Si
verò homines, Vassalli ipsius Monasterij, vendunt, of-
ferunt, donant, & modis alijs alienant terras, quas ab
eodem Monasterio tenent, asseruntque eorum con-
suetudines esse, vt id possint facere; sanciuit, & firmi-
ter inhibuit prædictus Dux, vt omnes terras, quas ipsi

homines ab eodem Cœnobio tenent,& quæ alienantur absque ipsius requisitione; dummodo euidenter appareat, quod ipsius Monasterij sint,liceat eas vobis capere, & ad dominium eiusdem Cœnobij reuocare,consuetudine aliquâ non obstante; nisi forsan qui terras ipsas habuerint,præscriptionibus legitimis, vel
20 alijs iustis rationibus inde valeant se tueri. 20 Largitus est quoque iam dictus Dux, vt si quis ex suis Comitibus,Baronibus, Militibus, alijsque Catholicis hominibus totius sui Ducatus de eo, quod ab ipso in feudum tenent, voluerint in partem, vel ex toto in dicto Monasterio offerre,vel alienare, potestatem illam habeant faciendi,qualiter voluerint; dictumque Monasterium,bona ipsa ad ipsum taliter deuoluta,sine omni suâ,heredumquè,& successorum suorum licentiâ percipere valeat,& in suo dominio retinere,& â quolibet seruitio,vel preparatione feudum ipsum,
21 vel pars ipsius deinceps sit immune. 21 Si verò aliqui,tam de Vassallis ipsius Monasterij, quam de alijs tenens de bonis suis stabilibus,vel mobilibus, & sine herede legitimo, & naturali decesserit, vel foris factum fecerit, per quod ipsa ad manus Reipublicę de iure possint applicari;licitum sit vobis,per vos,eadem bona ad vestrum dominium reuocare, omni suâ, heredum,successorum, suorumque officialium contradictione remotâ; nullâ super bonis ipsis potestate si-
22 bi,vel Reipublicæ reseruatâ. 22 Tenentes nihilominùs bona ipsius Monasterij côcessit Vos posse ad vestram Curiam vocare, ad docendum, qualiter bona ipsa teneant;& nisi rationabiliter docuerint bona eadem ad se spectare, vel præscriptione legitimâ, videlicet Centenariâ,ostenderint, se munitos; bona ipsa valeatis taliter occupata, ad dominium eiusdem Monasterij,authoritate huius indulgentiæ,reuocare; iure communi super hunc articulum penitùs reuo-
23 cato. 23 Concessit insuper vobis in perpetuum,vt si tuâ,successorum,& partium ipsius Monasterij manifesta culpâ,non interuenerit,contra eundem Ducem, hæredes,& successores suos, & prædictæ suæ concessionis futuris temporibus,propter quamlibet causam aliam fuerint in totum,vel in partem obliuioni traditæ,vel ommissæ, & præscriptio longissimi temporis interuenerit contra ipsas, per quam dici possit concessiones ipsas locum alterius non habere,præscriptio ipsa; per suum sacramentum tunc nobis præsentibus præstitum, & per hanc suam sanctionem constituit,vt prorsus irrita reputetur, & quocumque tempore ipsum heredem, & successores suos super hoc duxeritis postulandos, dedit, & reliquit eis omnibus sub Diuinę,nostręque benedictionis obtentu firmiter in mandatis,vt ipsas omnes concessiones, & exemptiones per eorum verba, & priuilegia debeant confirmare,sine omni pretio, & tedio tarditatis, & nullus ipsorũ eas presumat infringere, vel mutare; sed ipsas illæsas seruare debeant, & tenere, donec vos in sua,hæredum, & successorum suorum fide sincerâ
24 fueritis permanentes. 24 Quas concessiones, confirmationes, exemptiones, & indulgentias collatas eidem Monasterio per ipsum dilectissimum filium Ducem Rogerium ratificamus, approbamus, & ex certâ scientiâ,confirmamus authoritate Apostolicâ, & plenitudine potestatis. Decernentes, & edicto perpetuo roborantes, vt quicunque dictum monasterium in suis iuribus, possessionibus, aut libertatibus lęserit, aut etiam perturbauerit; liceat tibi, successoribusque tuis, & fratribus ipsius Monasterij cuiuscunque præeminentiæ, siue status fuerit,ipsos,authoritate præsentis nostri priuilegij, canonicâ monitione præmissâ,excommunicare, & excõmunicatos fore denunciare; â quâ absolui non possint, nisi dignè satisfecerint; priuilegio eis collato, vel concedendo, quod excommunicari,vel interdici non possint, aliquatenus non obstante; nisi de indulto huiusmodi plenam, & expressam fecerit mentionem. Si quis autem contra hanc nostri decreti authoritatem venire tentauerit, saluâ Sedis Apostolicæ, & Legatorum eius reuerentia, & dignitate,sciat se Beati Petri Apostoli gratiam amissurum, & indignatione Apostolicâ feriendum. Obedientes verò, & huiusmodi priuilegij scripta seruantes, dignam â Deo retributionem accipiant, & benedictionem Apostolicam consequantur. Ego Vrbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego Hubaldus Sabinensis Episcopus subscripsi. Ego Oddo Albanensis Episcopus subscripsi. Ego Berardus Prænestinus Episcopus subscripsi.Ego Ioannes Tusculanus Episcopus subscripsi. Ego Bruno Signinus Episcopus subscripsi. Ego Rangerius Regitanus Episcopus subscripsi. Ego Gerardus Troianus Episcopus subscripsi. Ego Ioannes Rapullanus Episcopus subscripsi.Ego Hermannus Presbyter Cardinalis subscripsi. Ego Gregorius Presbyter Cardinalis subscripsi. Ego Benedictus Presbyter Cardinalis subscripsi. Datum Salerni per manus Ioannis S.Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, octauo decimo Calendas Octobris, quintadecima Indictione, Anno Dominicę Incarnationis millesimo nonagesimo secundo. Pontificatus Domini Vrbani Papę Secundi, Anno quinto.

## CONSTITVTIO X.

### *SVMMARIVM.*

### VRBANVS PAPA II.

1 *Beatissimi legislatoris, & Monachorum Patriarchæ Benedicti Corpus Casini quiescere,ex eiusdem S.P. N.reuelatione,& signo restitutæ salutis, declarat.*

2 *Translationem eiusdem Corporis celebrãtes, anathemati subijcit.*

3 *Bona,& Iura Casinensi Cœnobio hactenus concessa, confirmat.*

*Ex Archiuo Casinensi.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Omnibus Ecclesiæ Catholicæ filijs Redemptoris nostri sanguine pretioso redemptis salutem, & Apostolicam benedictionem. Scriptum est sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei. Illud verò donum, quod Omnipotens Deus Beatissimo Patri nostro Benedicto,& per eum suo Casinensi concessit Cœnobio,nulla potest ratione conuelli, nulla violentia permutari, quin ipse omnium Monachorum Pater, & eius iamdictum Casinense Monasterium,Caput omnium Monasteriorum perpetuò habeatur; & meritò: nam ex eodem loco de Benedicti pectore Monastici Ordinis venerãda Religio, quasi de Paradisi fonte manauit: quem etiam idem Venerabilis Pater virtutibus, & sua corporali requie memorabi-
1 lem toto orbi effecit. 1 Cuius, dum Sacratissima limina,more predecessorum nostrorum, ipso die Vigiliarum eiusdem Patris visitassemus:consuetudinario lateris dolore attacti,ad extrema deuenimus; cumq; iam salutis spes funditùs nobis adimi videretur,ac de corporali eiusdem Patris Benedicti in eodem loco presentiâ,in nostro animo dubietas versaretur;nocte, quâ eiusdem Patris agebatur solemnitas, idem Sanctissimus Benedictus nostræ exiguitati visibiliter apparens

parens,dixit. Cur de nostrâ corporali presentiâ dubitas? Quem dum quis esset, interrogassemus, Sanctus Domini respondit. Ego sum Frater Benedictus huius Casinensis Cœnobij custos, & habitator in sempiternum? Quia autem tu me hic dubitasti quiescere,id ne ampliùs dubites, meumq; hic quiescere corpusculum credas,hoc tibi signum erit. Cùm primùm ad nocturnale officium pulsatum fuerit, vlteriùs dolore isto non laborabis, & his dictis disparuit. Adueniente autem hora (iuxta quod Sanctus Domini dixerat) sanitati pristinæ redditi, cum Episcopi, & Cardinalibus,Deo, & Sanctissimo Confessori Benedicto grates permaximas referentes, eius
2 Festiuitatem dignâ cum veneratione peregimus. 2 Ob quam rem rogamus,& obsecramus in Domino Iesu, qui pro nostrâ salute incarnari, & mori dignatus est,& ex auctoritate B. Petri Apostolorum Principis, cuius vicè, Romanæ Ecclesiæ præsidemus, & in virtute Spiritus Sancti expresse præcipimus; ne quis vlterius falsam Patris Benedicti translationem celebrare præsumat. Contradictoribus huius nostri Apostolici constituti diuinum iudicium intentantes, & anathematis vinculo innodantes. Et quia ex dispensatione Sacratissimæ Sedis Beati Petri Apostolorum Principis,cui,Deo auctore, licet indigni,administramus, totius Dominici gregis curam gerere, Pastorali solicitudine, compellimur; Casinensi Congregationi diuino cultui perpetuo iuri mancipatæ, tantò nos plus debere gratiæ scimus, quantò per Patrem Benedictum Nos Sanitati pristinæ redditi sumus, & illos ab omni sæculari inquietudine côuenit esse remotos;quatenus fidelis mens expedita impedimentis mundialibus, eò etiam intensiùs insistant Creatoris sui laudibus, & nos Sanctarum orationum
3 suffragijs peccatorum onere subleuemur. 3 Quocirca sequentes statuta Sanctorum prædecessorum nostrorum,Confirmamus in perpetuum Sancto Casinensi Cœnobio quidquid à temporibus Iustini, & Iustiniani Imperatorum,vsq; ad hunc diem eidem loco per totum Orbem terrarum oblatum,concessum, venditum,vel commutatum est;siue quod amodò,& in futurum tempus iustè,& canonicè poterit adipisci. Confirmantes insuper omnia priuilegia Romanorum Pontificum, præcepta Imperatorum, Regum,Marchionum,Ducum, & Principum, & oblationes, quorumcunq; fidelium,quę B. Benedicto, & per eum Casinensi Cœnobio concessa sunt. Si quæ sanè imposterum Ecclesiastica, sæcularisq; persona hanc nostræ constitutionis sciens paginam, contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertiouè commonita, secundùm satisfactionem congruam non emendauerit,potestatis, honorisuè sui dignitate careat,reáq; sed diuino iudicio de perpetratâ iniquitate cognoscat,& à Sanctissimo,& Sacratissimo sanguine Dei,& Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine, districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenùs, & hìc futurum bonæ actionis percipiant, & apud districtû Iudicé præmia ętemę pacis inueniât.Dat.&c.

## CONSTITVTIO XI.

### *SVMMARIVM.*

*1123. Sept. 16.*

### CALIXTVS PAPA II.

1 *Casinensis Monasterij initia, & progressus sub Sanctissimo Patre Nostro Benedicto recenset.*



2 *Monasterium prædictum, cum suis bonis, & iuribus exemptum à quacunq; iurisdictione,& sub Romanæ Ecclesiæ protectione declarat. Eiusdemq; bona enumerat.*

3 *Monasterium prædictum cæteris per occidentem Cœnobijs preferendum. Abbatemq; ipsius in iudicijs, & Concilijs sublimiorem cæteris Abbatibus locum confirmat.*

4 *Mitræ, Dalmaticæ, Sandaliorum, & Chirothecarum vsum in præcipuis festis,diebus Dominicis, & in consessu Concilij concedit.*

5 *Excommunicare,intrdicere,vel ad Synodum vocare subditos dicti Monasterij,missasq;celebrare inuitis Monachis,nulli Episcopo, sed soli Romano Pontifici licere constituit.*

6 *Clericos cuiuscunq; Diœcesis, præterquam excommunicatos,in Monachos suscipere;absq;dictorum Diœcesanorum licentià concedit.*

7 *Monachos, atq;Moniales dicto Monasterio subditas, ab Abbate corrigi, & iudicari posse indulget.*

8 *Signa in horis diurnis,vel nocturnis,pro diuino officio celebrando, pulsari posse in Ecclesijs Monasterij concedit;præterquam Interdicti tempore.*

9 *Ordines Sacros,Altarium consecrationes, Chrisma à quocunq;maluerint Episcopo recipere posse Monachos, vel Clericos eidem Monasterio subditos, concedit.*

10 *Baptisma celebrare,& infirmorum visitationes peragere Clericos eidem Monasterio subditos in Ecclesijs dicti Monasterij posse,indulget.*

11 *Dona eidem Monasterio collata enumerat.*

12 *Abbatis eiusdem Monasterij electionem ad Monachos pertinere,Consecrationem vero ad Summum Pontificem, declarat.*

13 *Depredationes, & seditiones in cuiuscunq; Abbatis obitu,vel electione,interdicit.*

14 *Excommunicare posse perturbantes bona, & Iura dicti Monasterij,Abbati dicti Monasterij concedit, si eorum Episcopi,quibus subditi sunt, ab Abbate requisiti,contra eosdem excommunicationis sententiam proferre noluerint.*

15 *Sepulturam in Ecclesiâ dicti Monasterij liberam esse cuicunq;concedit.*

16 *Excommunicationem contra perturbantes bona,& iura dicti Monasterij promulgat.*

*Ex Arch. Casin.*

CALIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei Religiosissimo, & Charissimo Fratri Gerardo Casinensis Monasterij Beati Benedicti, Abbati, eiusq; successoribus regulariter substituendis in perpe-
1 tuum. 1 Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in sanctis suis,atq;mirabilis est, & virtutes suas vbicunq; vult, ineffabili bonitate,ostendit. Ipse quippe dignationis suæ potentiâ, Beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum; ipse etiã Monasticæ legis latorem, & operatorem esse disposuit; ipse illius meritis Casinense Monasteriũ,in quo, & sanctissimè vixit,& gloriosissimè obijt, omnibus per occidentem Monasterijs clementi benignitate præ-

præfecit. Cuius profectò Diuinæ bonitatis cooperatores existere, Apostolicæ Sedis auctoritas, & vestra circa Romanam Ecclesiam semper, ac nostro potissimum tempore feruens deuotio, nos hortantur. 2
2 Diuinæ igitur constitutionis propositum prosequentes, locum ipsum præcipuâ dilectione complectimur, & omnia, quæ ad eum pertinent, quieta semper, & ab omnium mortalium iugo libera, sub solius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iure, ac defensione perpetuâ permanere decernimus. In quibus hæc proprijs duximus nominibus annotanda. In primis, Monasterium Domini Saluatoris positum ad pedem Casini Montis. Monasterium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Virginis, quod vocatur Plumbarola. Monasterium Sanctæ Mariæ in Cinglâ. Cellam Sancti Benedicti in Capuâ, cum cellis, & pertinentijs suis, S. Angeli ad Formam, S. Ioannis Puellarum, S. Rufi, S. Benedicti Pizuli, S. Angeli ad Odaldiscos, S. Agathæ in Auersa, S. Cęciliæ, & S. Dimitrij in Neapoli, S. Sophiæ in Beneuento, S. Benedicti ad portam Rufini, S. Nicolai in Ciuitate nouâ, S. Benedicti in Pantano, S. Nicolai in Petrâ Pulecinâ, S. Georgij in Fenuclo, S. Ioannis in Turlecoso, S. Petri in Rossano, S. Angeli in Caprariâ, S. Ianuarij propè Beneuentum, S. Martini ibidem, S. Dionisij in Ponte, & S. Anastasij, S. Mariæ in Canneto iuxta Fluuium Trinium, S. Benedicti, & S. Laurentij in Salerno, S. Mariæ in Tremiti, cum ipsis Insulis, S. Liberatoris in Marchiâ, cum omnibus suis pertinentijs, S. Benedicti in Marsi, S. Mariæ in Laico, S. Cosmati in Ciuitella, S. Angeli in Barreio, cum omnibus pertinentijs suis, S. Mariæ Ancillarum Dei in Ciuitate Cosentiæ, S. Mariæ in Banzâ, S. Petri de Lacu, S. Petri de Auellano, S. Erasmi, & S. Benedicti, & S. Scholasticæ in Caietâ, S. Magni in Fundis, S. Stephani, & S. Benedicti, & S. Agathæ in Tarracinâ, S. Petri in Forestâ, S. Pauli ibidem, S. Mariæ in Pontecuruo, S. Angeli, S. Nicandri, & S. Thomæ in Troiâ, S. Eustachij in Pantatiâ, S. Benedicti in Narino, S. Benedicti in Pestinari, S. Mariæ in Casale plano, S. Illuminatæ in Castello Lemusano, S. Trinitatis, & S. Georgij in Termulo, S. Focatis in Lesinâ, cum f uce, & piscariâ, S. Benedicti in Asculo, S. Constantij in Petrâ abnndanti, S. Eustatij in Viperâ, S. Mariæ in Barretano, S. Scholasticæ in Pinnis, S. Saluatoris in Taue, S. Nicolai iuxta Fluuium Trutinum in Aprutium, cum pertinentijs suis, S. Ioannis ad Scurionem, S. Benedicti in Trûto, S. Benedicti in Tisino Flumio, S. Appollinaris in Firmo, quod dicitur Adoplarius, S. Marię in Arboselâ, S. Martini in Saline, S. Angeli in Marano, & Sanctorum septem Fratrum, & S. Lauren. S. Benedicti in Ripâ Vrsâ. In Comitatu Aquinensi Cella S. Gregorij, S. Mauritij, S. Pauli, S. Constantij, S. Christophori, S. Nicolai, S. Mariæ in Albanetâ, S. Nicolai in Ciconiâ, S. Benedicti in Cliâ, S. Nazarij in Como, S. Valentini, S. Martini, S. Vrbani, S. Angeli, S. Pauli, S. Felicis, S. Saluatori, Sancti Angeli in Valle Luci, S. Michaeli in Oliueto, S. Nicolai in Sicâ, S. Angeli in Cannutio, S. Mariæ in Berulis, S. Petri in Escleto, S. Luciæ, & S. Petri in Curuli, S. Siluestri, & S. Martini, & S. Luciæ in Arpino, S. Mariæ de Castello Zapponis, S. Martini in Pede Arcis, S. Benedicti in Colle de insulâ, S. Mariæ in Babuco, S. Nicolai in Trice, S. Germani in Sorâ, S. Benedicti in Paschesano, S. Petri in Morinis, S. Angeli in Pesclocanali, S. Petri in Formis, S. Angeli in Alte, S. Erasmi in Pomperano, S. Mariæ in Collis, S. Pastoris in Ciuitate Tiburtinâ. In Venafio S. Benedicti, S. Nicolai, S. Martini. In ipsa Furcâ Curte, S. Mariæ in Salâ, S. Benedicti Pizoli, ibidem, S. Benedicti in Cesenâ, S. Benedicti in Sesšâ, & S. Theonis. Curte quidem Laurianâ, S. Benedicti in Thiano, cum pertinentijs suis, S. Mariæ in Caluo, S. Nazarij in Anglona, S. Adiutoris, & S. Benedicti in Alifi, S. Donnini in Telesiâ, S. Martini in Vulturno. In Amalfi S. Crucis, & S. Nicolai, S. Crucis in Iserniâ, S. Marci in Carpinonâ, S. Valentini in Sorrentino, S. Angeli in Alcido, S. Marci in Cecano, S. Agathæ in Tusculano, & S. Hierusalem, S. Benedicti in Albano. In Româ Monaster. S. Sebastiani in Palladio. In Lucâ Cellâ S. Georgij. In territorio Pisanæ Ciuitatis S. Siluestri, S. Saluatoris in Ciuitellâ. In Ducato Poletino S. Mariæ in Caleno, S. Benedicti in Trani, S. Benedicti in Baro, S. Petri in perial. in Tarento. In Calabriâ Cellâ S. Anastasiæ, S. Mariæ in Tropeâ, S. Nicolai in Alectano, S. Eufemiæ in Marchiâ. In Comitatu Aretino Mon. S. Benedicti, & S. Ben. in Cremâ. In Sardiniâ Insulâ Ecclesiâ S. Mariæ in Thirgo, S. Eliæ in Monte Sancto, & Sancti Elisæi, cum omnibus eorum pertinentijs, S. Mariæ de Sabucco, S. Mariæ de Oralbo, S. Mariæ de Taneclâ, S. Petri de Trecinghle, S. Nicolai, & S. Mariæ in Solio, cum pertinentijs earum, S. Nicolai de Talasâ, S. Michaelis in Ferrucisi, Sancti Georgij in Ticillo, S. Petri de Simbrano, S. Petri in Nurchi, S. Nicolai de Nigalbi, S. Ioannis, S Eliæ, de Sitin. Item Ciuitatem quæ dicitur S. Germani posita ad pedem Casini Montis, Castellum S. Petri, quod ab antiquis dictum est Castrum Casini, Castellũ S. Angeli, Plumbarola, Pignatarum, Pedem Montis, Iunctam, Castrum S. Ambrosij, S. Apollinaris, S. Georgij, Vallem Frigidam, S. Andreæ, Vantram Monasticam, Vantram Comitalem, S. Stephani, Theremum Fracte, Castrum nouum, Mortulam, cum curte quæ dicitur casa Fortini, Cucurutium, Caminum, Iurium, cum omnibus pertinentijs suis ex vtraq; parte fluminis. Terræ ad Mare iuxta Fluuium Garilianum, Castrum Pontis curui, S. Petri in Flia, S. Victoris, Toroclum, Ceruaria, S. Heliæ, Vallem rotundam, Sacracinescum, Carditum, Aquam fundatam, Vitecosum, Castrum Cetrarium, cum pertinentijs suis, & Ecclesijs. In Marchiâ Teatinâ Castellum Lastinsanum, Montem Albrici, Mucelam Io. & Virici, cum portu Frisâ, S. Iuxti: In comitatu Asculano Castellum, quod dicitur Octauum, & Postmontem, Cinianum, Triuilianum, & Cauinum. In Principatu, Castellum Berricurse, Montebellum, Petram Fracidam. In Camino Vicum album. In territorio Carseolano Castellum Autiola, Piretum, Roccam incameratam, Fosšâ, cæcam. In Amalfi Fudicum. In territ. Troiano Castellionem de Parocello, S. Iustam, Villam S. Nicolai, quæ de Gallinatijs dicitur. In Monte S. Angeli Hospitale. In territorio Capuano Gualdum de Liburiâ. In comitatu Tranensi Curtem S. Felicis, cum Ecclesiâ S. Hyppoliti. Per præsentis quoq; priuilegij paginam Apostolicâ auctoritate statuimus, vt quæcunq; in præsentl vestrum Cœnobium iustè possidet, siue in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium iustè, atq; canonicè poterit adipisci firma tibi tuisq; successorib., & illibata permaneat. Decernimus ergò, vt nulli omninò hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, aut iniustè datas suis vsibus vendicare, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare; sed omnia integrè conseruentur, eorum pro quorum substentatione, & gubernatione concessâ sunt vsibus omnimodis profutura. 3 Præterea Pa-
3 trum nostrorum vestigia subsequentes, vestrum Cœnobium cęteris per Occidentem Cœnobijs præferendum asserimus, & tam te, quam successores tuos in omni conuentu Episcoporum, seu Principum Superiorem omnibus Abbatibus consedere, atq; in iuditijs priorem

priorè cęteris tui ordinis viris sententiā proferre san-
4 cimus; 4 Vsum etiam Compagorum; ac Chirotecą-
rum,Dalmaticę,ac Mitrę;vsu tibi,quā successoribus
tuis in pręcipuis festis, & diebus Dominicis ad Mis-
5 sas,seu consessu Concilij habendum concedimus. 5
Sanè tam in ipso Venerabili Monasterio, quàm etiā
in Cellis eius cuiuslibet Ecclesiæ Episcopum, vel Sa-
cerdotem præter Romanum Pontificem ditionem
quamlibet, aut excommunicandi,aut interdicendi,
aut ad Synodum prouocādi presumere prohibemus.
Ita vt,nisi ab Abbate, Prioreve loci fuerit inuitatus,
6 nec Missarum sollemnia inibi audeat celebrare. 6 Li-
ceatque ipsius Monasterij, & Cellarū eius Fratribus,
Clericos cuiuscunq; Ordinis, seu laycos de quocun-
que Episcopatu ad conuersionem venientes in sani-
tate,vel in ęgritudine,cum rebus suis,absq;Episcopo-
rum,vel cuiuslibet personę contradictione suscipere;
nisi tūc idem Clerici, seu laici à Dioecesanis Episco-
7 pis pro certis fuerint excommunicati criminibus, 7
Liceat absq; sęcularis, vel Ecclesiasticę potestatis in-
hibitione subiectos Monasterij Tui,tàm Monachos,
8 quàm Sanctimoniales fœminas iudicare. 8 Liceat
Fratribus per cellas in Ciuitatibus constitutas ad di-
uina offitia celebranda quandocunq; voluerint Signa
pulsare. Populum Dei,tam in ipsum Cœnobium,
quam, & in Cellas eius ad Dei verbum audiendum
ingredi, nullus Episcopus excepto pro communi to-
9 tius Ciuitatis, vel Parochię Interdicto prohibeat. 9
Chrisma,Oleum sanctum,Cōsecrationem Altarium,
siue Basilicarum, Ordinationes Clericorum à quo-
10 cunq;malueritis Catholico accipiatis Episcopo. 10
Baptismum verò, & infirmorum visitationes per
Clericos vestros in oppidis vestris, seu villis age-
11 tis. 11 Ad perpetuum etiam hospitium tibi tuisq;
successorib. Palladij Cellam cōcedimus,vt de vestrā
illic Congregatione quem volueritis ordinetis;quem
si fortè Romano Pontifici in Abbatem promouere
placuerit, omninò tamen, tanquàm vestrę Congre-
gationis Monachum, sub vestrā decernimus dispo-
sitione persistere. Redditus quoq;, qui ab officialib.
nostris apud Ostiam,vel Portum de nauibus exigi so-
12 let,Naui vestrę,si quā eò venerit,relaxamus. 12 Ob-
eunte Te,nūc eius loci Abbate, vel tuorum quolibet
successore, nullus ibi quālibet subreptionis astutiā,
seu violentiā preponatur;nisi quem Fratres commu-
ni consensu, vel Fratrum pars consilij sanioris,secun-
dum Dei timorem,& Beati Benedicti Regulam ele-
gerint; à Romano Pontifice consecrandum, sicut in
Domini prędecessoris Nostri Sanctę memorię Leo-
13 nis Papę priuilegio continetur. 13 Ad hęc,tam prę-
sentium, quam futurorum auaritię, ac nequitiæ ob-
uiantes;omnes omninò seditiones,quas Leuas dicūt,
seu direptiones in cuiuscunq; Abbatis morte,aut ele-
14 ctione fieri, auctoritate Apostolicā interdicimus. 14
Porrò pro ampliori beneuolentię gratiā, quam Nos
post nostrorū prędecessorum, dilectionē circa vestrū
Monast. gerimus, licentiam Tibi, ac legitimis succes-
soribus tuis concedimus; vt si qui eidem Monast. ve-
stri,& Cellarum eius possessiones aut redditus abstu-
lerint; postquā ipsorū Episcopi à vobis tertiò inuita-
ti,iustitiam de eis omnino facere noluerint, Vos su-
per eosdem raptores secundo,tertiouè commonitos,
canonicam excommunicationis sententiam profera-
15 tis. 15 Sepulturam sanè loci vestri, & Monasterio-
rum vestrorum liberam omninò esse censemus, vt
eorum,qui illic sepeliri deliberauerint, deuotioni, &
extremę voluntati, nisi fortè excommunicati sint,
16 nullus obsistat. 16 Si quā ergo in futurum Ecclesia-
stica,sęcularisuè persona hanc nostrę Constitutionis
paginam sciens contra eam temerè venire temptaue-
rit,secundò,tertiòue commonita,si non satisfactione
congruā emendauerit, potestatis, honorisque sui di-
gnitate careat, reamque se diuino iudicio existere de
perpetratā iniquitate cognoscat;& à Sāctissimo Cor-
pore,& Sāguine Dei, & Domini Redemptoris nostri
Iesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine
districtę vltioni subiaceat. Cunctis autem prefato
Cœnobio iusta seruantibus, sit pax Domini nostri
Iesu Christi; quatenus, & hic fructum bonę actionis
percipiant,& apud districtum Iudicem pręmia ęter-
nę pacis inueniant. Amen.

EGO CALIXTVS Catholicę Ecclesię Eps. Beneualete.

*Locus sigilli, seu signi.*

FIRMAMENTVM EST DOMINVS TIMENTIBVS EVM.

Sanctus Petrus Sanctus Paulus.

Calixtus Papa Secundus.

Dat. Berulis per manum Vgonis S. Romanę Ecclesię Subdiac. xvi. calen. Octobris Indict. prima. Incarnat. Dominicę MC.XXIII. Pontificatus autem Domini Calixti Secundi Papę anno quarto.

## CONSTITVTIO XII.

### *SVMMARIVM.*

1136. *Martij* 13.

## INNOCENTIVS PAPA II.

*Monasterium Sancti Petri de Perusiā non posse cogi ad prouidendum quemquam de Pensionibus, seu Beneficijs eiusdem Monasterij, neque per literas Apostolicas, nisi de verbo ad verbum, hoc Priuilegium exprimentes, & irritantes decernit.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin. lit. A. fol. 9.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati,& Conuentui Monasterij Sancti Petri de Perusia,Ordinis S. Benedicti,salutem, & Apostolicam benedictionem. Meritis vestræ deuotionis, inducimur,vt vos speciali gratiā prosequamur. Hinc est,quod Nos vestris precibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus,vt ad prouisionem alicuius in Pensionibus, seu Beneficijs Ecclesiasticis cogi de cętero non possitis per litteras Apostolicas; nisi plenam, & expressam de hāc indulgentiā fecerint mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,& Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni Idibus Ianuarij, Pontificatus nostri anno sexto 1136.

## CONSTITVTIO XIII.

### *SVMMARIVM.*

1124. *Nouemb.* 27.

## INNOCENTIVS PAPA II.

*Hęreditates aquirere, in eisque succedere ac si in sęculo reman-*

*remansissent, Monachis Monasterij Cauensis concedit.*

*Ex Arch. Cauensi.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Cauensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti Salutem, & Apostolicam benedictionem. Meritis vestræ deuotionis inducti, vobis, auctoritate præsentium, indulgemus, vt bona Fratrum ad Monasterium vestrum conuolantium, & professionem facientium in eodem, in suâ, siue mobiliâ, seu stabiliâ, quæ si in sæculo remansissent, ratione successionis, vel alio iuxto titulo contigissent, eadem, & petere, & percipere, ac etiam retinere; exceptis rebus feudalibus, liberè valeatis. Nulli ergo &c. Dat. Neapoli quintodecimo cal. Decembris Pontificatus nostri anno duodecimo.

## CONSTITVTIO XIV.

### SVMMARIVM.

1159. Aug. 1.

## FRIDERICVS I. IMPERATOR.

1 *Monasterium S. Petri de Mutinâ sub imperiali protectione recipit.*

2 *Bona eisdem donata, seu aquisita confirmat.*

3 *Abbatem à sacramento calumniæ absoluit.*

4 *Præscriptionem nullam in requirendis dicti Monasterij bonis eidem Monasterio obesse posse constituit.*

5 *Bona eidem Monasterio à se collata recenset.*

*Ex Arch. Abb. Florent. Armar. 1. Caps. Z. n. 1.*

IN NOMINE Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis. FRIDERICVS diuinâ fauente clementiâ semper animosus Imperator Augustus. Decet Imperatoriam clementiam vota humilium sereno vultu respicere, &, vt ad effectum promoueant sanctæ de-
1 uotionis intuitu satagere. 1 Vnde liqueat omnium collegium fidelium, tam futurorum, quam præsentium, videlicet Beati Petri Cœnobium non procul à Mutina situm, vnà cum Religioso eiusdem Monasterij Abbate, Fratribusq;, inibi Domino famulantibus, pro remedio animæ nostræ in nos intuitionem nostrã
2 aggregasse. 2 Quæcumq; per manus antecessorum nostrorum rationabiliter illis stabilita sunt, & nos etiam solidamus. Scilicet terram, in quâ Monasteriũ situm est, quę talibus circumdatur finibus; à Septentrione strata Salicitana vsq; Fossam Militariam, & vltra Fossam ipsam, terra, quę laboratur per Albertum Gademarij, & Gironem Nepotem eius, & Petrum Faustinum, & cęteros homines ibi laborantes, vsq; Cenosam, & Fossatum nouum decurrens in iam dictam Militariam. Ab occidente verò est riuus qui de præfato Fossato [illegible] vsq; Fossam Mutinellam, & inde vsq; ad iamdictam stratam Salicitanam. Et octo iugera terrę iuxta Fossam Militariam; à manè, & sub eo ipso Monasterio habente, à meridie, & sero Sancti Geminiani, & molendinum vnum supra ipsam Ciuitatem, Gaiolinum dictum, supra ipsum, & subtus, terra cum casis, & vineis, cum finibus istis; à manè canale, à meridie vsq; Corticellam S. Madri, à sero Formigineq; dicta, de subtus terra hospitij, quam tenuit iam Franciscus Gualdemanus, & cęteras possessiones, quas habet præfatum Cœnobium, in circuitu Mutinæ, & infra, & quedam Molendina, quę habet, seu alia, quę ad vtilitatem Fratrum prædictorum fieri poterunt, & quidquid iuris habent in aquis in circuitu Mutinæ decurrentibus, & nominatim in riuo, qui dicitur Mutinella, currente inter terras Beati Petri, Sancti Donati; & generaliter quidquid iuris habent in Curte Massę, & S. Felicis, & Quarantulę, Sorbarię, & Gandacci, & Mugnani, & similiter; Curtis Castricæ, & terris Lauignani, & Crespolani, & Sorbituli, & Montebelij, & hoc quod habent in Silua de Aula, & Castro Adiaci cum suis confinibus, & quidquid ad eos pertinet, cum eiusdem Castri, & quod habet in plebe Paludis, & nominatim, quod habent in Castro Galiati, & in Curte eius, & Curticellam vnam, quæ dicitur Abrica infra, & quod continetur infra plebem eiusdem Curtis, & quod habet in plebem Palu semelari, & saltu Amacerni, & quod habent in Arce Cometi, & in Curte eius, & in Ambiliano, & generaliter quidquid habent infra Episcopatum Mutinensem, Bononiensem, Regiensem, Ferrariensem, Veronensem, atq; Paduanum, cũ debito iure, & districtu, siue Albergaria in omnibus supradictis. Quidquid præ memoratis Fratribus Iustitia defendit, & nos iure defendimus; & quidquid ad eos futuris temporibus ordine rationabili deue-
3 nerit, Imperiali auctoritate roboramus. 3 Præterea ipsum Abbatem, quamdiu superstes erit, a calumniæ
4 sacramento absoluimus. 4 Et vt Nulla temporis Præscriptio in requirẽdis Ecclesiæ bonis suprad. Con-
5 gregationi possit obijci firmiter præcipimus. 5 Cũ etiam omnis aquarum decursus nostre sint dictionis; ad augmentũ gratiæ maioris, concedimus, vt riuos, Scultennę, vel Situlæ in suorum Molendinorum deducant; ita duntaxat vt sine tacentium iactura fiat. Quod si quis ausu temerario contra hoc Imperiale edictum caput erigere præsumpserit, sciat se auri purissimi lib. 100. persoluturum, medietatem in nostrum, residuum vero in præfati Monasterij vsum. Vt autem huius paginæ tenor ratus, & inconuulsus permaneat, manu nostrâ subter confirmauimus, & Imagine nostræ Maiestatis insigniri præcipimus. Saluâ nimirum per omnia Imperiali Iustitiâ.

Huius rei testes sunt subscripti. Eberardus Banbergensis Episcopus, Hermannus Verdunensis, Conradus Comes Palatinus, Fridericus Palatinus de Vtzlinbach, Hermannus Marchio Veronensis, Burcardus de Lucemburch, VVerben. Marchio Anconæ, Lantelmus, & Gerardus Frater eius Comites Cremæ, & alij quamplures. Acta sunt hæc Dominicæ Incarnationis Anno MCLIX. Indictione septimâ, Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Serenissimo, Anno Regni eius octauo, Imperij vero quinto. Datum apud Nouam Laudam Kal. Aug.

## CONSTITVTIO XV.

### SVMMARIVM.

1163. Nou. 10.

## FRIDERICVS I. IMP.

1 *Monasterium S. Petri de Perusio sub Imperiali protectione recipit.*

2 Bona

2 *Bona donata, seu acquisita eidem Monasterio, confirmat.*

3 *Bona prædicta à quacunq; iurisdictione, grauamine, & exactione, eximit.*

4 *Præscriptionem Nullam in recuperandis dicti Monasterij bonis, eidem Monasterio obesse posse, constituit.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusio lib. A. f. 13. & lib. F. fol. 492.*

IN NOMINE Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis. FRIDERICVS Dei fauente clementiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus. Inter saluberrimas Imperialium nostrarū sollicitudinum varietates, quas pro communi generalitatis commodo nostra gratuitâ clementiâ, & indefesso animo sustinemus, excellentis Nostræ Maiestatis felicissima, ac specialis est intētio, vt sub pijssimo nostro Imperio, tantâ moderatione per potentiores, & humiles æquabilis currat iustitia; vt nec pauper à diuite, nec impotens opprimatur à potente. Et cum ad omnis indulgentiæ vias nostra libenter relaxetur clementia; in hoc tamen summæ colendæ diuinitati specialiter gratiam reddere Nos confidimus, dum Sacrosanctas Ecclesias, scuto Imperialis nostræ potentiæ,
1 à malignantibus arripiendo, protegimus. 1 Atq; ideo vniuersorum, tàm futurorum, quàm præsentium Dei, Imperijq; fidelium cognoscat vniuersitas: qualiter Monasterium S. Petri quod situm est, prope Ciuitatem Perusinam in Caluario monte, sub nostræ Imperialis tuitionis Mundiburdio pro amore Diuino, nostræq; animæ remedio perenniter recepi-
2 mus. 2 Augustali quoq; hoc nostro Edicto vniuersa, quæ à clarissimorum Principum, videlicet nostrorum prædecessorum tempore Imperatorū, scilicet, Ottonis secundi, ac tertij, & Henrici, nec non & Cunradi, ac filij eius Henrici; seu & Pontificū Romanorum Ioannis siquidem, Gregorij, Siluestri, Ioannis, Sergij, Benedicti, Ioannis, Benedicti, atque Gregorij, seu aliorum Almæ Vrbis nostræ Pontificum temporibus, iustè, & legaliter tenuit, vel modo tenet, aut in antea, Deo prosperante, iustis modis acquiret, siue à Sacrâ Romanâ Ecclesiâ, vel à quibusdam fidelibus præfato Monasterio sunt collata, vel conferenda, siue per traditiones, siue per chartularum inscriptiones, vel aliquo alio ingenio, vel tenore; nec non & quæ acquisita sunt pro dicto Monasterio per Sanctum Venerabilem Virum Petrum Abbatem eiusdem Cœnobij Fundatorem, atq; per cunctos sui successores, & vsq; ad temporis præsentis Abbatis Franconis, qui nunc eidem Monasterio præesse videtur, sæpe dicto Cœnobio confirmamus, atq; perpetuo corroboramus, & nostræ protectionis clipeo ab omni prauorum inuasione, & occupatione semper tuta, atq; indefessa semper esse volumus. Quia vero sine nominis cognitione nulli perfecta rerum datur notitia; quorundam prædictorum bonorum, & possessionum, atq; Ecclesiarum nomina breuiter subnectimus: Videlicet Plebem S. Siluestri, Capellam S. Donati, & S. Luciæ, medietatem Capellæ S. Pauli, Plebem S. Constantij, Ecclesiam S. Christophori, & S. Iustini, S. Iuliani, S. Angeli de Albario, S. Andreæ, S. Mariæ de Fonte, & cætera alia beneficia. Massam quoq; Casalini à Benedicto Papa per priuilegij paginam supradicto Monasterio datam, & Massam Pusuli, Massam Filunci, Massam vialata, cum omnibus suis pertinentijs, terram quoq; Vgonis, de Monte nigro, & Rāpæ sororis eius, & terram Ioannis cognomento Carbonis, & Bertæ sororis eius; & quidquid in omnibus iuris habet præfatum Monasterium, seu quidquid in alijs aliquibus locis de rebus eius, aut pertinentijs, infra Sacrum Imperij nostri terminos inuentum fuerit, Augustalis nostræ defensionis, ac confirma-
3 tionis munimine perpetuo roboramus; Hæc quoq; vniuersa, & massas spetialiter supradictas, ab omnium Ducum, Marchionum, Comitum, Procerum, Consulum, Gastaldionum, omniumq; aliarum maiorum, seu minorum personarum indebito grauamine, & illicitâ exactione semper libera, & absoluta
4 esse censemus, ac firmissimè præcipimus. 4 Ad hæc præceptali, ac nostre Serenitatis paginâ statuimus, vt possessiones eiusdē Monasterij à quibuscumq; inuasas, atq; detentas, iura etiā imminuta, siue ablata Abbas ipsius Monasterij per se, vel alios, Omni tēporis Præscriptione remotâ liberè reposcere valeat, atq; inuiolabiliter recuperare. Et hæc omnia supradictæ Ecclesiæ confirmata perpetuo rata esse censemus. Saluâ in omnibus Imperiali nostrâ Iustitiâ, ac foro. Si quis autem huic sacræ nostræ iussionis seriem aliquo in tempore infregerit, centum libras auri optimi componet, medietatem Imperiali nostræ Cameræ, medietatem prædictæ Ecclesiæ; Nostrumq; integrum præceptum suâ stabilitate permaneat. Et vt hæc à cunctis verius credantur, ac diligentius obseruentur, præsentem paginam manu propriâ roborantes, sigillo nostro iussimus insigniri.

Dat. quarto Idus Nouembris anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXIII. Indictione XII. Imperante Domino Friderico Romanorum Imperatore inuictissimo Anno regni eius XII. Imperij IX. Datum Laude, in Dei nomine.

## CONSTITVTIO XVI.

*SVMMARIVM.*

*1164. Ianuarij 5.*

## FRIDERICVS I. IMPERATOR.

1 *Monasterij S. Benedicti de Padolyrone bona, & iura enumerat, & confirmat.*

2 *Albergarias, seu Hospitium præstari in eodem Cœnobio, prohibet. A quacumque iurisdictione, & impositione eximit.*

3 *A iuramento de calumniâ præstando, Monachos eiusdem Monasterij eximit.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone.*

IN NOMINE Æternæ, & Indiuiduæ Trinitatis. FRIDERICVS diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus. Habemus in exemplis antecessorum nostrorum Regum, & Imperatorum, quod ex Imperiali solicitudine, omnibus fidelibus Imperij debeamus prouidere; maximè verò ad tutelam Ecclesiarum Dei, quæ sub nostrâ dominatione continentur, dexteram defensionis extendere debeamus. Quia, si in Sanctuario Dei, præter id, quod ab alijs positum est, Nos quoque supererogauerimus; à viro Samaritano, cum redierit, nobis in centuplum esse red-
1 dendum speramus, & credimus. 1 Eapropter cognoscant vniuersi fideles Imperij per Italiam cōstituti præsentes, & futuri; quod Nos pro nostrâ, nostrorumque antecessorum perpetuâ salute, Monasterium Sancti Benedicti situm inter Padum, &

Larionem, Venerabilem quoque Abbatem Victorem, & eius Fratres, & Monachos,& omnia bona eiusdem Monasterij, mobilia, immobilia, intus,& foris, sub nostram Imperialem defensionem, & protectionem suscipimus; omnesque prædicti Monasterij possessiones, quas in præsenti iustè habet, vel in posterum, Deo iuuante, rationabiliter acquirere poterit, Nostrâ Imperiali auctoritate, ipsi monasterio concedimus, & confirmamus, sicut in antenticis antecessorum nostrorum Regum, & Imperatorum priuilegijs continetur. Videlicet Insulam Sancti Benedicti, cum Ecclesiâ Sancti Floriani, & eius pertinentijs, Insulam quæ vocatur Gurgo, cum Ecclesiâ eiusdem Insulæ, & suis pertinentijs. Et Casalem Barbatum, cum Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, & Sancti Laurentij, earumque pertinentijs, Septingentum, cum Ecclesiâ Sancti Michaelis, & eius pertinentijs, & cum ripatico, & transitu nauium, Decimam partem curtis, quæ vocatur Burbasium, cum Ecclesiâ Sancti Ioannis, suisque pertinentijs, locum qui vocatur Nucetula, Domum Hospitalis apud Mantuam, cum suis pertinentijs, Ecclesiam Sancti Valentini de Maringo, cum suis pertinentijs, Ecclesiam Sancti Viti de Medulâ, cum suis pertinentijs, & Terras, quas prædictum Monasterium ibi possidet, Ecclesiam Sancti Michaelis de Cotorlione, cum suis pertinentijs, Ecclesiam Sancti Benedicti apud Figarolum,& Ecclesiam Sanctæ Agathæ apud Ferrariam, cum ambarum pertinentijs, Monasterium Sancti Cypriani apud Venetiam, cum suis pertinentijs,Ecclesiam Sanctæ Helenæ apud Tessariam, cum suis pertinentijs, Concham, cum Ecclesiâ Sancti Leonardi, & suis pertinentijs, Locum, qui dicitur Forculare, cum Ecclesiâ Sancti Mattij, & omnibus decimis eiusdem loci, Ecclesiam Sancti Benedicti, & Sanctæ Mariæ, apud Gonzagam, cum omnibus decimis eiusdem loci, & certis pertinentijs. Caput Vici, Villulam, cum Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, & omnibus decimis, & suis pertinentijs, Quistellum, cum Ecclesiâ Sancti Bartholomęi, & omnibus decimis eiusdem loci, Bianum cum Ecclesiâ Sancti Andreæ, & omnibus decimis eiusdem loci, Ecclesiam Sancti Venerei de Marcenetâ, cum medietate eiusdem Castri, & suis pertinentijs, Ecclesiam Sancti Michaelis de Telliore, cum suis pertinentijs, Ecclesiam Sancti Bartholomęi de Lucâ, cum suis pertinentijs, Sanctum Martinum in Cele, cum suis pertinentijs, Ecclesiam Sancti Leonardi apud Parmam; & omnia, quæ prædictum Monasterium in eodem Episcopatu tenet, Ecclesiam Sancti Sisti,de Lecto Paludano,Ecclesias Sanctæ Mariæ, & Sancti Ioannis in Episcopatu Bononiensi, cum suis pertinentijs, Decimas de runcis Gunthardi, Monasterium Sanctæ Mariæ de Pratalià, cum suis pertinentijs, Monasterium Sanctorum Firmi, & Rustici, cum suis pertinentijs,Ecclesiam Sanctæ Christinæ de Bardulino, cum suis pertinentij, Ecclesiam Sancti Cęsarij, cum tota curte, cum suis pertinentijs de Guisacchарâ, cum bonis, quæ Comitissa Matildis pro animâ suâ eidem Ecclesiæ contulit, Buscos quoque de Pigognagâ,cum omnibus, quæ Bugiro in pignore habuit, & tenuit,Octo etiam mansos in Villâ, quæ dicitur Lectus Paludanus, cum tribus agris. . . . . . Terras etiam quas prædictum Monasterium tenet in Iudiciariâ Gardense . . . . . . continenti Veronensi, Terras, quoque, quas dictum Monasterium tenet in Monticulo, & in Birupto. Vniuersa insuper, quæ & à felicis memoriæ Matilde Comitissâ, & à Comite Alberto, seu ab alijs quibuscumque de prædictis, quæ fuerunt eiusdem Comitissæ prædicto Monasterio, aut iam collata sunt, aut in posterum, Deo largiente, quoquo iusto modo conferri, vel acquiri contigerit, quod & habet, & possidet in Portu, & in Legnano, & Braidam de Magarino, in Figarolo, & aliam Braidam, quam dedit Rothecherius de Castello, cum alijs terris. Has omnes prædictas possessiones, quæ præfato Monasterio concessæ sunt,& per authentica prædecessorum nostrorum Regum,& Imperatorum priuilegia confirmatæ, Nos,quoque eidem Monasterio benignè concedimus, & auctoritate priuilegij Imperialis con-

2 firmamus;saluâ per omni Imperiali iustitia. 2 Adijcientes itaque ex Imperiali edicto statuimus,& firmiter pręcipimus, vt in prædictis bonis ipsius Monasterij, nullus Archiepiscopus, non Episcopus,non Dux, nec Marchio, neque Comes, aut Vicecomes, nulla persona sæcularis, vel Ecclesiastica,magna, vel parua, prædictum Abbatem Victorem, vel eius Monachos, vel etiam præfati Monasterij homines aliquo modo molestare, vel inquietare, vel diuestire audeat; Nec aliquam Albergariam, siue collectam, aut vllam exactionem aliquo tempore in ipsis bonis facere præsumat: nec aliquis hominũ vllam potestatem suprà præfatum Monasterium

3 habeat, nisi solus Romanus Imperator. 3 Præterea,quoniam in ore Religiosorum, & ministrorum Christi,non debet inueniri mendacium,ipsam B.Benedicti Domũ,eiusq.Fratres,& Monachos à lege,& Sacramento calumniæ absoluimus, & omnino liberos dimittimus. Quod si aliquis contra hoc nostræ largitionis, & confirmationis præceptum facere præsumpserit, sciat se centum libras auri optimi pro pœna compositurum, dimidiũ Fisco nostro, & dimidium prędicto Abbati,& eius Monasterio. Huius rei testes sunt Lunardus Maguntinus, Electus, Barsendonius Macianus Episcopus, Hermannus Bersteldensis Abbas, Vlricus Dux Boemiæ, Otto Palatinus Iunior de. . . . . Comes Gonsadus de Leuerorstia,Comes Vuerces de Olemberg, Enricus Mariscalcus,Pincerna Conradus de Balensen,& alij quam plures.

Ego Christianus Cancellarius vice Rainaldi Coloniensis Archiepiscopi, & Italiæ Archicancellarij recognoui. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis. M.C.LXIV. Indict. ix. Regnante Domino Federico Romanorum Imperatore Gloriosissimo anno regni eius xij. Imperij verò ix. Datum apud Fauentiam Nonis Ianuarij.

## CONSTITVTIO XVII.

### SVMMARIVM.

1168. *Ianuarij. 30.*

## ALEXANDER PAPA III.

1 *Cauense Monasterium sub B.Petri, & Apostolicæ Sedis protectione, suscipit; prædecessorumque Pontificum priuilegia eidem concessa, confirmat.*

2 *Ecclesiæ, & bona eiusdem Cœnobij enumerat, & confirmat.*

3 *Easdem Ecclesias, & in futurum acquirendas ab Episcopali iurisdictione, eximit.*

4 *Monachos, seu Clericos in eisdem Ecclesijs commorar-*

*rantes, à Diœcesanorum iure pariter exemptos, decernit.*

5 *Donationes eidem Monasterio factas corroborat, & confirmat.*

6 *Centenariæ Præscriptionis priuilegium confirmat. Idemq; tantum, recuperationi bonorum Monasterij obsistere, declarat.*

7 *Censum annuum trium solidorum aureorum S. R. E. ab eodem Monasterio persoluendum, tanquam immune, & Sedi Apostolicæ tantum subiectum, imponit.*

8 *Beneficia eidem annexa, eiusque redditus alicui concessa ad tempus, seu ad vitam, licet ipsi Monasterio propriâ authoritate per cessum, vel decessum eorundem recuperare; Ius commune, & Sedis etiam Apostolicę Constitutiones, seu Decreta de huiusmodi indulto expressam mentionem non facientia, minimè obstare decernit.*

9 *Oblationes à quocunque factas, & faciendas, confirmat.*

10 *Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, tàm in Cœnobio, & adiacentibus Villis, quàm in Ciuitate, ac Diœcesi Salernitanâ, à quocunq; Episcopo recipere potest. In alijs verò Diœcesibus, à proprio tantum Episcopo, dummodò Catholicus existat.*

11 *Nemini Episcoporum, absque speciali Sedis Apostolicę facultate, loca, Monachos, seus Clericos subditos eiusdem Monasterij excommunicare, vel interdicere licere.*

12 *Abbatis electionem per Monachos tantum faciendam. Ordinationem verò à Summo Pontifice exhibendam esse, declarat.*

13 *Lites, & causas contra Monasterium, qui ad eiusdem Monasterij Curiam deferre noluerit; ad Sedis Apostolicæ Legatos deferendas, decernit.*

14 *Turbantes Iurisdictionem, vel bona eiusdem Coenobij excommunicationi subijciuntur.*

*Ex Arch. S. Euphemiæ de Brixiâ Armar. I. Capſ. M num. 3.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Marino Abbati Cauensis Monasterij, quod secus Salernus situm est, eiusq; Fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Commissæ nobis, Nos Apostolicæ Sedis hortatur auctoritas, vt locis, & personis ipsius auxilium, deuotione debitâ implorantibus, tuitionis præsidium impendere debeamus. Quia, sicut iniusta poscentibus, nullus est tribuendus effectus, sic legitima, & iusta desiderantibus, nulla est differenda petitio; præsertim eorum, qui cum honestate, vitæ, & laudabili morum compositione gaudent Omnipotenti Domino deseruire.
1 1 Eàpropter Dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Gregorij VII. Vrbani, Paschalis, Calixti, Innocentij, & Eugenij Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, Cauense Cęnobium, in quo estis Diuino obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, atque ab omni, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis personæ iugo, ita omninò liberum manere decernimus, vt soli Sanctę, & Apostolicæ Romanæ Ecclesię videatur esse subiectum.
2 2 Statuimus quoque, vt illa Monasteria, Ecclesię, siue Cellę, quæ Cęnobio vestro commissæ sunt, firmę vobis, vestrisq; successoribus, & illibatę permanant. Quę si quidem his nominibus annotantur. Sancti Laurentij in Palipernâ, quemadmodum ipsum prędictus antecessor noster Eugenius Papa ad reformandam religionem, quæ ibi perierat, & per vos, & successores vestros perpetuis temporibus gubernandum vobis concessit, & decreti sui corroboratione sanciuit vobis; & eidē Monasterio auctoritate Apostolicâ confirmamus, Ecclesiam Sanctę Marię intra Casale vestrum, Ecclesiam, S. Helię, Ecclesiam Sancti Fortunati.
3 3 Quas quidem Ecclesias, siue Parochiales sint, siue populum non habentes, cum suis iuribus, & pertinentijs, vobis, & eidem Cœnobio auctoritate Apostolicâ confirmamus; ipsas, & si quas alias poteritis in futurum canonicè adipisci, in fauorem Religionis vestrę, vt quietiùs, & tranquilliùs omnium Creatori pro salubri statu vniuersalis Ecclesię seruiatis, ab omni Iure Episcopali eximimus de gratiâ speciali, & plenitudine potestatis.
4 4 Ita quod in nullo Episcopali iure, seu contentiosâ iurisdictione, Monachi, seu Clerici sęculares in vestris Ecclesijs commorantes respondere Diœcesanis Episcopis teneantur.
5 5 Cōfirmamus etiam vobis, & iam dicto Monasterio, Priuilegia donationum ipsarum Ecclesiarum, siuę à Laycis, siue à viris Ecclesiasticis factę sint. Quarum Ecclesiarum instrumenta nostro conspectui, vt authentica, & legitima pręsentasti, Apostolico iudicio approbanda. Quibus diligenter visis, & intellectis approbauimus, ratificauimus, & ex certâ scientiâ cōfirmauimus. Quibus, etiam si quid fortę incuriâ, seu negligentiâ minus firmitatis insertum est, vires plenissimæ notionis, ex hac nostra suscipiant auctoritate.
6 6 Nihilominus etiam confirmamus vobis, & pręlibato Monasterio Priuilegia centenarię Pręscriptionis, quod felicis memorię, Vrbanus Papa Prędecessor noster, supradictus eidem Monasterio indulsit de benignitate Apostolicâ, Decernentes eos, qui possessiones, & libertates eiusdem Cęnobij, & Vassallorum suorum iura, seu redditus detinent occupatos, exinde fore penitùs amouendos, ipsique nullum omninò ius per detentionem, vel possessionem huiusmodi, posse acquirere, vel habere, ac nullum vobis per hoc, vel iuri ipsius Cœnobij super ijs preiudicium factum esse, vel posse in aliquo generari, nisi legitimè constiterit detentores ipsos Pręscriptione Centenariâ fore munitos. Quod si ausu temerario terras, seu actiones, seu arbitrio aliquo interueniente, per vos, vel successores vestros, seu per quemuis alium, contra tenorem huius nostri Decreti, absque licentiâ Sedis Apostolicę, faciente de immunitate huiusmodi mentionem, fuerit attentatus; ex nunc illud decernimus viribus omninò carere: sed prefatum Monasterium, cum omnibus suis membris habitis, & habendis pleno iure Sedi Apostolicę sit subiectum,
7 7 Saluo censu trium solidorum aureorum annuatim Sanctę Romanę Ecclesiæ debito, veluti in ipsius memoriæ Vrbani priuilegio plenius continetur.
8 8 De abundantiori quoque gratiâ Sedis Apostolicę concedimus vobis, & successoribus vestris, vt si aliquam de vestris Ecclesijs, possessionibus, vel redditibus alicui viro Ecclesiastico, siue in beneſi-

neficium, aut annuum censum canonicè concesseritis, quod licitum sit vobis, vestrisque successoribus, bona eiusdem Monasterij post obitum eiusdem personę Ecclesiasticę, vel cum Beneficium ipsum vacauerit à quocunque, eidem viro Ecclesiastico concessum extiterit, Beneficium ipsum, seu redditus; ad vtilitatem eiusdem Monasterij conuertere, & in ipsius proprietatis dominio retinere, non obstantibus super hoc aliquo iure communi, à Nobis, vel à nostris successoribus edito, vel edendo; seu litteris à Sede Apostolicâ, aut à nostris Legatis Cardinalibus super hoc impetrandis; nisi de huiusmodi priuilegio expressam fecerit mentio-
9 nem. 9 Preterea quęcunque bona, concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium vestrum hodie Cęnobium legitimè possidet, siue in futurum canonicè possidebit, vobis, vestrisque successoribus, & eidem Monasterio auctoritate Apostolicâ nihilominus con-
10 firmamus. 10 Chrisma, Oleum Sanctum, consecrationes Altarium, siue Basilicarum, Ordinationes Clericorum, tàm in Cęnobio ipso, quàm in adiacentibus villulis, ac in Ecclesijs Ciuitatis, & Diœcesis Salernitanę à quocunque volueritis Catholico accipiatis Episcopo. In alijs verò Monasterijs, & obedientijs vestris hęc à Diœcesano Episcopo, siquidem gratiam, & communionem Apostolicę Sedis habuerit, & gratis, & absque prauitate voluerit impartiri; Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire Antistitem, qui nostrâ fretus
11 auctoritate, quod postulatur indulgeat. 11 Ad hęc adijcimus, vt nulli Episcoporum facultas sit, sine Romani Pontificis licentiâ, loca vestra, vel Monachos, seu seculares Clericos, qui in ipsis locis commorantur Interdictioni, vel Excommunica-
12 tioni subijcere. 12 Obeunte vero te, nunc eiusdē loci Abbate, vel tuorum quilibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ preponatur, nisi quem Fratres, omnium consensu, vel Fratrum pars consilij sanioris, secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam elegerint. Electus verò ad Roma-
13 num Pontificem ordinandus accedat. 13 Si quis autem aduersus predictum Monasterium iustam se putat habere querelam, & apud eiusdem Cęnobij Abbatem vel Monachum litem suam decidere, aut definire noluerit; statuimus, vt ante Legatos nostros, vel Nos querimonia deferatur; quatenus equitate iudicij, sine personarum acceptione, sua
14 vnicuique iustitia, Deo auctore, seruetur. 14 Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat idem Cęnobium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel iniustè datas, suis vsibus vendicare, minuere, vel temerè vexationibus fatigare; sed omnia integrè conseruentur eorum, pro quorū sustentatione, & gubernatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Si qua sanè Ecclesiastica, secularisue persona hanc nostrę Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo, tertiouè commonita; si non satisfactione congruâ emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Domini Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in die iudicij districtę subiaceat vltioni. Cunctis autem eidem iusta seruantibus sit pax eiusdem Domini Nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem premia æternæ pacis inueniant. Amen.

Data Beneuenti per manus Gratiani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij tertio kal. Februarii, Indictione secunda. Incarnationis Dominicæ Anno millesimo centesimo sexagesimo octauo. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. anno decimo. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego Vbaldus Hostien. Episcopus subscripsi. Ego Bernardus Portuen. & S. Rufinæ Episcopus subscripsi. Ego Vbaldus Præsbyter Card. Tit. S. Crucis in Ierusalem, subscripsi. Ego Ioannes Presbyter Card. Tit. S. Anastasię subscripsi. Ego Albertus Præsbyter Card. Tit. S. Laurentij in Lucina subscripsi. Ego Petrus Præsbyter Card. Tit. S. Laurentij in Damaso subscripsi. Ego Ioannes Præsbyter Card. Tit. S. Marci subscripsi. Ego Theodinus Presbyter Card. S. Vitalis Tit. Vestinæ subscripsi. Ego Hugo Diaconus Card. S. Eustachij iuxta templum Agrippæ subscripsi.

## CONSTITVTIO XVIII.

### *SVMMARIVM,*

*1176. April. 29.*

## ALEXANDER PAPA III.

1 *Bona, & iura, & Ecclesias Monasterij S. Mariæ de Florentiâ confirmat.*
2 *Institutionem Capellanorum in proprijs Ecclesijs liberè exercere concedit.*
3 *Ab Episcoporum iurisdictione Clericos Ecclesiarum dicti Monasterij declarat exemptos.*
4 *A Decimis soluendis bona dicti Monasterij eximit.*
5 *Chrisma, Oleum Sanctum, Altarium, & Basilicarum consecrationes, Sacrorum Ordinum collationem pro Monachis, & Clericis Ecclesiarum Monasterij à Florentino Episcopo, dummodò Catholicus existat, & gratis exhibeat, suscipienda.*
6 *Sepulturam in dicto Monasterio liberam fore decernit.*
7 *Excommunicationem contra turbantes bona, & Iura Monasterij prædicti promulgat.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. II. Capsi. 22. n. 21.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Bernardo Abbati S. Mariæ de Florentiâ, eiusq; Fratribus, tàm præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Cum omnium Ecclesiarum sit nobis quamquam immeritis cura commissa, & de omnibus teneamur generalem solicitudinem gerere; illis propensius adesse debemus, quæ specialiter iuris Beati
1 Petri esse noscuntur. 1 Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus, clementer annuimus, & Monasterium vestrum, quod specialiter iuris, & proprietatis Romanæ Ecclesiæ noscitur esse, sub B. Petri, & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, vt quascumq; possessiones, quæcumq; bona idem Monasterium in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificium, largitione Regū, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc proprijs duximus

mus exprimenda vocabulis. Locum, in quo Mo-
nasterium ipsum situm est, cum pertinentijs suis.
Castrum de Signa, & tertiam partem Castri de
Grumulo, cum Ecclesijs, & pertinentijs eorum,
Curtem de Greue, cum Ecclesiâ S. Martini cæteris-
que possessionibus suis, Ecclesiam S. Bartholomæi,
cum Curte, & terra Berizonis, & Azæ vxoris eius
de Raddâ. Insuper, & terram eiusdem de Petroso,
seu in quibuscumq; locis, cum omnibus pertinentijs
suis, Castrum Radda, cum Curte, & Ecclesijs, &
omnibus ad eam pertinentibus, Castri de Tignano
tertiam partem, cum Ecclesijs, & pertinentijs suis,
Ecclesiam S. Nicolai in Campo Clarentis, cum Cur-
te, & Ecclesijs, & omnibus pertinentijs suis, Curtem
Cacierini, cum possessionibus suis, Castrum Bibia-
num cum Curte, & Ecclesijs omnibus ad eam per-
tinentibus, Ecclesiam S. Martini in loco Confluenti,
cum pertinentijs suis, Ecclesiam S. Martini, quæ est
infra Ciuitatem iuxta prælibatum Monasterium,
cum casis, terris, & omnibus pertinentijs suis, Ec-
clesiam S. Martini in Mensulâ, cum omnibus perti-
nentijs suis, Curtem Montis Domini, cum omni-
bus ad eam pertinentibus, Curtem de Mandriâ, cum
pertinentijs suis, Terram Ioannis filij Teudi, cum
Casis, & reliquis possessionibus, sicut Maria, & Do-
natus filius Monasterio contulerunt, Casas, & terras
Ioannis filij Boię, Ecclesiam S. Proculi, cum terris,
& domibus circa se, Castrum Vicli, cum curte Ec-
clesijs, & omnibus pertinentijs suis. Pręterea quid-
quid de donatione Bonifacij fratris Benedicti
quondam Abbatis vestri legitimè possideris, & om-
nes decimas de Viclo, sicut eas de concessione Ve-
nerabilis Fratris nostri Florentini Episcopi, & deci-
mam de Allodio vestro, de Curte, de Casaliâ, de
Fusci, & de Rochettâ, sicut decimam ipsam de con-
cessione Guidonis quondam Vulterani Episcopi
canonicè possidere noscimini, vobis, & Monasterio
2 vestro auctoritate Apostolicâ confirmamus. 2
Nihilominus etiam liberam institutionem persona-
rum in Ecclesijs vestris, sicut eam predecessores ve-
stri, & vos ipsi à quadraginta retro annis inconcussè
habuisse noscimini, vobis duximus auctoritate
3 Apostolicâ confirmandum. 3 Prohibemus insu-
per, vt nullus Episcopus, vel ministerialis eius Eccle-
sias vestras, vel earum Clericos indebitis exactioni-
bus, seu molestijs audeat fatigare, aut in eos excom-
municationis, vel in vos, seu Monasterium vestrum
interdicti sententiam, sine mandato Romani Ponti-
ficis, vel Legati ab eius latere destinati ferre presu-
4 mat. 4 Sane Noualium vestrorum, quę proprijs
manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis
vestrorum animalium, decimas, vel primitias à vo-
bis, vel à Monasterio vestro nullus pręsumat exige-
5 re. 5 Chrisma vero, Oleum Sanctum, Consecra-
tiones Altarium, seu Basilicarum, Ordinationem
Monachorum, vel Clericorum vestrorum, qui ad
Sacros Ordines fuerint promouendi à Florentino
recipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, &
gratiam, atq; communionem Apostolicę Sedis ha-
buerit, & ea gratis, & absque prauitate vobis volue-
rit exhibere; alioquin quemcumq; malueritis adeatis
6 Antistitem, qui nostrâ fultus auctoritate, vobis quę
postulatis indulgeat. 6 Sepulturam quoq; ipsius loci
liberam esse concedimus, vt eorum deuotioni, &
extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaue-
rint, nisi forte excommunicati sint, vel interdicti,
nullus obsistat, saluâ tamen iustitiâ illarum Ec-
clesiarum, de quibus mortuorum corpora assu-
7 muntur. 7 Decernimus ergo, vt nulli omnino
hominum liceat pręfatum Monasterium temere,
perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integrè conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, & substentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura; Saluâ Apostolicę Sedis auctoritate. Si quâ igitur in futurum Ecclesiastica, seculariśue persona hanc nostrę Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo, tertiouè commonita; si non satisfactione congruâ emendauerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi, aliena fiat, atq; in extremo examine districtę vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus, & hic fructum bonę actionis accipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

*Signum Alexandri Papæ III.*

VIAS TVAS DOMINE DEMONSTRA MIHI.
SANCTVS PETRVS. SANCTVS PAVLVS.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesię Episcopus subscripsi. Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus subscripsi. Ego Bernard. Portueñ. & S. Rufinę Episcopus subscripsi. Ego Ioannes Presbyter Cardin. SS. Ioannis, & Pauli Tit. Pãmachij subscripsi. Ego Albertus Presbyter Cardin. Tit. S. Laurentij in Lucina subscripsi. Ego Guilielmus Presbyter Cardin. Tit. S. Petri ad Vincula subscripsi. Ego Boso Presbyter Cardin. Tit. Pastoris S. Pudentianę subscripsi. Ego Ioannes Presbyter Cardin. Tit. S. Marci subscripsi. Ego Theodinus Presbyter. Cardin. S. Vitalis Tit. Vestinę subscripsi. Ego Manfredus Presbyter Cardin. Tit. S. Ceciliæ subscripsi. Ego Petrus Presbyter Cardin. Tit. S. Susannæ subscripsi. Ego Iacobus Diac. Cardin. S. Mariæ in Cosmidin subscripsi. Ego Cinthyus Diac. Cardin. S. Adriani subscripsi. Ego Hugo Diac. Cardin. S. Euchachij iuxta Templum Agrippæ subscripsi. Ego Laborans Diac. Cardin. S. Mariæ in Porticu subscripsi. Ego Raynerius S. Georgij ad Velum aureum Diac. Cardin. subscripsi.

Datum Anagniæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi, & Notarij II. Calend. Maij Indict. VIIII. Incarnationis Dominicæ Anno M.C.LXXVI. Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ III. Anno decimoseptimo.

## CONSTITVTIO XIX.

### SVMMARIVM.

*1186. Apr. 26.*

### VRBANVS PAPA III.

*Mitræ, Sandaliorum, Caligarum, & Chirothecarum vsum, Abbati S. Petri de Mutinâ, confirmat.*

*Ex Archiu. S. Petri Mutinen.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Michaeli Abbati S. Petri iuxtà Ciuitatem Mutinam siti Salutem, & Apostolicam benedictionem. Eos Ecclesia Romana arctiori con-

consueuit dilectione amplecti, quorum deuotionem in pluribus est experta. Hac ego consideratione inducti, & tuis nihilominus præcibus inclinati, illius charitatis obtentu, quâ te, & Ecclesiam tuam fuimus, dũ in minori essemus offitio, amplexati, vsum Mitræ, Sandaliorum, Caligarum, Chirothecarum, Tibi, tuisq; successoribus indulgemus. Et sicut à quadraginta retro annis tù, & antecessores tui habuisse noscimus, præsentis scripti paginâ confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Veronæ 6. Kalend. Maij.

## CONSTITVTIO XX.

### SVMMARIVM.

1196. Octobris 28.

### HENRICVS VI IMPERATOR.

*Monasterio S. Petri de Perusio Præscriptionem Nullam pro bonorum, & iurium recuperatione obesse posse, decernit.*

*Ex Arch. Mon. S. Petri Perusin. n. 6.*

IN NOMINE Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS Sextus diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ. Inter cætera, quæ Maiestati nostræ occurrunt, saluti nostræ, & temporalis vitę incremento summopere speramus proficere, vt pacem quietam Ecclesijs Dei, & Religiosis personis diligenter ordinemus. Quâ sane consideratione, ad imitationem Antecessorum nostrorum Imperatorum, siue Regum, & specialiter Serenissimi Patris nostri Friderici Romanorum Imperatoris Diui Augusti, Monasterium Sancti Petri situm in Caluario Monte prope Ciuitatem Perusinam, cum vniuersis rebus, & possessionibus, quas nunc habet, vel in posterum, concedente Domino, iustè poterit obtinere, in specialem Maiestatis nostræ protectionem recipimus, atq; defensionem; tàm priuilegium Patris nostri, quàm alia omnia priuilegia Imperatorum, siue Regum, vel Pontificum ipsi Monasterio concessa Imperiali auctoritate confirmantes. Quædam autem de possessionibus, & rebus eiusdem Monasterij certis nominibus duximus exprimenda. Videlicet Plebem Sancti Syluestri, Capellam Sancti Donati, & Sanctæ Luciæ, medietatẽ Capellæ S. Pauli, Plebem Sancti Constantij, Ecclesiam S. Christophori, & S. Iustini, Sancti Iuliani, Sancti Angeli de Alliano, Sancti Andreę, Sanctæ Mariæ de Fonte, Sancti Benedicti de Fratta, Plebem de Dirutâ, Capellam Sancti Petri de Plateâ, & Sancti Saluati, medietatem Capellæ Sancti Angeli, Ecclesiam Sancti Gregorij de Pogio, & Sancti Syluestri, Sanctæ Mariæ de Casselinâ cum Castro, & Curte suâ, Sancti Gualterij, & Sancti Sixti, Sanctæ Mariæ de Castello veteri, medietatem Ecclesiæ Sancti Laurentij in stratâ, Sancti Petri in Candione, Sancti Petri in Pomonte, cum suis Cappellis, Sanctæ Mariæ in Ruffiano, cum suis Cappellis, Sancti Angeli in Latone, Sancti Petri in Petrignano, Sancti Petri in Sterpeto, Ecclesiam Sancti Saluatoris in Pozali, cum Cappelis suis, Sancti Syluestri de Murcellâ, Cappellam Sanctæ Crucis, Sancti Angeli de Papiano, Sancti Andreæ de fractâ filij Azzonis, Sancti Montani, Sancti Petri in Latriano, S. Nicolai in Spinâ, S. Appollinaris, Plebem S. Blasij, Ecclesiam S. Benedicti de Abbatiâ, Ecclesiam S. Ioannis de Castellione, cum parte Castri, Ecclesiam S. Egidij cum Podio toto, Plebem S. Rufini, Ecclesiam S. Donati de Agello, Cappellam de Montefrondoso, Ecclesiam S. Mariæ de Pitignano, Ecclesiam S. Clementis, partem Ecclesiæ de Columellâ, medietate S. Donati de Ciuitellâ, Ecclesiam S. Petri in Ploiano, cum suis Cappellis, Ecclesiam S. Petri in Meranâ, Massam quoq; Casalini, & Massam Pusuli, Massam Filunci, Massam Vialatæ, cum suis pertinentijs, Terram quoq; Vgonis de Montenigro, & Rampæ sororis eius, Terram Ioannis Carbonis, & Bertæ sororis eius. Quidquid igitur iuris in hijs omnibus præfatum habet Monasterium, seu quicquid in alijs quibuscunq; locis de rebus eius, aut pertinentijs infra Sacri Imperij nostri terminos inuentum fuerit, Augustalis nostræ defensionis munimine perpetuò, roboramus; sancientes, vt vniuersa prædicta, & Massæ specialiter prædictæ ab omni Ducum, Marchionum, Comitum, Procerum, Consulum, Gastaldionum, omniumq; aliarum maiorum, seu minorum personarum indebito grauamine, & illicitâ exactione semper liberè permaneant, & absolutæ. Ad hæc de certâ conscientiâ benignè indulgemus, vt possessiones eiusdem Monasterij à quibuscunq; inuasas, vel detentas, iura etiam imminuta, siue ablata, Abbas eiusdem Monasterij per se, vel per alios Omni temporis, tàm præteriti, quàm futuri Præscriptione remotâ liberè reposcere valeat, atq; inuiolabiliter recuperare. Hæc itaq; omnia prædicto Monasterio confirmata, in perpetuum, rata esse censemus; saluâ in omnibus prædictis iustitiâ, & Fodro Imperiali. Si quis igitur huius nostræ confirmationis paginam infringere præsumpserit, centum libras auri optimi pro pœnâ componat, medietatem Cameræ nostræ, & reliquum passis iniuriam. Ad cuius rei certam in perpetuum euidentiam, præsentem paginam inde conscribi iussimus, & maiestatis nostræ sigillo communiri. Huius rei testes sunt Angelus Tarentinus Archiepiscopus, VValtherius Troianus Episcopus, Albertus Prothonotarius Conradus Dux Spoleti, Albertus Comes de Spanheim, Comes Manens de Sardiano, Henricus Prouicna de Lutetia, & alij quamplures.

Signum Domini HENRICI SEXTI Romanorum Imperaroris inuictissimi, & Regis Siciliæ.

Ego Conradus Hildeneshemeñ. Electus Imperialis aulę Cancellarius Vice Adolfi Coloniensis Archiepiscopi, & totius Italiæ Archicancellarij recognoui.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCVI. Ind ictione XV. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore gloriosissimo, & potentissimo Rege Siciliæ, Anno Regni eius 27. Imperij vero 6. & Regni Siciliæ 2. Datum apud Montem Flasconem vndecimo Cal. Nouemb.

## CONSTITVTIO XXI.

### SVMMARIVM.

1202. Iulij. 15.

### INNOCENTIVS PAPA III.

1. *Monasterium S. Laurentij de Auersa S. R. E. tantummodo*

*tummodo esse subiectum, affirmat.*

2 *Bona, & Ecclesias eiusdem Cœnobij confirmat.*

3 *Ecclesias aquisitas, & aquirendas ab omni iure Episcopali, cum suis Clericis, & Parochianis exemptas fore, decernit.*

4 *Clericos, & Parochianos dicti Monasterij etiam in loco non exempto delinquentes, coram Diœcesano, seu Episcopo conueniri posse, prohibet.*

5 *Monachos, seruitores, homines, & domesticos dicti Cœnobij excommunicari, vel suspendi non posse absque Summi Pontificis facultate, constituit.*

6 *Ecclesias, seu Cappellas construi non posse ab Episcopis in præiudicium dicti Monasterij, decernit.*

7 *Ecclesiarum donationes eidem Monasterio factas, confirmat, & conualidat.*

8 *Centenariæ Præscriptionis priuilegium, confirmat. Nullumque ius in bonis dicti Monasterij acquisitum esse à detentoribus ob temporis diuturnitatem.*

9 *Excommunicationis sententiam contra vsurpantes, & detinentes dicti Monasterij bona, & iura, si Ordinarij à Monasterio tertio admoniti proferre noluerint, ipsum Monasterium proferre posse, & per cedulas promulgare per alienas Diœceses, decernit.*

10 *Derogari non posse huic Priuilegio, seu Decreto à quoquam, neque ab ipso Monasterio, absque Sedis Apostolicæ facultate.*

11 *Ecclesias, & bona dicti Cœnobij in beneficium, vel Censum à Monasterio concessas; post obitum detinentium, liberè easdem recipere, & ipsi Monasterio applicare posse, Iure communi, & Apostolicis, vel Legatorum litteris, non obstantibus, nisi huic Decreto ad verbum derogauerint.*

12 *Bonorum donationes eidem Monasterio factas, vel faciendas, itidem confirmat.*

13 *Chrisma, Oleum Sanctum, Basilicarum, seu Altarium consecrationes, Sacros Ordines, Monachos dicti Monasterij, vel Clericos in Auersanà Diœcesi existentes, à quocunque maluerint Antistite, extra verò à Diœcesano; quo renuente, vel Catholico non existente, pro libito à quocunque Episcopo suscipere posse, indulget.*

14 *Baptismum, & Oleum infirmorum in Ecclesiis dicti Monasterij posse asseruari.*

15 *Visitationes Ecclesiarum Monasterij prædicti, per Monachos, vel eiusdem Monasterij Clericos, esse peragendas.*

16 *Missas publicas, Processiones vel Stationes in Monasterio prædicto, vel eius membris peragere non posse Episcopos, inuito Monasterio.*

17 *Causas, seu lites contra idem Monasterium coram Abbate, vel coram Legato Apostolico decidendas.*

18 *Sepulturam in eodem Cœnobio, vel eius Ecclesiis liberam esse decernit.*

19 *Abbatem à Monachis eiusdem Monasterii eligendum, & a Summo Pontifice confirmandum.*

20 *Excommunicationem, & æternam maledictionem, contra vsurpantes, detinentes, & molestantes bona, & personas dicti Monasterii, comminatur.*

*Ex Arch. S. Laurentij Auersan.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Di-
lectis filijs Mattheo Abbati, & Fratribus Sancti
Laurentij de Auersà tam præsentibus, quam futu-
ris regulariter substituendis in perpetuum. Com-
missæ Nobis, & Apostolicæ Sedis hortatur auctori-
tas, vt locis, & personis ipsius auxilium deuotione
debitâ implorantibus, tuitionis præsidium impen-
dere debeamus; Quia sicut iniusta poscentibus nul
lus est tribuendus effectus, sic legitima, & iusta de-
siderantibus, nulla est differenda petitio; præser-
tim eorum, qui cum honestâ, & laudabili morum
compositione gaudent Omnipotenti Deo deserui-
1 re. 1 Eà propter dilecti in Christo Filij vestris iustis
postulationibus clementer annuimus, & prædeces-
sorum nostrorum Romanorum Pontificum vesti-
gijs inhærentes Cœnobium Sancti Laurentij de
Auersâ, in quo estis Diuino obsequio mancipati,
sub Beati Petri, & Nostrâ protectione suscipimus,
& præsentis scripti priuilegio communimus; at-
que ab omni, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis
personæ iugo, ita omnino liberum manere de-
cernimus, vt soli Sanctæ, & Apostolicæ Ro-
manæ Ecclesiæ nullo medio perenniter sit su-
2 biectum. 2 Statuimus quoq; illa Monasteria, Eccle-
siæ, siue Cellæ, quæ Cœnobio vestro concessa sunt,
firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata per-
maneant; quæ quidem his nominibus annotantur
videlicet. Cœnobium Sancti Laurentij de Auersâ
prædictum, situm extra mœnia Ciuitatis Auersæ,
cum Ecclesiâ Sancti Petri sistente prope portam
eiusdem Monasterij, cum Burgo, quod est iuxta di-
ctum Monasterium, ac cum alio Burgo, quod dici-
tur Verzalus, cum omnibus Iuribus, rationibus, &
pertinentijs, & plures alias Ecclesias, quas breuitatis
3 causâ prætermitto. 3 Quas quidem Ecclesias, si-
ue Parochiales, siue populum non habentes, cum
suis iuribus vobis, & eidem Cœnobio auctoritate
Apostolicâ confirmamus; ipsas, & si quas alias, cum
suis hominibus, & Parochianis poteritis in futurum
canonicè adipisci, in fauorem Religionis Vestræ, &
vt quietiùs, & tranquilliùs omnium Creatori pro
salubri statu Vniuersalis Ecclesiæ seruiatis; ab om-
ni Iure Episcopali eximimus de speciali gratiâ, &
plenitudine potestatis. Ita quod in nullo Episco-
pali Iure, seu contentiosâ Iurisdictione Monachi, seu
Clerici sæculares, & Parochiani in Vestris Eccle-
sijs, siue Cellis commorantes respondere Diœcesa-
4 nis Episcopis teneantur. 4 Neque coram eorum
Ordinarijs conueniri valeant, etiam si in loco non
exempto delinquant forsitan, contrahant, vel res li-
5 tigiosæ existant. 5 Et in maiorem Vestræ religio-
nis fauorem similiter indulgemus, ne quisquam
Episcopus, vel Archiepiscopus Monasterij Vestri
Monachos, & homines, domesticos, seruitores ipsius,
laycos pro vllâ causâ, vlloue modo, siue Romani
Pontificis licentiâ suspendere, aut excommunicare
6 præsumat. 6 Volumus etiam, ac perpetuâ stabili-
tate firmamus, vt nullus Episcoporum, vel Archie-
piscoporum audeat ædificare Ecclesiam, siue Cap-
pellam in locis, in quibus possit Vestro Monasterio,
Ecclesijs, siue Cellis, vel earum Parochianis aliquod
7 præiudicium, vel scandalum generare. 7 Confir-
mamus

mamus etiam vobis,& iam dicto Cœnobio priuilegia Donationis ipsarum Ecclesiarum, siue à laycis, siue viris ecclesiasticis factæ sint; quarum Ecclesiarum Instrumenta nostro conspectui, vt authentica,& legitima præsentastis, Apostolico iudicio approbandas;quibus diligenter visis, & intellectis,ipsa approbauimus,& ratificauimus, & ex certâ scientiâ confirmauimus. Quibus etiã,& si quod forte iniuriâ,seu negligentiâ minus firmitatis insertum est,vires plenissimæ notionis ex hac nostrâ suscipiant au-
8 ctoritate. Nihilominus etiam confirmamus vobis, & prælibato Cœnobio priuilegium Cẽtenariæ Præscriptionis, quod felicis memoriæ Vrbanus Papa, eidem Cœnobio de benignitate Apostolicâ indulsit. Decernentes eos,qui possessiones, libertatesq; eius Cœnobij, Vasallorumq; suorum iura, seu redditus detinuerint occupatos, exinde fore penitus amouendos, ipsisq; nullum omnino ius per detentionem, vel possessionem huiusmodi se posse acquirere,vel habere; ac nullum vobis propter hoc,vel iuri ipsius Cœnobij super his præiudicium factum esse, vel possit in aliquo generari; nisi legitimè constiterit detentores ipsos Præscriptione Centenariâ fore
9 munitos. 9 Statuimus etiam,vt idem Monasteriũ,& vniuersæ eius Ecclesiæ, & omnia, quæ ad ipsum pertinent, quieta semper, & ab omni iugo mortalium libera, sub solius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Iure, ac perpetuâ defensione permaneant, & consistant. Ita quod super his, nullo vnquam tempore, debeatis impeti, vel modo quolibet molestari. Quod si aliquis contra hoc salubre præceptum ire temptauerit, & possessiones,& iura, libertates,vel alias res mobiles, seu stabiles vestri Monasterij, vel eius Ecclesiarum,obedientiarum, Oblatorum, seu etiam aliquorum hominum vestro Monasterio subiectorum abstulerint, siue ablata retinuerint; postquam ipsorum Ordinarij à vobis tertio admoniti iustitiam ecclesiasticam de his facere noluerint,à vobis admoniti semel, bis,& tertio, si non satisfactione congruâ, quod male egerint emendare studuerint, ex indulgentiâ Sedis Apostolicæ duximus concedendum; vt liceat tibi Matthææ Abbas, tibiq;canonicè succedentibus Apostolicâ auctoritate super eosdem impetitores canonicam excommunicationis proferre sententiam, & illos vicinis Episcopis excommunicatos fore, vestris denuntiare apicibus; Qui Episcopi, illos pro excommunicatis habeant,& omnibus sibi commissis,vt excõmunicatos à Sacratissimo corpore, & sanguine Christi separatos,euitare iubeant,eisque ecclesiasticam dene-
10 gent sepulturam. 10 Quod si ausu temerario, transactione,seu arbitrio aliquo interueniente, per vos;vel successores vestros, seu per quemuis alium contra tenorem huiusmodi decreti,absq;licentiâ Sedis Apostolicæ non faciente de Immunitate huiusmodi mentionem, fuerit attemptatum; ex nunc illud decernimus viribus omnino carere,& præfatum Cœnobium, cum omnibus suis membris habitis,& habendis pleno iure Sedi Apostolicæ sit sub-
11 iectum. 11 De abundantiori quoque gratiâ Sedis Apostolicæ concedimus vobis, & successoribus vestris, vt si aliquam de vestris Ecclesijs, possessionibus, vel redditibus alicui viro ecclesiastico, siue in Beneficium,siue ad annuum censum canonicè concesseritis,quod licitum sit vobis, vestrisq; successoribus bona Vestri Cœnobij post obitum eiusdem personæ Ecclesiasticæ, vel cum Beneficium ipsum vacauerit à quoquã viro ecclesiastico cõcessum extiterit,Beneficium ipsum,siue redditus,ad vtilitatem retinere, non obstante super hoc aliquo iure communi à nobis, vel à nostris successoribus edito, vel edendo;seu litteris à Sede Apostolicâ, aut à Nostris Legatis,Cardinalibus super hoc impetrandis; nisi de huiusmodi priuilegio expressam fecerint mentio-
12 nem. Præterea quæcunq; Bona concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium vestrum hodie Cœnobium legitimè possidet, vel in futurum canonicè possidebit, vobis, vestrisq; successoribus, & eidem Cœnobio auctoritate Apo-
13 stolicâ nihilominus confirmamus 13 Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, siue Basilicarum,Ordinationes Monachorum, seu Clericorum,tàm in ipso Cœnobio, quàm in adiacentibus Villulis, ac in Ecclesijs Ciuitatis, & Diœcesis Auersanæ, à quocumq; malueritis Catholico accipiatis Episcopo. In alijs vero Monasterijs, & obedientijs vestris,hæc à Diœcesano Episcopo prius postulabitis, siquidem gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habuerit, & ea gratis, & absq; prauitate voluerit impartiri; alioquin liceat vobis quemcumq; malueritis adhibere Antistem, qui nostrâ fretus auctoritate, quod postulatis indul-
14 geat. 14 Baptismus vero, ac Infirmorum Oleum,
15 15 Visitationes per vos, & per Clericos vestros, seu Monachos in Oppidis vestris, Castellis, seu Vil-
16 lis habeatis. 16 Missas autem publicas ab aliquo Episcopo,tàm in Cœnobio, quàm in adiacentibus eius Ecclesijs celebrari,Stationes fieri, Processiones deduci, absque licentiâ Abbatis, & Priorum, seu Rectorum locorum voluntate,omnimodè prohibemus; ne in Seruorum Dei accessibus à sæcularibus
17 occasio præbeatur vlla conuentibus. 17 Si quis autem aduersus prædictum Cœnobium iustam se putat habere quærelam, ac apud eiusdem Cœnobij Abbatem,vel Monachos,litem per sententiam decidere,aut diffinire noluerit; statuimus, vt ante Legatos nostros quærimonia deferatur, quatenus æquitate iudicij, sine personarum exceptione, sua vni-
18 cuiq; iustitia, Deo auctore, seruetur. 18 Sepulturam quoque Cœnobij vestri, & omnium Ecclesiarum,seu obedientiarum vestrarum liberam esse omnino censemus; vt eorum deuotioni,& extremæ voluntati,qui se illic sepeliri, nisi forte excommunicati,vel interdicti sint,nullus obsistat; saluâ tamen iustitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum
19 corpora assumuntur. 19 Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur; nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilij sanioris, secundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam prouiderit eligendum: electus autem ad Romanum
20 Pontificem benedicendus accedat. 20 Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Cœnobium, temere, perturbare,aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel iniustè datas suis vsibus vendicare, minuere, vel temerè vexationibus fatigare; sed omnia integrè conseruentur eorum,pro quorum substẽtatione, & gubernatione concessa sunt vsibus profutura; saluâ in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisvè persona, hanc nostram constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptauerit, secundo, tertiouè commonita; nisi præsumptionem suam dignâ satisfactione correxerit,potestatis, honorisq;sui dignitate careat, reamq; se Diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore,& Sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ vltio-

vltioni subiaceat. Cunctis autem eam seruantibus sit pax eiusdem Domini Nostri Iesu Christi; vt, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Dat. Lateran. per manus Blasij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij, Idus Iulij, Indictione quintâ, Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo secundo. Pontificatus vero Domini Innocentij Papæ Tertij anno quinto.

## CONSTITVTIO XXII.

### SVMMARIVM.

1203. *Iunij* 13.

### INNOCENTIVS PAPA III.

1 *S. Pauli de Vrbe Monasterium, quod vsitatissimo vocabulo* Sacratissimum *nominat, sub Apostolicæ Sedis tuitione confirmat, eiusdemq; Sedis membrum speciale declarat.*

2 *Ordinem Monasticum sub Regula Sancti Benedicti in eodem perpetuò vigere, constituit.*

3 *Bona aquisita, & aquirenda eidem confirmat. Aquisita enumerat.*

4 *Priuilegia, libertates, & immunitates concessas conualidat.*

5 *Nulli, præterquam Romano Pontifici, subiectum fore, declarat.*

6 *Abbati, Annuli, Sandaliorum, Tunicæ, Dalmaticæ vsum confirmat, atque Pontificalem benedictionem inter Officiorum diuinorum solemnia adstanti populo impertiri posse, constituit.*

7 *Abbati per manus Romani Pontificis in Sacerdotem ordinato, super maius Altare dictæ Basilicæ celebrandi fas esse, decernit.*

8 *Consecrationes Altarium, & Monachorum Ordinationes à quocunque Catholico Episcopo recipi posse, declarat.*

9 *Minores Ordines eidem Abbati, vt possit suis Monachis exhibere, confirmat.*

10 *Paramentorum benedictionem eidem Abbati, vt impertiri possit, indulget.*

11 *Excommunicationem in Abbatem, Monachos, vel sæculares Clericos, Ecclesiarumque Monasterij Rectores, absque Sedis Apostolicæ mandato, minimè ferri, seu ad Synodum vocari posse à quocunque, decernit.*

12 *Clericorum, seu Rectorum in Ecclesiis Monasterij institutionem, & destitutionem ad Abbatem pertinere, statuit.*

13 *Abbatis eiusdem Monasterij electionem, secundum Regulam S. Benedicti, ad eiusdem Cœnobij Monachos pertinere, examinationem verò, ad Romanum Pontificem.*

14 *Abbatis eiusdem electionem, quando in eodem Monasterio non inueniretur idoneus, & ex alio Monasterio esset educendus, ad Summum Pontificem spectare.*

15 *Censum Vini, Verris, & Vaccæ Sedi Apostolicæ exhiberi consuetum remittit; exceptis gratuitis obsequijs, & consuetis Xenijs in Festo Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ.*

16 *Testimonio Monachorum, seu personarum eiusdem Monasterij in proprijs causis, tàm ciuilibus, quàm criminalibus, vti posse confirmat.*

17 *Clericos, seu Laycos in Monachos posse recipi, concedit.*

18 *Interdicti tempore Diuina Officia celebrare, suppressa voce, non pulsatis Campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, indulget.*

19 *Centenariâ Præscriptione ad recuperanda propria bona, & iura, eidem Monasterio vti licere, decernit.*

20 *Sepulturam eiusdem Basilicæ liberam esse cuicunque, confirmat.*

21 *Monasterium prædictum in suis iuribus, & bonis perturbare, vel auferre, seu ablata retinere nefas esse, constituit.*

22 *Ecclesias dicti Monasterij omnimodâ libertate gaudere, plenumq; Ius in eisdem dictum Monasterium habere, saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum in Parochialibus, declarat.*

23 *Diuini iudicij vltionem, & Ecclesiasticam censuram contra inobedientes, & dictæ Constitutioni rebelles, contestatur.*

*Ex Reg. Vatican. Innocentij III. fol. 66.*

DOMINO Sancto, meritoque Beato Prædicatori præcipuo, egregioque Doctori PAVLO Apostolo. INNOCENTIVS indignus Episcopus Seruus Seruorum Dei, reuerentiæ votum, cum deuotione perenni. Cum aliqua tibi Beatissime PAVLE vas electionis, & gratiæ prędicator, per priuilegii paginam conferre videmur; non Nostra concedimus, sed tua potius confirmamus; quia bona omnia, quæ habemus, tuis interuenientibus meritis, à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum Nos accepisse fatemur; ideoque magis tua reputamus esse, quam Nostrâ; & vtinam ità nostra sint tua, vt tua quoque sint nostra; quatinus qui tuum officium exequendum suscepimus, ad tuum etiam suscipiamur consortium obtinendum.
1 1 SACRATISSIMVM itaque Monasterium, in quo tuum Venerabile Corpus, celebri memoriâ, requiescit, ad ius & proprietatem Apostolicę Sedis iure pertinens speciali, sub Beati Petri, & Nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti priui-
2 legio communimus. 2 In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus
3 inuiolabiliter obseruetur. 3 Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, idem Monasterium in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma semper & illibata eidem Monasterio perseuerent. In quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, & Burgum eiusdem, cum Molà, & aliis possessionibus adiacentibus. Oblationes, tàm maioris Altaris, quàm

Confessionis ipsius, & aliorum Altarium. Sanctum Memnatem cum Terris, & vineis ab vtraque parte viæ Siliçinæ, vsque ad Pontem Pissiniani. Centum montes, cum vineis, & pratis iuxtà Cœnobium memoratum. Floranum, cum suis pertinentijs. Trifussam, cum suis pertinentijs. Turrem Ioannis de Petro, cum suis pertinentijs, quæ antiquo nomine appellatur Draconi. Mandram, cum Ecclesiâ, & alijs suis pertinentijs. Ecclesiam Sancti Proculi, cum Gualdo Lapigio, & Squinazello, & alijs suis pertinentiis. Ardeam cum Roccâ suâ, & Turre maiori, & Ecclesiis suis, & aliis pertinentiis. Patricam cum Ecclesiis, & pertinentiis. In Ostien. Ciuitate, Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Salinarum paria septem in Vrbe vetere, & decem paria posita in Abincâ, & paria duo posita eodem territorio, cum casâ, massariâ, suisque mancipiis. Castrum Decimi, cum Ecclesiis suis, & tila salinarum in Campo maiori, & apud Ostiam. Item Monasterium Sancti Clementis cum Villâ suâ. Castrum Fusungnanum, cum suis pertinentiis. Possessiones in Ciuitate Velletri, cum Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, ac Cellulis suis. Turrem positam in Terenzennello Lucembrucæ, cum suis pertinentiis. Castrum Osæ. Castrum Longitiæ. Sanctum Iulianum. Sanctum Victorinum. Corcurolum. Medietatem Laci Borani. Passaranum, cum omnibus ad prædicta Castra pertinentibus. Ecclesiam Sancti Laurentii sub Columpnâ, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Oliueto, cum omnibus Ecclesiis suprascriptorum Castrorum intus, & extra. Casam in Anagniâ, cum omnibus possessionibus, præfato Monasterio ibidem collatis, Sextam partem in Castellari de Fusignan. in Ciuitate Tiburtin. Ecclesiam Sanctæ Agathæ, & Molas duas in Comite, & vnam in Vestâ, & vnam in Formâ ad Portam obscuram, & vineas, & oliueta, & alias possessiones. Montem Albanum, cum omnibus tenimentis ipsius. Podium Sancti Sixti, Castrum Numentanæ, & Sanctum Primum, & alias Ecclesias, & Cryptam Marozam, cum omnibus ad suprascripta Castra, vel loca pertinentibus. Item Marcellinum, & Podium Cariben. Montem fauale m, & Castrum Sancti Poli, cum omnibus ad præscripta Castra pertinentibus. Monasterium Sanctæ Mariæ Montis Dominici, cum suis Ecclesiis, & pertinentiis. In Marsiâ, Eremum Sanctæ Mariæ Montis Armensis, cum cellulis suis, tenimentis, & omnibus pertinentiis. Ecclesiam Sancti Gregorij de Sublone, cum pertinentiis suis. Sanctam Mariam in Casis, cum Giratâ idest Piscatiâ in Fucino. Sanctum Leonardum super in Cartora, cum Cellulis, Villis, & molis, & aliis pertinentiis. In Amiterno Hospitale de Casas. In solo Sabinensi quartam partem Castri Pozi. In Ciuitate Interampnensi, Ecclesiam Sancti Petri Recani, & Ecclesiam Sancti Laurentii. Ad pedem Cesæ, Hospitale Apostolorum Iacobi, & Bartholomæi. In Ciuitate Tudentin. Monasterium Sanctæ Margaritæ, cum suis pertinentiis. Apud Strunconem Ecclesiam Sancti Antimi, cum omnibus possessionibus, quæ fuerunt Guidonis de Sancto Antimo. In Comitatu Narniensi, medietatem Castri Sancti Vrbani. Apud Ameliam Hospitale Sancti Iacobi de Reddere. Ecclesiam Sancti Magni in Ponte, & Ecclesiam Sancti Cataldi propè Castrum Torani, cum eorum pertinentiis. In Ciuitate Castellanâ domos, & possessiones, quæ fuerunt Raynaldi Guidenaldi, cum Ecclesiis Sancti Eutichii intus, & Sancti Ioannis extrà. Ecclesiam Sancti Stephani, cum Castello, & Burgo suo iuxtà Ciuitatem Sutrinam, cum omnibus pertinentiis, & vtilitatibus suis.

Castrum Sanctæ Seuere, cum Ecclesiâ, & pertinentiis suis. Massam quæ vocatur Vinetum, & massam quæ vocatur Maiana positas in territorio Nepesino, vsque ad Montem Rosolum, & lacum qui vocatur Ianula. Castrum Bacchariciæ, cum Ecclesiâ Sanctæ Christinæ, & aliis Ecclesiis, & pertinentiis suis. Castrum Lepriniani, cum suis Ecclesiis, & pertinentiis. Flagianum, cum suis pertinentiis. Ciuitatem Colorum, cum suis Ecclesiis, & pertinentiis. Ciuitatem Stertinianam, cum Ecclesia Sancti Ioannis, & Lacu, & suis pertinentiis. In Episcopatu Narniensi Ecclesiam Sancti Nicolai de Monte Masclario. Castrum Raiani, cum suis pertinentiis, & Castellum nouum, & Castrum Formelli. Ecclesiam Sancti Benigni, cum pertinentiis suis. Hospitale de Raio, cum pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Angeli de Scholeâ, cum pertinentiis suis. Medietatem totius fundi Valerani, cum medietate Turris, & Castellaris, & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Leonis de Lepriniano, cum suis pertinentiis. Castrum, quod vocatur Morlupum, cum suis pertinentiis. Ecclesiam Sancti Laurentii extrà Castrum Ciuitellæ, cum suis pertinentiis. Romæ Ecclesiam Sancti Nicolai de Formâ. Ecclesiam Sancti Sergii in Suburâ. Piscarias in Flumine, in loco qui dicitur Marmorata, Anditum, Domnicam, & Postam, & alias in eodem Flumine subtus Romam. Pensiones, & Hortos, & omnia, quæ intrà Vrbem, & extrà idem Monasterium
4 noscitur obtinere. 4 Ad hæc libertates, & immunitates eidem Monasterio à prædecessoribus Nostris indultas; rationabiles quoque consuetudines hactènus obseruatas auctoritate Apostolicâ confirmamus.
5 5 Statuimus insuper, vt præfatum Monasterium nulli prorsus in aliquo, nisi Romano tantum Pontifici sit subiectum, nec ibi aliquis, præter eum, quamlibet iurisdictionem exerceat, aut aliquam vendicet po-
6 testatem. 6 Abbati verò ipsius Venerabilis loci, præsentis Priuilegij auctoritate concedimus, vt ad honorem, & laudem Altissimi, cum Mitrâ, & Anulo, Sandaliis, Tunicâ, Dalmaticâ Missarum solemnia pro tuæ celebret reuerentiâ Sanctitatis, & astanti
7 Clero, ac Populo benedicat. 7 Ita quidem, vt si per manus Romani Pontificis in Sacerdotem fuerit ordinatus, super maius Altare licentiam habeat
8 celebrandi. 8 Consecrationes autem Altarium, & ordinationes Monachorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promouendi à quocumque maluerint Abbas, & Monachi eiusdem Cœnobii, Catholico dumtaxat Episcopo, Apostolicâ freti auctoritate suscipiant; quas sine difficultate, ac prauitate præcipimus
9 exhiberi. 9 Minores autem Ordines Monachis suis idem Abbas, dummodo sit Presbyter, de Nostrâ po-
10 terit indulgentiâ, cum necesse fuerit, exhibere. 10 Cui benedicendi etiam indumenta, quæ ad vsum Altaris in eodem Monasterio fuerint necessaria,
11 concedimus potestatem. 11 Interdicimus quoque præsenti decreto, vt nullus omnino, sine speciali mandato Romani Pontificis in Abbatem, & Monachos eiusdem Cœnobii, & in eo commorantes, suspensionis, vel excommunicationis sententiam promulgare, vel eos ad Synodum vocare præsumat.
12 12 Sed neque Clericos, præsertim Oblatos, in illis Ecclesiis permanentes, in quibus non ad Episcopos, sed ad ipsum Abbatem institutio, & destitutio, ac correctio dignoscitur pertinere. Quod si quisquam in eos huiusmodi sententias promulgaret, il-
13 las decernimus irritas, & inanes. 13 Obeunte verò eiusdem loci Abbate, nullus ibi quâlibet astutiâ, seu violentiâ præponatur; nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars maior, consilij sanioris, secun-

cundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam de ipsâ Congregatione, si tamen in eâ per examinationem Romani Pontificis reperiatur ido-
14 neus, duxerint eligendum. 13 Si verò, quod absit, in eodem Monasterio non possit quisquam idoneus reperiri; tunc Romanus Pontifex de aliâ Congregatione, præfato Monasterio personam idoneam præ-
15 ficiat in Abbatem. 15 Præterea felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessores nostri vestigiis inhærentes, remittimus Monasterio memorato donum, Vini, Verris, & Vaccæ, quod antiquis temporibus prædecessoribus nostris consueuerat exhiberi; saluis gratuitis obsequiis, & consuetis exeniis, quæ in Festo Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ,
16 Apostolicæ Sedi debent annuatim impendi. 16 Liceat quoque Abbati, & Conuentui Monasterii memorati, Fratrum suorum testimoniis in propriis causis vti, siue Ciuilem, siue Criminalem contineant quæstionem; ne pro defectu testium, ius eo-
17 rum valeat deperire. 17 Clericos etiam, siue Laycos liberos, & absolutos è seculo fugientes licitè ad conuersionem recipiant, & eos absque aliquâ con-
18 tradictione retineant. 18 Cum autem generale fuerit Interdictum, licitum sit eisdem vbicunque manētibus, exclusis excommunicatis, & interdictis, suppressâ voce, non pulsatis campanis, Diuina officia
19 celebrare. 19 Cæterum, cum idem Monasterium speciale membrum Apostolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis Sedes existat; statuimus, & sancimus, vt sicut contra Romanam Ecclesiam nō, nisi Centenaria currit Præscriptio, secundum constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones; ita, quod præfato Monasterio minoris temporis Præscriptio
20 non obsistat. 20 Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat; Saluâ tamen iustitiâ illarum Ecclesiarum à quibus assumpta fuerint corpora mortuorum.
21 21 Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temerè, perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra cōseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac substentatione concessa sunt, vsi-
22 bus omnimodis profutura. 22 Saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, ac in Parochialibus Ecclesiis Diœcesanorum Episcoporum iustitiâ consuetâ; illis exceptis, in quibus plenum ius idem Monasterium
23 hactenus dignoscitur habuisse. 23 Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentauerit secundo, tertioue commonita; nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant Amen. Amen. Amen. Datum Ferentini per manum Ioannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarii, Idus Iunii, Indictione sextâ, Incarnationis Dominicæ anno Millesimo ducentesimo tertio. Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ tertii Anno sexto.

## CONSTITVTIO XXIII.

### *SVMMARIVM.*

*1208. Iulij 25.*

### INNOCENTIVS PAPA III.

1 *Casinense Monasterium, omnium per Occidentem celeberrimum ab omni iugo mortalium liberum, soli S.R. Sedi subiectum, affirmat.*

2 *Bona acquisita enumerat, & confirmat.*

3 *Abbatem dicti Cœnobij omnibus per Occidentem Abbatibus præferendum, & in publicis conuentibus, tàm Episcoporum, quàm Principum, Superiorem consessum, & vocem inter Abbates, concedit.*

4 *Mitræ, Baculi, Chirothecarum, Anuli, & Sandaliorum vsum confirmat.*

5 *Excommunicare, vel ad Synodum vocare Clericos, vel Monachos dicti Monasterij nemini, nisi tantum Sedi Apostolicæ licere, decernit.*

6 *Missas in eodem Cœnobio, vel eius membris celebrare, nisi de Superioris licentià, Episcopos, prohibet.*

7 *Confugientes à sæculo, cuiuscunq; Diœcesis sint, liberè suscipere posse Monasticum habitum in dicto Monasterio, decernit.*

8 *Monachos, & Moniales subditos ab Abbate iudicari posse.*

9 *Campanas pulsare, Populum ad Diuina officia conuocare, Sacramentales Confessiones audire in quàuis Diœcesi, in locis dicto Monasterio subditis, nemo prohibere posse, enunciat.*

10 *Chrisma, Oleum Sanctum, Basilicarum, seu Altarium Consecrationes, Sacrosq; Ordines, Monachos, vel Clericos dicti Monasterij à quouis Antistite suscip[illegible]e posse, confirmat.*

11 *Baptism[illegible]s, & Olei Sancti collationem per Monachos, vel Clericos dicti Monasterii peragi posse, declarat.*

12 *Palladii Monasterium in Vrbe confirmat, & Nauem dicti Monasterii à Datiis in Portu Romano, vel Ostiâ Tiberinâ, eximit.*

13 *Abbatem dicti Cœnobij à* Monachis *eiusdē, de eodē, seu de quouis Monasterio eligendū, & à Summo Pontifice confirmandum decernit. Seditionesq; seu Leuas in Abbatum obitu, aut electione, interdicit.*

14 *Sepulturam in eodem* Monasterio*, vel eius Ecclesiis liberam esse decernit.*

15 *Crucem, Incensum, & Aquam benedictam deferre posse in processionibus defunctorum in quàcunq; Diœcesi, confirmat.*

16 *Exco[illegible]icationis sententiam contra vsurpantes bona, [illegible] Monasterij, si Ordinarij à Monasterio tertio [illegible]moniti, proferre noluerint, ipsum* Monasterium *proferre, & promulgare posse.*

17 *Bona ab eodem Cœnobio per annos quadraginta pacificè possessa, eidem adiudicata fore, decernit.*

18 *Excommunicationem, æternamq; maledictionem, contra vsurpantes, detinentes, & molestantes bo-*

*na, iura, & personas dicti Monasterij, comminatur.*

*Ex Arch. Casinen.*

INNOCENTIVS Eps Seruus Seruorũ Dei. Dilectis filijs Roffrido Abbati Monasterij S. Benedicti Casinensis, eiusq; Fratribus, tàm præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus copiosas; quoniam gloriosus in Sanctis suis, atq; mirabilis est, & virtutes suas, vbicunq; vult, ineffabili bonitate demonstrat. Ipse quippe, dignationis suæ, potentiâ, Beatissimum Benedictum Patrem constituit Monachorùm. Ipsum Monasticæ legis latorem, & operatorem esse disponens, vt meritò Casinense Monasterium, in quo, & sanctissime vixit, & gloriosissimè obijt, omnibus per Occidentem Monasterijs dignitatis priuilegio antecellat. Quoniam igitur dignum est, vt tam celebre, ac solemne Monasterium Apostolica Sedes specialiùs amplectatur; Monasterium ipsum, ad exemplar felicis memoriȩ Clementis Papæ, ac prædecessoris nostri, sub Beati Petri, ac nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripsi priuilegio,
1 communimus. 1 In primis siquidem statuentes, vt idem Monasterium, & omnia, quæ ad ipsum pertinent, pleno iure, quietâ semper, & ab omni iugo mortalium libera, sub solius S. Romanæ Ecclesiæ
2 iure, ac perpetuâ defensione consistant. 2 Præterea quascunq; possessiones, quecumq; bona idem Monasterium in præsentiarum iustè, ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu ailjs iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In primis Monasteriũ Domini Saluatoris positum ad pedem Casini Montis. Monasterium S. Genitricis Dei Virginis Mariæ, quæ vocatur Plumbarola. Monasterium S. Mariæ in Cinglâ. Cellàm S. Benedicti in Capuà, cum Cellis, & pertinentijs suis. S Angeli ad Formam, cum Cellis, & pertinentijs suis. S. Ioannis Puellarum. S. Rufi. S. Benedicti Pizoli. S. Angeli ad Odaldiscos. S. Agathæ in Auersâ. S. Cæciliæ, & S. Dimitrii in Neapoli. In Ciuitate Beneuentanâ Ecclesiam S. Benedicti ad Portam Rufini. S. Nicolai in Ciuitate Nouà. S. Benedicti in Pantanà. S. Nicolai in Petrà Pulecinà. S. Georgii in Fenuclo. S. Ioannis in Turlecuso, S. Petri in Rossano. S. Angeli in Caprarià. S. Ianuarii prope Beneuentum. S. Martini ibidem. S Dionysii in Ponte. S. Anastasij. S. Mariæ in Canneto iuxta fluuium Trinium. S. Benedicti, & S. Laurentii in Salerno. S. Liberatoris in Marchià, cum omnibus suis pertinentiis. S. Benedicti in Marsi. S. Mariæ in Luco, cum pertinentiis suis. S. Cosmatis in Ciuitellà. S. Angeli in Barcio, cum omnibus pertinentiis suis. S. Mariæ Ancillarum Dei in Ciuitate Cosentinà. S. Petri de Lacu. S. Petri de Auellanà, cum Cellis, & pertinentiis suis. S. Erasini, & S. Benedicti, & S. Scholasticæ, & S. Martini in Caietà. S. Magni in Fundis, cum Cellis, & pertinentiis suis. S. Agathæ, S. Benedicti, & S. Stephani in Tarracinà. S. Petri in Forestà, cum Cellis, & pertinentiis suis. S. Eliæ in Ambrisiæ. S. Pauli in Forestà. S. Mariæ, & S. Vincentii in Ponte Curuo, cum Cellis, & pertinentiis suis. S. Benedicti in Bagnarolà. S. Mariæ, & S. Luciæ in Riuo Matricio. S. Nicolai, & S. Petri in Castello. S. Ioannis in Carricà. S. Angeli, & S. Nicandri, & S. Thomæ in Troià. S. Eustachii in Pantasià. S. Benedicti in Alarino. S. Benedicti in Pettinari. S. Pauli in Campo Marino. S. Mariæ in Casale Plano. S. Illuminatæ in Castello Limosano. S. Trinitatis, & S. Georgii in Termole. s. Focatis in Lesinà. cum foce, & Piscarià. s. Benedicti in Asculo. s. Eustachii in Petrâ abundanti. s. Eustachii in Viperà. s. Mariæ in Barrotano. s. Scholasticæ in Pinnis. s. Saluatoris in Taue. s. Nicolai iuxta fluuium Fustinum in Aprutio, cum pertinentiis suis. s. Ioannis ad Scurionem. s. Benedicti in Trunto. s. Benedicti in Tisino fluuio. s. Apollinaris in Firmo, qui dicitur ad oplanis. s. Mariæ in Arbustà. s. Marini in Saline. S. Angeli in Marano, & ss. septem Fratrum, & S, Laurentii. S. Benedicti in Ripà vrsà. In Comitatu Aquinensi Cellam s. Gregorii, s. Mauritii, s. Pauli, s. Constantii, s. Christophori, s. Nicolai, & s. Mariæ in Albaneto. s. Nicolai in Ciconio. s. Benedicti in Elya. s. Nazarii in Comino, S. Valentini, & s. Martini, s. Vrbani, s. Angeli, s. Pauli, s. Felicis, & s. Saluatoris, s. Angeli in Valle Luce. s. Michaelis in Olucto. s. Nicolai in Picâ, cum Cappellis suis. s. Onufrii, & s. Mariæ de Egitpo. s. Angeli in Canutio, s. Ioannis de Pesclo. s. Mariæ in Verulæ. s. Petri in Escletà. s. Luciæ, & s. Petri in Curuli, & s. Nicolai de Francâ Villâ, s. Ioannis de Pantano. s. Siluestri, & s. Martini, & s. Luciæ in Arpino. s. Mariæ de Castello Zopponis, s. Benedicti in Colle de Insulà. s. Mariæ in Vauuco. s. Nicolai in Turrice, s. Iuliani in Friselone. s. Valentini in Ferentino. In Anagnià. s. Cæsarij, s. Angeli in Algido. s. Marci in Cesano. s. Agathæ in Tusculano, & s. Hier. s. Benedicti in Albano. In Româ Monasterium s. Sebastiani quod dicitur Palladiũ. In Lucano Cellam s. Georgii. s. Saltatoris in Ciuitellâ. In Ducato Spoletino. s. Germani in Sorâ. s. Benedicti in Peschesanâ. s. Petri in Morinis. s. Angeli in Pesco canale. s. Petri in Formis. s. Angeli in Albe. s. Erasini in Pomperanio. s. Mariæ in Cellis. In Venafro. s. Benedicti, s. Nazarii, s. Martini. In Issa Furcâ, & Curte. s. Mariæ in Salo, & s. Benedicti piccioli. Ibidem s. Benedicti in Cesinia. s. Iacobi de Pace. s. Benedicti, & s. Leonis in Suessâ, & Curtem, quæ dicitur Laurianâ, & Pheudum quod fuit Pandulfi de Patricio. s. Ioannis in Currenti. s. Benedicti in Trano. s. Mariæ in Caluo, & S. Agapiti in territorio Calui. s. Nazarii in Anglona. s. Adiutoris, & s. Benedicti in Aliphis. s. Domnini in Telesià. s. Martini in Vulturno. s. Petri in Sesto. In Amalphi. s. Crucis, & s. Nicolai. s. Crucis in Serinà. s. Marci in Carpinetâ. s. Mariæ in Calenâ. s. Benedicti in Trano. s. Benedicti in Bari, S. Petri Imperialis in Tarento. In Calabrià Ecclesiam S. Anastasiæ. Castellum Fellæ, & S. Nicolai in Sellettano. S. Mariæ in Tropeâ. Sanctæ Euphemiæ in Marchia. Ecclesiam S. Martini in pede arcis. Item Ciuitatem, quæ dicitur S. Germani positam ad pedem ipsius montis. Pontem curuum, & castellum S. Petri, quod ab antiquis dictũ est castrum Casini. Castellum S. Angeli, Pignatarium, Teramum, Plumbarolam, Pedemonte, & Villam de Pedemontis. Castellum S. Stephani, Castellum S. Georgij. Castellum S. Apollinaris. Castellum S. Ambrosij. Castellum S. Andrææ. Vallis frigidæ. Castellum nouum. Fractæ, Ecclesiam S. Martini. Mirtulam, cum ipsâ curte, quæ dicitur Casafurtiuâ. Roccam de Vandrâ, cum omnibus pertinentijs suis. Sugium. Turrim à mare. Iuxta Fluuium Garilianum S. Saluatoris, qui vocatur

cucuruzo

cucuurzo. Vandrã Comitaris, Vãdram Monasticã, Caminũ. Venturam, Torollum Ceruariã. S. Victorẽ, S. Petrũ in fine. S. Eliam, Vallem rotundã. Saranescum, Castrum Atini, cum omnibus pertinentijs suis. Cardetum, Aquam fundatam. Vitecosum. Castrum Citrariæ, cum omnibus Ecclesijs, & pertinentijs suis. Ecclesiam S. Martini in pede arcis. In Marchia Teatinâ. Castellum Sastinianum. Montem Albericæ. Mucelanum. S. Quiricum cum portu Frisani. S. Iustam. In comitatu Esculano. Castellum quod dicitur Octauum, Post montem. Cimanum Triuilianum, & Cau inum. In Principatu Castellum ripæ vrsæ. Montem bellum. Petram Fracidam. In comino Vicum album. In territorio Carseolano castellum Auzicula. Piretum, Roccam incameratam. Fossam cęcam, & Capriatam. In Amalphi fundicum: In territorio Troiano Castellionem de baruncello, Sanctam Iustam, Villam S. Nicolai, quæ dicitur de Gallicianis. In monte S. Angeli Hospitale. In Territorio Capriano Gualdum de liburiâ. In Comitatu Tenensi Curtem. S. Felicis cum Ecclesiâ S. Hippolythi. In comitatu Aretino Monasterium S. Benedicti. In territorio Pisanæ Ciuitatis S. Siluestri, S. Benedicti. In Cremâ Ecclesiam S. Nicolai prope portam castri martinæ in Pesulo. In Regno Francorum Ecclesiam s. Mauri Glanofoliensis, cum cellis, & pertinentijs suis. In Sardiniâ Insulâ, Ecclesiã S. Marię in tergo. S. Eliæ in monte, & s. Elisei, cũ omnibus earũ pertinentijs. Ecclesiã S. Mariæ de Sabũdo, & S. Mariæ de Storalbo; S. Mariæ de Tanede. s. Petri de Trecingle. s. Nicolai, & s. Mariæ in Solio, cũ pertinentiis earũ S. Nicolai de Telasâ. s. Michaelis in Feruzisi. Sancti Georgii in Ricello. s. Petri de Symbrano. s. Petri in Vrzi. s. Nicolai de Nugulbi. s. Ioannis, & s. Eliæ de Sitim: In Tusciâ prope Ciuitatem Castri, Monasterium s. Columbani cum cellis, & pertinentiis
3 suis. 3 Pręterea Patrum nostrorum beatæ memorię Vrbani, Calixti, & dicti Clementis Romanorum Pontificum vestigia sequentes Venerabile Cęnobium cęteris per Occidẽtem cęnobiis pręferendum asserimus; & tàm te, quàm successores tuos in omni conuentu Episcoporum, seu Principum, superiorem omnibus Abbatibus consedere, atque in Iudiciis priorem cęteris vestri Ordinis iuris sen-
4 tentiam proferre sancimus. 4 Vsum quoque Compagorum, Chirotecarum, Tunicę, Dalmaticę, ac Mitrę, Virgam Pastoralem, & quotidianum vsũ Anuli, tàm tibi fili Abbas, quàm successores tui,
5 auctoritate Apostolicâ indulgemus. 5 Sanè tã in ipso Venerabili Monasterio, quã, & in cellis eius, cuilibet Ecclesię Episcopum, vel Sacerdotem, pręter Romanum Pontificem ditionem quamlibet, aut excommunicandi, aut interdicendi, aut ad Syno-
6 dum prouocandi pręsumere prohibemus. 6 Ita vt, nisi ab Abbate, vel Priore loci fuerit inuitatus,
7 nec Missarum solemnia inibi audeat celebrare. Liceatque ipsius Monasterii, & Cellarum eius Fratribus, Clericos cuiuscunque Ordinis, vel Laycos de quocunque Episcopatu à seculo fugientes, & liberos, & absolutos ad conuersionem venientes, abs-
8 que cuiuslibet contradictione suscipere. 8 Liceat quoque absque cuiuslibet sęcularis, vel ecclesiasticę potestatis inhibitione subiectos Monasterijs suis, tàm Monachos, quàm Moniales fęminas iu-
9 dicare. 9 Liceat etiam Fratribus per Cellas in Ciuitatibus constitutis ad Diuina Officia quandocunque voluerint Signa pulsare, & ianuas Ecclesię aperire, & Populum Dei, tàm in ipsum Cęnobium, quàm & in Cellis eius ad Dei verbum audiendum

ingredi, & Cõfitendi peccata sua, nullus Episcopus, excepto pro communi totius Ciuitatis, vel Parro-
10 chię interdicto prohibeat. 10 Chrisma vero, Oleũ Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Monachorum, seu Clericorum à quocunque malueritis, catholico accipietis Epi-
11 scopo. 11 Baptismum verò, & Oleum infirmorum, Visitationes in Oppidis vestris, aut villis ad vos pertinentibus pleno iure, per Clericos vestros agetis
12 12 Ad perpetuum etiam Hospitium tibi filii Abbas, tuisque successoribus; Palladii cellam concedimus, vt de vestrâ illic Congregatione, quem volueritis ordinetis; quem si forte Romano Pontifici in Abbatem promouere placuerit, omnino, tamen, tamquàm vestrę Congregationis Monachum sub vestrâ decernimus dispositione persistere. Redditum quoque, qui ab officialibus nostris apud Ostiam, vel Portum, de nauibus exigi solet, Naui vestrę, si
13 quâ venerit relaxamus. 13 Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur; nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilij sanioris, de collegio vestro, aut de alieno, si ibidẽ idoneus repertus non fuerit, secundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam prouiderint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem consecrandus accedat Ad hæc, tam pręsentium, quàm futurorum auaritiæ, ac nequitiæ obuiãtes; omnes omnino seditiones, quas Lęuas dicunt, seu direptiones in cuiuscũq; morte, aut electione fieri auctoritate Apostolicâ
14 interdicimus. 14 Sepulturã sanè loci vestri, & Monasteriorum vestrorum liberam omninò esse censemus, vt eorum, qui illic sepeliri deliberauerint deuotioni, & extremæ voluntati, nisi fortè excõmunicati, vel interdicti sint, saluâ iustitiâ illarũ Ecclesiarũ
15 à quibus mortuorum corpora assumuntur. 15 Præterea, cum vobis, tàm in capite, quàm in membris ab Apostolicâ Sede sit concessa libera sepultura, Alexãdri Innocentij, & dicti Clementis prædecessorum nostrorum vestigijs inherentes vobis, & vestris Fratribus, tàm præsentibus, quàm futuris duximus indulgendum, vt quotiens pro corporibus mortuorum in processione vos exire contigerit, Crucem, incensum, & aquam benedictam portandi, iuxta morem terræ liberam, nullius contradictione, vel appellatione obstante, habeatis de nostris licentijs
16 facultatem. 16 Ad exemplar quoq; ipsius Patris, & prædecessoris nostri Clementis licentiam concedimus tibi, ac legitimis successoribus tuis, vt si quis eiusdem Monasterij vestri, & cellarum eius possessiones, aut res violenter abstulerit, postquam ipsorum Episcopi à vobis tertio inuitati, iustitiam de his facere omnino noluerint, vos super eosdem raptores, secundo, tertioue comonitos, Canonicam
17 excommunicationis sententiam proferatis. 17 Ea vero, quæ Monasterium vestrum à quadraginta retro annis bonâ fide noscitur pacificè possedisse, vobis, & eidem Monasterio authoritate Apostolicâ confirmamus; ita quidem, quod super his nullo vnquam tempore impediri debeatis, vel quomodolibet
18 molestari. 18 Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium, temere, perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia, & integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustẽtatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura; saluâ Sedis Apostolicæ authoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, seu sæcularis persona hanc no-

stræ

stræ Constitutionis paginam sciens, contra eam venire, temerè tentauerit, secundo, tertioue commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se Diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, ac in extremo examine, districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini Nostri Iesu Christi; quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ioannes Albanensis Episcopus. Ego Ioannes Sabinensis Episcopus. Ego Nicolaus Tusculanus Episcopus. Ego Guido Prænestinus Episcopus. Ego Cinthius tituli S. Laurentij in Lucinâ. Presbyter Cardinalis. Ego Centius tituli ss. Ioannis, & Pauli Presbyter Cardinalis. Ego Benedictus tituli s. Susannæ Presbyter Cardinalis. Ego Petrus s. Pudentianæ tituli Pastoris Presbyter Cardinalis. Ego Gregorius s. Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis. Ego Guido s. Nicolai in carcere Diaconus Cardinalis. Ego Otto ss Sergij, & Bacchi Diaconus Cardinalis. Ego Pelagius S. Luciæ ad septem solia Diaconus Cardinalis. Datum apud S. Germanum per manum Ioannis S. Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ Cancellarii octauo Calendas Augusti Indictione XI. Incarnationis Dominicæ Anno millesimo ducentesimo octauo. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ tertii anno XI.

## CONSTITVTIO XXIV.

### SVMMARIVM.

1208. *Decemb.* 20.

### OTTO IV. IMPERATOR.

*Monasterium SS. Floræ, & Lucillæ Aretin. Præscriptionem sexaginta annorum ad recuperanda dicti Monasterij bona, & iura gaudere concedit. Bona eiusdem recenset. Ab oneribus, & grauaminibus immune reddit.*

*Ex Arch. Monastery S. Mariæ Florent. Arm. I. Capsf. 2. n. 3.*

IN Nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis. OTTO Quartus Diuinâ fauente Clementiâ Romanorum Imperator, semper Augustus. Æquitatis ratio postulat, vt Imperialis clementia omnibus Ecclesijs infra Imperium constitutis, patrocinium protectionis suæ impendat; eas tamen, quæ speciali subiectionis, & dominij iure, Imperio pertinent, propensiori gratiâ, fouere, & manutenere, inuigilet. Ea propter notum esse volumus, vniuersis Imperij fidelibus, quod nos ad imitationem antecessoris nostri Henrici Sexti Romanorum Imperatoris Diui Augusti, Cœnobium S. Floræ ab Aretinis destructum, quod in Podio Turritæ prope Aretium, situm erat, ræedificari ipse Imperator Henricus ordinauit, in nostram tuitionem, cum omnibus pertinentijs ipsius, memorata nostræ Serenitatis beneuolentiâ, suscipimus, quod illud, in eodem loco, & cunctis suis possessionibus, plenâ securitate, & pacis quiete perfrui volumus. Et quoniam eamdem Ecclesiam ad manus nostras intendimus retrahere, sicut ipsa soli Imperio attinere dignoscitur. Statuimus præcipientes, vt nulla persona Ecclesiastica, vel sæcularis, videlicet non Episcopus, non Marchio, nec Comes, nec vllus Consulatus in prædictâ Ecclesiâ, & vniuersis, quæ ad ipsam spectant, præsumat eam aliquâ prorsus violentiâ, seu molestiâ grauare: nec quisquam nomine Fodri, vel collectæ, aut Albergariæ, aut alicuius exactionis audeat de cętero ab eâdem Ecclesiâ, & eius Colonis aliquid repetere, vel auferre. Loca autem, & possessiones prædictæ Ecclesiæ, quas ei nostra auctoritas confirmatas, & sub hac tuitione, & præcepto nostro, securas manere volumus, suis nominibus subscribi dignum, duximus. Castrum Sanctæ Floræ in Podio Turritæ construendum, cum omnibus ad se pertinentibus. Plebem de Quarto, cum suis pertinentijs. Castrum Fontini, cum sua Curiâ. Possessionem, quàm eadem Ecclesia habet, vel habere debet in Curiâ de Pilli. Castrum Rogetini, & Ecclesiam S. Quirici. Ecclesiam Sancti Vincentij de Cortonâ, & quicquid in Cortonâ habet, vel habere debet intus, & extra. Castrum Mugliani, cum suis pertinentijs. Illud quod præfata Ecclesia habet in Curiâ Montagnani. Villam de Maiano. Ecclesiam s. Petri Maioris de Ciuitate Aretij, & Ecclesiam Sancti Gregorij, & Ecclesiam Sancti Laurentini, & Pergentini, & quicquid iuris habet, sibi à nobis concessum in Villâ de Montione. Quaratam. Plebem de Galugnano, & Castrum Galognani, cum suis pertinentiis, Ecclesiam Sancti Thomæ, & Castrum, & Villam de Sexto; & quicquid habet in Curiâ de Marcenâ. Montem Pincoli, & Ecclesiam s. Petri de Falciano, & Ecclesiam s. Felicitatis; Sarnæ Castrum cum suis pertinentijs, & illud quod habet in Castro, & Villâ Focognani. Villam Verazzani, cum suâ Ecclesiâ, Ecclesiam s. Martini de Vrliano. Illud quod habet, & habere debet, in Castro, & in Curte Pollezzani. Insuper ratam habemus permutationem illam, quã idem Cęnobium rationabiliter fecit cũ Priore Camaldulensium, & Abbatiæ Siluæ Mundæ super Ecclesiâ s. Petri, & Piccolo, vnâ cum Hospitali iuxta eamdem Ecclesiam sito, suisque adiacentibus, ipsamque Ecclesiam cum omni iure, & pertinentijs, ipsi Cęnobio s. Floræ confirmamus. Addentes, & confirmantes eidem medietatem Curtis de Octauo, vnâ cum medietate Siluæ de Acuto, & etiam ipsa Curtis posita in Comitatu Aretino intra Plebem S. Petri, qui dicitur Botintoro, sicut Sophia filia quondam Bernardi eidem Cęnobio iustè contradidit, & sicut in publico instrumento inde conscripto continetur. Ad hæc concedimus ipsi Cœnobio benignè omne ius in hominibus in Curte Sanctæ Floræ, & in alijs cohabitantibus, vel habentibus tenimenta, sicut idem Cœnobium dignoscitur iustè habuisse antequam idem Castrum fuisset destructum. Insuper damus ei plenam licentiam, & libertatem, quatenus aquam fluminis Arni deducant, & deriuent ad suas possessiones pro molendinis faciendis, vel alijs vtilibus ædificijs; eo videlicet pacto, & tenore, vt quilibet partem suam habeat, sicut habet in territorio, expensis restitutis. Addimus etiam prædictis omnibus Ecclesiam de Gargonsâ, & quicquid iuris habet idem Cœnobiũ in Castro de Gargonsâ, & in Castro Vicione. Volẽtes, & sancientes, vt ipsi Cœnobio nulla Præscriptio in aliquibus bonis, vel in iure ipsius obijciatur, vel possit obesse, nisi sexaginta annorũ. Hæc itaq. omnia, sicut prænominata sunt, quæ nunc idem Cœnobium

nobium iustè possidet, & in posterum, dante Domino, iusto aquisitionis titulo poterit obtinere, in specialem defensionis nostræ protectionem recipimus, ipsique Cœnobio Sanctæ Floræ in perpetuum confirmamus, saluâ in omnibus Imperiali iustitiâ. Volentes, & præcipientes, quod nulla omnino persona, idem Cœnobium perturbet, vel aliquis in eo, & suis pertinentijs aliquam faciat exactionem, nisi nos ipsi, vel certus missus noster ad hæc fuerit specialiter, & ex nomine destinatus. Quicunque autem contra hoc Maiestatis nostræ constitutum, eidem Cœnobio, vel in bonis, aut rebus, vel personis suis aliquod grauamen, præsumpserit inferre, vel aliquod damnum facere, aut molestiam, sexagintâ libras auri puri pro pœnâ componat, medietatem Cameræ nostræ, & reliquum ipsi Cœnobio passo iniuriam. Ad cuius rei certam in posterum euidentiam, præsentem paginam inde conscribi iussimus, & Maiestatis nostræ sigillo cõmuniri. Huius rei testes sunt Vulfrerus Patriarcha Aquilegiensis Henricus Mantuanus Episcopus Vicarius Curiæ. Gregorius Aretinus Episcopus. Azo Marchio Estensis. Ezzellinus de Triuisiâ. Henricus Mariscalcus de Calendin. Gunzoluinus Dapifer. Albertus Strutius. Passaguerra Monachus, Presbiter Rufinus, Iudices curiæ, & alij quamplures.

Locus sigilli.

Ego Conradus Spirensis Episcopus Imperialis Aulæ Cancellarius vice Domini Theodini Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, & totius Italiæ Archicancellarij recognouit. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. CC.VIII. Indictione xiii. Imperante Domino Ottone Quarto Romanorum Imperatore gloriosissimo Imperij eius primo. Dat. apud Interamnem.xiii. Calend.Ianuar.

## CONSTITVTIO XXV.

### SVMMARIVM.

1218. *Maij.* 15.

### HONORIVS PAPA III.

1 *S.Pauli de Vrbe Monasterium, quod vsitatissimo vocabulo* Sacratissimum *nominat, sub Apostolicæ Sedis tuitione confirmat, eiusdemque Sedis membrum speciale declarat.*

2 *Ordinem Monasticum sub Regula Sancti Benedicti in eodem perpetuò vigere, constituit.*

3 *Bona acquisita, & aquirenda eidem confirmat. Aquisita enumerat.*

4 *Priuilegia, libertates, & immunitates concessas, conualidat.*

5 *Nulli, præterquam Romano Pontifici, subiectum fore, declarat.*

6 *Abbati, Anuli, Sandaliorum, Tunicæ, Dalmaticæ vsum confirmat, atque Pontificalem benedictionem inter Officiorum diuinorum solemnia adstanti populo impertiri posse, constituit.*

7 *Abbati per manus Romani Pontificis in Sacerdotem ordinato, super maius Altare dictæ Basilicæ celebrandi fas esse, decernit.*

8 *Consecrationes Altarium, & Monachorum Ordinationes à quocunque Catholico Episcopo recipere posse, declarat.*

9 *Minores Ordines eidem Abbati, vt possit suis Monachis exhibere, confirmat.*

10 *Paramentorum benedictionem eidem Abbati, vt impertiri possit, indulget.*

11 *Excommunicationem in Abbatem, Monachos, vel sæculares Clericos, Ecclesiarumque Monasterii Rectores, absque Sedis Apostolicæ mandato, minimè ferre, seu ad Synodum vocari posse à quocunque, decernit.*

12 *Clericorum, seu Rectorum in Ecclesiis Monasterij institutionem, & destitutionem ad Abbatem pertinere, statuit.*

13 *Abbatis eiusdem Monasterij electionem, secundum Regulam S.Benedicti, ad eiusdem Cœnobij Monachos pertinere, examinationem verò, ad Romanum Pontificem.*

14 *Abbatis eiusdem electionem, quando in eodem Monasterio non inueniretur idoneus, & ex alio Monasterio esset educendus, ad Summum Pontificem spectare.*

15 *Censum Vini, Verris, & Vaccæ Sedi Apostolicæ exhiberi consuetum remittit; exceptis gratuitis obsequijs, & consuetis Xenijs in Festo Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ.*

16 *Testimonio Monachorum, seu personarum eiusdem Monasterij in proprijs causis, tàm ciuilibus, quam criminalibus, vti posse confirmat.*

17 *Clericos, seu Laycos in Monachos posse recipi, concedit.*

18 *Interdicti tempore Diuina Officia celebrare in Ecclesiis, & locis Monasterij, suppressâ voce, non pulsatis Campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, indulget.*

19 *Centenariâ Præscriptione ad recuperanda propria bona, & iura, eidem Monasterio vti licere, decernit.*

20 *Sepulturam eiusdem Basilicæ liberam esse cuicunque, confirmat.*

21 *Monasterium prædictum in suis iuribus, & bonis perturbare, vel auferre, seu ablata retinere nefas esse, constituit.*

22 *Ecclesiis dicti Monasterij omnimodâ libertate gaudere, plenumq; Ius in eisdem dictum Monasterium habere, saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum in Parochialibus, declarat.*

23 *Diuini iudicij vltionem, & Ecclesiasticam censuram contra inobedientes, & dictæ Constitutioni rebelles, contestatur.*

*Ex Archiu. S.Pauli de Vrbe.*

DOMINO Sancto meritoq; Beato Prædicatori præcipuo, egregioq; Doctori PAVLO Apostolo HONORIVS indignus Eps Seruus Seruorum Dei. Reuerentiæ votum, cum deuotione perenni. Cum aliqua tibi Beatissime PAVLE Vas electionis, & gratiæ Prædicator, per Priuilegij paginâ conferre videmur, nõ nostra cõcedimus, sed tua potius confirmamus; quia bona omnia, quæ habemus, tuis interue-

nien-

nientibus meritis, à Patre luminum, à quo omne datum optimum,& omne donum perfectum, Nos accepisse fatemur; ideoque magis tua reputamus esse, quàm nostrà; & vtinam ita nostra sint tua, vt tua quoque sint nostra; quatinus qui tuum officiũ exequendum suscepimus, ad tuum etiam suscipia-
1 mur consortium obtinendum. 1 SACRATISSIMVM itaque Monasterium,in quo tuum Venerabile Corpus, celebri memoria requiescit, ad ius,& proprietatem Apostolicæ Sedis iure pertinens speciali, ad exemplar fel.rec.Innocentij Papę III.sub Beati Petri,& nostrà protectione suscipimus,& pręsētis scri-
2 pti priuilegio communimus. 2 In primis siquidem statuētes,vt Ordo Monasticus,qui secundũ Deum, & B.Benedicti Regulã in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidē tēporibus inuiolabiliter
3 obseruetur. 3 Præterea quascũq; possessiones,quæcũq; bona, idem Monasterium in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pōtificum, largitione Regum,vel Principum,oblatione fidelium, seu alijs iustis modis,præstante Domino,poterit adipisci, firma semper, & illibata eidē Monasterio perseuerent.In quibus hæc proprijs duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, & Burgum eiusdem, cum Molâ, & alijs possessionibus adiacentibus. Oblationes tam maioris Altaris, quàm Confessionis ipsius,& aliorum Altarium. Sanctum Memnatem cum Terris, & vineis ab vtràque parte viæ Silicinæ, vsque ad Pontem Pissiniani. Centum montes,cum vineis, & pratis iuxtà Cęnobium memoratum. Floranum, cum suis pertinentijs. Trifusam, cum suis pertinentijs. Turrem Ioannis de Petro, cum suis pertinentijs, quæ antiquo nomine appellatur Draconi. Mandram, cum Ecclesiâ, & alijs suis pertinentijs. Ecclesiam Sancti Proculi, cum Gualdo Lapigio, & Squinazello, & alijs suis pertinentijs. Ardeam cum Roccâ suâ,& Turre maiori, & Ecclesiis suis, & aliis pertinentiis. Patricam cum Ecclesiis, & pertinentiis. In Ostien. Ciuitate, Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Salinarum paria septem in Vrbe veteri, & decem paria posita in Abincâ, & paria duo posita in eodē territorio, cum casâ, massaritiâ, suisque mancipiis. Castrum Decimi, cum Ecclesiis suis, & fila salinarum in Campo maiori, & apud Ostiam. Item Monasterium Sancti Clementis cum villâ suâ. Castrũ Fusimgnanum,cum suis pertinentiis. Possessiones in Ciuitate Velletri,cum Ecclesiâ Sanctæ Mariæ,ac Cellulis suis. Turrem positam in Terenzenello Lucembrucæ cum suis pertinentijs. Possessiones in Aritiâ cum vineis, hortis, & tenimentis, & molis. In Albano Cellam S.Nicolai,& Cellam Sanctæ Mariæ Minoris,& totum Palatium cum suis Ecclesijs, & pertinentijs. Castellionem cum suis pertinentijs. Tertiam partem Laci Caprulaci. Valeranũ, & Casam nouam cum suis pertinētijs. Castrũ Osę. Castrum Longitiæ. Sanctum Iulianum. Sanctum Victorinum. Corcurolum. Medietatem Laci Borani. Passaranum, cum omnibus ad prædicta Castra pertinentibus. Ecclesiam Sancti Laurentii sub Columpna, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Olineto, cum omnibus Ecclesiis suprascriptorum Castrorum intus, & extra. Casam in Anagniâ, cum omnibus possessionibus, præfato Monasterio ibidem collatis, Sextam partem in Castellari de Fusignan. in Ciuitate Tiburtin. Ecclesiam Sanctæ Agathæ, & Molas duas in Comnte, & vnam in Vesta, & vnam in Forma ad Portam obscuram,& vineas, oliueta, & alias possessiones. Montem Albanum,



cum omnibus tenimentis ipsius. Podium Sancti Sixti, Castrum Numentanę, & Sanctum Primum, & alias Ecclesias,& Cryptam Marozam, cum omnibus ad suprascripta Castra, vel loca pertinentibus. Item Marcellinum,& Podium Cariben. Montemsanalem, & Castrum Sancti Poli, cum omnibus ad præscripta Castra pertinentibus. Monasteriũ S. Mariæ Montis Armensis, cum cellulis suis, tenimentis, & omnibus pertinentiis. Ecclesiam Sancti Gregorii de Sublone, cum pertinentiis suis. Sanctam Mariam in Casis,cum Giratâ idest Piscariâ in Fucino. Sanctum Leonardum super in Cartorâ,cũ Cellulis, Villis, & molis, & aliis pertinentiis. In Amiterno Hospitale de Casas. In solo Sabinensi quartam partem Castri Pozi. In Ciuitate Interampnensi,Ecclesiam Sancti Petri Recani,& Ecclesiam Sancti Laurentii. Ad pedem Cesæ, Hospitale Apostolorum Iacobi, & Bartholomæi. In Ciuitate Tudertin. Monasterium Sanctæ Margaritæ, cum suis pertinentiis. Apud Strunconē Ecclesiam Sancti Antimi,cum omnibus possessionibus,quę fueruntGuidonis de Sancto Antimo. In Comitatu Narniensi, medietatem Castri Sancti Vrbani. Apud Ameliam Hospitale Sancti Iacobi de Reddere. Ecclesiam Sancti Magni in Ponte, & Ecclesiam Sancti Cataldi prope Castrum Torani, cum eorum pertinentiis. In Ciuitate Castellanâ domos, & possessiones, quæ fuerũt Raynaldi Guideruldi,cũ Ecclesiis S.Eutichii intus,& Sancti Ioannis extra. Ecclesiam Sancti Stephani cum Castello, & Burgo suo iuxta Ciuitatē Sutrinam,cũ omnibus pertinentiis,& vtilitatibus suis.Castrũ S. Seueræ,cum Ecclesia, & pertinētijs suis,& Monasteriũ S.Benedicti Nepesini, positum in Pentoma,& Massam quę vocatur Vlmetũ, & massam quæ vocatur Maiana posita in territorio Nepesino,& quidquid habet à Ponte Nepesino vsq; ad Montem Rosolum,& lacũ qui vocatur Ianula. Castrum Bacchariciç,cum Ecclesiâ S.Christinæ, & aliis Ecclesiis,& pertinentijs suis.Castrum Leprinianni,cum suis Ecclesijs,& pertinētijs. Flagianum,cum suis pertinentijs.Ciuitatē Colorum, cũ suis Ecclesijs,& pertinentijs.Ciuitatem Stertinianam, cũ Ecclesiâ S. Ioannis, & Lacu, & suis pertinentijs. In Episcopatu Narniensi Ecclesiam Sancti Nicolai dę Monte Masclario. Castrum Raiani, cum suis pertinentijs,& Castellum nouum,& Castrum Formelli. Ecclesiã Sancti Benigni, cum pertinentijs suis. Hospitale de Raio, cum pertinentijs suis. Ecclesiam Sancti Angeli de Scholeâ, cum pertinentijs suis. Medietatem totius fundi Valerani, cum medietate Turris,& Castellaris, & omnibus pertinētijs suis. Ecclesiam Sancti Leonis de Lepriniano, cum suis pertinentiis.Castrum quod vocatur Morlupum cum suis pertinentijs. Ecclesiam S.Laurentij extra Castrum Ciuitellæ, cum suis pertinentijs. Romæ Ecclesiam Sancti Nicolai de Formâ. Ecclesiam Sancti Sergij in Suburâ. Piscarias in Flumine, in loco qui dicitur Marmoratâ, Anditũ, Domnicam, & Postam, & alias in eodem Flumine subtus Romam. Pensiones,& Hortos, & omnia quæ intra Vrbem, & extra idem Monasterium noscitur obti-
4 nere. 4 Ad hæc libertates, & immunitates eidem Monasterio à prædecessoribus nostris indultas; rationabiles quoque consuetudines hactenus obser-
5 uatas auctoritate Apostolicâ confirmamus. 5 Statuimus insuper, vt præfatum Monasterium, nulli prorsus in aliquo,nisi Romano tantum Pontifici sit subiectum; nec ibi aliquis, præter eum, quamlibet iurisdictionem exerceat, aut aliquam vendicet po-
6 testatem. 6 Abbati verò ipsius Venerabilis loci, præsentis

ſentis priuilegij auctoritate, concedimus, vt ad ho-
norem,& laudem Altiſſimi,cum Mitrâ, & Anulo,
Sandalijs, Tunicâ, Dalmaticâ Miſſarum ſolemnia
pro tuæ celebret reuerentiâ Sanctitatis, & aſtanti
7 Clero, ac Populo benedicat. 7 Ita quidem,vt ſi
per manus Romani Pontificis in Sacerdotem fue-
rit ordinatus, ſuper maius Altare licentiam habeat
8 celebrandi.8 Conſecrationes autem Altarium, &
ordinationes Monachorum, qui ad Sacros Ordines
fuerint promouendi à quocunque maluerint Ab-
bas,& Monachi eiuſdem Cœnobij,Catholico dum-
taxat, Epiſcopo, Apoſtolicâ freti auctoritate ſuſci-
piant;quas ſine difficultate,ac prauitate præcipimus
9 exhiberi. 9 Minores autem Ordines Monachis ſuis
idem Abbas, dummodo ſit Presbyter, de noſtrâ po-
10 terit Indulgentiâ,cum neceſſe fuerit,exhibere. 10
Cui benedicendi etiam indumenta, quæ ad vſum
Altaris in eodem Monaſterio fuerint neceſſaria
11 concedimus poteſtatem. 11 Interdicimus quoque
præſenti decreto, vt nullus omnino ſine ſpeciali
mandato Romani Pontificis in Abbatem, & Mo-
nachos eiuſdem Cœnobij, & in eo commorantes,
ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam
promulgare,vel eos ad Synodum vocare præſumat.
12 12 Sed neque Clericos, præſertim Oblatos, in illis
Eccleſijs permanentes,in quibus non ad Epiſcopos,
ſed ad ipſum Abbatem inſtitutio, & deſtitutio, ac
correctio dignoſcitur pertinere. Quod ſi quiſ-
quam in eos huiuſmodi ſententias promulgaret, il-
13 las decernimus irritas,& inanes. 13 Obeunte verò
eiuſdem loci Abbate,nullus ibi quâlibet aſtutiâ, ſeu
violentiâ præponatur; niſi quem Fratres communi
cōſenſu, vel Fratrum pars maior, cōſilij ſanioris,ſe-
cundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regu-
lam de ipsâ Congregatione, ſi tamen in eâ per exa-
minationem Romani Pontificis reperiatur ido-
14 neus, duxerint eligendum. 14 Si verò, quod abſit,
in eodem Monaſterio non poſſit quiſquam idoneus
reperiri,tunc Romanus Pontifex de aliâ Congrega-
tione,præfato Monaſterio perſonam idoneam præ-
15 ficiat in Abbatem. 15 Præterea felicis recorda-
tionis Gregorii PP.V. prædeceſſoris noſtri veſtigiis
inhærentes,remittimus Monaſterio memorato de-
bitū,Vini,Verris, & Vaccæ,quod antiquis tempori-
bus prædeceſſoribus noſtris conſueuerat exhiberi;
ſalutis gratuitis obſequiis, & conſuetis exeniis, quæ
in Feſto Natiuitatis, & Reſurrectionis Dominicæ,
16 Apoſtolicæ Sedi debent annuatim impendi. 16 Li-
ceat quoque Abbati,& Conuentui Monaſterii me-
morati, Fratrum ſuorum teſtimoniis in propriis
cauſis vti, ſiue Ciuilem, ſiue Criminalem conti-
neant quæſtionem; ne prò defectu teſtium, ius eo-
17 rum valeat deperire. 17 Clericos etiam,ſiue Lay-
cos liberos,& abſolutos è ſeculo fugientes licitè ad
conuerſionem recipiant, & eos abſque aliquâ con-
18 tradictione retineant. 18 Cum autem generale
fuerit Interdictum, licitum ſit eiſdem vbicunque
manētibus,excluſis excommunicatis, & interdictis,
ſuppreſſâ voce, non pulſatis campanis,Diuina officia
19 celebrare. 19 Cæterum, cum idem Monaſterium
ſpeciale membrum Apoſtolicæ Sedis, & propria
Romani Pontificis Sedes exiſtat;ſtatuimus, & ſan-
cimus,vt ſicut contra Romanam Eccleſiam nō,niſi
Centenaria currit Præſcriptio, ſecundum conſtitu-
tiones canonicas,& legitimas ſanctiones; ita, quoq;
præfato Monaſterio minoris temporis Præſcriptio
20 non obſiſtat. 20 Sepulturam quoque ipſius loci
liberam eſſe decernimus,vt eorum deuotioni,& ex-
tremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint,
niſi fortè excommunicati,vel interdicti ſint, nullus
obſiſtat; Saluâ tamen iuſtitiâ illarum Eccleſiarum
à quibus aſſumpta fuerint corpora mortuorum.
21 21 Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum
liceat præfatum Monaſterium temerè, perturbare,
aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retine-
re, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare;
ſed omnia integra cōſeruentur eorum,pro quorum
gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt,vſi-
22 bus omnimodis profutura. 22 Saluâ Sedis Apo-
ſtolicæ auctoritate, ac in Parochialibus Eccleſiis
Diœceſanorum Epiſcoporum iuſtitiâ conſuetâ;illis
exceptis, in quibus plenum ius idem Monaſterium
23 hactenus dignoſcitur habuiſſe. 23 Si qua igitur in
futurum Eccleſiaſtica, ſecularisque perſona hanc
noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam
venire tentauerit ſecundo,tertioue commonita; niſi
reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, po-
teſtatis,honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe
Diuino iudicio exiſtere de perpetratâ iniquitate co-
gnoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore, ac Sanguine
Dei, & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti
aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vl-
tioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iu-
ra ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti;
quatenus,& hic fructum bonæ actionis percipiant,
& apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis
inueniant. Amen.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Raynerij S. Romanæ Eccleſiæ ViceCancellarij idibus Maij, indictione octauâ, Incarnationis Dominicæ Anno milleſimo ducenteſimo octauo decimo. Pontificatus vero Domini Honorij Papæ tertij anno ſecundo.

## CONSTITVTIO XXVI.

### SVMMARIVM.

1219. Feb. 16.

### HONORIVS PAPA III.

*Mitræ vſum concedit Abbati Monaſterij S. Benedicti de Padolyrone.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padol. Arm. I. Capſ. Q num. 18.*

HONORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Azoni Abbati S. Benedicti ſuper Padum Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad hoc in Eccleſiâ Dei viſibilis eſt Sacramentorum ſpecies inſtituta, vt per exteriora, quæ cernimus,ad interiora,quæ intelligimus tranſmittamur. Inter cæteros ſiquidem Sacramentales ornatus Prælatorum Eccleſiæ Mitra conceditur; quæ cum in capite deferatur, in quo viget ſenſuum plenitudo, per viſibilem ſpeciem Prælatus iugiter admonetur,vt caput noſtrum,qui Chriſtus eſt humiliter reuerendo, ad ipſum actus dirigat vniuerſos; cum ſit bonorum omnium ipſe dator. Cum igitur Monaſterium S.Benedicti ſupra Padum, quod Romanam Eccleſiam nullo reſpicit mediante, ſincerâ diligamus in Domino charitate. Volentes ipſum in te alicuius dignitatis priuilegio decorare, vt & Eccleſiæ Romanæ magis exiſtas obnoxius,& deuotus, & fortius, ac efficacius regimini cōmiſſi tibi Monaſterij debeas imminere, vſum Mitræ tibi, & ſucceſſoribus tuis de benignitate Sedis Apoſtolicæ indulgemus.Nulli ergo &c. Si quis autem &c.Dat. Laterani 13.Cal.Martij Pontificatus noſtri anno 3.

## CONSTITVTIO XXVII.

SVMMARIVM.

1222. Iuly 26.

HONORIVS PAPA III.

*Concedit vsum Annuli, ad fauorem Abbatis Sancti Benedicti de Padolyrone.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone Armar. I. Capſ. Q. n. 20.*

HONORIVS Eps Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Abbati Sancti Benedicti ſuper Padum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Deuotioni tuæ de ſolitâ gratificari gratiâ cupientes, tibi ſuper eo, quod gratum eſt, benignum impertimur aſſenſum, & quod ſpeciale fore dinoſcitur, non negamus. Quare tuis inclinantes ſupplicationibus aures noſtras, perſonæ tuæ de gratiâ duximus ſingulari, vſum Anuli concedendum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani vii. Calendas Auguſti Pontificatus noſtri Anno ſexto.

## CONSTITVTIO XXVIII.

SVMMARIVM.

1225. Dec. 7.

HONORIVS PAPA III.

*Diuina Officia ſubmiſſâ voce, Interdicti tempore, celebrare concedit Monaſterio S. Petri de Peruſia.*

*Ex Arch. S. Petri Peruſin.*

HONORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monaſterij Sancti Petri Peruſini ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Eo libentius petitionibus veſtris annuimus, quo euidentiùs pro ſpirituali, non autem pro temporali commodo fieri dinoſcuntur, & vos, ac Monaſterium veſtrum ad nos ſpecialius noſcimini pertinere. Quapropter veſtris pijs ſupplicationibus annuentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, vt cum generale Interdictum Terræ fuerit, liceat vobis clauſis ianuis, excommunicatis, & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce Diuina Officia celebrare; niſi forte vos cauſam dederitis Interdicto, vel vobis hoc ipſum expreſsè contigerit interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani, ſeptimo Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno nono.

## CONSTITVTIO XXIX.

SVMMARIVM.

1233. Sept. 10.

GREGORIVS PAPA IX.

*Vaſſallos Monaſterij Sublacenſis, ſeu eiuſdem Monaſterij Emphiteutas, vel bonorum laboratores, de eiuſdem Monaſterij bonis proprias filias dotare poſſe, abſque dicti Monaſterij facultate, prohibet.*

*Ex Arch. Sublacenſi.*

GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Sublacenſi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter alias ſollicitudines quibus iugiter occupamur, potiſſimum debemus Eccleſiarũ vtilitatibus, & earum maximè, quę ad Nos ſpecialiter pertinent prouidere. Eapropter dilecti in Domino filij, veſtris poſtulationibus annuentes, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne homines Terræ Monaſterij Sublacen. contra approbatam ipſius conſuetudinem, abſque mandato Abbatis, qui pro tempore fuerit, filias ſuas dotare præſumant de bonis immobilibus, quæ tenent à Monaſterio memorato. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Anagnię 4. Idus Sept. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

## CONSTITVTIO XXX.

SVMMARIVM.

1236 Feb. 25.

GREGORIVS PAPA IX.

1 *S. Pauli de Vrbe Monaſterium, quod vſitatiſſimo vocabulo* Sacratiſſimum *nominat, ſub Apoſtolicæ Sedis tuitione confirmat, eiuſdemque membrum ſpeciale, declarat.*
2 *Ordinem Monaſticum ſub Regulâ S. Benedicti in eodem Monaſterio perpetuò vigere conſtituit.*
3 *Bona aquiſita, & aquirenda eidem, confirmat. Aquiſita enumerat.*
4 *Priuilegia, libertates, & immunitates conceſſas conualidat.*
5 *Nulli præterquam Romano Pontifici ſubiectum fore, declarat.*
6 *Abbati, Anuli, Sandaliorum, Tunicæ, Dalmaticæ vſum confirmat, atque Pontificalem benedictionem inter Officiorum Diuinorum ſolemnia, adſtanti populo, impertiri poſſe recenſet.*
7 *Abbati per manus Pontificis in Sacerdotem ordinato ſuper maius Altare dictæ Baſilicæ, celebrandi fas eſſe confirmat.*
8 *Conſecrationes Altarium, &* Monachorum *Ordinatio-*

tiones à quocunque Catholico Episcopo recipi posse, declarat.

9 Minores Ordines eidem Abbati, vt possit suis Monachis exhibere, confirmat.

10 Paramentorum benedictionem eidem Abbati, confirmat.

11 Excommunicationem in Abbatem, Monachos, vel sæculares Clericos, Ecclesiarumque Monasterii Rectores, absque Sedis Apostolicæ mandato, minimè ferri, seu ad Synodum vocari posse à quocumque, decernit.

12 Clericorum, seu Rectorum in Ecclesiis Monasterij institutionem, & destitutionem ad Abbatem pertinere, statuit.

13 Abbatis eiusdem Monasterij electionem, secundum Regulam S. Benedicti, ad eiusdem Cœnobij Monachos pertinere, examinationem verò, ad Romanum Pontificem.

14 Abbatis eiusdem electionem, quando in eodem Monasterio non inueniretur idoneus, & ex alio Monasterio esset educendus, ad Summum Pontificem spectare.

15 Censum Vini, Verris, & Vaccæ Sedi Apostolicæ exhiberi consuetum remittit; exceptis gratuitis obsequijs, & consuetis Xenijs in Festo Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ.

16 Testimonio Monachorum, seu personarum eiusdem Monasterij in proprijs causis, tàm ciuilibus, quam criminalibus, vti posse confirmat.

17 Clericos, seu Laycos in Monachos posse recipi, concedit.

18 Interdicti tempore Diuina Officia celebrare in Ecclesiis, & locis Monasterij, suppressâ voce, non pulsatis Campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, indulget.

19 Centenariâ Præscriptione ad recuperanda propria bona, & iura, eidem Monasterio vti licere, decernit.

20 Sepulturam eiusdem Basilicæ liberam esse cuicumque, confirmat.

21 Monasterium prædictum in suis iuribus, & bonis perturbare, vel auferre, seu ablata retinere nefas esse, constituit.

22 Ecclesias dicti Monasterij omnimodâ libertate gaudere, plenumq; Ius in eisdem dictum Monasterium habere, saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum in Parochialibus Ecclesijs.

23 Diuini iudicij vltionem, & Ecclesiasticam censuram contra inobedientes, & dictæ Constitutioni rebelles, contestatur.

*Ex Arch. S. Pauli de Vrbe.*

DOMINO Sancto, meritoque Beato Prædicatori præcipuo, egregioque Doctori PAVLO Apostolo. GREGORIVS indignus Episcopus Seruus Seruorũ Dei, reuerentiæ votum, cum deuotione perẽni. Cũ aliquã tibi Beatissime PAVLE vas electionis, & gratiæ prędicator, per priuilegij paginam conferri videmur; non nostra concedimus, sed tua potius confirmamus; quia bona omnia, quæ habemus, tuis interueniẽtibus meritis, à Patre lumin[illegible], à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum Nos accepisse fatemur; ideoque magis tua reputamus esse, quam nostrâ; & vtinam sint tua, vt tua quoque sint nostra; quatenus qui tuum officium exequendum suscepimus, ad tuum etiam suscipiamur consortium obtinendum.

1 I SACRATISSIMVM itaq. Monasterium, in quo tuũ Venerabile Corpus, celebri memoriâ, requiescit, ad ius, & proprietatem Apostolicæ Sedis iure pertinens speciali, ad exemplar fel. rec. Innocẽtij, & Honorij Pontificũ Romanorũ sub Beati Petri, & Nostrâ protectione suscipimus, & præsẽtis scripti priui-

2 legio cõmunimus. 2 In primis siquidem statuẽtes, vt Ordo Monasticus, qui secundũ Deũ, & B. Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obser-

3 uetur. 3 Præterea quascũq; possessiones, quæcunq; bona, idem Monasteriũ in præsentiarũ rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificũ, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma semper & illibata eidẽ Monasterio perseuerent. In quibus hæc proprijs duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, & Burgum eiusdem, cum Molâ, & alijs possessionibus adiacentibus. Oblationes, tam maioris Altaris, quàm Confessionis ipsius, & aliorum Altarium. Sanctum Memnatem cum Terris, & vineis ab vtrâque parte viæ Silicinæ, vsque ad Pontem Pissiniani. Centum montes, cum vineis, & pratis iuxtà Cęnobium memoratum. Floranum, cum suis pertinentijs. Trifusam, cum suis pertinentijs. Turrem Ioannis de Petro, cum suis pertinentijs, quæ antiquo nomine appellatur Draconi. Mandram, cum Ecclesiâ, & alijs suis pertinentijs. Ecclesiam Sancti Proculi, cum Gualdo Lapigio, & Squinazello, & alijs suis pertinentijs. Ardeam cum Roccâ suâ, & Turre maiori, & Ecclesiis suis, & aliis pertinentiis. Patricam cum Ecclesiis, & pertinentiis. In Ostien. Ciuitate, Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Salinarum paria septem in Vrbe veteri, & decem paria posita in Abineâ, & paria duo posita in eodẽ territorio, cum casâ, massaritiâ, suisque mancipiis. Castrum Decimi, cum Ecclesiis suis, & fila salinarum in Campo maiori, & apud Ostiam. Item Monasterium Sancti Clementis cum villâ suâ. Castrũ Fusumgnanum, cum suis pertinentiis. Possessiones in Ciuitate Velletri, cum Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, ac Cellulis suis. Turrem positam in Terenzenello Lucembrucæ cum suis pertinentijs. Possessiones in Ariciâ cum vineis, hortis, & tenimentis, & molis. In Albano Cellam S. Nicolai, & Cellam Sanctæ Mariæ Minoris, & totum Palatium cum suis Ecclesijs, & pertinentijs. Castellionem cum suis pertinentijs. Tertiam partem Laci Caprulaci, Valeranũ & Casam nouam cum suis pertinẽtijs. Castrũ Ose. Castrum Longitiæ. S. Iulianum. S. Victorinum. Corcurolum. Medietatem Laci Borani. Passaranũ, & Montem Porculũ, cum omnibus ad prędicta Castra pertinentibus. Ecclesiam Sancti Laurentii sub Columnâ, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Olineto, cum omnibus Ecclesiis suprascriptorum Castrorum intus, & extra. Casam in Anagniâ, cum omnibus possessionibus, præfato Monasterio ibidem collatis, Sextam partem in Castellari de Fusignan. in Ciuitate Tiburtin. Ecclesiam Sanctæ Agathæ, & Molas duas in Cornute, & vnam in Vestâ, & vnam in Formâ ad Portam obscuram, & vineas, oli-

olīueta, & alias possessiones. Montem Albanum, cum omnibus tenimentis ipsius. Podium Sancti Sixti, Castrum Numentanę, & Sanctum Primum, & alias Ecclesias,& Cryptam Marozam, cum omnibus ad suprascripta Castra, vel loca pertinentibus. Item Marcellinum,& Podium Cariben.Montem fatualem,&Castrum S.Poli,cū omnibus ad pręscripta Castra pertinentibus.Monasteriū S. Mariæ Montis Dominici, cū suis Ecclesiis, & pertinentiis, in Marsiâ.Eremū S.Mariæ Montis Armensis, cum cellulis suis,tenimentis, & omnibus pertinentiis.Ecclesiam S.Gregorii de Sublone,cum pertinātiis suis. Sanctam Mariā in Casis, cū Giratâ idest Piscariâ in Fucino. Sanctum Leonardum supra in Cartorâ,cū Cellulis, Villis, & molis, & aliis pertinentiis. In Amiterno Hospitale de Casas. In solo Sabinensi quartam partem Castri Pozi. In Ciuitate Interampnensi,Ecclesiam Sancti Petri Recani,& Ecclesiam Sancti Laurentii. Ad pedem Cesæ, Hospitale Apostolorum Iacobi, & Bartholomæi. In Ciuitate Tudertin. Monasterium Sanctæ Margaritæ, cum suis pertinentiis. Apud Struncone Ecclesiam Sancti Antimi,cum omnibus possessionibus,quę fueruntGuidonis de Sancto Antimo. In Comitatu Narniensi, medietatem Castri Sancti Vrbani. Apud Ameliam Hospitale Sancti Iacobi de Reddere. Ecclesiam Sancti Magni in Ponte, & Ecclesiam Sancti Cataldi prope Castrum Torani, cum eorum pertinentiis. In Ciuitate Castellanâ domos, & possessiones, quæ fuerūt Raynaldi Guideruldi,cū Ecclesiis S.Eutichii intus,& Sancti Ioannis extra. Ecclesiam Sancti Stephani cum Castello, & Burgo suo iuxta Ciuitatē Sutrinam,cū omnibus pertinentiis,& vtilitatibus suis. Monasterium S.Benedicti Nepesini, positum in Pentomâ,& Massam quę vocatur Vlmetū, & Massam quæ vocatur Maiana posita in territorio Nepesino,& quidquid habet à Ponte Nepesino vsq; ad Montem Rosolum,& Lacū qui vocatur Ianula. Castrum Bacchariciç,cum Ecclesiâ S.Christinæ, & aliis Ecclesiis,& pertinentijs suis. Castrum Leprininiani,cum suis Ecclesijs,& pertinētijs. Flagianum,cum suis pertinentijs. Ciuitatē Colorum, cū suis Ecclesijs,& pertinentijs. Ciuitatem Stertinianam, cū Ecclesiâ S. Ioannis, & Lacu, & suis pertinentijs. In Episcopatu Narniensi Ecclesiam Sancti Nicolai de Monte Masclario. Castrum Raiani, cum suis pertinentijs,& Castellum nouum,& Castrum Formelli. Ecclesiā S.Angeli de Scholeâ, cum pertinentijs suis. Medietatem totius fundi Valerani, cum medietate Turris,& Castellaris, & omnibus pertinētijs suis. Ecclesiam Sancti Leonis de Lepriniano, cum suis pertinentiis. Castrum quod vocatur Morlupum cum suis pertinentijs. Ecclesiam S.Laurentij extra Castrum Ciuitellæ, cum suis pertinentijs. Romæ Ecclesiam Sancti Nicolai de Formâ. Ecclesiam Sancti Sergij in Suburâ. Piscarias in Flumine, in loco qui dicitur Marmoratâ, Anditū, Domnicam, & Postant, & alias in eodem Flumine subtus Romam. Pensiones,& Hortos & omnia quæ intra Vrbem, & extra idem Monasterium noscitur obti-
4 nere. 4 Ad hæc libertates, & immunitates eidem Monasterio à prædecessoribus nostris indultas; rationabiles quoque consuetudines hactenus obser-
5 uatas auctoritate Apostolicâ confirmamus. 5 Statuimus insuper, vt præfatum Monasterium, nulli prorsus in aliquo,nisi Romano tantum Pontifici sit subiectum; nec ibi aliquis, præter eum, quamlibet iurisdictionem exerceat, aut aliquam vendicet po-
6 testatem. 6 Abbati verò ipsius Venerabilis loci, præsentis priuilegij auctoritate, concedimus, vt ad honorem,& laudem Altissimi,cum Mitrâ, & Anulo, Sandalijs, Tunicâ, Dalmaticâ Missarum solemnia pro tuæ celebret reuerentiâ Sanctitatis, & astanti
7 Clero, ac Populo benedicat. 7 Ita quidem,vt si per manus Romani Pontificis in Sacerdotem fuerit ordinatus, super maius Altare licentiam habeat
8 celebrandi. 8 Consecrationes autem Altarium, & ordinationes Monachorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promouendi à quocunque maluerint Abbas,& Monachi eiusdem Cœnobij,Catholico dumtaxat, Episcopo, Apostolicâ freti auctoritate suscipiant;quas sine difficultate,ac prauitate pręcipimus
9 exhiberi. 9 Minores autem Ordines Monachis suis idem Abbas, dummodo sit Presbyter, de nostrâ po-
10 terit Indulgentiâ,cum necessè fuerit,exhibere. 10 Cui benedicendi etiam indumenta, quæ ad vsum Altaris in eodem Monasterio fuerint necessaria
11 concedimus potestatem. 11 Interdicimus quoque præsenti decreto, vt nullus omnino, sine speciali mandato Romani Pontificis in Abbatem, & Monachos eiusdem Cœnobij, & in eo commorantes, suspensionis, vel excommunicationis sententiam promulgare,vel eos ad Synodum vocare præsumat.
12 12 Sed neque Clericos, præsertim Oblatos, in illis Ecclesijs permanentes,in quibus non ad Episcopos, sed ad ipsum Abbatem institutio, & destitutio, ac correctio dignoscitur pertinere. Quod si quisquam in eos huiusmodi sententias promulgaret, il-
13 las decernimus irritas,& inanes. 13 Obeunte verò eiusdem loci Abbate,nullus ibi quâlibet astutiâ, seu violentiâ præponatur; nisi quem Fratres communi cōsensu, vel Fratrum pars maior, cōsilij sanioris,secundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam de ipsâ Congregatione, si tamen in eâ per examinationem Romani Pontificis reperiatur ido-
14 neus, duxerint eligendum. 14 Si verò, quod absit, in eodem Monasterio non possit quisquam idoneus reperiri;tunc Romanus Pontifex de aliâ Congregatione,præfato Monasterio personam idoneam præ-
15 ficiat in Abbatem. 15 Præterea fel. rec. Gregorii, & Honorij, prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes,remittimus Monasterio memorato debitū,Vini,Verris, & Vaccæ,quod antiquis temporibus prædecessoribus nostris consueuerat exhiberi; saluis gratuitis obsequiis, & consuetis exeniis, quæ in Festo Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ,
16 Apostolicæ Sedi debent annuatim impendi. 16 Liceat quoque Abbati, & Conuentui Monasterij memorati, Fratrum suorum testimoniis in proprijs causis vti, siue Ciuilem, siue Criminalem contineant quæstionem; ne pro defectu testium, ius eo-
17 rum valeat deperire. 17 Clericos etiam,siue Laycos liberos,& absolutos è seculo fugientes licitè ad conuersionem recipiant, & eos absque aliqua con-
18 tradictione retentent. 18 Cum autem generale fuerit Interdictum, licitum sit eisdem vbicunque manētibus,exclusis excommunicatis, & interdictis, suppressâ voce, non pulsatis campanis,Diuina officia
19 celebrare. 19 Cæterum, cum idem Monasterium speciale membrum Apostolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis Sedes existat;statuimus, & sancimus,vt sicut contra Romanam Ecclesiam nō,nisi Centenaria currit Præscriptio, secundum constitutiones canonicas,& legitimas sanctiones; ita, quoq; præfato Monasterio minoris temporis Præscriptio
20 non obsistat. 20 Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus,vt eorum deuotioni,& extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati,vel interdicti,aut etiā publici vsurarij sint,nullus obsistat;Saluâ tamē iustitiâ illa-

illarum Ecclesiarum, à quibus assumpta fuerint cor-
21 pora mortuorũ. 21 Decernimus ergo, vt nulli omninò hominũ liceat præfatũ Monasteriũ temerè, perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra cõseruentur eorum, pro quorũ gubernatione, ac substentatione concessa sunt, vsi-
22 bus omnimodis profutura. 22 Saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, ac in Parochialibus Ecclesiis Diœcesanorum Episcoporum iustitiâ consuetâ; illis exceptis, in quibus plenum ius idem Monasterium
23 hactenus dignoscitur habuisse. 23 Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisque persona hanc nostræ constitutionis paginã sciens, contra eã temerè venire tentauerit, secundo, tertioue commonita; nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

*Signum Gregorij Papæ IX.*

FAC MECUM DOMINE SIGNVM IN BONVM.

SANCTVS PETRVS. SANCTVS PAVLVS.

GREGORIVS PAPA IX.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ioannes Sabinensis Episcopus. Ego Iacobus Tusculanus Episcopus. Ego Raynaldus Ostiensis, & Velletrensis Episcopus. Ego Iacobus Prænestinus Eps. Ego Thomas Titul. S. Sabinæ Præsbyter Cardin. Ego Ioannes Tit. S. Praxedis Præsbyter Card. Ego Guifredus Tit. S. Marci Præsbyter Cardin. Ego Guinibaldus Tit. S. Laurentij in Lucina Præsbyter Cardin. Ego Raynerius S. Mariæ in Cosinedin Diaconus Cardin. Ego Petrus S. Georgij ad Velum aureum Diac. Cardin. Ego Otto S. Nicolai in Carcere Tulliano. Diac. Cardin. Datum Viterbij per manum Magistri Guillelmi S. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij v. Calendas Martij Indictione viij. Incarnationis Dominicæ Anno MCCXXXVI. Gregorij IX. Papæ Anno Nono.

## CONSTITVTIO XXXI.

*SVMMARIVM.*

1244. *Sept.* 13.

## INNOCENTIVS PAPA IV.

*Eximit Monasterium S. Mariæ de Florentiâ à conferendis proprijs Ecclesijs, seu Beneficijs, etiam per literas Sedis Apostolicæ, vel eius Legatorum; nisi præsenti indulto derogauerint expressè.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. III lib. 75. fol. 17.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij S. Mariæ de Florentiâ Ordinis S. Benedicti. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum Monasterium vestrum, sicut accepimus, graui prematur onere debitorum; Nos indemnitati eiusdem volentes specialis gratiæ remedio subuenire, vestris precibus inclinati, vt ad prouidendum aliquibus in Beneficijs, vel Pensionibus per Nostras litteras, vel Legatorum nostrorum; nisi de Indulgentiâ præsenti plenam fecerint mentionem, compelli de cætero non possitis, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni Idus Septembris Pontificatus nostri, Anno tertio.

## CONSTITVTIO XXXII.

*SVMMARIVM.*

1250. *Martij* 1.

## INNOCENTIVS PAPA IV.

*Confirmat facultatem vtendi Mitrâ, & Baculo Pastorali, & concedit vsum Anuli, Chirotecarum, Tunicæ, Dalmaticæ, Sandaliorum, & Caligarum ad fauorem Abbati Monasterij S. Benedicti de Padolyrone.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padolyrone Arm. I. Caps. Q. nu. 25.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui S. Benedicti supra Padum Ordinis S. Benedicti Mantuanæ Diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt pulchra, & decora filia Hierusalem fidelibus, & terribilis infidelibus appareat, vt castrorum acies ordinata Ecclesia, varijs insignitur titulis dignitatum, per quos, tamquam ornata monilibus, & circumdata varietate, illustrium virtutum exhibet maiestatem; & quod tandem in re habebit, in spe gerere se ostendens, veritatem indicat per figuram. Quare Sedes Apostolica Mater Ecclesiarum omnium, & magistra, Ecclesias alias, tamquam adolescentulas, suis honorum insignibus libenter adornat pro meritis singularum; sperans, vt ornatæ, tanto se immaculatas diligentius studeant conseruare, quanto propensius tenentur diligere decus proprium, & decorem. Cum igitur sicut ex parte vestrâ fuit propositum coram nobis, vsus Mitræ, & Baculi Pastoralis Abbati, qui pro tempore in Monasterio vestro fuerit, à Sede Apostolicâ sit concessus, Nos volentes vobis gratiam facere pleniorem, tibi fili Abbas, & successoribus tuis in perpetuum vtendi Anulo, Chyrothecis, Tunicâ, Dalmaticâ, Sandalijs, & Caligis plenam concedimus, auctoritate præsentium, facultatem. Adijcientes, etiam, quod solemnem benedictionem conferre valeas; dummodo ibi præsens Episcopus, vel Legatus Sedis Apostolicæ non existat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni Calendas Martij. Pontificatus nostri Anno septimo.

CON-

## CONSTITVTIO XXXIII.

SVMMARIVM.

1251.Dec.18.

INNOCENTIVS PAPA IV.

*Facultatem conferendi primam Tonsuram, & Ordines minores Monachis, & Clericis Monasterio S. Benedicti de Padolyrone subiectis concedit Abbatibus dicti Monasterij.*

*Ex Arch. S.Ben.de Padolyrone Arm.I. Caps. Q.n.26.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Abbati Monasterij Sancti Benedicti supra Padum, Ordinis S. Benedicti, Mantuanæ Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi vniuersis Ecclesiarum Prælatis exhibeamus Nos fauorabiles, & benignos; illos tamen volumus propensius honorare, quos in Apostolicæ Sedis negotijs promptos nouimus, & feruentes. Vt igitur ex speciali deuotione, quam ad Nos, & Romanam Ecclesiam habere dignosceris, tibi, & Monasterio tuo fauorem Apostolicum sentias accreuisse, conferendi primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines Monachis, & Clericis tibi subiectis plenam tibi, & successoribus tuis in perpetuum, concedimus, auctoritate præsentium, facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni XV. Calendas Ianuarij. Pontificatus nostri Anno octauo.

## CONSTITVTIO XXXIV.

SVMMARIVM.

1252.Martij 6.

INNOCENTIVS PAPA IV.

*Monasterium S. Benedicti de Padolyrone ab Ordinariorum iurisdictione, etiam ratione Delicti, seu Contractus immune declarat.*

*Ex Arch.S.Ben.de Padol. Arm.I.Caps.V. nu.20.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij S. Benedicti de Padolyrone Mantuanæ Diœcesis, ac Vniuersis Abbatibus, Prioribus, ac Conuentibus Monasteriorum, ac Prioratuum eidem Monasterio subiectorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, Ordinis S. Benedicti, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum olim duxerimus statuendum, vt Exempti, quantâcunque gaudeant libertate; nihilominus tamen ratione Delicti, seu Contractus, aut rei, de quâ contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinarijs conueniri, & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere. Vos dubitantes, ne per constitutionem huiusmodi libertatibus, & immunitatibus vobis, & Monasterijs vestris per priuilegia, & Indulgentias ab Apostolicâ Sede concessis præiudicari valeat; Nobis humiliter supplicastis, vt prouidere super hoc indemnitati vestræ, paternâ sollicitudine, curaremus. Quia vero eiusdem Ordinis Sacra Religio sic vos apud Nos dignos fauore cōstituit, vt nobis votiuum existat vos ab omnibus, per quæ vobis possent prouenire dispendia, immunes libenti animo præseruare. Vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt occasione constitutionis huiusmodi, nullum eisdem libertatibus, & immunitatibus in posterum præiudicium generari. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Dat. Perusij 2. Nonas Martij Pontificatus nostri Anno nono.

## CONSTITVTIO XXXV.

SVMMARIVM.

1252. Iunij 22.

INNOCENTIVS PAPA IV.

*Abbati Monasterij Sublacensis Pontificalium omnium vsum concedit, ac confirmat.*

*Ex Archiuio Sublacensi.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Henrico, Abbati, & Conuentui Monasterij Sublacensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Fragrantia Sanctæ Religionis, quæ apud Monasterium Sublacense, à Beatissimo Benedicto Venerando eius Auctore, salubris suscepit institutionis initia, fauorabiliter apud Sedem Apostolicam interpellat, vt Monasterium ipsum, quod famosum est admodum, celebreque per orbem, vitæ ipsius Benedicti, & meritis insignis, honoris dono per Sedem eamdem, ad quam nullo medio pertinet, gaudeat; & inter alia Ordinis sui Cœnobia prærogatiua donetur priuilegij singularis; indignum quidem existeret, vt tam Venerabilis Locus, specialibus non insigniretur honorificentiæ titulis, de quo primum cœlesti munere Vniuersalis Ecclesiæ firmamento, tantæ sydus claritatis illuxit, vnde tot postmodum radij prosiliere virtutum, & Palmes à Vitæ Christo, tàm conspicuæ prodijt vbertatis. Ad quod etiam ex eo dignè inducimur, quod tuæ, filij Abbas, administrationis, laudabilibus studijs, temporalia bona eiusdem Monasterij florere dicuntur, & grata semper suscipere incrementa. Sane sicut insinuante Venerabili Fratre nostro Raynaldo Ostiensi, & Velletrensi Episcopo accepimus, licet Abbates præfati Monasterij, qui fuere pro tempore quorumdam insignium Pontificalium, Mitræ videlicet, Annuli, Sandaliorum, & Chyrothecarum dumtaxat vsum habuerint, super hoc tamen Monasterium ipsum Apostolicis non extitit priuilegijs communitum. Nos itaque sic circa id, pro ipsius Beati Benedicti reuerentiâ, & honore, ac obtentu præfati Episcopi, deuotè nobis pro eodem Monasterio supplicantis, prouidere volentes, vt erga illud gratiâ in hac parte dictæ Sedis exuberet, eiusque decor ad diuini nominis gloriam augeatur; eiusdem Episcopi (qui vester, & ipsius Monasterij præcipuus Protector existit) præcibus inclinati, tibi fili Abbas, & successoribus tuis vt præmissis insignijs, quæ vobis de nouo concedimus, & Tunicâ insuper, ac Dalmaticâ, quas illis adijcimus, liberè vti de cætero, more Pontificum valeatis, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Assisij. Incarnationis Dominicæ

anno

anno 1254. decimo Kalendas Iulij, Pontificatus nostri Anno decimo.

## CONSTITVTIO XXXVI.

*SVMMARIVM.*

*1255. Ian. 2.*

## ALEXANDER PAPA IV.

*Pontificalium vsum, Minorum Ordinum collationem, Paramentorum benedictionem Abbati Sublacensi concedit, ac confirmat.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusio lib. B. fol. 9.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Henrico Abbati, & Conuentui Monasterij Sublacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt pulchra, & decora filia Hierusalem fidelibus, & terribilis infidelibus appareat vt castrorum acies ordinata, Ecclesia varijs insignitur titulis dignitatum, per quas tamquam ornatam monilibus, & circumamictam varietate illustrium virtutum exhibeat maiestatem, & quod tandem in re habebit, in spe gerere se ostendens, veritatem indicat per figuram. Quare Sedes Apostolica Mater Ecclesiarum omnium, & magistra, Ecclesias alias tamquam adolescentulas suas honorum insignibus libenter adornat pro meritis singularum, sperans, vt ornatæ, tanto se immaculatas diligentiùs studeant conseruare, quanto propensius tenentur diligere decus proprium, & decorem. Volentes itaque Monasterium Sublacen. quod famosum est admodum, celebreque per orbem. Vita Beatissimi Benedicti, & meritis, à quibus locus ipse salubris suscepit institutionis initia, inter alia Ordinis sui Cœnobia per Sedem Apostolicam, ad quā nullo medio pertinet, insignis honoris dono gaudere; prærogatiuâ priuilegij singularis, vestris supplicationibus inclinati, tibi fili Abbas, & successoribus tuis in perpetuum vtendi Anulo, Mitrâ, Tunicâ, Dalmaticâ, Chrirothecis, & Sandalijs, benedicendi pallas Altaris, & ornamenta Ecclesiastica, dandique omnes minores Ordines, ac benedictionem solemnem, scilicet, Sit nomen Domini benedictum in Missis, & Vesperis, plenam concedimus, auctoritate præsentium, facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attētare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Neapoli iv. Non. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

## CONSTITVTIO XXXVII.

*SVMMARIVM.*

*1256. Febr. 13.*

## ALEXANDER PAPA IV.

*Monasterium S. Petri de Perusio non posse cogi ad prouidendum aliquem de Pensionibus, seu Beneficijs eidem Monasterio annexis, neque per litteras Apostolicas; nisi de huiusmodi indulto expressa fiat mentio, decernit.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin. lib. A. fol. 23.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs, & Abbati, & Conuentui Monasterij S. Petri de Perusio, Ordinis S. Benedicti ad Romanam Ecclesiam, nullo medio pertinentis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt erga Sedem Apostolicam eo amplius crescat vestræ deuotionis affectus, quò eam benigniorem inueneritis, Vobis faciendo, gratiam specialem. Vestræ deuotionis precibus benignum impertientes assensum; vt ad receptionem, vel prouisionem alicuius, in vestro Monasterio, & membris eiusdem in Pensionibus, aut alijs Beneficijs Ecclesiasticis per litteras Apostolicæ Sedis, vel Legatorum eius impetratas, per quas non sit ius alicui acquisitum, vel etiam impetrandas, cogi de cætero non positis, nec aliquis in eis vnquam valeat prouidere, nisi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam, & expressam de hâc indulgentiâ fecerint mentionem, authoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani Septimo Idus Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

## CONSTITVTIO XXXVIII.

*SVMMARIVM.*

*1286. Aug. 18.*

## HONORIVS PAPA IV.

*Confirmat concessionem vsus Mitræ, & Baculi olim factam ab Innocentio Papa IV. ad fauorem Abbatis S. Benedicti de Padolyrone. Item vsus Annuli, Chirotecarum, Tunicæ, Dalmaticæ, Sandaliorum, & Caligarum.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone Arm. I. Caps. Q. n. 28*

HONORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Sancti Benedicti supra Padum, & Lironem ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis Sancti Benedicti, Mantuanæ Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Tenorem quarundam litterarum sumptum de registro felicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri vobis, & Monasterio vestro concessarum de verbo ad verbum ad instantiam supplicationis vestræ fecimus præsentibus annotari, qui talis est. Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Sancti Benedicti supra Padum Ordinis Sancti Benedicti Mantuanæ Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Vt pulchra, & decora filia Hierusalem fidelibus, & terribilis infidelibus appareat vt castrorum acies ordinata, Ecclesia varijs insignitur titulis dignitatum, per quas tamquā ornatam monilibus, & circumdata varietāte illustrium virtutum exhi-

exhibet maiestatem, & quod tandem in re habebit, in spe gerere se ostendens, veritatem indicat per figuram. Quare Sedes Apostolica Mater Ecclesiarum omnium, & magistra, Ecclesias alias, tanquã ad olescentulas suis honorũ insignibus libèter adornat pro meritis singularũ; sperans, vt ornatæ, tanto se immaculatas diligentius studeant conseruare, quanto propensius tenetur diligere decus proprium & decorem. Cum igitur sicut ex parte vestrâ fuit propositum coram nobis vsus Mitræ, & Baculi Pastoralis Abbati, qui pro tempore in Monasterio vestro fuerit à Sede Apostolica sit concessus; Nos volentes vobis gratiam facere pleniorem tibi fili Abbas, & successoribus tuis in perpetuum vtendi Anulo, Chirothecis, Tunicâ, Dalmaticâ, Sandalijs, & Caligis plenam concedimus, auctoritate præsentium, facultatem, adijcientes etiam, quod solemné benedictionem conferre valeas; dummodo ibi præsens Episcopus, vel Legatus Sedis Apostolicæ non existat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam vestræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni Calendas Martij, Pontificatus nostri Anno septimo. Volumus autem nullum per hoc ius nouum acquiri vobis, & Monasterio vestro prædicto; sed vobis, & sibi antiquum, si quod est, solummodo conseruari. Datum Tybiure XV. Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO XXXIX.

### SVMMARIVM.

*1291. Ianuarij. 23.*

### NICOLAVS PAPA IV.

*Testes, etiam per Censuram Ecclesiasticam, compellere ad ferendum testimonium in causis Sacri Monasterij S. Pauli de Vrbe, Abbati eiusdem Monasterij, indulget.*

*Nicolai IV. anno 3. Reg. Vat. n. 268. fol. 135.*

NICOLAVS Papa IV. Dilecto filio Abbati Monast. S. Pauli de Vrbe. Damnis Monasterij tui, quantum cum Deo possumus, libenter occurrimus, & commoda libentius procuramus. Presentata siquidem nobis tua petitio continebat, quod de gestis officialium, quos in locis eiusdem Monast. institutis, habere non potes, propter defectum testium, quos propriâ auctoritate nequis compellere, certitudo; propter quod eidem Monast. graue imminet detrimentum. Quare nobis humiliter supplicasti, vt prouidere super hoc ipsi Monast. de salubri remedio dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati; quod testes ad perhibendum testimonium de gestis huiusmodi, quos ad id crederis, oportunos, quotiens opus fuerit, cogere per Censuram Ecclesiasticam valeas; si forsan locorum Diœcesani, vel alij Ordinarij illos compellere denegauerint, à te humiliter requisiti, plenam tibi, auctoritate præsentium, concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum apud Vrbem Veterem X. Kal. Feb. anno 3.

## CONSTITVTIO XL.

### SVMMARIVM.

*1309. Ianuarij 4.*

### CLEMENS PAPA V.

*Pontificalium, seu Episcopalium vsum, cum Benedictione solemni, Abbati SS. Faustini, & Iouitæ Brixiensis confirmat.*

*Ex Arch. SS. Faust. & Iouitæ de Brixia.*

IN CHRISTI nomine Amen. Nos FRIDERICVS Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Brixiensis electus, & confirmatus Marchio Dux, & Comes executor ad infrascripta specialiter deputatus à Sanctissimo Patre Domino Clemente Papa V. Religioso viro D. Alberto Abbati Monasterij SS. Martyrum Faustini, & Iouitæ Ciuitatis Brixiæ salutem, & sinceram in Domino charitatem. Noueritis nos à suprascripto Summo Pontifice auctoritatem, & comissionem huiusmodi recepisse, cuius comissionis, & auctoritatis talis forma est. In Christi nomine Amen. Cũ Religiosus, & Reuerendus vir D. D. Albertus Dei gratiâ Abbas Monasterij SS. Martyrum Faustini, & Iouitæ Ciuitatis Brixiæ sociasset, & comitiuam fecisset prouido, & discreto viro Domino Federico de Madijs Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Brixiensi electo eunti ad Romanam Ciuitatem, & intentio præfati D. Abbatis pro honore sui Monasterij esset à Summo Pontifice de speciali gratiâ insignia Episcopalia impetrare pro se, & suis successoribus ad honorem, decorem, & reuerentiam Beatorum Martyrum Faustini, & Iouitæ; maximè cum idem Abbas, & sui Antecessores ex Apostolicæ Sedis indulto vtantur, & vsi fuerint certis insignijs Episcopalibus, videlicet Mitrâ, & Baculo pastorali, ac reliquis insignijs Episcopalibus, pro honore dicti Monasterij idem Abbas, ex Apostolicæ Sedis indulto, vti affectuosè, & desiderabiliter affectaret, maximè vsu Anuli, ac Benedictione solemni posse super populum elargiri in ipso Monasterio, ac in Ecclesijs ipsi Monasterio pleno iure subiectis, quando in eis diuina officia celebrantur, & in Vespertinis, ac Matutinis laudibus. Constitutus igitur coram Felicissimo Patre Domino Clemente Papâ V. memorato Domino electo, ac Abbate præfato, & alijs inferius nominatis, & cum supradictis honoribus, & insignijs Episcopalibus à præfato Summo Pontifice impetrandis, idem Abbas suam petitionem haberet paratam offerendam Summo Pontifici Nobilis, & magnæ laudis miles, ac strenuus Dominus Bertolinus de Madijs pro ipso Domino Abbate, & Monasterio, ad instantiam eiusdem, præfato Summo Pontifici humiliter supplicauit, vt de solitæ, & benignæ Paternitatis affectu dignaretur concedere, vt idem Abbas, pro honore dicti Monasterij, & eius nomine, auctoritate Apostolicâ vti posset Anulo, & Benedictione solemni, vt superius est expressum; vnde memoratus Summus Pontifex, præfati Militis precibus inclinatus, mandauit, & iniunxit præfato Domino Electo, vt auctoritate Apostolicâ, cum consilio sui Capituli ipsi Domino Abbati, nomine Monasterij memorati, pro honore, & reuerentiâ Martyrum prædictorum concedat, vt liberè vti possit insignijs Episcopalibus supradictis. Acta fuit prædicta in Ciuitate Tholosæ die Sabbati quarto Ianuarij in

Camerà

Camerâ Summi Pontificis sitâ in Episcopatu Tholosæ præsentibus D. Guidotto de Arcellis de Placentiâ Præposito S.Petri in Oliueto, Domino Floriano de Poncarali, & Alexandro de Tangettinis militibus, D. Ioseph Clerico S. Io. Baptistæ testibus rogatis; & etiam ad præmissa præsentes erant infrascripti Cardinales videlicet, Dominus Frater Nicolaus Ostiensis, & Velletren. Episcopus Cardinalis, D.Petrus de Capella Titularis S.Praxedis Presbyter Cardinalis, Dominus Franciscus Gaytanus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, Dominus Gulielmus tituli S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis Referendarius Domini Papæ, Dominus Arnaldus de Pelagrua, S. Vitalis Presbyter Cardinalis, Dominus Beringarius de Biderg Tituli SS. Nerei, & Achilei Presbyter Cardinalis, Dominus Petrus de Columnâ Diaconus Cardinalis, Dominus Raymundus Delgoti S. Mariæ Nouæ Diaconus Cardinalis, & Dominus Landulphus de Neapoli S.Angeli Diaconus Cardinalis Anno Domini millesimo trecentesimo nono Indictione septima. Ego Marchesinus de Fugatijs Clericus Plebis S. Laurentij de Maneruio publicus tabellio prædictis omnibus, & singulis interfui, & rogatus scripsi. Verum quia cum à Nobis, quod iustum est petitur, tàm vigore æquitatis, quàm ordo postulat rationis nostrum honestum impertiri assensum, ac personam vestram, & Monasterium vestrum pro reuerentiâ Beatorum Martyrum prædictorum desiderantes, & affectantes prosequi fauore gratiæ specialis, ac volentes in hàc parte commissionem, & auctoritatem à præfato Summo Pontifice Nobis in hàc parte iniunctam debitum facere sortiri effectum, Capitulum Maioris Ecclesiæ Brixiensis ad nostram præsentiam fecimus conuocari; In quo quidem Capitulo erant præsentes infrascripti Archipresbyteri Præpositus Vicedominus, & Canonicis dictæ Ecclesiæ Brixiensi, & de ipsorum consilio, & assensu auctoritate, quâ fungimur in hàc parte, & omni modo, & iure quibus melius possumus vobis Abbati præfato, pro vobis, & vestris successoribus, & vestro Monasterio ad honorem, decorem, & reuerentiam Beatorum Martyrum prædictorum, Concedimus liberam potestatem, & auctoritatem vtendi Anulo, ac benedictione solemni posse Vos, & successores vestros super populum elargiri in ipso Monasterio, ac in Ecclesijs ipsi Monasterio pleno iure subiectis, quando in ipsis diuinâ officia celebrantur in Vespertinis, ac Matutinis laudibus, de quibus omnibus Episcopalibus insignijs Vos Abbatem præfatum recipientem in Vobis, & Monasterio vestro, & successoribus, auctoritate quâ fungimur in hàc parte præsentialiter inuestimus, & pro inuestito haberi volumus, & mandamus. In præmissorum autem testimonium præsentis concessionis paginam, Indulgentiam, & Priuilegium nostri sigilli iussimus munimine roborari. Et Ego Bonhomus Archipresbyter Maioris Ecclesiæ Brixiensis prædictis affui, assensi, & per Marchesinum Fugacium scribi feci quia propter senectutem scribere non potui. Et Ego Oldofredus Præpositus Ecclesiæ Brixiensis prædictis interfui, & consensi, & per Marchesinum prædictum scribi feci quia scribere non potui. Ego Bonacussius Comes de Casalalto Canonicus Brixiæ prædictis affui, & consensi, & propriâ manu subscripsi. Ego Magister Albertus de Canedo Canonicus Brixiæ prædictis affui, & consensi, & propriâ manu subscripsi. Ego Magister Albertus Vicedominus Ecclesiæ Brixiensis prædictis affui, & consensi, ac propriâ manu subscripsi. Ego Mazinus de Madijs Canonicus Brixiensis prædictis affui, & consensi, ac propriâ manu subscripsi. Ego Mapheus de Madijs Canonicus Brixiensis prædictis omnibus affui, & consensi, ac propriâ manu subscripsi. Acta sunt hæc die Iouis penultimo Februarij in Camerâ sitâ in Maiori Palatio Episcopatus Brixiæ præsentibus D. Bonauenturâ de Saluaticis Canonico Plebis de Herbusco Iurisperito Ioseph Clerico Sancti Ioannis, Baptistæ Ioannino de Dilegno Clerico Ecclesiæ Sancti Augustini de Brixiâ, & Francisco de Ciuolatijs, de Bernardo notis testibus rogatis, & conuocatis Anno Domini M. CCCIX. Indictione septimâ. Et Ego Marchesinus de Fucacijs Clericus Plebis S. Laurentij de Maneruio publicus tabellio prædictis omnibus, & singulis interfui, & rogatus scripsi, & signum meum consuetum ad maiorem firmitatem apposui.



## CONSTITVTIO XLI.

### SVMMARIVM.

### IOANNES PAPA XXII.

*Numerum Sanctorum, & Prælatorum, Monasteriorumque Ordinis S. Benedicti, vsque ad sua tempora, enumerat.*

*Ex impresso.*

EGO IOANNES XXII. extrahi feci de Sanctorum Cathalogo omnes Sanctos, & Prælatos, Monasteriaque de Ordine Sanctissimi Benedicti, qui ab ipsius tempore, vsque ad nostra fuerunt tempora. Inuenimus autem ex Sanctissimo illius Ordine Summos Pontifices vigintiquatuor, Cardinales ducentos, Archiepiscopos septem millia, Episcopos quindecim millia, Abbates quindecim millia, & septuaginta quatuor, quorum confirmatio spectat ad Papam. Sanctos canonizatos quinque millia quingentos, & quinquagintaquinque, exceptis Martyribus: ex quorum numero isti pauci admodum describuntur; Sanctus Placidus Abbas, ac Sanctissimi Benedicti discipulus, cum triginta tribus Monachis sub Manucâ Duce martyrio coronatur. Sanctus Bertarius Abbas Montis Casini, cum pluribus, penèque innumerabilibus Monachis per martyriũ cum Christo gaudent in æternum. Quàmplurimi præterea Monachi, & quasi infiniti in Siciliâ à Saracenis, & in Monasterio Nonantulano à Barbaris, & in Monasterio Sancti Vincentij apud Montem Cassinum à Scodrâ Rege Christi Martyres sunt effecti. Sancti Monachi mille, & septingenti, & sexdecim à Rege Iosaphat mortui, per martyrium Cœlum ascenderunt. Sanctus Porcarius Abbas, cum quingentis Monachis martyrij palmam est adeptus. Sancti Monachi omni perfectione pleni noningenti in Monasterio Benchorensi trucidati, Martyrum collegio sunt ascripti. Sancti Monachi centum, & sexdecim pro Christi fide in Monasterio Turonico martyrizati sunt. Sanctus Aygulphus Abbas cum plurimis socijs suis, & quasi innumerabilibus Monachis in India, in Monteq; Thabor, & in Monasterio Lirinensi diuersis tormentis, & cruciatibus à Saracenis, Turcisq; ac Iosaphat Rege trucidati Cœlo inter Martyres sunt donati. Hos de multis tanquam rosarum primitiæ elegimus: cæteri verò præ multitudine à Christo solo numerantur. Monasteria verò Ordinis eiusdem hæc inuenta sunt.

sunt. Abbatiarum triginta tria millia, Præpositurarum quatuordecim millia absque mulierum Cœnobijs. Vt autem breui cuncta sermone concludam Romanâ Ecclesiâ per quingentos annos ab isto Sanctissimo recta est Ordine. Hic autem ista posuimus ad Dei laudem, & gloriam, ad honoremq; Sanctissimi Benedicti eiusq; Sanctissimæ Religionis, & consolationem sub eius sacratissimo magisterio Militantium, vt supradictos Sanctos pro intercessoribus ad Dominum habentes, ad eorum animentur imitanda vestigia, vt demùm ad illorum post mortem mereantur peruenire consortium, & gloriam, vbi æternâ cum illis requie fruantur, permaneantq; in sæcula sæculorum. Amen.

## CONSTITVTIO XLII.

### SVMMARIVM.

1335. *Iulij* 4.

### BENEDICTVS PAPA XII.

*Mendicantium Ordinum Fratres ad Monasticos Ordines Nigrorum præcipuè, & Cistercienſium transire prohibet.*

*Bullar. t. 1. Benedicti XII. Const. 1.*

BENEDICTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam professis, expedit subtrahi omnem inquietudinis, & turbationis materiam, quò in contemplationis suauitate quiescere valeant, & tranquillum reddere Domino famulatum. Cum igitur ex eo, quod professores Ordinum Mendicantium ad Monachorum Nigrorum, & Cisterciensium Ordines consueuerunt plerumq; transire; multas in dictis Ordinibus turbationes, infestationes, molestias, damna, & scandala prouenisse, experientiâ doceat manifestè. Nos his ex debito pastoralis officij pro futuro tempore occurrere cupientes; de consilio Fratrum Nostrorum decernimus, ne quis, cuiusuis Ordinis Mendicantium professor, ad aliquem dictorum duorum Ordinum quoquomodo transire valeat, sine Romani Pontificis licentiâ speciali, plenam, & expressam de Constitutione huiusmodi mentionem faciente. Non obstantibus Priuilegijs Apostolicis quibuscumq; concessis in contrarium dictis Ordinibus Mendicantibus, seu eorum Prælatis, aut aliquibus eorumdem, quæ, quoad hoc, nullius, ex nunc, fore decernimus firmitatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Auenione quarto Nonas Iulij Pont. nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO XLIII.

### SVMMARIVM.

1371. *Martij* 4.

### VRBANVS PAPA V.

*Regno Siciliæ Interdicto, Casinense Cœnobium exemptum fore declarat, quoties casus euenerit.*

*Ex Arch. Casin.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Casinensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Vestræ deuotionis promeretur affectus, vt in ijs, quæ ad consolationem vestram, & salutem animarum vestrarum, cedere valeant, vobis reddamur fauorabiles, & benigni. Cum itaque contingat interdũ Regnum Siciliæ, infra quod dictum Monasterium, ac Castra, Terræ, & loca temporaliter ipsi subiecta consistunt, supponi Ecclesiastico Interdicto. Nos volentes vos prosequi fauoribus gratiosis, vobis auctoritate Apostolicâ, tenore præsentiũ, indulgemus, quod, ipsum Monasterium, ac Terræ Castra, & loca sub Interdicto huiusmodi minimè includantur; nisi de ipsis vestris Monasterio, Terris, Castris, & locis, in litteris Apostolicis fieret mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum iv. Non. Martij, Pontificatus nostri Anno octauo. Nic. G. de mandato Domini Nostri Papæ. Valascus.

## CONSTITVTIO XLIV.

### SVMMARIVM.

1374. *Nouemb.* 9.

### GREGORIVS PAPA XI.

*Ordinum quorumcumque Religiosos, quamuis Sedis Apostolicæ Cappellani, suorum Superiorum correctioni subesse, decernit.*

*Ex Bullario Romano Greg. XI. Const. 6.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Per Romani Pontificis prouidentiam circumspectam, sic Sedis Apostolicę priuilegia, & indulta moderari dignoscuntur, quod in eis materia malignandi nulli detur; ac personæ, quæ sub religione vacare debent, studio piæ vitæ, à bono obedientiæ, & perseuerantia diuini seruitij nullatenus retrahantur. Sanè nuper ad nostrum relatione fide dignâ peruenit auditum, quod nonnulli Religiosi, etiam Mendicantes, qui in Cappellanos Sedis Apostolicæ se recipi procurarunt; propterea bonum obedientiæ, & correctionem recusantes, per mundum perplurimum sine suorum Superiorum licentiâ, sæpius euagando discurrunt, & quandoque ad Romanam Curiam accedunt, asserentes sine suorum Superiorum licentiâ se hoc facere posse. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officij, salubriter prouidere cupientes, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, volumus, & etiam ordinamus, quod omnes, & singuli Religiosi quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium dictę Sedis Cappellani, qui sunt, & in antea erunt, perinde

de eorum superioribus, & Correctoribus ipsorum, in omnibus, & per omnia sint subiecti, ac si prædictæ Sedis Cappellani non essent. Non obstantibus exceptionibus, seu exemptionibus, & alijs quibuscumque priuilegijs, indulgentijs, gratijs, litteris Apostolicis, Cappellanis dictæ Sedis, & alijs communiter, vel diuisim sub quâcunque formâ, & expressione verborum ab istâ Sede concessis, & imposterum concedendis; etiam si de illis plena, & expressa mentio de verbo ad verbum in præsentibus sit habenda, quę, quo ad hoc alicui in nullo volumus suffragari. Nulli ergo &c. Nostræ Constitutionis, voluntatis, & ordinationis infringere, &c. Dat. Auinione 5. Idus Nouembris, Pontificatus nostri Anno tertio.

## CONSTITVTIO XLV.

### SVMMARIVM.

1391. Feb. 1.

### BONIFACIVS PAPA IX.

*Ecclesias, & Cæmeteria Monasterij Casinensis polluta, & violata, reconciliari posse per Sacerdotes deputatos à Superiore dicti Monasterij; cum Aquâ tamen ab aliquo Episcopo benedictâ.*

*Ex Arch. Mon. Casin.*

BONIFACIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filijs Abbati Monasterij Casinensis Ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quod nullius Diœcesis existit; necnon Vniuersis, & singulis Abbatibus, Prioribus, & Prepositis eidem Monasterio immediatè subiectis salutę, & Apostolicam benedictionem. Vestræ deuotionis præcibus benignum impartientes assensum, libenter ea vobis concedimus, quæ vestræ quietis commodum respicere dinoscuntur. Cum itaque sicut exhibita Nobis pro parte vestrâ petitio continebat, sæpe contingat Ecclesias vestras, quæ à iurisdictione quorumlibet Ordinariorum exemptæ fore noscuntur, earumque Cœmeteria per effusionem sanguinis, vel seminis violari, quæ commodè per Antistitem reconciliari facere non potestis; Nobis humiliter supplicastis, vt prouidere vobis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati. Quod Ecclesias, & Cœmeteria supradicta per aliquem Sacerdotem idoneum reconciliari facere valeatis quotiens fuerit oportunum; Aquâ prius per aliquem Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, vt est moris, benedictâ, vobis, & cuilibet vestrum, auctoritate presentium, concedimus facultatem. Per hoc autem Constitutioni, quæ id precipit per tempus tantum fieri, nullum volumus in posterum præiudicium generari. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Calendis Februarii Pontificatus nostri Anno vndecimo. F. de Montepolitian. Lazarus.



## CONSTITVTIO XLVI.

### SVMMARIVM.

1403. Sept. 25.

### BONIFACIVS PAPA IX.

*Rectores Ecclesiarum Monasterio Casinensi subditarum Correctioni, & Visitationi eiusdem Monasterij subesse, etiam si easdem Ecclesias, seu Beneficia à Sede Apostolicâ impetrauerint. Ac etiam Census, seu Canones pro eisdem persoluere teneri constituit.*

*Ex Archiuo Casinensi.*

BONIFACIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Casinensis, Ordinis Sancti Benedicti, quod nullius Diœcesis existit, salutem, & Apostolicam benedictionem. Decens, & debitum arbitramur, vt personis Deo dicatis, & maximè diuinis officijs, voto regularis professionis astrictis, ac operibus charitatis deditis, si in eorum iuribus prægrauentur, subueniamus studijs oportunis. Sanè petitio vestra nobis nuper exhibita continebat. Quod, licet nonnulla Monasteria, Prioratus, Præposituræ Ordinis Sancti Benedicti, nec non Ecclesiæ, & alia diuersa Beneficia ecclesiastica, & regularia in diuersis mundi partibus consistentia, secundum morem ipsius Ordinis, nec non de antiquâ, & approbatâ, & hactenus pacificè obseruatâ consuetudine vobis, & Monasterio vestro subsint; & in quibus etiam ius visitandi, & inquirendi, nec non corrigendi, & puniendi excessus quoslibet, qui per degentes in eisdem, nec non illas personas, quæ ipsis Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Ecclesiis, & Beneficijs præsunt, pro tempore committuntur in capitibus, & in membris, ad Abbatem dicti Monasterij vestri pro tempore existentem, & vos Filij Conuentus communiter pertineat, & etiam nonnullæ ex personis eijsdem, quæ Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Ecclesiis, & alijs Beneficijs ipsis præsunt pro tempore, ratione huiusmodi Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum certum canonem, siue censum vobis, & eidem Monasterio vestro, annis singulis soluere teneantur; tamen nonnullæ ex eisdem personis, eo prætextu, quod ipsæ, seu earum aliquæ, huiusmodi Monasterijs vobis subiectis forsan per Sedem Apostolicam præfectæ fuerant, siue aliqui Prioratus, Prępositurus, Ecclesias, & alia Beneficia supradicta, sub diuersis modis, & formis, etiam forte à Sede impetrarint eâdem; pretendentes, licet falsò, per hoc, etiam à superioritate, ac dominio vestro, nec non solutione dicti canonis, siue census per eos vobis facienda, per ipsam Sedem, siue alios, fore liberatos; eo prætextu multa enormia quandoque committant, vobisque obedire, vt tenentur, nec non canonem huiusmodi, siue censum, etiam vobis, & dicto Monasterio vestro persoluere contradicant, quamuis temerè, & de facto, in animarum suarum periculum, & vestrum, & dicti Monasterij vestri non modicum præiudicium, & grauamen. Quare pro parte vestrâ nobis fuit humiliter supplicatum, vt prouidere vobis super hoc oportunè, de speciali gratiâ, dignaremur. Nos itaque, præmissorum intuitu, volentes vos, & dictum Monasterium vestrum fauoribus prosequi gratiosis, ac huiusmodi supplicatio-

cationibus inclinati, quòd huiusmodi Monasteria, Prioratus, Præposituras, Ecclesias, & alia Beneficia vobis subiecta, nec non personas in ipsis degentes, & quas illis præesse contigerit pro tempore, præsentes, & posteras, in illis videlicet, in quibus de consuetudine huiusmodi, vel de iure in eisdem capitibus, & membris, aut aliàs quomodolibet vobis competit, semel, & pluries, ac toties, quoties vobis videbitur expedire, Visitare, necnon super eisdem excessibus, qui per easdem personas pro tempore committentur inquirere, illosque secundum qualitatem eorumdem corrigere, & punire; ac in eisdem Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Ecclesiis, & Beneficijs alijs vobis subiectis, quæ ibidem reformatione indigere videritis, reformare; ac contumaces, & rebelles, iuxta modum culpæ, regulari censurâ percellere; ipsisque secundum ipsius Beati Benedicti Regulam, ac canonicum institutum pœnitentiam imponere salutarem. Et etiam huiusmodi canonem, & censum vobis, vt præmittitur, debitum, à personis, quæ præsunt, & etiam ab illis, quas præesse contigerit in futurum Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Ecclesiis, & alijs Beneficiis ipsis vobis subiectis, vt præfertur, exigere liberè, & licitè valeatis in omnibus, & per omnia, sicut aliàs iuxta morem, & consuetudinem præfatos fieri consueuerit; etiamsi personæ ipsæ, quæ ratione huiusmodi Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarũ, Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum vobis in eodem canone obligatur, Illis ex Venerabilibus fratribus Nostris S. R. Ecclesiæ Catholicæ Cardinalibus, qui aliqua ex huiusmodi Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Ecclesiis, vel aliis Beneficiis ex concessione, siue dispensatione Sedis eiusdem forsitan obtinere noscuntur pro tempore, dumtaxat exceptis; Monasteria, Prioratus, Prepposituras, Ecclesias, & alia Beneficia huiusmodi vobis subiecta à Sede Apostolicâ impetrarint, siue illis præfecti fuerint per eamdem; necnon constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, & Ecclesiarum, nec non Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcumque firmitate aliâ roboratis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscumque, vobis auctoritate Apostolicâ, de speciali gratiâ, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Septimo Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno XIII.

## CONSTITVTIO XLVII.

### SVMMARIVM.

### MARTINVS PAPA V.

*Monasterijs Sublacensi, & Specuensi concedit, vt Monachis, Familiaribus, & Peregrinis absolutionem Casuum quorumcumque, præterquam Papæ reseruatorum impertiri possint; eisdemque Sacramenta, ac Sacramentalia Ecclesiæ ministrare.*

*Ex Arch. Sublacen.*

MARTINVS Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Prioribus, & Conuentui Sublacensi, & Specus Ordinis S. Benedicti, Romanæ Ecclesiæ immediate subiectorum, nullius Diœcesis, inuicem canonicè vnitorũ Monasteriorũ salutem, & Apostolicam benedictionem. Iniunctum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium dignè peragere, credimus, si ad ea solicitæ benignitatis extendamus affectum, quæ ex deuotionis ardore prodire conspicimus, & animarum afferre valeant salutis incrementum. Hinc est, quod Nos, vestris deuotis supplicationibus inclinati; Vt ille, quê vos filij, successoresque vestri, qui erunt pro tempore dictorum Monasteriorũ Priores, ad hoc duxerint eligendum; vobis, ac vos & iidem successores omnium, & singulorum Monachorum, Conuersorum, Oblatorum, Nouitiorum, Seruitorũ, Familiarium, & Ministrorum eorumdem Monasteriorum præsentium, & futurorum; Necnon Laycorum ipsis Monasteriis subiectorum, Peregrinorum quoque, & aliarum personarum ad illud pro tempore declinantium, ac Cõfiteri volentium Confessionibus diligenter auditis, illis in sinceritate fidei, vnitate S. R. E. ac obedientiâ, & deuotione nostrâ, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persistentibus, pro commissis, dummodo talia non fuerint, propter quæ Sedes Apostolica meritò consulenda existat, debitæ Absolutionis officium, & beneficium auctoritate Apostolicâ, impendere, ac pœnitentiam salutarem iniungere. Nec nõ Seruitoribus, Familiaribus, Ministris, Laycis, Peregrinis, & Personis, eisdem, Sacramentalia, & Sacramenta Ecclesiæ, quemadmodum expediens fuerit, ministrare valeat, atque possit, deuotioni vestræ tenore præsentiũ, indulgemus. Et ne quod absit Vos filii Priores, nec non Monachi, Conuersi, Oblati, Nouitii, Seruitores, Familiares, Ministri, Layci, Peregrini, & Personæ prædicti propter huiusmodi indultum reddamini, ac illi reddantur procliuiores ad illicita in posterum committẽda; volumus, quod si ex confidentiâ indulti prædicti aliqua forsan commiseritis, aut illi commiserint; quoad illud, vobis, & illis indultum ipsum nullatenus suffragetur. Nulli ergo &c. Datum &c.

## CONSTITVTIO XLVIII.

### SVMMARIVM.

1418. *Iulij* 29.

### MARTINVS PAPA V.

*Mendicantium Ordinum Fratres ad Monasticos Ordines, præterquam Carthusianum, accedere, vel recipi posse, respectiuè prohibet sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, à solo Summo Pontifice, nisi in mortis articulo absoluendi.*

*Ex lib. Cancellariæ Apostolicæ.*

MARTINVS Episcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Viam ambitiosæ cupiditatis Religiosis potissimè Mendicantibus præcludere cupientes; ad alios Ordines, præsertim

tim Monasticos, fucatis tamen coloribus, asserentibus ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obseruantiæ, tàm S. Benedicti, quàm Cistercienſium, Camaldulenſium, Vallis Vmbrosæ, Canonicorum Regularium S. Augustini, vel aliorum Monasticorum Ordinum conuolare nitentibus, licentiam à Sede Apostolicâ, seu Legatis, aut Nuncijs eiusdem Sedis de transferendo se à Mendicantium Ordinibus, eâ ratione præsertim, vt verisimiliter, prout facti euidentia docet, est putandum, quod liberiùs degant, dignitatesq; & beneficia Monastica consequi valeant, & ex certis alijs causis, honestati non consonis, obtinentibus: ac volentes conseruationi Ordinum Mendicantium etiam prouidere; auctoritate Apostolicâ, ex certâ scientiâ, tenore præsentium declaramus, ac decernimus; statuentes, quod de cætero nullus Religiosus de Ordinibus Mendicantium quorumcunq;, cuiuscunq; status, cõditionis, vel Religionis existat, quomodocunq;, aut qualitercunq; possit, vel debeat, virtute cuiuscunq; licentiæ, ac indulti Apostolicâ, seu Pœnitentiariæ nostræ curam gerentis, vel aliâ quâuis auctoritate hactenus, etiam per Bullas Apostolicas facultatem quarumuis, tàm Legatorum, & Nunciorum Sedis præfatæ, nec non Pœnitentiariæ huiusmodi pro tempore curam gerentis, quàm aliorum quorumcunq; sub quâuis potestate, aut auctoritate, maximè de transferendis Fratribus, aut aliquibus, præsertim Ordinum Mendicantium professoribus, in genere, vel in specie ab Ordinibus huiusmodi Mendicantium ad Monasticos, sub quâcunq; verborum conceptione appareant, admitti, aut recipi per aliquos, etiam Superiores Ordinis, seu Monasterij, aut loci Monastici, seu aliàs in Monachum, vel in Fratrem alicuius ex Ordinibus Monasticis supradictis, vel alijs expressis, & non expressis (Ordine Carthusiensi dumtaxat excepto) sub pœnâ excommunicationis; in quam tam recipientes, quàm recepti ipso facto incurrant, ex quam, ex nunc, prout ex tunc contra quemlibet transgressorem quomodolibet in præmissis, scientiâ, & auctoritate præfatis proferimus in his scriptis, & à nemine, nisi duntaxat Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, excommunicati huiusmodi possint absolutionis beneficium quomolibet obtinere; & nihilominus secùs, vel aliter facta non teneant, & nullius existant efficaciæ, roboris, vel momenti. Decernentes etiam, & volentes, quod si quis hactenus virtute cuiusuis licentiæ, seu indulti huiusmodi fuisset receptus ad aliquem Monasticum Ordinem, & habitum gestari consuetum, per Monachos talis Ordinis, suscepisset, siue professionem emiserit, siue non, sub dictâ pœnâ teneatur in Monasterio, in quo receptus fuit, etiamsi Beneficia Ecclesiastica, seu Rectorias Ecclesiarum quarumuis obtineat, stare in eius totali vocatione in huiusmodi Ordine Monastico, & Altissimo deseruire. Si quis autem prætextu huiusmodi licentiæ, cum habitu, vel sine, quomodolibet vagãdo incederet, monitione præuiâ, teneatur, & debeat infra terminum quindecim dierum à die monitionis huiusmodi computandorum, ad eius Religionem, & Ordinem, vnde cum licentiâ, vel sine discesserat, remeare; quod si efficere neglexerit, post ipsum terminum, tamquam notorius Apostata, & excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & tractari, etiam per inuocationem auxilii brachii sæcularis, quoties opus fuerit oportunum. In futurum autem nullus ex professoribus alicuius ex Ordinibus Mendicantium huiusmodi ad aliquem Monasticum Ordinem, Carthusiensi duntaxat excepto, possit, aut debeat per quemcunq; recipi, vel admitti virtute alicuius licentiæ, vel indulti, absq; Sedis eiusdem licentiâ speciali, sub dictis pœnis: & nihilominus secùs facta non teneant ipso iure; huiusmodi licentijs, & indultis, nec non constitutionibus Apostolicis, & Mendicantium Ordinum prædictorum, etiamsi de ijs specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum in nostris literis mentio habenda foret, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, decreti, statuti, prolationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Gebennis, quarto Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

## CONSTITVTIO XLIX.

### *SVMMARIVM.*

1421. *Ianuarij 1.*

MARTINVS PAPA V.

1 *Monachos professos Congregationis Sanctæ Iustinæ, licet in diuersis sint Monasterijs, vnum tamen corpus, & vnius Congregationis essentiam repræsentare, decernit.*

2 *Licere annis singulis Generale celebrare Capitulum; locumque electum non immutandum, & de eius auctoritate, in statuendo, declarando, & corrigendo, tàm circa regulam, substantiâ non mutatâ, quàm circa Diuinum Officium vniformiter celebrandum; ac de corrigendo vniuersos, etiam Prælatos exemptos, & de institutione Visitatorum, ac Præsidentis, & eorum auctoritate, vel officio, constituit.*

3 *Omnes Monachos, & Conuersos absolutos à subiectione Abbatis Sanctæ Iustinæ, sed principaliter esse sub obedientiâ Visitatorum, & Abbatum suorum Monasteriorum.*

4 *Nullum posse in dictâ Congregatione recipi in Monachum, Conuersum, vel Fratrem, nisi duæ partes Conuentus consentiant, & aliàs recepto, in dictâ Congregatione stare interdicitur.*

5 *Translatos de vno Monasterio ad aliud Monasterium dictæ Congregationis, fore absolutos à priori Monasterio, & in alio pro conuentualibus habendos, ac si ibi essent professi.*

6 *Monasteria, & personæ dictæ Congregationis posse vti iuribus, præeminentijs, & dignitatibus eis à Sede Apostolicâ, vel aliàs concessis; nec vnũ Monasterium alteri subiectum intelligi, sed coniuncta intelligantur inuicem.*

7 *Vacantibus Monasterijs dictæ Congregationis per cessum, vel decessum; Abbates eligendos à duabus partibus suorum Conuentuum, & sic electos, confirmatos intelligi, sed infra tres menses à Sede Apostolicâ teneri benedictionis munus suscipere, & iuramentum præstare fidelitatis. In Prioratibus vero, Beneficiis, & manualibus seruanda*

*eorum*

*eorum consuetudo monasteriorum.*

8 *Quintam partem prouentuum Monasteriorum dictæ Congregationis per Cellerarios assignetur Prælatis, siue Administratoribus eorum pro decenti usu eorum, deductis tamen expensis, & oneribus occurrentibus, & reliquas quatuor partes in usum cedere Conuentuum. Collationes vero, & prouisiones Beneficiorum, & feudorum inuestituræ, & huiusmodi præeminentiæ, sicut de iure, & consuetudine competit, & hactenus est seruatum obseruandum fore, decernit.*

*Ex Libro Priuilegiorum Casinens.*

MARTINVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.
1 1 Ineffabilis Summi prouidētia Patris, qui vt nos huius, ad exitum properantis continuo, mundi suppositos statui, religione mundâ, celestis patriæ possessores efficeret, suum ab arce victimauit Vnigenitum, ad hoc Nobis, quamuis immeritis, vniuersalis regimen Ecclesiæ piâ dignatione commisit, & nostræ debilitati iugum imponēs Apostolicæ seruitutis, ad summi Nos Apostolatus solium conscendere voluit, vt tanquam de supremo vertice ad infima reflectentes intuitum, quid pro eiusdem religionis expediat propagatione felici, quid statui conueniat sub illa militantium quorumlibet, prospiciamus attentius, & qualiter inter illorum plantaria, ad alta, virtutū gradibus, per bonorum exercitium operum, præclaraque procedentes sanctitatis merita ipsa dilatetur religio, florida decentiæ candore refulgeat, luminosis disciplinæ radijs enitescat, & inter electos, mūdo veluti mortuos, Domino vero Nostro Iesu Christo, qui vita est viuentis, in spiritu soliditas charitatis exæstuet, solertius attendamus. Ad hoc enim vocati sumus, ad hoc nostros quotidie diffundimus cogitatus, ad hoc nostrâ pectoris studia desideranter exponimus. Et vt status eorum vigeat, seruetúrque pacificus, quietis libertate lętetur, & dirigatur ad existentiam salutarem, solicitudines libenter impendimus, & labores. Hinc est, quod Nos Dilectorum Filiorum Sanctæ Iustinæ Paduanæ, Sanctæ Mariæ Florentinæ, & Sancti Georgij Maioris de Venetijs, ac Sanctorum Felicis, & Fortunati de Aymonis, Castella, & Torcellanæ Diœcesis, Ordinis Sancti Benedicti Monasteriorum Abbatum, asserentium se per eiusdem Ordinis per ipsos, eorumque successores Abbates Monasteriorum prædictorum, & illorum Conuentus, atque personas deinceps tenacius imitanda regula, & pro dirigendis eos ac dicta Monasteria contingentibus pro tēpore negotijs, sub salubri Monachorum eiusdem S. Iustinæ Paduanæ vocitatę Congregationis directione, mutuæ, quantum in eis fuerit charitatis vinculum, acceptasse pium, meritoriumque, pro felici suę religionis augmento, perstringentes affectum, & vt Cōgregatio ipsa, cuius plurimū, vtpote auctore Domino fructum productura, commendabile firmamus initium, deinceps Apostolici vigore communita præsidij, amplioribus proficiat incrementis. Ipsorum Abbatum in hâc parte supplicationibus inclinati, hâc perpetuâ, & irrefragabili constitutione sancimus, præsentiumque auctoritate statuimus, volumus pariter, & ordinamus, quod licet dicti Ordinis professores de huiusmodi Congregatione existentes, pro tempore in diuersis extiterint Monasterijs, siue locis Domino mancipati; omnes nihilominus ipsi præsentes, & futuri sub eiusdem sancti Benedicti Regulâ, Vnum corpus, Vnius quoque Congregationis ministerium, ac essentiam representent.
2 2 Præterea, quia repetita ordinataq; Generalis celebratione Capituli, regularis fortificatur, & durat neruus monasticæ disciplinæ in Congregatione ipsâ, siue per eam in loco ad id cōgruo, Generale Capitulum hac primâ vice per eosdem sanctæ Iustinæ, & sancti Georgij monasteriorum ipsorum Abbates nostra, & annis sequentibus singulis, ipsius Capituli auctoritatibus conuocandum, & nullatenus post eius inchoationem, donec pro futuro similis locus electus, & acceptatus fuerit dissoluendum; & cuius diffinitionibus, statutis decretis monitis, & mandatis salubribus, singuli de Congregatione præfatâ, cuiuscumque dignitatis status, gradus, vel conditionis fuerint, in omnibus effectualiter parere, & intendere teneantur, & debeant, pro tempore celebretur, in quo pro solidando sincero ipsius Congregationis proposito, curâ, ac regimine salubribus, de ea quatuor, vel plures, quemadmodum huiusmodi Capitulo congruere, & expedire videbitur, Visitatores deputentur, & ad illorum officia dirigantur. Quorum quidem Visitatorum vnus, reliquis ei assistentibus, iuxta ipsius Capituli dispositionem, vices Præsidentis assumat, & ad quem omnia præmissa deducantur negotia, per ipsum, reliquorum Visitatorum eorundem consilio, & assensu, iuxta ordinationes, & decreta Capituli huiusmodi pro tempore dirimenda. Ipsique Visitatores aliàs, iuxta canonicas sanctiones, & instituta, omnia, & singula facere, disponere, & exequi habeant pro tempore, super quibus ab huiusmodi Capitulo fuerint potestate muniti, siue ab eo receperint in commissis. Ac illorum huiusmodi officia vnius anni, à tempore, quo ea exercere ceperint, euoluto spatio, nisi denuo, ipsorum exigentibus meritis, ad illa, subsequentis auctoritate Capituli, assumpti fuerint, cessent, & expirent omninò. Etiam loco ipso postquam electus extiterit, absque rationabili causâ, ac de Visitatorum eorundem conniuentiâ, & assensu, nullatenus immutando. Huiusmodi quoque Capitulum pro ipsius Congregationis stabilimento salubri, omnia, & singula in spiritualibus & temporalibus Congregationis eiusdem statum, & obseruātiam, etiam circa Diuini ordinationem Officij, vt videlicet conformiter in dictis Monasterijs, & locis, sine huiusmodi variatione Regulæ, ad Dei laudem, & gloriam deuotè compleatur, quomodolibet concernentia, auctoritate Apostolicâ instituēdi, ordinandi, ac de eis disponendi; ordinata quoq; & disposita in toto, vel in parte, labente tempore, prout congruum, ac profuturum fuerit, exquisitis modis, & vijs alterandi, immutandi, & in melius redigendi. In his insuper, & alijs quibusuis huiusmodi regulam, atque statum concernentibus, obscuritates, & dubia, siquæ emerserint, absque cuiusuis in eis substantiæ, vel effectus mutatione, iuxtà datam huiusmodi Capitulo Præsidentibus diuinitus prouidentiam, declarandi, & interpretandi. Vniuersos vero Congregationis eiusdem etiam Prælatos, ac exemptos, & alios cuiusuis dignitatis, status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis extiterint, iuxta excessuū, & culparum quibus deprehendi poterunt conscij, qualitatem, & exigentiam; regularia quoq; in huiusmodi Congregatione amplectendâ, constitutiones, & instituta, eâdem auctoritate Apostolicâ corrigendi, & puniendi, illosque emenda, & pœnitentia condignis à lapsu reuocandi, & quotiescumque

que per huiusmodi Capitulum ipsorum Monaste-
riorum siue locorum Prælatum aliquem pro regi-
mine, & administratione Monasterij, siue loci sibi
commissi, præsertim circa curæ animarum, & spi-
ritualium exercitium minus sufficientem, vel ido-
neum censeri contigerit, in talibus, & circa ea,
prout congruet debitè prouidedi. Oportunitate au-
tem suadente huiusmodi curæ,& spiritualium exer-
citium Priori claustrali inibi, vel alteri ad id habili,
& idoneo committendi, quousque de dicti Præla ti
meritis, & idoneitate per eosdem tunc Visitatores
attentiùs cognito, ipse in statum pristinum, quo ad
curam, & exercitium huiusmodi reponendus exi-
stat, ac omnia alia, & singula in præmissis, & circa
ea quomodolibet necessaria, vel oportuna facien-
di, & exequendi plenam, & liberam habeat in om-
3 nibus potestatem. 3 Ceterum, ne occasione su-
biectionis principalis in huiusmodi Congregatione
alicuius inantea scrupulositatis oriatur materia;
postquam dicti Visitatores per Capitulum ipsum
electi fuerint, vt præfertur, ex tunc omnes, & sin-
guli Monachi, atque Conuersi Congregationis eius-
dem à principali obedientiâ, quâ eidem Abbati Mo-
nasterij Sanctæ Iustinæ, professionis voto hactenus
fuere adstricti, penitùs habeantur absoluti; ipsique
præsentes, & futuri principaliter sub dictorum Vi-
sitatorum, & subsequenter sub illorum, in quorũ
Monasterijs, siue locis regulari obseruantiæ adscri
pti fuerint, Prælatorum obedientijs remaneant, eas
hinc inde prout decens fuerit humiliter impensuri.
4 4 Sanè, quia de virtute stillat prudentiæ, si via
scandalis adimatur; Nullus Prælatorum Monaste-
riorum, siue locorum huiusmodi, absque delibera-
tione maturâ, duarum quoque partium sui Con-
uentus assensu, quempiam in Monachum, Con-
uersum, vel Fratrem Monasterij, vel loci cui præe-
rit quomodolibet recipere præsumant; aliter vero
recepto, in aliquo Monasteriorum, siue locorum
eorundem, absque nouo huiusmodi consensu Ca-
pituli standi, vel morandi sit penitùs interdictum.
5 5 Rursus, ne huiusmodi Monasteria, siue loca
personarum varietate quâuis diuisione turbentur,
omnes, & singuli, quos de suis, in quibus prius pro-
fessi erant, Monasterijs, & locis, ad prædicta, seu
alia, quæ etiam futuris temporibus de huiusmodi
Congregatione fuerint Monasteria, siue loca trans-
ferri contigerit, ex tunc à prioribus suis Monasterijs,
atq; locis realiter absoluti, eorũ, ad quæ, vt præmit-
titur, trãslati fuerint, quoadusq; steterint inibi Mona-
chi, & suppositi reputentur, ac pro conuentualibus
habeantur, ibidẽ in actibus, & negotijs capitularibus
alijsque singulis perindè, acsi ibidem professi forent
6 locum vbilibet assumentes. 6 Porrò, ne præmisso-
rum occasione Monasterijs & locis ipsi Congrega-
tioni coniunctis, vel eorum alicui detractum fore
quomodolibet extimetur; omnia ipsa solitis præe-
minentijs, iuribus, & dignitatibus eis, suisque Præla-
tis, & personis à Sede Apostolicâ, vel alias qualiter-
cunque concessis, seu illis aliàs de iure, vel consue-
tudine quomodolibet debitis, inconcusè gaudeant,
& vtantur; nec propterea vnum ex eis alteri repu-
tetur subiectum sed ipsis in suâ libertate remanen-
tibus, coniuncta suaui vicissitudinis iugo, sub prædi-
ctæ Congregationis regimine felici, vniformique
regularis obseruantiæ gressu sibi inuicem suffra-
7 gentur. 7 Quia vero moribus & cõuersatione diuti-
nis gregi cognitus pastor electus, vitæ castimonia
fructuosius antecellit, quotienscumque monaste-
ria supradicta per cessum, vel decessum, aut aliàs
qualitercumque vacare contigerit, quo ad ea, vel
ipsorum aliquod, nullæ generales, vel speciales
Apostolicæ reseruationes, nisi Romanum Ponti-
ficem pro tempore existentem huiusmodi statutis,
& ordinationibus de illis specialem, & expressam,
ac de verbo ad verbum faciendo mentionem, & ex
certâ eius scientiâ appareret expresè derogare vel-
le vendicent quomodolibet sibi locum, sed electio-
nes præficiendorum eisdem perpetuò suis perseue-
rent & reseruentur Conuentibus; à duabus quo-
que eligentium rite, & canonice celebratę partibus,
postquam eis consenserint, tunc electi, auctoritate
prædictâ confirmatę censeantur, & remaneant ipso
facto, communibus tamen seruitijs, & alijs iuribus,
ac si huiusmodi confirmationes per Sedem fierent
eandem, Cameræ Apostolicæ propterea debitis illis
in omnibus semper saluis; huiusmodi vero electi
pro benedictionis consequendo munere, solito
quoque fidelitatis debitæ exhibendo iuramento,
post huiusmodi per eos consensum præstitum infra
tres menses personaliter, aut per Procuratorem
idoneum Apostolico se conspectui repræsentent.
Circa alia vero Prioratus, & beneficia manualia
Congregationis huiusmodi ritus, & consuetudo,
qui super talibus inoleuerunt hactenus vigeant de-
8 inceps, & obseruentur inconcusè. 8 Postremò, quia
huiusmodi suadente regulâ in singulis dicti Ordi-
nis Conuentibus, quibus regularis intenditur obser-
uantia, omnes fructus, redditus, atque prouentus
Monasteriorum, & locorum eorundem per singu-
los ipsorum Cellerarios, siue Procuratores colligi,
& dispensari debeant, vsibus ibidem communibus
profuturi, de huiusmodi fructibus redditibus, &
prouentibus, inquibusuis consistant, & vndecumque
prouenire noscantur, postquam hincinde alias de
eis necessario occurrentia detracta fuerint, expensę,
& onera Prælatis, siue Administratoribus monaste-
riorum eorundem pro ipsorum substentatione de-
centi, & illorum vsibus applicanda Quinta, reliquæ
vero per huiusmodi Cellerarios dispensandæ Qua-
tuor partes, absque eorundem Prælatorum, siue
Administratorum contradictionibus, & impedi-
mentis Monachis, & Conuentibus ipsis perpetuò
cedant, & liberè relinquantur. Cœtera vero, vtpote
in faciendis de beneficijs ecclesiasticis collationi-
bus, prouisionibus siue ad ea præsentationibus, de
feudis, liuellis, & similibus inuestituris, ac alijs, pro
vt ad Prælatos ipsos de iure, vel consuetudine perti-
nere poterit exercenda iura, necnon iurisdictiones,
& præeminentiæ sicuti hactenus Prælatis reseruen-
tur antedictis; decernentes irritum, & inane, si secùs
super hijs à quoquam, quâuis auctoritate, scienter,
vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstanti-
bus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,
nec non statutis, & consuetudinibus Monasterio-
rum, locorum, & Ordinis prædictorum iuramen-
to, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmi-
tate roboratis, cœterisque contrarijs quibuscum-
que. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
ginam nostrorum constitutionis, statuti, voluntatis,
& ordinationis infringere, vel ei ausu temerario
contraire. Siquis autem hoc attemptare præsum-
pserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beato-
rum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit in-
cursurum. Datum Mantuæ Cal. Ianuarij Pontifi-
catus nostri anno secundo.

Gratis de mandato Domini Nostri Papæ. G. Stoter.

CON-

# CONSTITVTIO L.

## SVMMARIVM.

1419. Maij 15.

## MARTINVS PAPA V.

1 *Monasteria S. Iustinæ Paduanæ, S. Mariæ Florentinæ, S. Georgij Maioris de Venetijs SS. Felicis, & Fortunati de Aymonis, Vnum corpus, & vnam Congregationem constituere, decernit.*

2 *Monachos dictæ Congregationis quamuis diuersorum Monasteriorum professos, sub Sancti Benedicti Regula, vnam eamdemq; Congregationem repræsentare, decernit.*

3 *Capitulum Generale primà vice auctoritate Apostolicà, & in sequentibus eiusdē Congregationis auctoritate congregandum. Locumque futuri Capituli electum non immutandum. Eiusque Capituli decretis singulos de Congregatione prædicta obedire teneri, statuit.*

4 *Visitatores in eodem Capitulo eligendos. Quorum vnus Præsidentis nomen, & vices assumere, & vnà cum Visitatoribus dictæ Congregationis administrationem, & negotia agere, & exequi posse iuxta dicti Capituli decreta, indulget.*

5 *Præsidentis, ac Visitatorum officium annuale constituit. Nisi denuò eiusdem Capituli auctoritate assumpti fuerint ad eadem officia ineundā.*

6 *Capituli locus, postquam electus fuerit, absque rationabili causà, ac de Visitatorum, & Præsidis conniuentià, & assensu immutari non licere.*

7 *Capituli eiusdem decreta circa administrationem dictæ Congregationis temporalem, & spiritualem, Diuini Officij ordinationem, absque tamen Regulæ S. Benedicti variatione substantiæ, cum facultate alterandi, & immutandi, declarandi, & interpretandi, corrigendi tam Prælatos, quàm Monachos, Constitutiones edendi, puniendi, Abbates, seu Superiores Monasteriorum eligendi, & eosdem destituendi, se se extendi decernit.*

8 *Dismembrationem Monasterij S. Mariæ de Florētià a corpore dictæ Congregationis indulget.*

*Ex Arch. A.l. Flor.*

MARTINVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Et si pro cunctorum Christi fidelium, super quibus curam Pastoralis officij Nobis, licet immeritis, ex alto commissi gerere obligamur, statu salubriter dirigendo, teneamur impendere sollicitudinis nostræ partes; illos tamen maiori, non immerito cogimur, studio prosequi charitatis, qui mundanis abiectis illecebris, cœlestibus dediti sunt, & per contemplationis spiritum altius eleuantur, vt aquilæ; ac cum Marià optimam partem sequuntur, vt comminatarum quorumlibet aduersitatum ab eis profugatis incursibus, nihil eorum sacræ Religionis propositum impediat, vel perturbet; sed valeant ad aream Dominicam, in quietis, & pacis dulcedine, multos afferre manipulos, & talentis eis traditis, bonam Domino reddere

1 rationem. 1 Dudum siquidem Dilectorum filiorum S. Iustinæ Paduanæ, S. Mariæ Florentinæ, S. Georgij Maioris de Venetijs, ac SS. Felicis, & Fortunati de Aymonis Castellanæ, & Torcellanæ Diœcesis Ordinis S. Benedicti, Monasteriorum Abbatum, asserentium inter alia, se inuicem suo, & Conuentuum suorum nominibus, ipsi præsentes, & futuri, sub eiusdem S. Benedicti Regulâ, Vnum Corpus, vnius quoque Congregationis ministerium, ac es-

2 sentiam repræsentarent. 2 Præterea in Congregatione ipsâ mutuæ charitatis, & Congregationis vinculum acceptasse, supplicationibus inclinati; inter cætera per alias nostras litteras statuimus, voluimus, ac etiam ordinauimus, quod, licet dicti Ordinis professores de huiusmodi Congregatione existentes, ipsi præsentes, & futuri, sub eiusdem S. Benedicti Regulâ, Vnum Corpus, vnius quoque Congregationis

3 ministerium, ac essentiam repræsentare. 3 Præterea in Congregatione ipsâ, siue per eam, in loco ad id congruo, generale Capitulum, à primâ vice per eosdem S. Iustinæ, & S. Georgij Monasteriorum ipsorum Abbates nostræ, & annis sequentibus singulis ipsius Capituli, auctoritatibus conuocandum. Et nullatenus post eius incohationem, donec pro futuro similis locus electus, & acceptatus foret, dissoluendum; & eius diffinitionibus, statutis, decretis, monitis, & mandatis salubribus, singuli, & de Congregatione præfatâ, cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, vel conditionis forent, in omnibus effectualiter parere, ac intendere tenerentur, & deberent,

4 pro tempore celebraretur. 4 In quo de eâ quatuor, & plures, quemadmodum huiusmodi Capitulo congruere, & expedire videretur, Visitatores deputarentur, & ad illorum officia dirigerentur. Quorum quidem Visitatorum vnus, reliquis ei assistentibus, iuxtà ipsius Capituli dispositionem, vices Præsidentis assumeret; & ad quem omnia dictorum Monasteriorum deducerentur negotia, per ipsum, reliquorum Visitatorum eorumdem consilio, & assensu, iuxtà ordinationes, & decreta Capituli huiusmodi pro tempore dirimenda. Ipsiq; Visitatores aliàs, iuxtà canonicas sanctiones, & instituta, omnia, & singula facere, disponere & exequi haberent pro tempore super quibus ab huiusmodi Capitulo forent potestate muniti, siue ab eo reciperent

5 in commissis. 5 Ac illorum huiusmodi officia, vnius anni tempore, quo ea exercere inciperent euoluto spacio, nisi denuò, ipsorum exigentibus meritis, ad illa, subsequente auctoritate Capituli, as-

6 sumpti forent, cessarent, & expirarent omninò. 6 Et Loco ipso, postquam electus esset, absque ratio-nabili causâ, ac de Visitatorum eorumdem conni-

7 uentià, & assensu, nullatenus immutando. 7 Huiusmodi quoque Capitulum, pro ipsius Congregationis stabilimento, salubriter omnia, & singula, in spiritualibus, & temporalibus, Congregationis eiusdem statum, & obseruantiam; etiam circa Diuini Ordinationem Officij, vt videlicet conformiter in dictis Monasterijs, & locis, sine huiusmodi variatione Regulæ, ad Dei laudem, & gloriā, deuotè compleant, quomodolibet concernentia, auctoritate Apostolicâ instituendi, ordinandi, & de eis disponendi; ordinata quoque, & disposita in toto, vel in parte, labente tempore, prout congruum, & profuturum foret, exquisitis modis, & vijs, alterandi, immutandi, & in melius redigendi. In his insuper, & alijs quibusuis, huiusmodi Regulam, atque statum concernentibus obscuritates, & dubia, si quæ emergerent, absq; cuiusuis in eis substantiæ, vel effectus

muta-

mutatione,declarandi,& interpretandi. Vniuersos vero Congregationis eiusdem, etiam Prælatos, & exemptos,ac alios cuiusuis dignitatis,gradus, status, præeminentiæ,vel conditionis existerent, iuxtà excessuum, & culparum, quibus reprælendi possent conscii,qualitatem,& exigentiam. Regularia quoque in huiusmodi Congregatione amplectenda, constitutiones,& instituta, eadem auctoritate Apostolicâ corrigendi,& puniendi; illosque emendâ, & pœnitentiâ congruis, à lapsu reuocandi. Et quotiescumq;per huiusmodi Capitulum, ipsorum Monasteriorum, siue locorum Prælatum aliquem pro regimine,& administratione Monasterij, siue loci sibi commissi,præsertim circa curæ animarum, & spiritualium exercitium, minus sufficientem, vel idoneum censeri contingeret in talibus, & circa ea, prout congrueret,debitè prouidendi; oportunitate autem suadente,huiusmodi curã, & spiritualium exercitium Priori claustrali inibi,vel alteri ad id habili,& idoneo committendo,quousq; de dicti Prælati meritis,& idoneitate,per eosdem tunc Visitatores attentiùs cognito,ipse in statum pristinum, quò ad curam, & exercitium huiusmodi reponendus existeret. Ac omnia alia,& singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & oportuna faciendi,& exequendi,plenam ,& liberam haberent in omnibus potestatem, prout in dictis litteris pleniùs

8 cõtinetur.8 Cum autem,sicut exhibita Nobis nuper pro parte Abbatis,& Conuentus Monasterij S. Mariæ prædictorum petitio continebat, ex huiusmodi statuto,voluntate,ordinatione, & litteris, præfatis Monasterijs Religionis fructus non resultauerit optatus,sed plurima potius inter illorum Monachos, statutis,voluntate,& ordinatione eisdem abutentes, dissensiones, & scandala sint suborta; ipsiq; Monachi S.Felicis,ac S.Georgij, Monasteria præfata, diuersis per eos vexationibus, & perturbationibus agitata, à Congregatione prædictâ absoluerint. Monasterium quoq; Beatæ Mariæ præfatum, adeò insolitis, & exquisitis, ex præmissis resultantibus constitutionibus & statutis capitularibus fatigatum, desolationis laboret opprobrijs; quod,nisi super hoc oportunè prouisum fuerit,illius Abbas, & Conuentus prædicti, regularem obseruantiam hactenus inibi laudabiliter obseruatam dissolui, seque à Religionis proposito distrahi verentur. Constitutiones insuper,statuta,& ordinationes prædicta, in plerisq; suis partibus à iure discrepent, & exorbitent; iurisdictiones Abbatum supprimi, & illas Monachis simplicibus adscribi mandantes;& alias,talia Abbatibus, & Monachis prædictis imponentes onera, quod nec priora suæ Regulæ obseruare curant instituta. Dissonum præterea, & rationi minus congruum existat,quod,prout eadẽ capitularia,nec Diffinitores,ex quibus septem Monachi, & duo sint Abbates,fieri iubentia,constitutiones cauent, & statuta,inferiores,& subditi, qui iuxta debitum rationis,maioribus subesse tenentur, illis viuendi normã imponere. Quodq; Abbates, & Priores perpetui, suorum Monasteriorum, & Prioratuum regiminibus debeant renuntiare. Et sicut eadem petitio subiungebat,licet propter præmissa, & diuersa alia ex statutis,voluntate,ordinatione, & litteris prædictis emanantia,per quæ Monachi prædicti in ambitione præcipitantes,ab obedientiâ,& humilitate debitis distrahuntur. Abbas,& Conuentus Monasterii S.Mariæ prædicti, se ad illorum obseruantiam minime credant astrictos; conscientiæ tamen scrupulo moti,super hiis Apostolicæ Sedis remedia sibi desiderant paternaliter impertiri. Quare pro parte Abbatis,& Conuentus Monasterii S. Mariæ prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis, eorumq;,& dicti Monasterii S. Mariæ statui, super præmissis oportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui inter cætera desiderabilia cordis nostri, obseruantiam regularem vigere,& augeri,ac Religiosorum quorumlibet statum reddi pacificum,& quietum,supremis optamus affectibus; de præmissis quoque fide dignâ relatione pleniùs informati fuimus huiusmodi supplicationibus inclinati,Abbatem, & Conuentum Monasterij S.Mariæ prædictos, ipsumq;Monasterium, cum personis,membris,iuribus,& pertinentijs suis, à Congregatione,submissione, & vnione prædictis, auctoritate Apostolicâ,tenore præsentium, penitùs eximimus,& perpetuò liberamus;eosq;ad omnium, & singulorum in prædictis litteris contentorum, & deinde sequutorum quorumuis statutorum, & ordinationum capitularium, aut alicuius eorum obseruantiam non teneri;nec eos sub illis, ex nunc in antea,quouis modo comprehendi posse,aut debere, eàdem auctoritate decernimus, & etiam declaramus;ipsosq;Abbatem,& Conuentum Monasterii S. Mariæ in eum statum pristinum, illumq; viuendi modum,in quibus,iuxta primæua dicti Ordinis Regularia instituta ante vnitam Congregationem huiusmodi,& antequam volũtas,statutum,Ordinatio, & litteræ nostræ prædictæ emanarent,erant, auctoritate præfatâ,restituimus, reducimus, & reponimus per præsentes. Non obstantibus literis, & aliis præmissis,& ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque; Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secùs super hiis à quoquam, quãuis auctoritate,scienter,vel ignoranter,contigerit attemptari. Nulli ergo omninò hominum, liceat hanc paginam nostræ exemptionis,liberationis, constitutionis,declarationis,reductionis, & repositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationes Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctos Apostolos Idus Maii Pontificatus nostri anno vndecimo.

*Bullar. Casin. tom. 1.*

## CONSTITVTIO LI.

### *SVMMARIVM.*

### MARTINVS PAPA V.

*Confessarios Regulares non aduertentes, vel ignorantes Excommunicationes, & Censuras reseruatas, ac de eis absoluentes Pœnitentes, posse ab Irregularitatibus, seu Censuris, si quas propter huiusmodi præstitam absolutionem incurrerint,absolui,vel dispensari, concedit.*

*Ex Collect. Priuil. Roderic.*

MARTINVS V. Cum sæpe boni Religiosi,ex charitate, vel Prælatorum obedientiâ cogãtur ad Cõfessiones audiendas, & sint multiplices,& inexplicabiles sententiæ excommunicationis in corpore iuris, quarum nonnullæ etiam à peritissimis ignorantur; ex quo dicti Religiosi propter consciẽtiæ timorem,quoniam dubitant se incurrisse in aliquam censuram Ecclesiasticam absoluendo inaduertenter aliquos,aliquâ excommunicatione innodatos, cuius excommunicationis absolutio, Superiori

riori reseruatur, ne dicti Religiosi cogantur contra charitatem, & Prælatorum obedientiam facere, vel præfatas metuere scrupulositates conceditur, quod dicti Religiosi, si præfata, vel simili causâ inaduertenter incurrerint irregularitatem, vel excommunicationem, possint per eorum idoneos Confessores authoritate Apostolicâ absolui, & dispensari, cum oportuerit. Et quod prædicta vires habeant oraculo viuæ vocis, non obstante, quod non fiat Bulla, vel quibuscunque alijs contrarijs, nisi ex crassâ, & supinâ ignorantia censuram, vel irregularitatem incurrerint.

## CONSTITVTIO LII.

### SVMMARIVM.

1431. *Nouembris* 11.

### EVGENIVS PAPA IV.

*Donationes, & Legata, tam Congregationi S. Iustinæ de Paduâ, quàm Monasterijs, & Monachis singularibus, facta, ab eadem Congregatione & Monachis recipi, exigi, peti, & retineri, licitè posse constituit.*

*Bullar. t.* 1. *Eug. IV. Constit. secunda.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorũ Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dispositione diuinâ gregi Dominico, quamuis immeriti præsidentes, dum præclara dilectorum filiorum Congregationis Monachorum de obseruantiâ S. Iustinæ, Ordinis S. Benedicti merita recensemus, intra nostræ mentis arcana, & ad commendabiles, quibus eorum ministerijs erga Deum, & homines indesinenter exuberant fructus, dignè Nostros difundimus cogitatus, votis illis gratum libenter offerimus auditum, per quæ ipsorum statui, ac indemnitatibus consuli possit, eorumque Religio salubria iugiter suscipiat incrementa. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte Congregationis huiusmodi petitio cõtinebat, eis diuersa Donationes, & Legata facta fuerint, ipsorum Monasterijs, siue locis non expressis, & propterea ab aliquibus hæsitetur, an Congregatio prædicta, cum singulares personæ proprietatis incapaces sint, præmissa, super quorum aliquibus lis indecisa pendet, & quæ deinceps eis annuente Domino fient Donationes, & Legata, valeant acceptare. Nos omnes super his ambiguitatis materiam semouere, nec non conscientiarum scrupulis obuiare cupientes, ipsius Congregationis in hâc parte supplicationibus inclinati. Quod Congregatio prędicta Donationes, & Legata huiusmodi acceptare, nec nõ ipsa, vel eius Visitatores pro pręmissis, & etiam, quæ dictis Monasterijs, ac locis hactenus facta fuerunt, & inantea fieri cõtigerit Donationibus, Legatisque vendicandis, ac recipiendis Sindicos, siue Procuratores constituere, & deputare, nec non Donationes, ac Legata prædicta, etiam quæcunque & qualiacunque fuerint, prout generali præfatæ Congregationis Capitulo, siue dictis Visitatoribus pro tempore videbitur, inter huiusmodi Monasteria, atque loca, illorumque personas, & aliàs, in dictæ Congregationis vsus, ac pro felici eius statu, & directione dispensari, conuerti, & distribui licitè possint, auctoritate Apostolicâ decernimus, & indulgemus per præsentes. Non obstantibus litis pendentiâ huiusmodi, ac constitutionibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, locorum, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate roboratis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo Tricesimo primo, Tertio Idus Nouembris, Pontificatus nostri Anno primo. M. de Guadagnis, Gratis de Mandato Domini Nostri Papæ. P. Cossels

## CONSTITVTIO LIII.

### SVMMARIVM.

1432. *Octobris* 23.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Martini Papæ V. Priuilegia Congregationi S. Iustinæ, concessa confirmat, innouat, & declarat.*

2 *Monachos dictæ Congregationis, quamuis diuersorum Monasteriorum Professi existant, Vnum tamen Corpus, vnamque Congregatione constituere, decernit.*

3 *Congregationem prædictam confirmat, eamdemque sub Regulâ, & Ordine S. Benedicti esse, asserit.*

4 *Capitulum Generale singulis annis celebrari, Locumque pro dicti Capituli celebratione electum immutari non licere, absque Præsidentis, & maioris partis Visitatorum assensu, constituit.*

5 *Definitores nouem (qui totum Capitulum, & Congregationem repræsentantes, necessaria circa Regimen dictæ Congregationis, & Diuini officij ordinationem, absque tamen eiusdem Regulæ variatione substantiæ decernant, ipsam Regulam interpretari, & interpretata alterare) eligi debere in eodem Capitulo, ipsorumque ordinationibus tam Abbates, quam Monachi parère teneant.*

6 *Quos Definitores loca, & bona dictæ Congregationis disponere, eorumque Administratores, & Abbates ad eorum beneplacitum eligere, & electos absque aliquà causæ cognitione à regimine, & administratione Monasteriorum, & locorum amouere, & destituere, cæteraque eidem Congregationi necessaria, & oportuna adimplere posse, decernit.*

7 *Visitatores quinque, vel plures ab ijsdem Definitoribus in eodem Capitulo deputãdos, quorum vnus Præsidentis nomen suscipiat, ad quem singula dictæ Congregationis negotia infra annum occurentia deferantur, ad futurum vsquè Capitulum eorumdem authoritas duratura.*

8 *Locum futuri Capituli à Capitulo Generali electum immutari non licere, absque Præsidentis, & maioris partis Visitatorum assensu.*

9 Mo-

9 *Monachos, & Commissos suis Abbatibus, & Superiorib. ac Visitatorib. obedientes, fore decernit.*

10 *Nouitios ad Professionem recipi non posse, nisi duarum partium Monachorum Monasterij intercedat assensus.*

11 *Monachos ad alia Monasteria, quam professi sint, mutatos, in eisdem vocem, & actionem in negotijs eorumdem Monasteriorum habere, ac si in eisdem professi forent.*

12 *Priuilegijs Monasterijs dictæ Congregationis, ac Monachis hactenus ante Congregationē concessis, licitè etiam sub Congregatione frui posse, concedit.*

13 *Monasteria dictæ Congregationis independentia inuicem, & libera esse declarat.*

14 *Vniones Monasteriorum in posterum faciendas, in publicam formam redactas, eò ipso Apostolicà auctoritate esse suffultas, declarat.*

15 *Abbatum electiones a dictæ Congregationis Capitulo, seu Regimine factas, & faciendas, Apostolicà pariter facultate esse vallatas, eosque sibi commissa Monasteria administrare licitè posse, confirmat. Martini Papæ V. Constitutiones de Abbatum electione, & reddituum Monasteriorum inter Abbates, & Monachos diuisione, abrogat.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. I. Caps. Z. num. 5.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Et si ex solicitudinis debito pastoralis, sub regulari obseruantiâ singulis Altissimo militantibus, in his, per quæ suis statui, & indemnitatibus consulitur, Nos fauorabiles esse deceat pariter, & benignos; præclarā tamen dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiâ S. Iustinæ Congregationem; Ordinis S. Benedicti, ad quos, etiam antequam Diuinâ fauente clementiâ ad apicem Summi Apostolatus assumeremur, specialem gessimus in Domino charitatis affectum, spiritualis dono lætitiæ vitam, & conseruationem contemplantes, quibus eis, alijsq; proficiunt, & salutaria pijs fidelium mentibus exempla transmittunt, tantò solertiùs ea prosequi, nec non instaurare studijs gessimus assiduis, quæ Congregationis huiusmodi status feliciter adaugeri, solidariq; poterit, quantò per assumptionem huiusmodi maior nobis desuper attributa facultas est, & ampliorem Chri-
1 sticolis speramus inde iugiter prouenire salutem. 1 Attento itaq; quod felicis recordationis Martinus Papa Quintus prædecessor Noster, nonnulla eisdem Monachis contulit priuilegia, quæ non vsq; adeo ad pleniorem eiusdem Congregationis soliditatem, augumentumuè sunt sufficientia. Idcircò, Nos propter dictorum Monachorum laudabilem vitam, & exemplares mores Nobis à diù cognitos, præfatum prædecessorem Nostrum sequentes, atq; vbi oportunum fuerit nonnulla innouantes, & adij-
2 cientes. 2 Proprio motu, auctoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ, nec non irrefragabili, perpetuâq; constitutione sancimus, & præsentium serie statuimus, volumus pariter, & ordinamus, Quod omnes, & singuli dictæ Congregationis Ordinem ipsum professi, præsentes, & futuri, quamuis in diuersis pro tempore Monasterijs, siue locis morentur, Vnū
3 tamen corpus, & vna Congregatio existant. 3 Quamquidem Congregationem auctoritate, & scientiâ similibus approbamus, & vt à Christi fidelibus in reuerentiâ, & deuotione habeatur hortamur, eamq; sub Ordine, & Regulâ Beati Benedicti



4 esse declaramus, atq; constituimus. 4 Quodq; pro eorum salubriori statu, in loco ad id congruo Generalem, iuxta laudabilem, quæ desuper dudum viguit consuetudinem, Capitulum per eos singulis annis celebretur; nec illud postquam inchoatum fuerit, donec pro alio futuro celebrando Capitulo similis Locus electus, & acceptatus extiterit, quomodolibet
5 dissoluatur. 5 In quo quidem Capitulo Nouem ex ex his, qui in illo habere vocem possunt eligantur Definitores. Qui sic electi totum Capitulum præfatum repræsentantes, pro salubri dictæ Congregationis successu statuta, constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis, ac præfatæ Regulæ statum, & obseruantiam, & indemnitatem; necnon circa Diuini Officij directionem, & ordinationem, absq; tamen ipsius Regulæ variatione substantiæ, vel effectus, interpretationem, seu declarationem, quomodolibet concernere poterunt, auctoritate prædictâ instituendi, ordinandi, interpretandi, nec non ea, quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto, vel in parte, prout rerum; & temporum qualitates exegerint, amouendi, alternandi, & in melius commutandi plenam, & liberam in omnibus habeant facultatem. Quorum Definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus, definitionibus, & correctionibus, singuli de Congregatione huiusmodi cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, siue conditionis existant, in omnibus
6 efficaciter parère teneantur. 6 Volentes, ac statuentes, quod huiusmodi Definitores de præfatis Monasterijs, & locis, ac eorum bonis, prout vtilitatibus præfatæ Congregationis videbitur eis expedire, liberè disponere; Nec non eos ex ipsis Monachis præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos iudicauerint in Abbates, & Priores vacantium Monasteriorum, ac Prioratuum huiusmodi aliàs iuxtà dictæ Congregationis constitutiones, ordinationes, & statuta, eligere, siue nominare, nec non ad beneplacitum eorum taliter electos, siue nominatos, absq; aliquâ causæ cognitione, à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tūc propterea vacare censeantur, absoluere, & admouere, ac etiam omnia, & singula, quæ in præmissis omnibus, & circa ea quomodolibet necessaria, vel oportuna fuerint, facere, & exequi liberè, & licitè possint, &
7 valeant. 7 Planè, nè post dissolutionē huiusmodi Capituli præfata Congregatio Regiminis solatio destituta remaneat; Quinq; vel plures, pro vt Definitoribus huiusmodi visum fuerit, Visitatores deputentur; quorum vnus, iuxta ipsorum Definitorum dispositionem, Præsidentis vicem, nomenque suscipiat, & ad eum, secundum huiusmodi decreta Capituli, singula præfatæ Congregationis negocia deferantur. Ipsiq; Præsidens, & Visitatores, omnia, & singula faciant, disponant, & exequantur, super quibus ab huiusmodi Capitulo muniti potestate fuerint, vel quæ ab eo receperint in commissis, aut alias, iuxta eorum constitutiones, & statuta; quorum officia vsq; ad sequens anno proximè futuro, tunc celebrandum huiusmodi Congregationis Capitulum, dum-
8 taxat durent. 8 Locus autem Capituli præfati, postquam electus, & acceptatus fuerit, absq; rationabili causâ, de Præsidentis quoq; nec non maioris partis Visitatorum, eorumdem assensu nullatenus
9 immutetur. 9 Præterea omnes, & singuli præsentes, & futuri dictæ Congregationis Prælati, nec non Monachi, Conuersi, & Commissi sub præfatorum Visitatorum, & consequenter illorum Prælatorum,

in quorum Monasterijs, siue locis ipsi Monachi,
Conuersi, & Commissi morantur, obedientijs si-
stant, eas hinc inde, prout decens fuerit, humiliter
10 impensuri. 10 Et insuper nè facilitate præcipiti
Religionis ingum quis acceptet; nullus ex Monaste-
riorum, siue locorum huiusmodi Prælatis, absq; de-
liberatione maturâ, nec non duarum partium, sui
Conuentus assensu, quempiam in Monachum, siue
Conuersum Monasterij, siue loci, cui præsit, quo-
modolibet ad professionem recipiat; aliter verò ini-
bi recepto, nisi postea prædictus accedat assensus,
standi, vel morandi ibidem sit pœnitus interdictum.
11 11 Sanè vt cuiuslibet materiâ turbationis ademptâ,
personæ Cangregationis huiusmodi quietiùs va-
leant Altissimo famulari; omnes, & singuli, quos de
prioribus, in quibus professi fuere Monasterijs, &
locis, ad alia præsentia, & futura dictæ Congrega-
tionis Monasteria, siue loca, iuxta ordinationem
Capituli huiusmodi, transferri contigerit, aut aliàs
pro conuentualibus quomodolibet deputari; ex
tunc ab ipsis prioribus Monasterijs, atq; locis, reali-
ter absoluti sint, & aliorum Monasteriorum, loco-
rumq; prædictorum, quamdiu steterint, ibidem Mo-
nachi, ac suppositi reputentur, & pro conuentuali-
bus inibi habeantur in actibus, & negocijs capitula-
12 ribus, ac si ibidem professi forent. 12 Porro ne
præmissorum occasione Monasterijs, & locis Con-
gregationis huiusmodi, vel eorum alicui detractum
fore quomodolibet existimetur; omnia Monasteria,
& loca prædicta, nec non illorum Prælati, atq; per-
sonæ quibuslibet eis â Sede Apostolicâ, vel aliàs
qualitercumq. concessis, de iure, seu consuetudine
quomodolibet debitis iuribus præeminentijs, ac di-
gnitatibus inconcussè gaudeant, & dummodo illa
præmissis, & alijs huiusmodi Congregationis ordi-
13 nationibus, & institutis non obsistant. 13 Nec
propterea ex Monasterijs ipsis vnum reputetur al-
teri subiectum, sed eis in suâ libertate remanenti-
bus, illa rectitudinis adminiculo coniuncta, sub feli-
cis dictæ Congregationis regimine, vniformi regu-
laris obseruantiæ gressu, sibi inuicem suffragentur.
14 14 Adijcientes, quod quoticscumq. Prælatus aliquis
Monasterium, cui præfuerit ad eiusdem Congrega-
tionis obseruantiam reducere, & sub illâ reformare
delegerit, iuxta statuta, decreta, nec non ordinatio-
nes Congregationis huiusmodi, prout congruentiùs
poterit ipsam reformationem faciat, eiusq; desuper
acta, conuentiones, & modi, quæ de consensu Con-
gregationis eiusdem, vel illorum, quos ad id deputa-
uerit in formam publicam redacta fuerint, eo ipso
15 confirmationis Apostolicæ sint robore suffulta. 15
Sanè, cum prædictus prædecessor præfatæ Congre-
gationi concesserit, quod vacantibus Monasterijs,
quæ tunc erant dictæ Congregationis, electiones ri-
tè, & canonice celebratæ à duabus partibus eligen-
tium, auctoritate Apostolicâ confirmatæ ipso facto
censerentur. Quodq; de omnibus redditibus Mona-
steriorum præfatorum Quinta pars pro decenti sub-
stentatione Prælatorum deputaretur, aliæ vero qua-
tuor partes per Cellerarios, absq; contradictione
Prælatorum, in Monachorum, & Conuentuum vti-
litatibus dispensarentur; Nos attendentes, quod
huiusmodi ordinationes, & decreta non ad conser-
uationem, & augumentum dictæ Congregationis,
sed ad eius dispendium maximum cederent, & de-
trimentum; omnia, & singula statuta, ordinationes,
& decreta, electionum, & redditumm diuisiones hu-
iusmodi reuocamus pariter, & annullamus. Vo-
lentes, & statuentes, quod electiones Abbatum, &
Priorum ad dictæ Congregationis Capitulum ge-
nerale, aut Præsidentem, & Visitatores, iuxta con-
cessam eis, vt præmittitur facultatem, ac eorum
constitutiones, & statuta pertineant; quibus taliter
electis, iuxta Regulam Beati Benedicti, & eorum
constitutiones, Monasteria ipsa, siue loca, & eorum
bona, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus,
regendi, & gubernandi, libera, & licita sit facultas.
Non obstantibus præmissis, ac alijs constitutioni-
bus, & ordinationibus Apostol., etiam si de illis spe-
cialis, & expressa, ac de verbo ad verbum præsenti-
bus mentio habenda esset, quibus, quo ad præmissa,
specialiter derogamus, nec non Monasteriorum
Prioratuum, & Ordinum prædictorum iuramento,
confirmatione Apostol. vel quâcumq; firmitate aliâ
roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisq; con-
trarijs quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominū li-
ceat hanc paginā nostræ sanctionis, ordinationis, ap-
probationis, hortationis, declarationis, constitutio-
nis, voluntatis, statuti, & derogationis infringere,
vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc
attemptare præsumpserit, indignationem Omnipo-
tentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolo-
rum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ
apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ
millesimo quadringentesimo tricesimo secundo,
nono Calend. Decembris, Pontificatus nostri Anno
secundo.

## CONSTITVTIO LIV.

### SVMMARIVM.

1432. *Nouembris* 23.

EVGENIVS PAPA IV.

1 *Monachos Congregationis S. Iustinæ, quamuis diuersorum Monasteriorum professi, Vnum tamen corpus, vnamque Congregationem constituere declarat.*

2 *Capitulum generale quotannis celebrandum instituit; Locumque in quo incohatum est non licere immutari, donec alius locus electus fuerit.*

3 *Decretis, & ordinationibus dicti Capituli ab omnibus parendum.*

4 *Visitatores tres, vel plures in dicto Capitulo eligendos, quorum vnus Præsidentis nomen suscipiat, ad quem singula dictæ Congregationis negotia infra annum occurrentia deferantur, ad futurum vsque Capitulum eorumdem auctoritas duratura.*

5 *Locum futuri Capituli à Capitulo generali electum, immutari non licere nisi de Præsidentis, & Visitatorum sanioris, & maioris partis assensu.*

6 *Capituli generalis facultates in Abbates, & Monachos enumerat, & confirmat.*

7 *Abbatum electiones, & destitutiones ad dictū Capitulum spectare, declarat.*

8 *Abbatibus, & Visitatoribus obedientiam præstandam ab omnibus esse.*

9 *Nouitiorum ad professionem receptionem; duarum partium Conuentus assensu, validandam.*

10 *Monachos ad alia Monasteria, quàm suæ professionis deputatis, idem esse votum in negotijs omnium, & singulorum Monasteriorum, ac si inibi pro-*

*professionem emisissent.*

11 *Priuilegia Monasterijs, & Monachis hactenus concessa conualidat, eorumque vsum concedit.*

12 *Monasteria dictæ Congregationis independentia inuicem, & libera esse.*

13 *Vniones Monasteriorum in posterum faciendas, eo ipso quod fuerint in publicam formam redactas, Apostolicâ auctoritate esse suffultas, declarat.*

14 *Exemptiones à charitatiuis subsidijs, impositionibus, tam ordinarijs, quàm extraordinarijs, & collectis concedit. Processusque, sententias, & censuras pro huiusmodi oneribus exactione in eosdem Monachos latas, & ferendas, irritat.*

15 *Monachos de suorum superiorum licentiâ, nullo Diœcesanorum requisito assensu, ad Ordines etiam Sacros à quocunque Episcopo promoueri posse concedit.*

16 *Absolutionem à peccatis, & Censuris, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis, semel tantum in mortis articulo, omnibus dictæ Congregationis indulget. Exceptis tamen confidentiâ huius indulti peccantibus, quibus non vuult suffragari. His autem, qui huic indulto frui voluerint per annum sextâ quâque feriâ ieiunium imponit.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone Arm. I. Capsf. I nu. 3.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Et si ex solicitudinis debito pastoralis sub regulari obseruantiâ singulis altissimo, militantibus in hijs, per quæ suis statui, & indemnitatibus consulitur, Nos fauorabiles esse deceat, pariter & benignos, præclaras tamen dilectorum filiorum, Monachorum Congregationis de obseruantiâ S. Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti, ad quos etiam, antequam, diuinâ fauente clementiâ, ad apicem Summi Apostolatus assumeremur, specialem gessimus in Domino charitatis affectum, spiritualis dono lætitiæ, vitam, & conuersationem contemplantes, quibus aliisque proficiunt, & salutaria pijs fidelium mentibus exempla transmittunt, tantò solertius ea prosequi, necnon instaurare studijs gestimus assiduis, per quæ Congregationis huiusmodi, status feliciter adaugeri, solidarique poterit, quanto per assumptionem huiusmodi maior Nobis desuper attributa facultas est, & ampliorem Christicolis speramus inde iugiter prouenire salu-
1 tem. 1 Congregationis igitur eiusdem in hâc parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ, necnon irrefragabili, perpetuâque Constitutione sancimus, & præsentium seriæ statuimus, volumus pariter, & ordinamus, quod omnes, & singuli dictæ Congregationis Ordinem ipsum expressè professi præsentes, & futuri, quamuis in diuersis pro tempore Monasterijs, siue locis morentur, vnius
2 tamen corporis, & Congregationis existant. 2 Et per eos in loco ad id congruo Generale iuxtà laudabilem, quæ desuper dudum viguit consuetudinem Capitulum celebretur, nec illud postquam inchoatum fuerit, donec pro alio futuro celebrando Capitulo similis Locus electus, & acceptatus extiterit,
3 quomodolibet dissoluatur. 3 Eiusque diffinitionibus, statutis, mandatis, monitis, & decretis singuli de Congregatione huiusmodi, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, vel conditionis sint, in om-
4 nibus efficaciter parére teneantur. 4 Et in ipso pro felici dictæ Congregationis, directione tres, vel plures, prout Capitulo huiusmodi visum fuerit, Visitatores deputentur; quorum vnus, reliquis eorum sibi assistentibus, iuxtà ipsius Capituli dispositioné, Præsidentis vicem, nomenque suscipiat, & ad eum, iuxtà huiusmodi decreta Capituli, singula præfatæ Congregationis negotia deferantur; ipsique Præsidens, & Visitatores omnia, & singula faciant, disponant, & exequantur, super quibus ab huiusmodi Capitulo muniti potestate sint, vel quæ ab eo receperint in commissis, & eorum inibi officiâ, vsque ad sequens tunc celebrandum huiusmodi Congregationis Capitulum, dumtaxat, durent, nisi ad ea de-
5 nuo tunc assumantur. 5 Ac Locus ipse, postquam electus, & acceptatus fuerit absque rationabili causâ, de Præsidentis quoque, nec non maioris partis Visitatorum eorumdem assensu, nullatenus immu-
6 tetur. 6 Et huiusmodi Capitulum pro salubri dictæ Congregationis successu, omnia, & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis statum obseruantiam, & indemnitatem, necnon circa diuini Officij directionem, & ordinationem, præfatæque Congregationis Regulæ, absque tamen illius variatione substantiæ, vel effectus interpretatione, seu declaratione quomodolibet concernere poterunt, auctoritate prædictâ instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi; necnon ea, quæ sic instituta, ordinata, interpretata, & declarata fuerint in toto, vel in parte pro vt rerum, & temporum qualitates exegerint alterandi, & in melius commutandi; singulosque Congregationis eiusdem Prælatos exemptos, ac non exemptos, & personas alias cuiuscumque dignitatis, status, gradus præeminentiæ, vel conditionis extiterint, iuxta suorum qualitates excessuum, atque criminum, dictâ auctoritate corrigendi, & puniendi, pœnisque debitis percellendi; nec non emendâ
7 & pœnitentiâ condignis à lapsu reuocãdi. 7 Et quotiescunque per Capitulum, aut Visitatores prædictos aliquem ex ipsis Prælatis ad regimen administrationemque commissi sibi Monasterij, siue loci præsertim circa curæ animarum, & spiritualium exercitium minus sufficientem, vel ydoneum reputari contigerit, desuper congruè prouidendi; necnon eo à curâ, & exercitio prædictis amoto, illa tunc alteri ydoneo committendi, dictumque amõtum, si progressu temporis ad ea reddatur ydoneus, in pristinum, quoad illa, statum reponendi; necnon omnia, & singula, quæ in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, vel oportuna fuerint, faciendi, & exequendi plenam, & liberam in om-
8 nibus habeant facultatem. 8 Cæterum omnes, & singuli, præsentes, atque futuri Monachi, Conuersi, & Commissi dictæ Congregationis principaliter sub Visitatorum huiusmodi, & consequenter illorum, in quorum Monasterijs, siue locis recepti fuerint Prælatorum, obedientijs remaneant, eas hinc inde, prout decens fuerit, humiliter impensuri.
9 9 Et insuper, ne facilitate præcipiti religionis iugum quis acceptet, nullus ex Monasteriorum, siue locorum huiusmodi Prælatis, vel Prioribus, absque deliberatione maturâ, necnon duarum partium sui. Conuentus assensu, quempiam in Monachum, siue Conuersum, aut Fratrem Monasterij, siue loci, cui præest quomodolibet ad professionem recipiat, aliter verò inibi recepto, nisi postea prædictus accedat assensus standi, vel morandi sit ibidem penitùs
10 interdictum. 10 Præterea, vt cuiuslibet materiâ turba-

turbationis ademptâ, personæ Congregationis huiusmodi quietiùs, & acceptiùs sua sursum vota dirigere valeant: omnes, & singuli, quos de prioribus in quibus professi fuere Monasterijs, & locis ad alia præsentiâ, & futura dictæ Congregationis Monasteria, siue loca, iuxta ordinationem Capituli huiusmodi, transferri contigerit; ex tunc ab ipsis prioribus, Monâsterijs, atque locis realiter absoluti sint, & aliorum Monasteriorum, locorum prædictorum quamdiu steterint, ibidem Monachi, ac suppositi reputentur, & pro Conuentualibus inibi habeantur in actibus, & negotijs capitularibus, ac si ibidem
11 professi forent, locum vbilibet assumentes. 11 Porro, nè præmissorum occasione Monasterijs, & locis Congregationis huiusmodi, vel eorum alicui detractum fore quomodolibet extimetur, omnia Monasteria, & loca prædicta, necnon illorum Prælati, atque personæ quibuslibet eis à Sede Apostolicâ, vel aliàs qualitercunque concessis, aut de iure, seu consuetudine quomodolibet debitis iuribus, præminentijs, ac dignitatibus inconcusè gaudeant, & vtantur, dummodo illa præmissis, & alijs huiusmodi Congregationis ordinationibus, & institutis non
12 obsistant, 12 Nec propterea ex Monasterijs ipsis vnum reputetur alteri subiectum, sed eis in suâ libertate remanentibus, illa vicissitudinis adminiculo coniuncta, sub felici dictę Congregationis regimine, vniformi regularis obseruantiæ gressu, sibi inuicem
13 suffragentur. 13 Adijcientes, quod quotiescunque Prælatus aliquis, Monasterium, cui præfuerit, ad eiusdem Congregationis obseruantiam reducere, & sub illâ reformare delegerit, iuxtà statuta, decreta, necnon ordinationes Congregationis huiusmodi, prout congruentiùs poterit, ipsam reformationem faciat; eiusque desuper acta, conuentiones, & modi, quæ de consensu Congregationis eiusdem, vel illorum, quos ad id deputauerit, in formam publicam redacta fuerint, eo ipso confirmationis Apo-
14 stolicæ sint robore suffulta. 14 Et nè Congregatio ipsa quibusuis deinceps oneribus nimium grauetur; omnia, & singula huiusmodi eius Monasteria, & loca præsentia, & futura à quibuslibet Charitatiuis Subsidijs, necnon ordinarijs, & extraordinarijs Impositionibus, seu Collectis, per quoscunque locorũ Ordinarios exigendis, vel faciendis exempti sint omnino penitùs, & immunes; nec ad ea soluenda coniunctim, vel diuisim à quoquam compelli possint. Omnes quoque, & singuli Processus, nec non excommunicationum, suspensionum, & interdicti Sententiæ, quos occasione non solutionis Subsidiorum, Impositionum, seu Collectarum huiusmodi contra quascunque dictæ Congregationis personas haberi, vel promulgari auctoritate ordinariâ conti-
15 gerit, nullius existant firmitatis. 15 Rursus eidem Congregationi, auctoritate præfatâ concedimus, vt ipsorum Monachi præsentes, & futuri, omnes, etiam Sacros Ordines, ad quos per eorum Superiores præsentati fuerint, à quocunque maluerint Catholico Antistite, gratiã, & communionem dictæ Sedis habente, statutis à iure temporibus recipere valeant Diœcesanorum locorum super hoc licentiâ nõ pe-
16 titâ. 16 Profectò, vt Abbatum, Priorum, Monachorum, Conuersorum, & Commissorum etiam præsentium, ac futurorum, Monasteriorum, & locorum huiusmodi deuotio propagetur ampliùs, & eorum fructuosiùs animarum saluti consulatur, vt Confessores ydonei, quos elegerint peccatorum omnium suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint plenam semel tantum in mortis articulo remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate S. Romanæ Ecclesiæ, ac obedientiâ, & deuotione nostrâ, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persistentibus, concedere valeãt, eâdem auctoritate indulgemus; sic tamen, quod ipsi Confessores de hijs, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam dictis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Conuersis, & Commissis, prout illos contigerit per se, vel alios, sicuti congruerit faciendam imponant; quam ipsi facere teneantur. Et nè, quod absit, aliqui ex Abbatibus, Prioribus, Monachis, Conuersis, & Commissis prædictis, propterea procliuiores reddantur ad illicita imposterum committenda volumus, quod si ex confidentiâ remissionis huiusmodi aliqua forsan commiserint, quo ad illa, eis prædicta remissio nullatenus suffragetur. Quodque singuli ex eis, quam primum concessione Confessorum huiusmodi gaudere voluerint, per vnum annum singulis sextis ferijs, impedimento cessante legitimo, ieiunent; & si prædictis ferijs ex præcepto Ecclesiæ, iniunctâ pœnitentiâ, voto, vel alias ieiunare teneantur, vnâ aliâ die singularum septimanarum eiusdem anni, quâ ad ieiunandum, vt præmittitur non sint adstricti, ieiunent. Quodque si in dicto anno, vel aliquâ eius parte impediti legitimè fuerint, anno sequenti, vel aliàs, quam primum poterunt, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Verum si forsitan aliàs præfatum ieiunium in toto, vel in parte, quandocunque adimplere commodè nequiuerint, eo casu Confessores ydonei, quos ad id elegerint, ipsum in alia pietatis opera, prout huiusmodi animarum saluti expedire viderint, commutare valeant, quæ illi pari modo debeant adimplere; Alioquin, quo ad eos, concessio Confessorum huiusmodi nullius sit roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ sanctionis, statuti, ordinationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo. Nono Calendas Decembris, Pontificatus nostri, Anno secundo.

## CONSTITVTIO LV.

### SVMMARIVM.

1433. *Iuly* 22.

### EVGENIVS PAPA IV.

*Monasterio S. Pauli de Vrbe, eiusque Abbati Immunitates, exemptiones, ac Priuilegia omnia, præcipuè circa vsum Pontificalium, quæ ante vnionem cum Congregatione S. Iustinæ habebat, post dictam vnionem confirmat.*

*Ex Arch. S. Pauli de Vrbe.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ad vniuersorum Orbis Monasteriorum gubernationem, & conseruationem, quantùm Nobis ex alto permittitur, curâ peruigili intendamus; tamen ad Monasterium Sancti Pauli extra muros Vrbis, Ordinis Sancti Benedicti, Nobis, & Romanę Ecclesiæ, cum omnibus

nibus membris suis immediatè subiectum, vt inibi cultus diuinus vigeat, & Regularis Obseruantia continuis proficiat incrementis, eò diligentiùs adhibemus solicitudinis nostræ partes, quò ipsius gloriosi Apostoli, ac Doctoris Gentium speciali titulo insignitur. Sanè dudum in minoribus constituti, dum ad reformationem ipsius Monasterij, ad quod singularem affectionem gerebamus, prout gerimus de præsenti, & quod priorum temporum culpâ in spiritualibus, & temporalibus deformatum, suisque ædificijs collapsum, ac diuini cultus præsidio, necnon temporalibus bonis & iuribus plurimùm diminutum erat, vacare, & intendere summis desiderijs optaremus, felicis recordationis Martinus Papa Quintus prædecessor noster, vices suas, & omnimodam iurisdictionem, cum plenâ, & liberâ potestate in spiritualibus, & temporalibus, & tam in capite, quàm in membris ipsum Monasterium reformandi, ac disponendi, statuendi, decernendi, & ordinandi quæ pro diuini cultus augmento, Regulari Obseruantiâ, reformatione omnimodâ, ac statu, & incremento dicti Monasterij, ac ipsius bonorum, & iurium expedire videretur, nobis per suas literas commisisset; Nos vigore potestatis, nobis in eâ parte concessæ, eodem prædecessore adhuc in humanis agente, ad ipsius Monasterij reformationem procedentes, maturâ super hoc deliberatione præhabitâ, inter cætera statuimus, & etiam ordinauimus, vt ipsum Monasterium ex tunc regimini dilectorum filiorum Congregationis dictæ Vnitatis, Monachorum Sanctæ Iustinæ, prædicti Ordinis, non tamen quòd alicui alteri Monasterio subiectum esset, ac per Monachos dictæ Congregationis, iuxta Regulam Beati Benedicti, nec nô Constitutiones, & ordinationes ipsius Congregationis, & per annualem Priorem regeretur, & gubernaretur, illiusque Monachi ibidem perpetuis futuris temporibus existerent, quorum cura, & correctio ad Congregationem; Nouitiorum, & Professionis receptio ad Priorem, & Monachos præfatos, atque omnia aliâ, & singula habitationes, & ædificia dicti Monasterij Sancti Pauli ad vsum, & curam ipsorum pertinerent; Et si Abbas ipsius Monasterij pro tempore existens ad illud habitandi causâ declinare vellet, idem Prior sibi, nec non eius familiæ de commodâ mansione prouideret. Vt autem inter Abbates, Priorem, & Monachos præfatos pax, & charitas firmaretur, etiam ad id dilecti filij Ioannis, Abbatis moderni eiusdem Monasterijs, accedente consensu, certa Castra tunc expressa Abbati pro tempore existenti, reliqua vero Castra, Villas, Domos, Possessiones, Casalia, Redditus, & prouentus, aliaque bona ad dictum Monasterium spectantia, mensæ Prioris, & Monachorum prædictorum pro eorum vsibus dispensanda contulimus, Adijcientes, quod ipsi Prior, & Monachi de administratis per eos nulli, præterquam ad hoc, iuxta Constitutiones ipsius Congregationis, pro tempore Deputatis rationem reddere tenerentur. Volumus quoque, vt omnia oblationes, & legata ad ipsum Monasterium pro tempore prouenientia per eos reciperentur, quos ipsi Prior, & Monachi deputarent in vsus fabricæ Ecclesiæ dicti Monasterij, ac libris, & Ecclesiasticis ornamentis, & alijs ipsorum Monasterij, & Ecclesiæ vtilitatibus conuertenda; ita tamen vt Prior, & Monachi præfati suis necessitatibus de illis prouidere possent, si sufficientes pro supportandis oneribus sibi incumbentibus non haberent facultates. Postmodum vero ipso prædecessore sublato de medio, Nos cum diuinâ fauete clementia fuissemus ad apicem summi Apostolatus assumpti, statuta, ordinationes, collationes, & assignationes huiusmodi, per Nos facta, ex certâ scientiâ confirmauimus, prout in diuersis eiusdem Prædecessoris, ac nostris super hoc confectis litteris, quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. Cum autem propter huiusmodi statuta, & ordinationes, ac multiplices curas nostras, cooperante Altissimo, à quo bona cuncta procedunt, præfatum Monasterium in quo perantea paucissimi, & absque Monastici Ordinis Regulari Obseruantiâ residebant, tã in cultu Diuino, & Obseruantiâ Regulari, quàm in suis ædificijs, & structuris sit nunc laudabiliter reformatum, ac inibi ad præsens Quadraginta Monachi, vel circiter, sedulo, & deuotè Altissimo famulantes resideant, eisque pro victu, & substentatione ipsorum in fructibus, redditibus, & prouentibus decenter prouisum existat, tamen præcipuam solicitudinem, & diligentem Nos decet adhibere cautelam, vt quæ per nostræ prouisionis ministerium sic feliciter cœpta sunt, taliter vberioris cautelæ præsidio fulciantur, etiam futuris casibus obuiando; vt iuxta datam à Deo Nobis prouidentiam, præfati Monasterij præsens status non solùm conseruetur, sed votiua, dante Domino, in spiritualibus, & temporalibus suscipiat incrementa. Attendentes igitur quod Monasterium prædictum culpâ maximè Abbatum, qui in eodem olim perpetui extiterunt, ac Monachorum ipsius, ad dissolutionem, & alia huiusmodi sinistra deuenerat, quodque eorum culpâ similiter posset id ipsum accidere in futurum, præsertim propter cohabitationem familiarium ipsius Abbatis, qui esse consueuerunt, vt plurimùm, sęculares, nisi debitè occurratur, & nè ex diuersitate obseruantiæ, & variæ professionis morum, & vitæ, animorum, & voluntatum varietas, ac per consequens inuidiæ, æmulationes, contentiones, & verborum iurgia, discordiarum semina, & fomenta euenire contingat, ac inter Abbates, qui pro tempore in ipso Monasterio imposterum habitare vellent, seu eius familiam huiusmodi, ac Priorem, & Monachos prędictos propter versutias Satanæ, qui ad serenda zizania ibi attentiùs inuigilat, vbi maius esse putat vinculum charitatis, dissensiones, discordiæ, & scandala, quæ materiam præberent dicto Monasterio recidendi in calamitatem solitam, & dissolutionem pristinam, suscitentur; omnes dissensionum, & scandalorum materias huiusmodi, quantùm cum Deo possumus, amputare cupientes; Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, auctoritate Apostolicâ, ex certâ scientiâ, tenore pręsentium statuimus, & ordinamus, atque decernimus quod cedente vel decedente Ioanne Abbate moderno præfato, Capitulum dictæ Congregationis, quæ ad præsens Vnitatis Congregatio appellatur, possit, & debeat perpetuis futuris temporibus, quamdiù in eâ, quâ ad pręsens degunt, Regulari Obseruantiâ vixerint, liberè, & licitè, eligere, & deputare Abbatem dicti Monasterij Sancti Pauli illum, de quo eis videbitur, secundùm tenorem constitutionum dictæ Congregationis, Necnon ipsum à regimine Abbatiæ, & Monasterij huiusmodi absoluere, & amouere quotiens eis placuerit, ac pro bono, & vtilitate ipsius Monasterij eis videbitur expediens. Qui quidem Abbas sic pro tempore electus, absque alia Sedis Apostolicæ, seu cuiusuis Ordinarij prouisione, aut confirmatione, seu muneris benedictionis impensione, eidem Monasterio præsit in Domino, ac

Mona-

Monachos illius secundũ Regulã, & Cõstitutiones præfatas regat, dirigat, & gubernet; Ita quod ex tunc quicquid ad præsens ad Priorem pertinere dignoscitur, ad ipsum instituendum Abbatem pertineat suo iure. Nos enim sic in Abbatem electos, quandiù ibidem præfuerit, insignijs Pontificalibus, ac omnibus, & singulis prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, gratijs, & indultis, Abbati dicti Monasterij pro tempore existenti hactenus quomodolibet concessis, vtendi, & gaudendi, auctoritate præfatâ plenam, & liberam licentiam elargimur. Castra verò Liprignani, & Riani, ac Vaccarezæ, nec non medietas Castellionis Portuensis, & Nepensis Diœcesis, quæ pro vsu, & sustentatione dicti Ioannis Abbatis duximus deputanda, volumus & auctoritate præfatâ decernimus, quod post cessum, vel decessum dicti Ioannis Abbatis, ad præfatum Monasterium pro ipsius fabricâ, libris, ornamentis, & alijs ad diuinum cultum pertinentibus, prout dictis Abbati sic instituendo, & Conuentui videbitur expediens, cum omnibus suis iuribus, & pertinentijs liberè reuertantur, & reducantur. Itâ quod liceat dictis Monachis post eiusdem Ioannis Abbatis cessum, vel decessum huiusmodi, absque alterius cuiuscumque licentiâ, propriâ auctoritate prædictorum Castrorum possessionem apprehendere, eorumque omnes fructus, redditus, & prouentus, & omnia oblationes, & legata dictæ fabricæ pro tempore prouenientia, per eos quos ipsi Abbas, & Conuentus ad hoc deputauerint, in vsus fabricæ Ecclesiæ, & Monasterij prædictorum, ac libris, & ornamentis, ac aliis ipsorum Monasterijs, & Ecclesiæ vtilitatibus, prout ante de ipsis oblationibus, & legatis decreueramus, conuertenda, percipere, & habere. Adijcientes insuper quod ipsi Abbas, & Conuentus de administratis per eos nulli preterquam ad hoc iuxta Constitutiones ipsius Congregationis pro tempore deputatis, aut deputandis rationem reddere teneantur. Non obstantibus Apostolicis, ac præfatis constitutionibus, & ordinationibus, necnon statutis, & consuetudinibus dictorum Monasterij, & Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcumque firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, concessionis, voluntatis, decreti, & adiectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçsumpserit, indignationem. Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Trigesimotertio, Vndecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

## CONSTITVTIO LVI.

### SVMMARIVM.

1433. *Decembris* 13.

### EVGENIVS PAPA IV.

*Congregationem de Obseruantiâ* S. *Iustinæ, vel Congregationem Vnitatis, Vnam, & eamdem Congregationem esse; quamuis diuersis vocabulis nominetur, declarat.*

*Ex Arch. Mon. S. Ben. ad Padolyr. Arm. I. Cap. I. nu. 4.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Sedis Apostolicæ prouidentia circumspecta, ne ex diuersitate, seu varietate titulorum, & nominum, quæ idem significant aliqua dubitationis, seu dissensionis causa oriatur, prouidet diligenter, prout id in Domino conspicit expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiâ S. Iustinæ nuncupatorum Ordinis S. Benedicti nobis oblata nuper petitio continebat, quod ipsi ex certis legitimis causis in nonnullis eorum Priuilegijs, Literis Apostolicis, Instrumentis publicis, & priuatis Scripturis, se Congregationem Vnitatis, in nonnullis vero Congregationem de Obseruantia S. Iustinæ appellarunt, & appellari fecerunt, pro vt, pro locorum, & temporum qualitate eis visum fuit vtiliùs expedire. Cum autem ipsi dubitent, ne Priuilegia, Literæ Apostolicæ, Instrumenta, & scripturæ supradictæ propter varietatem titulorum, seu vocabulorum huiusmodi in aliquod dubium reuocari, seu de nullitate, aut surreptione valeant in posterum impugnari, ac etiam cupiant, vt deinceps præfatis titulis, quandoq; vno, quandoq; verò alio, pro vt eis placuerit vti possint. Nos ad omnem ambiguitatis materiam summouendam, quæ ex varietate præfatâ posset quomodolibet prouenire; Auctoritate Apostolicâ decernimus, & tenore præsentium declaramus, quod propter huiusmodi titulorum, seu vocabulorum varietatem, nullum possit dictæ Congregationi, quo ad impetrata, gesta, & acta per eos, seu ipsis concessa, præiudicium generari, omnia, & singula Priuilegia, Literas, Instrumenta, Scripturas huiusmodi, & quæcunq; alia per eos, vel alios in eorum fauorem gesta, & acta, quo ad ipsam vocabulorum, seu titulorum varietatem confirmantes, eâdem auctoritate; ac volentes, & etiam statuentes, vt in quibuscunq; Priuilegij literis Apostolicis, Instrumentis, & alijs Scripturis eorum huiusmodi titulis, seu vocabulis liberè, & licitè in futurum, vti, ac se vtroq; modo nuncupare possint, prout eis libitum fuerit, & facere nuncupari. In contrarium editis non obstantibus quibuscũq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, confirmationis, voluntatis, & statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo tertio Idibus Decembris Pontificatus nostri anno 3.

## CONSTITVTIO LVII.

### SVMMARIVM.

1434. *Ian.* 11.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Monasteria Congregationis S. Iustinæ per Prælatos dictæ Congregationis tantummodò esse regenda, decernit.*

2 *Eorumq; Monasteriorum vacantium ad Capitulum Generale, vel ad Præsidem Congregationis dispositionem tantummodò pertinere, neq; per literas*

*Apo-*

*Apostolicas, etiam cum reseruatione speciali, de eisdem disponi posse.*

3 *Prælati, vel Priores in dictis Monasterijs à Capitulo, vel à Præside deputatos ad nutum dicti Capituli, seu Præsidis amoueri posse, statuit.*

4 *Abbates dictæ Congregationis, quamuis munus benedictionis non accipiant, administrationes tamen Monasteriorum suorum licitè, & liberè exercere posse, ac si munus benedictionis suscepissent.*

5 *Monasteria prædicta à quoquam, quàuis fulgeat dignitate, etiam Cardinalatus, & Pontificali, impetrari non posse in Titulum, Commendam, seu Administrationem, vel quamcumq; Pensionem, super ijsdem sibi vendicare; nisi specialis, & expressa huius Priuilegij mentio fiat.*

6 *Excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam promulgat contra eos, qui eadem Monasteria, seu Prioratus in Titulum, Commẽdam, Administrationem, aut Pensionem impetrauerint.*

7 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padolyr. Arm. I. Caps. I. nu. 5.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi Monasteria piaq; loca singula, nec non illos qui sæculi desiderijs abdicatis omnium conditori Domino, sub regulari castimoniâ famulantes Apostolicis fauoribus, & præsidijs, ex iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio confouere teneamur; Monasteria tamen, & loca commendabilis, Deoq; & hominibus acceptæ Congregationis Monachorum de Obseruantiâ S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti, nec non eorum personas, ob multiplices, quo se exemplari vitâ conferunt in Dominico grege fructus, specialibus affectionibus, & gratijs prosequi satagimus; & vt eorum peramplius ad ædificationem plurimorum solidetur status, ac succedat, & propagetur religionis existentia salutaris, potiores curas, & solicitudines, assiduis studijs adhibemus.
1 1 Cupientes igitur vt nostræ prouisionis ope Monasteria, Prioratus, & loca Congregationis huiusmodi votiua iugiter in spiritualibus, ac temporalibus incrementa suscipiant, & illis, quæ dispendiorum, nec non inconuenientium possent eis occasionem congerere, via, prout oportunum fuerit, penitùs adimatur. Motu proprio, non ad Congregationis prædictæ, vel alterius pro eâ nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, præsentis perpetuò valituræ Constitutionis edicto, Apostolicâ auctoritate statuimus, & ordinamus, quod in anteà perpetuis futuris temporibus Monasteria, & Prioratus Congregationis huiusmodi, quæ nunc sunt, & successu temporis, auctore Domino, præfatæ Congregationi quomodolibet vnientur, incorporabuntur, aut subijcientur, per Prælatos dumtaxat de Congregatione prædictâ regan-
2 tur, atq; gubernentur. 2 Et quotiens illa vbicunq; etiam apud Sedem Apostolicam, & qualitercunq; vacare contigerit, etiam si quæuis speciales, vel generales de illorum prouisionibus, siue dispositioni-
3 bus, per ipsam Sedem, reseruationes factæ fuerint, 3 Capitulum, si tunc celebretur, alioquin Præsidens, cum ad hoc, iuxta eorum consuetudines, & statuta, deputatis, illos, ex ipsis Monachis præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos fore crediderint, in Abbates, & Priores tunc vacantium Monasteriorum, ac Prioratuum huiusmodi aliàs iuxta dictæ Congregationis ordinationes, & statuta eligere, siue nominare, nec non ad nutum, ac beneplacitum eorum taliter electos, siue nominatos à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propte-
4 rea vacare censeantur, absoluere, & amouere. 4 Præfatiq; sic electi, siue nominati, absq; alicuius Sedis prædictæ, vel alterius prouisionis, siue dispositionis adminiculo, & pręter hoc, quod eis propterea munus benedictionis impendatur, ipsis Monasterijs, & Prioratibus, ad quæ sic electi, siue nominati fuerint, præesse, ac illa huiusmodi spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, nec non omnia, & singula, quæ per Abbates, & Priores aliorum Monasteriorum, & locorum dictæ Congregationis, iuxta illius statuta, & ordinationes huiusmodi fieri poterunt, facere, & exercere liberè, ac licitè valeant.
5 5 Et vt personæ Congregationis huiusmodi eo liberiùs, quò quietiùs Altissimo sua dirigere vota possint, & super prædictis illius Monasterijs Prioratibus, & locis, aliorum potius facultates, & redditus, quã proficere in dictâ Congregatione quærentium motibus, & instantijs improbis non turbentur per quascunq; litteras Apostolicas, etiam motu simili, & cum reseruationibus præmissis, ac quibuscunq; derogatorijs, propter quas effectus præsentium quomodolibet impediri, vel differri posset clausulis, concessas hactenus, & imposterum concedendas aduersus nostra statuta, & ordinationes huiusmodi, nullus de prædictâ Congregatione, vel aliter cuiuscunq; status, gradus, ordinis, seu conditionis sit; etiam si Cardinalatus, Pontificali, vel aliâ quâuis dignitate præfulgeat, aliquod ex ipsis Monasterijs, Prioratibus, & locis eiusdem Congregationis in Titulum, aut Commendam, siue Administratione, vel alias, seu super quibusuis illorum fructibus, redditibus, & prouentibus quamcunq; Pensionem sibi vendicare, vel ius desuper acquirere possit; nisi in dictis literis de præsentibus, ac ipsa Congregatione specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, & alias ex ipsarum tenore literarum euidenter apparuerit, singulos Romanos Pontifices, qui eas concesserint ex certâ scientiâ, cum rationabilis subiunctione causæ, prædictis nostris statutis, & ordina-
6 tionibus derogare voluisse, atque velle. 6 Decernentes ipsas litteras ad aliquod ex eisdem Monasterijs Prioratibus, & locis ipsius litteras ad aliquod ex eisdem Monasterijs, Prioratibus, & locis ipsius Congregationis aliàs contra huiusmodi nostrorum statutorum, & ordinationum continentiam, atq; formam nullatenùs extendi debere; nec non irritum, & inane quicquid in contrarium à quoquam quâuis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Rursus interdicimus omnibus, & singulis etiam præmissâ dignitate præditis, ne sub excõmunicationis pœnâ, quam aliàs ipso facto incurrant, contra nostra statuta, & ordinationes huiusmodi, postquam eis illa innotuerint, vel facta de ipsis fides extiterit, quocunq; quæsito colore, quempiam de dictâ Congregatione super quouis ex illius Monasterijs, Prioratibus, & locis prædictis ratione Tituli, siue Cõmendę, vel Administrationis, aut Pensionis huiusmodi, vel aliàs impetere, siue molestare
7 quoquomodo præsumant. 7 Non obstantibus reseruationibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus, nec non priuilegijs, & indultis Apostolicis, quæ ad impediendum, vel differendum effectũ huiusmodi, aut quominus ipsa nostra statuta, & ordinationes vim, vigoremq; perpetuos habeant alicui

*Bullar. Casin. t. 2. c. 1.*

nullatenus suffragentur, ac Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Congregationis, nec non Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus cæterisq; contrarijs quibuscunq; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti ordinationis, constitutionis, & interdicti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationē Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, Tertio Cal. Ian. Pontificatus nostri Anno Quarto.

## CONSTITVTIO LVIII.

### SVMMARIVM.

1434. *Feb.* 23.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Congregationē S. Iustinæ, singulaq; eiusdem Monasteria, loca, bona, iura, Ecclesias, Monachos, Commissos, Nouitios, Cappellanos, Benefactores, Pænitentes, Eucharistiam ab eisdem sumentes, Laboratores, & Seruitores, à Legatorum, & Nunciorum Sedis Apostolicæ, ac quorumcumque Ordinariorum, & Iudicum Iurisdictione, Visitatione, Correctione, Potestate, & Reformatione, eximit.*

2 *Sententias, & Censuras quascumque à quouis Legato Apostolico, vel Iudice contra prædictos, etiam ratione delicti, directè, vel indirectè ferre, vel promulgare; nisi de speciali Apostolicæ Sedis indulto de præsenti Constitutione, & Congregatione prædictâ mentionem faciente, prorsus prohibet. Ipsasque sententias, vel Censuras inanes, irritasque, decernit.*

3 *Ad Concilia, Generalia, vel Prouincialia, Synodos, & Congregationes; præterquam ad eiusdem Congregationis Capitulum generale, accedere Monachos non teneri, decernit.*

4 *Congregationem prædictam, bona, & personas sub B. Petri, & Sedis Apostolicæ protectione suscipit. Aurique vnciam singulo anno in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, eidem S. Sedi per dictam Congregationem persoluendam in signum Perpetuæ libertatis, indicit.*

5 *Legati Apostolici, cæterique Iudices, si contra Congregatione prædictam, vel eius personas attemptare præsumpserint, nisi infra triduum, a cognitione præsentis indulti, ab incœptis destiterint, excommunicationem ipso facto eosdem incurrisse, irritumque quidquid factum fuerit, decernit.*

6 *Datia, Gabellas, Impositiones, Subsidia etiam charitatiua, onera realia, personalia, & mixta, etiam per Sedem Apostolicam imposita, vel imponenda, quamquam de exemptis meminerit; dummodo præsenti Constitutioni ad verbum non deroget, imponere, vel exigere non posse à dictâ Congregatione, statuit.*



7 *A Primitijs, & Decimis Ecclesiasticis persoluendis prorsus eximit; Conciliorum Generalium, & Apostolicæ Sedis decretis non obstantibus. Processus, sententiasque contra dictam Congregationem hâc de causâ promulgatas, irritando.*

8 *Bona, & Iura dictæ Congregationis aquisita, vel aquirenda confirmat. Occupantes, molestantes, & impedientes prædicta, Ecclesiasticas Censuras ipso facto incurrisse, à Sede tantummodo Apostolicâ absoluendi, si de præsenti Constitutione admoniti infra triduum non restituerint, vel idoneam fideiussionem de satisfaciendo præstiterint, declarat.*

9 *Sæcularium, aliarumquè personarum ad prædictæ Congregationis habitum confugientium, accessum prohibentes, impedientes, vel iniuriam inferentes, vel ab eâdem extrahentes; nisi de huiusmodi Constitutione certiores facti, resipuerint, anathemati subijcit.*

10 *Vota alterius Religionis dispensari posse cum his qui habitum dictæ Congregationis suscipiunt, dummodo professionem in tali Religione non emiserint.*

11 *Vota quæcunque dispensari posse à dictâ Congregatione cum Commissis, quoad in Congregatione vixerint, excepto Voto Religionis, indulget.*

12 *Beneficia Ecclesiastica extra dictam Congregationem, absquè superiorem suorum assensu procurantes Monachos, oblataque absque dicto assensu, acceptantes, ad hæc Beneficia perpetuò inhabiles declarat, & si contra suorum Superiorum inhibitionem id contendere præsumpserint, si infra triduum, moniti, non destiterint, excommunicationi ipso facto subiacere; a quâ, nisi satisfactione peractâ, absolui non posse, decernit.*

13 *Indulgentias Stationum Vrbis in diebus Stationis concedit Monachis, Commissis, & Nouitijs dictæ Congregationis Miserere mei Deus Psalmum recitantibus ante quinque Altaria vel minus si non fuerint in loco vbi morantur, vel si nescientes Psalmum prædictum, ter pro quolibet Altari Pater noster, & totidem Aue Maria protulerint.*

14 *Missam ante diem, vsque ad Nonam inclusiuè celebrare posse Monachos dictæ Congregationis in itinere constitutos, indulget.*

15 *Interdicti tempore Diuina officia submissâ voce, interdictis exclusis, celebrare posse Monachos, constituit.*

16 *Excommunicationē non incurrere Monachos participantes, etiam in Diuinis, cum excommunicatis, non tamen publicè, & specialiter declaratis, decernit.*

17 *Sepulturam liberam esse in Monasterijs dictæ Congregationis cuicumque non excommunicato, neque publico vsurario, confirmat.*

18 *Derogari Indultis, & Immunitatibus dictæ Congregationis per Monachos, seu quascunque personas cuiuscunque gradus vel dignitatis, scienter, vel ignoranter, per vnum, vel plures actus, minimè posse, declarat.*

19 Pri-

19 *Priuilegia, & exemptiones à Romanis Pontificibus, seu ab alijs Principibus eidem Congregationi concessa, vel concedenda, confirmat.*

20 *Priuilegia, Immunitates, & exemptiones cuilibet Monasterio dictę Congregationis concessa, ad alia eiusdem Congregationis Monasteria, extendit.*

21 *Derogari præsenti Indulto, vel eius parti non posse, etiam per literas Apostolicas motu proprio datas, nisi expressè, & singillatim huic velle derogare declarent; ac in his de verbo ad verbum exprimant hęc priuilegia; nominando etiam Congregationem Vnitatis, aliàs de Obseruantiâ S. Iustinæ; & insuper causas legitimas derogationis allegauerint.*

22 *Derogatorijs derogat.*

23 *Excommunicationem, æternamquè maledictionem in contrauenientes comminatur.*

*Ex Arc. S. Benedicti de Padolyrone Arm. III lib. 21 fol. 47*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Et si ex debito ministerij Pastoralis quibuslibet personis Regularem vitam professis nos deceat esse in suis opportunitatibus, & commodis, fauorabiles, & benignos: Congregationem tamen Monachorum Vnitatis, alias de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ nuncupatam, Ordinis Sancti Benedicti, ob laudabilis vitæ merita, & virtutum incrementa, tanquam nouellam plantationem à nonnullis annis citrà in præfato Ordine renascentem, ad cuius incrementum, & bonum regimen, etiam dum in minoribus constituti eramus, impendimus opem, & operam efficacem; & nunc ad apicem Summi Apostolatus assumpti, propensiori charitate complectimur, quò pretiosiores, atque vberiores fructus per eorum labores, & operam diligentem conspicimus, in populum Domini pro-
1 uenire. 1 Cupientes igitur, vt Monachi ipsi eo quietiori animo valeant reddere Altissimo vota sua, ac pro salute fidelium exorare, quo fuerint amplioribus per Sedem Apostolicam, Priuilegijs, Indulgentijs, & Gratijs communiti. Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, aut alicuius alterius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, Dilectos filios Congregationem præfatam, eiusque Præsidentem, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, Conuersos, Commissos, Nouitios, ac eorum Cappellanos, qui pro tempore fuerint, etiam curam habentes animarum, & personas quaslibet, quæ nunc sunt in præfatâ Congregatione, & in futurum pro tempore erunt, ac etiam Monasteria, Prioratus, & loca ipsius Congregationis, quæ proprijs vocabulis duximus exprimenda, videlicet Monasterium Sanctæ Iustinæ de Paduâ, vnde ipsa Congregatio sumpsit exordium. Monasterium Sancti Pauli extra muros Vrbis, cum Cappellâ Sancti Clementis Tiburtini sibi annexâ. Monasterium Sancti Georgij Maioris de Venetijs Castellanensis Diœcesis. Monasterium Sancti Sixti Placentini. Monasterium Sancti Petri de Rosaccio Aquilegiensis Diœcesis. Monasterium SS. Naboris, & Felicis Bononiensis cum Cappellâ Sanctæ Mariæ in Monte propè Bononiam sibi annexâ. Monasterium SS. Viti, & Modesti de Calauennâ Veronensis Diœcesis. Monasterium S. Iuliani de Aleppiâ eiusdem Diœcesis. Monasterium Sancti Petri Mutinensis. Monasterium S. Mariæ in Monte, propè muros Cęsenæ. Monasterium Sancti Seuerini Neapolitani. Monasterium S. Angeli Caietan. cum Cappellâ S. Theodori etiam Caietan. sibi annexa. Prioratum S. Nicolai de Boschetto Ianuensis Diœcesis. Prioratum S. Fortunati prope Bassanum, Vicen. Diœcesis, ac alia omnia, & singula Monasteria, Prioratus, & loca, quæ & quos Congregationi præfatæ in futurum quandocunque vniri, vel incorporari, seu subijci, vel aggregari contigerit; necnon omnia, & singula dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum, vt præmittitur præsentium, & futurorum Ecclesias, Cappellas, etiam si ipsis cura animarum immineat, Oratoria, manualia, membra, Castra, Fortilitia, Ædificia, Villas, Grangias, Vineas, Oliueta, Ortos, Siluas, Nemora, Prata, Pascua, Piscationes, Molendina, Aquas, Aquarum decursus, Iura, Iurisdictiones, Prædia, Possessiones quaslibet, & bona quæcunque. Quæ omnia supradicta in præsenti sunt, & in futurum erunt dictæ Congregationis, & quæ omnia, & singula per eorum vocabula, & fines, valores, quantitates, & qualitates, hic haberi volumus pro sufficienter expressis à quorumcunque Legatorum, Delegatorum, & Subdelegatorum, necnon Nunciorũ Apostolicæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumuis Officialium Romanæ Ecclesię, ac etiã Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Administratorum, & aliorum quorumcumque Iudicum Ordinariorum, quouis nomine, & potestate fungãtur, locorum Ordinariorum, eorumque ditione, auctoritate, potestate, dominio,
2 visitatione, reformatione, & correctione. 2 Ita quod in Congregationem, vel eius singulares personas, in Monasteria, Prioratus, loca, & personas in eis degentes ratione delicti, excessus, seu contractus, vbicunque iniretur contractus, seu delictum committatur, aut res ipsa, de quâ agitur, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut alias quasuis sententias, nisi de speciali commissione Sedis Apostolicæ, & de Indulto huiusmodi, ac Congregatione præfatâ mentionem expressam faciente, quomodolibet ferre, seu promulgare possint. Decernentes ex nunc quicquid in contrarium factum fuerit irritum, & inane nulliusque fore roboris, vel momen-
3 ti. 3 Et à Prouincialibus, Synodalibus, vel alijs quibuscunque Congregationibus, nisi ad ipsius Congregationis Capitulum Generale celebrãdum iuxtà eorum statuta, & ordinationes, euocatione, de specialis dono gratiæ, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium prorsus eximimus, & totaliter libera-
4 mus. 4 Illaque omnia, & ipsorum quodlibet in ius & proprietatem Beati Petri, & Sedis eiusdem, ac sub eorum protectione specialiter suscipimus, & nostrâ; retento nobis, & Ecclesiæ Romanæ Annuo Censu in Festo Beatorum Petri, & Pauli annis singulis nobis, & Camerę Apostolicę persoluendo Au-
5 ri Vncię vnius, In Signũ Perpetuę Libertatis. 5 Quod si huiusmodi Legati, vel Ordinarij, seu personæ supradictę contra præfata, vel aliquorum pręfatorum aliquid non solum facere, sed attemptare quomodolibet præsumpserint, & requisiti per ipsius Congregationis Prælatos, aut Monachos, seu per notificationem præsentis Priuilegij, vt desistant, & id facere neglexerint infrà tres dies, à die requisitionis siue notitiæ, vt præfertur; eo casu, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Et nihilominus quod alias actum est, eo ipso sit irritum, & inane, & nullius efficaciæ, roboris, vel momenti.
6 6 Et nè quandocunque imposterum Reges, Principes, Barones, Milites, Nobiles, Laycales personæ, aut

aut Communitates, Vniuersitates, Magistratus, Rectores, & Officiales Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & Diœcesium diuersarum, Monasterijs, Prioratibus, locis, Cappellis, Ecclesijs, Manualibus, Grangijs, Castris, Possessionibus, ac Bonis; necnon Prælatis, & Monachis ipsius Congregationis Gabellas, Tallias, Datia, Collectas, Impositas, Onera, & alia varia, & diuersa grauamina inferre, vendicare, & imponere præsumant. Nos volentes Monasterijs, ac locis, bonis, & personis huiusmodi de remedio oportuno prouidere; omnibus, & singulis Legatis, Subdelegatis, & Nuncijs Apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac Rectoribus vniuersis præsentibus, & futuris, in quorum Diœceses sunt, & erunt in futurum loca, & personæ huiusmodi, per Apostolica scripta, tenore præsentium, committimus, & mandamus, quatenus præfata loca, ac etiam personas in eis degentes, & eorum bona Tallijs, Collectis, Impositionibus, Gabellis, Subsidijs, etiã Charitatiuis, aut quibusuis alijs Oneribus realibus, & personalibus, seu mixtis, etiam per eamdem Sedem indictis, concessis, seu datis, aut permissis, seu indicendis, aut concedendis de cetero grauare quoquomodo minimè permittant. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia, appellatione propositâ, compescendo. Non obstan. si in dictis secularibus, vel quibuslibet alijs personis communiter, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod illa imponere possint, seu exigere valeãt, etiam ab exemptis per se, vel alios quoquomodo, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu vltra, vel extra certa loca ad iudiciũ euocari, non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ex certâ scientiâ, ac ipsâ Congregatione, specialem mentionem. Decernentes nihilominus, ac per præsentes ex nunc inhibentes Onera, Gabellas, & alia grauamina supradicta, nullo modo fieri, imponi, indici, aut impositas, seu indictas exigi posse dictis, vel à dictis personis, Monasterijs, locis, bonis, & rebus Congregationis huiusmodi præsentibus, & futuris. Insuper vt liberiùs, & commodiùs necessitatibus suis prouidere, ac hospitalitati, & pauperum subuentioni vacare possint, volumus, & decernimus Monasteria, Prioratus, & Loca Manualia, Grangias, Possessiones, & Bona, quæ in præsenti sunt ipsius Congregationis, & erunt in futurum, ac Prælatos, Monachos, & Personas præfatas, ab omni impositione, exactione quorumcunque Legatorum, etiam à latere, Subdelegatorum, Nunciorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diœcesanorum, seu alterius cuiuscunque etiã Apostolicâ, seu quâuis auctoritate, tàm impositorum, quàm imponendorum, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de Indulto huiusmodi, ac Congregatione ipsâ mentionem specialem, necnon à solutione Charitatiui, vel alterius cuiuscunque Subsidij, & impositionis collectæ, vel alterius cuiuscunque exactionis, & oneris realis, personalis, vel mixti de cetero prorsus exemptos, liberos, & immunes; itaut cogi, vel inquietari per dictas personas, aut alias quascunque pro huiusmodi oneribus, & impositionibus, grauaminibus, exactionibus, & solutionibus minimè possint, & debeant. Cæterum de possessionibus, ac Noualibus, & alijs bonis vbilibet constitutis, Monasteriorum, Prioratuum, bonorum præfatorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus præfati Prælati, Monachi, & personæ colunt, aut in futurum colẽt, de quibus aliquis hactenus nõ percepit, siue de Hortis, Virgultis, Piscationibus eorundem, vel de nutrimentis animalium ipsorum nullus ab ipsis, vel ab alijs pro eis Decimas, vel Primitias, etiam de hijs, quæ sunt pro victu, & vestitu, ac incolentibus pro vsu Monachorum, & locorum necessaria, ac personarum degentium pro tempore in eis exigere, vel extorquere præsumant, nec illas aliquibus soluere teneatur, siue ad id, à quoquam compelli possint inuiti; Generalis Concilij, & quibuscunque alijs Apostolicis, vel Prouincialibus, aut Synodalibus constitutionibus in contrarium non obstantibus. Decernentes ex nunc irritum, & inane quoscunque processus, & sententias, etiam interdicti, quos, vel quas contra inhibitiones nostras huiusmodi, per quemuis, aut quâuis auctoritate fieri contigerit, seu quomodolibet promulgari.

8 8 Præterea quascunque possessiones, bona, iura, & iurisdictiones ad ipsa Monasteria, Loca, Ecclesias, Cappellas, Oratoria, & Hospitalia, tàm præsentia, quàm futura ipsius Congregationis in quibuscunque mundi partibus constituta, quorum nomina, & cognomina habentes pro sufficienter expressis, quæ in præsentiarum iustè, & canonicè possident, seu in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principũ, oblatione fidelium, vel alijs iustis modis, præstante Domino, poterunt adipisci; hæc ipsis Monasterijs, locis, Ecclesijs, Cappellis, Oratorijs, seu Hospitalibus præsentibus, & futuris, firma rata, & illibata seruentur. Decernentes, vt nulli omnino hominum liceat præfata Monasteria, siue loca, vt præfertur, res, vel bona mobilia, siuè immobilia, possessiones, domos, molendina, aquas, piscarias, iura, seu iurisdictiones temerè perturbare, aut illa, vel eorum quodlibet auferre, vel ablata retinere, occupare, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Quod si aliqua Ecclesiastica, sæcularisue persona cuiuscunque gradus, vel conditionis existat, etiam si Pontificali dignitate præfulgeat, hoc nostræ liberationis, exemptionis, decreti, concessionis, defensionis, conseruationis, & libertatis Indultum contrauenire, dicta bona, iura, iurisdictiones, exemptiones, & Indulta, vel aliquod eorum, violando, occupando, turbando, diminuendo, seu indebitè fatigare præsumpserit, nisi factâ, ei notitiâ de huiusmodi nostro Indulto, infra tres dies se correxerit, aut debitam cautionem de satisfaciendo præstiterit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat; à quâ nisi dictâ satisfactione præstitâ; præterquam in articulo mortis, & tunc de satisfaciendo per se, si superuixerit, aut per suos hæredes, vel successores debitâ præstitâ cautione, nequeat absolutionis beneficium obtinere.

9 9 Prohibemus insuper ne personas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur è sæculo fugientes, & ad conuersationem huiusmodi Congregationis venire cupientes, quicunque cuiuspiam status, gradus, aut conditionis existant, verberibus, minis, violentijs quibuscunque impedire, vel prohibere audeant, vel præsumant, aut Monasterijs ipsius Congregationis præsentibus, & futuris, iniuriam aliquam ingredi volentibus, aut recipientibus, irrogando, seu eos molestando huiusmodi personas euellere, aut extrahere; Contra facientes vero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; dum tamen cum hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à præmissis.

10 10 Liceat insuper præfatis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus præfatæ Congregationis præsentibus, & futuris personas volentes earum Congregationi sociari, quæ Religionem, vel Ordinem quemcunque

que alium ingredi vouissent, tali voto non obstante, recipere, easque ab ipso voto absoluere, auctoritate Apostolicâ, atque ad professionem recipere; dũmodo in tali Religione, seu Ordine, de quo vouissent, professionem non emiserint; quod si tamen post professionem emissam ab ipsâ recesserint Congregatione, huiusmodi absolutio, nullius sit robo-
11 ris, vel momenti. 11 Nec non quod præfati Præsidens, Visitatores, Abbates, Priores, & Rectores cũ Commissis, quamdiu in Monasterijs suis, aut sub obedientiâ eorum vixerint super omnibus votis, excepto dumtaxat voto Religionis eâdem auctorita-
12 te valeant dispensare. 12 Præterea, vt omnis materia instabilitatis, ambitionis, & scandali de medio dictæ Congregationis tollatur, volumus, & ordinamus, ac etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ, & maledictionis æternæ inhibemus; nè, sicut Religiosi electionibus de se factis absque sui Superioris obtentâ licentiâ speciali, non valent, iure communi, quomodolibet consentire; sic dictæ Congregationis Monachi præsentes, & futuri, etiam si in dictâ Congregatione officia regiminis vniuersalis, aut alterius Monasterij sub vocabulo Abbatis, Prioris, siue alio secundum eorum Priuilegia, vel statuta, aliquod Beneficium Ecclesiasticum extra dictam Cõgregationem per se, vel alium impetrare, aut ipsum quamuis oblatum acceptare, absque speciali licentiâ Capituli dictæ Congregationis, vel Præsidentis, cum maiori parte eius Consultorum. Quod si secùs quiuis facere præsumpserit, ipso facto careat impetratis, & ad Ecclesiastica Beneficia, specialiter ad illud, cui absque speciali, & obtentâ licentiâ, vt præfertur, consenserit, aut procurauerit, promoueri perpetuò sit inhabilis. Et si contra Superiorum suorum inhibitionem contendere præsumpserit, si monitus infra tres dies non quieuerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à quâ, nisi fa-
13 ctâ debitâ satisfactione absolui non possit. 13 Præterea ipsis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Conuersis, Commissis, & Nouitijs, qui pro tempore fuerint indulgemus per præsentes, quod si diebus illis, quibus habetur accessus ad Stationes Ecclesiarum in Vrbe pro Indulgentijs, si quinque Altaria propria sui loci, aut pauciora, si tot non habuerint, visitauerint, semelque Miserere mei Deus pro singulo Altari, pro felici Statu Sanctæ Matris Ecclesiæ dixerint, similem, seu tantam indulgentiam, qualem, & quantam hij, qui in Vrbe dictas Ecclesias Vrbis in die Stationum visitant, consequantur. Si verò ipsis contingat propter obedientiam, aut propter alias causas pro bono ipsius Congregationis exire propria Monasteria, vbicunque commodius potuerint dicta Altaria in quâcunque Ecclesiâ, dicendo semel Miserere mei Deus, pro quolibet Altare, vt præmittitur, visitauerint; Conuersi autem, siue Commissi, aut alij, nescientes Miserere, si dicta Altaria visitantes, ter Pater noster, Aue Maria totidem pro quolibet Altari dixerint, eandem, etiam indulgen-
14 tiam consequantur. 14 Quodque huiusmodi Congregationis Sacerdotes in itinere constituti, aut aliâ ad hoc causâ subsistente, ante diem, vsque ad Nonam inclusiuè celebrare valeant, tenore præsentium
15 daximus concedendum. 15 Præterea cum generale terræ fuerit Interdictum, liceat præfatæ Congregationis personis, in Monasterijs eiusdem Congregationis exclusis interdictis, & voce submissâ,
16 diuina Officia celebrare. 16 Quodque vt animarum eorum saluti prouideatur Prælati, Monachi, & personæ dictæ Congregationis, quocunque nomine censeantur, propter participationem, etiam in diuinis cum excommunicatis à iure, vel statutis Ordinariorum, nullam excommunicationis, aut peccati maculam incurrant; nisi ipsi excommunicati essent specialiter denunciati, aut de excommunicatione ipsa vniuersaliter infamati, eâdem aucto-
17 ritate concedimus. 17 Sepulturam quoque in Monasterijs, & locis præfatæ Congregationis præsentibus, & futuris liberam esse volumus, & eorum deuotioni, & liberè voluntati, qui se illic sepelire declarauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat; saluo tamen iure illarum Ecclesiarum, à quibus
18 corpora assumuntur. 18 Adijcientes etiam, quod si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus cõtra huiusmodi decreta, priuilegia, & ordinationes, aut ipsorum aliquod à quocunque cuiuscunque conditionis, gradus, & status existat, & exigentiâ, vel ignorantiâ præsentium, & futurorum, quibus hęc conceduntur, aut aliâ quâuis causâ, propter quam fuerit aliter attemptatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scientèr, nullum tamen prẹiudicium decretis huiusmodi volumus generari, sed in suo remaneant vigore, ac robore.
19 19 Pręterea omnes libertates, & immunitates à prędecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & alijs Legatis, seu Nuncijs Apostolicis, Archiepiscopis, seu Episcopis, Monasterijs, & locis pręfatis concessas libertates, Exemptiones sęcularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel alijs Christi fidelibus rationabiliter pretatis locis pręsentibus, & futuris indultis; quatenus huiusmodi nostris non obuient institutis, auctoritate Apostolicâ confirma-
20 mus. 20 Quodque omnibus, & singulis Priuilegijs, Gratijs, & Indultis, quę cuilibet dictę Congregationis Monasterio, seu loco ex pręsentibus, & futuris concessa fuerint hactenus, & concedentur in futurum, ipsius Congregationis alia Monasteria, & loca pręsentia, & futura, quibus huiusmodi Priuilegia concessa non fuerint, in quantum eis expediat inuicem vti valeant, & gaudere, ac si nominatim singulis ipsis Monasterijs prius forent huiusmodi Priuilegia concessa, auctoritate pręfatâ concedi-
21 mus, & indulgemus. 21 Pręterea, cum plerumque contingat pręmissâ, importunitate petentium, & negotiorum, suppressione veritatis, Summos Pontifices fatigatos, aut circumuentos, ea concedere, quibus aliàs nullatenus annuerent; auctoritate pręsentium, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod quęcunque Litterę Apostolicę, etiam proprio motu confectę, aut in futurum conficiendę, quę obuient, & contrafaciant huic pręsenti Priuilegio, aut cuiuslibet eius particulę; nisi appareat euidentissimè, et apertissimè, quod Summus Pontifex, qui pro tempore fuerit, huic Indulto, v el alicui eius parti velit derogare, per Litteras Apostolicas facientes specialem mentionem, de verbo ad verbum, ex certâ scientiâ, de huiusmodi Priuilegio, ac ipsa Congregatione, diuersis nominibus, eandem nominando, per hęc præcisa vocabula videlicet Congregationis Vnitatis, aliàs de Obseruantiâ Sanctę Iustinę nuncupatę, causasque legitimas allegauerit, cur hijs obuiare intendat decretis,
22 nullius sit roboris, vel momenti. 22 Non obstantibus in Constantien. & alijs Concilijs, ac fel. rec. Innocentio Quarto, Martino Quinto, et alijs Summis Pontificibus prędecessoribus nostris editis constitutionibus, et ordinationibus, etiam si de illis specialis, et expressa, ac de verbo ad verbum pręsentibus, mentio habenda esset, quibus, quoad pręmissa spe-

ſpecialiter derogamus; Nec non Monaſteriorum, Prioratuum, & Ordinum prędictorum iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâcunque firmitate, aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

23 23 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, commiſſionis, mandati, inhibitionis, voluntatis, conſtitutionis, prohibitionis, conceſſionis, adiectionis, confirmationis, ſtatuti, ordinationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Florentię, Anno Incarnationis Dominicę. Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto, ſeptimo Calendas Martij, Pontificatus noſtri Anno quarto. Poggius. Duplicata. Gratis de mandato Domini noſtri Papę. Io: de Steccatis.

*Forma Quietantiarum Cameræ Apoſtolicæ ad fauorem Congregationis Caſinenſis pro Vncia auri quæ ſingulo anno ab eadem Congregatione ſoluitur* In Signum Perpetuæ Libertatis, & pro Manutenſione Priuilegiorum.

IN Nomine Domini Amen. Præſenti publico Inſtrumento cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum, quod Anno ab eiuſdem Natiuitate Milleſimo, Sexcenteſimo Vigeſimo Primo, Indictione quartâ, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Gregorij diuinâ prouidentiâ Papę Decimi quinti, Anno eius primo, die vero quartâ Iunij. Ego Notarius publicus infraſcriptus acceſſi ad Banchum DD. de Coſtagutis olim Depoſitariorum Sedis Apoſtolicæ tempore Pontificatus fel. rec. Pauli V. & ad Inſtantiam R. P. D. Victorini à Salerno Comprocuratoris Congregationis Caſſinen. ex libro nuncupato Intrata, & vſcita della Depoſitariâ Generale, cohoperto cum cartâ pergamenâ ſub fol. 11, ad creditum Cameræ extraxi infraſcriptas partitas, videlicet, Adi 18. Giugno 1619. E. ducati otto Camera noui dalla Congregatione Caſinenſe per il Cenſo del preſente anno della Manutenſione delli loro priuilegij in ſegno della Perpetua Libertà. Item ex eodem libro fol. 27. ad Creditum dictæ Cameræ ſub die 28. Iunii 1620. E ducati otto dalla Congregatione Caſſinenſe per Manutenſione de' loro Priuilegij, in ſegno della Perpetua Libertà. Eâdem die, Item ex Bãco DD. Ioſephi de Bonannis, & ſociorum, & ad inſtantiam eiuſdem R. P. Don Victorini, & ex libro nuncupato Entrata, & vſcita della Depoſitaria generale de annis 1617. & 1618. olim cantan. in perſonam b. mem. Ruberti Primi, illo tempore Depoſitarij fel. rec. Pauli Papæ Quinti, extraxi infraſcript. partit. videlicet. E adi 28. Luglio 1617. dalla Cõgregatione Caſinen. ducati otto di Camera noui per la Cõſeruatione de Priuilegij. E adi 28. Giugno 1618. dalla Congregatione Caſſinenſe ducati otto di Camera per la Conſeruatione dei Priuilegij, & in ſegno di Perpetua Libertà. Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis petitũ fuit â me eodem Notario publico infraſcripto, vt vnum vel plura pub. ſeu publica conficerem, atque traderem Inſtrumentum, & Inſtrumenta quantum opus fuerit, & requiſitus ero. Actum Romæ, in ſupradictis Banchis præſentibus ibidem DD. Rinaldo Buratto, & Iulio Oliuello Connotarijs teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis, ſpecialitèr, atque rogatis.

Ego Arſenius Muſca Namien. Curiæ Cauſar. Cameræ Apoſtolicæ Not. de præmiſſis rogatus, præſens Inſtrum. ſubſcripſi, & publicaui req. &c.

*Locus † Signi.*

## CONSTITVTIO LIX.

### *SVMMARIVM.*

1434. Feb. 23.

EVGENIVS PAPA IV.

1 *Congregationem S. Iuſtinæ, ſingulaque eiuſdem Monaſteria, loca, bona, iura, Eccleſias, Monachos, Commiſſos, Nouitios, Cappellanos, Benefactores, Pœnitentes, Euchariſtiam ab eiſdem ſumentes, laboratores & ſeruitores à Legatorum, & Nunciorum Sedis Apoſtolicæ, ac quorumcumque Ordinariorum, & Iudicum Iuriſdictione, Viſitatione, Correctione, Reformatione, & Poteſtate eximit.*

2 *Sententias, & Cenſuras quaſcumque, à quocumque Legato Apoſtolico, vel Iudice contra prædictos, etiam delinquentes, directè, vel indirectè ferri, vel promulgari, niſi de ſpeciali Apoſtolicæ Sedis indulto, de præſenti Conſtitutione, & Congregatione prædictà mentionem faciente, prorſus prohibet; ipſaſque ſententias, vel Cenſuras inanes, irritaſque decernit.*

3 *Congregationem, bona, & perſonas prædictas, ſub Sedis Apoſtolicæ & B. Petri protectione ſuſcipit.*

4 *Auri vnciam ſingulo anno in Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. perſoluendam per dictam Congregationem Cameræ Apoſtolicę, in Signum Perpetuę libertatis, indicit.*

5 *Legatos Apoſtolicos, ſeu quicumque Iudices, ſi contra Congregationem prędictam, vel eius perſonas attentare præſumpſerint, niſi infra triduum à cognitione præſentis Conſtitutionis deſtiterint ab inceptis, excommunicationem, ipſo facto, incurriſſe, irritumque quidquid factum fuerit, decernit.*

6 *Ad Concilia Generalia, vel particularia, Synodos, & Congregationes, quaſcumque, etiam à Sede Apoſtolicâ indicta, accedere inuitos prędictę Congregationis S. Iuſtinę Monachos, non poſſe cogi, niſi per Apoſtolica Decreta, pręſenti indulto, ad verbum derogantia, conſtituit.*

7 *Miſſas, & Diuina Officia celebrari, Ordines conferri, Cauſas agitari, Proceſſiones, Synodos, & Conuentus, Congregationeſque Eccleſiaſticorum ſeu ſæcularium conuocari in locis dictæ Congregationis à quocumque, inuitis Monachis, prohibet.*

8 *Loca pręfatę Congregationis ad Hoſpitium, Habitationem, Detentionem, vel Carcerationem concedere cuicumque, non poſſe cogi Monachos. Contrafacientes, admonitos, nec reſipiſcentes, Excommunicationi ſubijcit.*

9 *Datia, & Gabellas, etiam ad Pontium, & Viarum reparationes, imponere, vel exigere à dictâ Congregatione, etiam de Sedis Apoſtolicę ſpeciali indulto*

dulto, quamquam de exemptis meminerit, dummodo præsenti ad verbum non deroget, non posse statuit. Imponentesque, ac exigentes, nisi, de præsenti indulto admoniti, resipuerint, quantumuis priuilegiati, Excommunicatos fore statuit.

10 Impositiones, Subsidia, & Onera, quæcumque realia, personalia, vel mixta per Sedem quoq; Apostolicam indicta, vel indicenda, ab eadem Congregatione minimè soluenda. Legatos dictæ Sedis, aliosque Iudices admonendo, vt suam interponant auctoritatem, nè ad id possit cogi; Contrauenientes etiam per Ecclesiasticas censuras, appellatione postpositâ, compescendo.

11 Decimas, Collectas, Census, Redditus, Subuentiones etiam occasione Visitationis, Onera realia, & personalia à quocunque imposita, vel cuicunque debita, per prædictam Congregationem, & eius suprædictas personas, & loca, minimè soluenda.

12 A Quartesijs, & Decimis Ecclesiasticis persoluendis prorsus eximit. Non obstantibus quibuscunque Concilij generalis, vel Apostolicis, Decretis, & Constitutionibus. Processus, sententiasque contra dicta in Cōgregationem hâc de causâ promulgatas, inanes decernit.

13 Hæreditatum, Legatorum, & Fideicommissorum capaces Monasteria & Monachos dictæ Congregationis, ac si sæculares forent, constituit.

14 Bona, & Iura dictæ Congregationis aquisita, vel aquirenda confirmat. Occupantes, molestantes, & impedientes prædicta, ecclesiasticas censuras, ipso facto incurrisse, à Sede Apostolicâ tantum absoluendi, nisi de præsenti indulto admoniti, infra triduum destiterint, vel idoneam fideiussionem de satisfaciendo præstiterint, declarat.

15 Præscriptionem sexagenariam pro recuperatione bonorum, & Iurium elargitur.

16 Secularium, aliarūq; personarum ad prædictæ Congregationis habitum confugientium, impedientes accessum, molestantes, vel ab eadem Congregatione extrahentes; nisi de huiusmodi Constitutione certiores facti resipuerint, anathema ipso facto incurrisse, decernit.

17 Monachos dictæ Congregationis à Monasterijs, obsequiorum, vel seruitiorum causâ, etiam arctioris vitæ, & Religionis prætextu, absque suorum Superiorum vel Capituli Generalis seu Præsidentis, & maioris partis Visitatorum assensu abstrahentes, seu recipientes, etiam cum literis Apostolicis præsenti Constitutione non derogantibus; nisi de eâdem constitutione commonefacti, infra triduum dimiserint, excommunicationem ipso facto incurrisse denunciat tam receptantes, quam receptos, à solo Papâ, præterquam in mortis articulo, absoluendi.

18 Commissiones, & legationes exercere, nisi voluntariè, Monachos non teneri.

19 Ad iuramentum de calumniâ, seu de veritate dicendâ, vel ad testimonium ferendum inuitè, non posse cogi Monachos. Neque extra Ciuitates, & Diœceses proprias trahi ad iudicium. Neque sententiam, vel censuram in eosdem proferri, nisi de præsenti indulto per litteras Apostolicas singillatim sit cautum. Irritumque, & inane quidquid contra eosdem actum fuerit, constituit.

20 Testimonia Monachorum, & personarum dictæ Congregationis, in causis proprijs, legale, iuridicum, ac legitimum fore decernit.

21 Derogari Indultis, & Immunitatibus dictæ Congregationis, etiam per eiusdem Monachos, seu quascunque personas cuiuscumque dignitatis, scienter, vel ignoranter, per vnum, vel plures actus, minimè posse.

22 Derogatorijs derogat.

23 Excommunicationem, æternamque maledictionem in contrafacientes comminatur.

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone Arm. I. Caps. I.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Et si ex debito Ministerij Pastoralis quibuslibet personis regularem vitam professis Nos deceat esse in suis opportunitatibus, & commodis fauorabiles, & benignos. Congregationem tamen Monachorum de Obseruantiâ S. Iustinę Ordinis S. Benedicti, ob laudabilis vitę merita, & virtutum incrementa tamquam nouellam plantationem à nonnullis annis citra in præfato Ordine renascentem ad cuius incrementum, & bonum regimen, etiam dum in minoribus constituti eramus, impendimus opem, & operam efficacem; Et nunc ad apicem Summi Apostolatus assumpti propensiori charitate complectimur, quo prætiosiores, ac vberiores fructus per eorum labores, & operam diligentem conspicimus in populum Domini prouenire. 1 Cupientes igitur, vt Monachi ipsi eo quietiori animo valeant reddere Altissimo vota sua, ac pro salute fidelium exorare, quo fuerint amplioribus per Sedem Apostolicam Priuilegijs, Indulgentijs, & Gratijs communiti. Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, aut alicuius alterius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra merâ liberalitate dilectos filios Congregationem præfatam, eiusq; Præsidentem, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, Conuersos, Comissos, Nouitios, & Personas, ac eorum Cappellanos, qui pro tempore fuerint, etiam curam habentes animarum, nec non Familiares, & Seruitores ipsorum, qui nunc sunt in præfata Congregatione, & in futurum pro tempore erunt, ac etiam ipsius Monasteria, Prioratus, & loca, quæ nunc sunt, vel in posterum Congregationi prædictæ quandocumque, vniri, vel incorporari contigerit, seu subijci, vel aggregari. Nec non omnia, & singula dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum, vt præmittitur præsentium, & futurorum, Ecclesias, Cappellas, etiam si cura animarum immineat, Oratoria, Manualia, Mēbra, Castra, Fortalitia, Villas, Grāgias, Vineas, Olíueta, Hortos Siluas, Nemora, Prata, Pascua, Piscationes, Molendina, Aquas, Aquarum decursus, Iura, Iurisdictiones, Prædia, Possessiones quaslibet, & quæcunq; bona, quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt dictæ Congregationi, & quæ omnia, & singula per eorum vocabula, fines, valores, quantitates, & qualitates hic haberi volumus pro sufficienter expressis; à quorumcumq; Legatorum, Delegatorum, & Subdelegatorum, nec non Nuncio-

ciorum Apostolicæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumuis Officialium Romanæ Ecclesiæ, ac etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Administratorum, & aliorum quorumcunq; Iudicum Ordinariorum, quouis nomine, & potestate fungātur, locorum Ordinariorum, ditione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione, ita quod in dictâ Cōgregatione, vel eius singulares Personas, seu Benefactores occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum cum huiusmodi Monachis conuersentur, seu ab eis recipiant Absolutionis beneficium, & Eucharistiæ Sacramē-
2 tum. 2 Nec non in Monasteria, Prioratus, loca, & Personas in eis degentes ratione delicti, excessus, seu contractus aut rei de quâ agitur, vbicunque iniatur contractus, seu delictum committatur, aut res ipsa consistat, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut alias quasuis sententias, nisi de speciali commissione Sedis Apostolicæ, & de indulto huiusmodi, ac Congregatione præfatâ mentionem expressam faciente, quomodolibet directè, vel indirectè ferre, seu promulgare non possint; Decernentes ex nunc quicquid in contrarium actum fuerit irritum, & inane, nulliusq; fore roboris, vel momenti, de specialis dono gratiæ, & plenitudine potestatis, tenore præsentium, prorsus eximimus, ac totaliter libe-
3 ramus. 3 Illaq; omnia, & ipsorum quælibet in ius, & proprietatem Beati Petri, & Sedis eiusdem, ac sub eorum protectione specialiter suscipimus, &
4 Nostra. 4 Retento nobis, & Ecclesiæ Romanæ annuo Censu in Festo Beatorum Petri, & Pauli annis singulis nobis, & Cameræ Apostolicæ persoluendo Auri vnciæ vnius in signum Perpetuæ Libertatis, &
5 Exemptionis. 5 Quod si huiusmodi Legati, aut Ordinarij, seu personæ supradictæ contra prædicta, aut aliquid prædictorum non solum facere, sed attemptare quomodolibet præsumpserint, & requisiti per ipsius Congregationis Prælatos, vel Monachos, seu per notificationem præsentis Priuilegij vt desistant, & id facere neglexerint infra tres dies à die requisitionis, siue notitiæ, vt præfertur; eo casu ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; & nihilominus quod aliter actum est, eo ipso sit irritum, & inane, & nullius efficaciæ, roboris, aut mo-
6 menti. 6 Insuper cum contigerit fieri Concilia generalia, Prouincialia, seu Synodalia, Apostolicâ, aut quâuis auctoritate firmata, seu quasuis Congregationes, quouis nomine censeātur, Ecclesiasticarum, vel Laycarum personarum, cuiuscumq; dignitatis, aut status existant; præfati Prælati, seu Monachi ad ea ire, siue mittere, nisi ad ipsius Congregationis Capitulum Generale celebrandum, aut aliàs iuxta eorum ordinationes, nullatenus compelli possint, etiam per literas Apostolicas non facientes specialem mentionem de huiusmodi indulto præfatæ
7 Congregationis concesso. 7 Nec Congregationis huiusmodi personæ, quod in eorum locis, Missæ, aut alia Diuina Officia celebrentur, Ordines conferantur, vel agitentur causæ ciuiles, seu criminales, Processiones conuocentur, aut Synodi, Conuentus, seu quæuis Congregationes, tàm Ecclesiasticarum,
8 quàm Laycarum personarum congregentur. 8 Siue quod huiusmodi Congregationis loca ad vsum, Hospitium, Habitationem, Detētionem, & Incarcerationem Ecclesiasticarum, aut Laycarum personarum deputentur, astringi, aut cogi aliqualiter valeant, contra quæ omnia, aut aliquid prædictorum quæuis persona, cuiuscumq; conditionis, vt præfertur, aut status existat attemptare præsumens, nisi facta ei de huiusmodi indulto notitiâ destiterit, ipso
9 facto sententiam excommunicationis incurrat. 9 Et nè quandoque in posterum Reges, Principes, Barones, Milites, Nobiles, Laycales personæ, Communitates, Vniuersitates, Magistratus, Rectores, & Officiales Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & Diœcesium diuersarum, Monasterijs, Prioratibus, locis, Cappellis, Ecclesijs, Manualibus, Grangijs, Castris, Possessionibus, ac bonis, nec non Prælatis, & Monachis ipsius Congregationis, Gabellas, Talias, Datia, Collectas, Impositiones, Onera, etiam ad Pontium refectionem, aut Viarum reparationem, & alia varia, & diuersa grauamina inferre, inducere, & imponere, aut indicta, & imposita exigere præsumant districtius prohibemus, & sub pœnà excommunicationis, atq; maledictionis æternæ, quam à notitiâ præsentis indulti, nisi destiterint incurrant, mandamus; non obstantibus si dictis sæcularibus, vel quibuslibet alijs personis communiter, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod illa imponere, seu exigere valeant, etiam ab exemptis per se, vel alios quoquomodo, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu vltra, vel extra certa loca ad Iudicium vocari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ex certâ scientiâ, ac
10 ipsâ Congregatione specialem mentionem. 10 Cōmittentes insuper, ac per Apostolica scripta, præsētium tenore, mandantes, omnibus Legatis, Subdelegatis, Nuncijs Apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac Rectoribus vniuersis præsentibus, & futuris, in quorum Diœcesi sunt, & erunt in futurum loca, & personæ huiusmodi, quatenus præfata loca, ac etiam personas in eis degentes, & eorum bona, Talijs, Collectis, Impositionibus, Gabellis, Subsidijs, etiam Charitatiuis, aut quibusuis alijs Oneribus realibus, & personalibus, seu mixtis, etiam per Sedem eamdem indictis, concessis, seu datis, aut permissis, seu indicendis, aut concedendis de cetero, grauari quoquomodo minimè permittant; contradictores per censuram ecclesiasticam, & alia iuris
11 rimedia, appellatione postpositâ compescendo. 11 Insuper, vt liberiùs, ac commodiùs necessitatibus suis prouidere, ac hospitalitati, & pauperum subuentioni vacare possint, volumus, & decernimus Monasteria, Prioratus, Loca, Manualia, Grāgias, Possessiones, & bona, quæ in præsenti sunt ipsius, & erunt in futurum, ac Prælatos, Monachos, & personas præfatas ab omni Impositione, Exactione, Collecta, Decimâ, Subsidio, aut alio quocūq; grauamine quouis nomine censeatur per Nos, aut successores Nostros faciendo, seu imponendo; nec non à quorumcunq; occasione Legatorum etiam de latere, Subdelegatorum, Nunciorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diœcesanorum, seu alterius cuiuscumque etiam Apostolicâ, seu quâuis auctoritate, tàm impositorum, quàm imponendorum per literas Apostolicas non facientes plenam, ac de verbo ad verbum de huiusmodi indulto, ac Congregatione ipsâ mentionem specialem; nec non à Charitatiui, & alterius cuiuscumq; Subsidij, & Impositionis, Collectæ, vel alterius cuiuscumq; exactionis, & oneris, realis, personalis, vel mixti, solutione, de cætero prorsus exemptos, liberos, & immunes fore; ita, vt cogi, vel inquietari per dictas personas, aut alias quascunq; pro huiusmodi oneribus, & impositionibus, grauaminibus, exactionibus, & solutionibus minimè possint, & debeant. Necnon ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione Visitationis, aut subiectionis quocunq; iure hactenus debitis,

bitis,aut in futurum debendis quibuſcunq; Ordinâ-
rijs,Capitulis,Collegijs,Congregationibus, Vniuer-
ſitatibus, aut alijs quibuſuis perſonis de eiuſdem
plenitudine poteſtatis omnino liberamus,& penitùs
abſoluimus. Non obſtantibus præſcriptionibus,con-
ſtitutionibus,conſuetudinibus,ſtatutis, decretis, &
Priuilegijs Apoſtolicis quibuſcunq; in contrarium
facientibus,de quibus ſpecialis, & expreſſa, ac de
12 verbo,ad verbum eſſet mentio facienda. 12 Cœte-
rum de quibuſcunq;poſſeſſionibus, vbilibet conſti-
tutis, quæ in præſenti ſunt, vel in futurum erunt
Monaſteriorum, Prioratuum, & bonorum prædi-
ctorum,quæ præfati Prælati,Monachi, vel perſonæ
colunt,ſeu coli faciunt, aut in futurum colent, aut
coli faciēt,ſiue de Hortis,virgultis,Piſcationibus eo-
rumdem,vel de nutrimentis animalium ipſorũ,nul-
lus ab ipſis,vel ab alijs pro eis primitias, decimas,
quarteſia, aut alio quocunque nomine cenſeantur
exigere,vel extorquere præſumant; nec illas aliqui-
bus ſoluere teneantur, ſiue ad id à quoquam dire-
ctè,vel indirectè compelli poſſint inuiti; generalis
Concilij,& quibuſcunq; alijs Apoſtolicis, vel Pro-
uincialibus, aut Synodalibus conſtitutionibus ne-
quaquam obſtantibus. Decernentes ex nunc irri-
tos, & inanes quoſcunq; proceſſus, & ſententias,
etiam interdicti, quos, vel quas contra inhibitiones
Noſtras huiuſmodi per quemuis,aut quâuis aucto-
13 ritate contigerit quomodolibet promulgari. 13
Quodq; præfatæ Congregationis Monaſteria, &
loca,hæreditates, & legata, & fideicommiſſa per
mediam perſonam Monachorum, aut alias quali-
tercunq;delatas,bona mobilia,& immobilia, in qui-
buſcunq; ciuitatibus,& locis,quouis titulo acquire-
re,ipſiq; Monachi, & perſonæ petere, & exigere
poſſint præfata bona vndecunq; vel qualitercunq;
eis debita, & quæ ſi in ſæculo remanſiſſent ius pe-
tendi,& exigendi haberent, ipſis eorum Monaſterijs
aquirenda; quibuſcunq; ſtatutis, ordinationibus, &
decretis cuiuſuis Eccleſiaſticæ, ſeu ſæcularis perſo-
næ, Communitatis,Collegij, ſiue Vniuerſitatis, aut
alterius cuiuſcunq;gradus,dignitatis, Officij, & au-
ctoritatis exiſtat nullatenus obſtantibus,præſentium
14 literarum ſerie ſtatuimus. 14 Præterea quaſcunq;
poſſeſſiones, bona, iura, & iuriſdictiones ad ipſa
Monaſteria,loca,Eccleſias,Cappellas, Oratoria, &
Hoſpitalia,tàm præſentia, quàm futura ipſius Con-
gregationis in quibuſcunq; mundi partibus conſti-
tuta,ſpectantia,& pertinentia, quorum nomina, &
cognomina hic haberi volumus pro ſufficienter ex-
preſſis, quæ in præſentiarum Monachi Congrega-
tionis huiuſmodi iuſtè,& canonicè poſſident, ſeu in
futurum conceſſione Pontificum, largitione Re-
gum,vel Principum,oblatione fidelium, vel alijs iu-
ſtis modis,preſtante Domino,poterunt adipiſci,ipſis
Monaſterijs,Cappellis, Oratorijs, ſeu Hoſpitalibus
præſentibus,& futuris firma, rata, & illibata ſeruari
volumus; decernentes, vt nulli omnino hominum
liceat præfata Monaſteria, ſiue loca, vt præfertur,
res,& bona mobilia, ſiue immobilia, poſſeſſiones,
domos,molendina,aquas,piſcationes,iura,ſeu iuris-
dictiones temere,perturbare,aut illa, vel eorum ali-
quid auferre,vel ablata retinere,occupare, ſeu qui-
buslibet vexationibus fatigare: Quod ſi aliqua Ec-
cleſiaſtica, ſæculariſuè perſona,cuiuſcunq; gradus,
vel conditionis exiſtat,etiam ſi Pontificali dignitate
præfulgeat, contra hoc noſtræ exemptionis, libera-
tionis,decreti,conceſſionis, defenſionis, conſerua-
tionis,& libertatis indultum venire,dicta bona,iura,
iuriſdictiones,exemptiones, & indulta, vel aliquid
horum violando,occupando, turbando, vel dimi-
nuendo, ſeu indebitè fatigare præſumpſerit, nec,fa-
ctâ ei notitiâ de huiuſmodi noſtro indulto, infra
tres dies ſe correxerit, aut idoneam cautionem de
ſatisfaciendo præſtiterit, excommunicationis ſen-
tentiam ipſo facto incurrat;à quâ, niſi dictâ ſatisfa-
ctione preſtitâ, præterquam in articulo mortis, &
tunc de ſatisfaciendo per ſe ſi ſupra uixerit, aut per
ſuos hæredes,vel ſucceſſores idoneâ præſtitâ cautio-
15 ne,nequeant abſolutionis beneficiũ obtinere. 15 In-
ſuper,cũ plerũq; contingat incuriâ,ac neglectu Præ-
latorum,qui hactenus bona Monaſteriorum dictæ
Congregationis,antequam præfatæ Congregationi
vnirentur gubernarunt, aut poſtmodum ex igno-
rantiâ,ſeu aliâ quâuis causâ à plerisq; ipſorum Mo-
naſteriorum bona, & in præiudicium animarum
ſuarum indebitè detineri,& occupari,præſertim ſub
colore præſcriptionis,aut aliâs quocunq;modo, ex
quo non modicâ iacturâ conſueuit præfatis Mona-
ſterijs euenire; Nos volentes de remedio opportu-
no prouidere,in fauorem obſeruantiæ regularis, ex
certâ ſcientiâ, motu proprio, ac de plenitudi-
ne poteſtatis Apoſtolicæ volumus, ſtatuimus,
& decernimus quod contra præfatæ Congregatio-
nis Monaſteria, loca, perſonas, & bona aliqua non
currat Præſcriptio, niſi poſt lapſum ſexaginta anno-
rum. Quod quidem indultum tam in caſibus, re-
bus, & bonis præteritis, quàm futuris poteſtate, &
licentiâ ſimilibus oſtendi, & locum habere omnino
volumus; non obſtantibus quibuſcunque in contra-
16 rium facientibus. 16 Prohibemus inſuper nè ali-
quis cuiuſpiam ſtatus,gradus,vel cõditionis, perſo-
nas,quę de iure cõmuni Religionẽ ingredi non pro-
hibentur, ex ſæculo fugientes, & ad conuerſatio-
nem huiuſmodi Congregationis venire cupientes,
verberibus, aut violentijs quibuſcunque impedire,
vel prohibere, aut Monaſterijs, & locis ipſius Con-
gregationis præſentibus, & futuris iniuriam aliquã,
ingredi volentibus, aut recipientibus, irrogando,
ſeu eos moleſtando, huiuſmodi perſonas euellere,
aut extrahere audeant, vel præſumant; contrafa-
cientes vero ipſo facto ſententiam excommunica-
tionis incurrant;dum tamen, cum hoc præſens ſta-
tutum fuerit eis ad notitiam deductum,non deſtite-
rint à prædictis; à quâ non poſſint, præterquam in
articulo mortis, niſi per Sedem Apoſtolicam abſo-
17 lutionis beneficium obtinere. 17 Præterea ad ob-
ſtruendas vias, quibus præfati Monachi extra Con-
gregationem huiuſmodi in eorum præiudiciũ ani-
marum vagari poſſint; prohibemus omnes, & ſin-
gulas perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares,cuiuſcũ-
que ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, & qua-
cunque fulgeant auctoritate, vel dignitate,nè quē-
quam ex Prælatis, vel Monachis, Congregationis
prædictæ penès ſe obſequiorum,vel ſeruitiorum ali-
quorum ſui, ſeu Monaſteriorum ſuorum obtentu,
aut ſi abſque licentiâ ſuorum Superiorum ad ſe de-
uerterent, ſeu aliâ quâuis causâ, etiã occaſione ar-
ctioris vitæ, Ordinis, vel Religionis à dictâ Cõgre-
gatione abſtrahere, ſeu etiam ad ſe ſponte venien-
tes retinere præſumant, etiam auctoritate littera-
rum Apoſtolicarum in quibus de huiuſmodi perſo-
nâ, ac Congregatione nominatim,& expreſſè men-
tio facta non fuerit, abſque conſenſu Capituli Ge-
neralis, ſeu Præſidentis, & maioris partis Viſitato-
rum Congregationis eiuſdem,ſub pœnâ excommu-
nicationis, quam ipſo facto incurrant, ſi factâ eis
notitiâ de huiuſmodi Priuilegio, infra tres dies per-
ſonam Congregationis huiuſmodi non reſtituerint,
cum effectu, vel à ſe realiter abiecerint; à quâ ſen-
tentiâ, niſi in mortis articulo, aut à Sede Apoſtoli-

câ, recipientes, & recepti absolui non possint; Non obstantibus quorumcumque Religionum, Ordinũ, aut alterius cuiusuis personæ Priuilegijs, & Indultis quibuscumque, de quibus esset specialis; & de verbo ad verbum mentio facienda, quibus omnibus volumus nominatim, & per huiusmodi indultum,
18 quo ad præmissa derogari. 18 Insuper tranquillitati eorum intendentes, nè hij, qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimiserunt eligentes, potiùs cum Maria circa pedes Domini residere ad audiendum verbum illius, causarum turbinibus perturbentur; si contingat aliquem litteras Apostolicas commissorias de administranda iustitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut aliâ quâuis causâ, ad aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis, directas impetrasse; nisi huic indulto expresè, & specialiter, & nominatim derogetur, ad huiusmodi causas taliũ obtentu litterarũ, præter liberam eorũ voluntatem procedere, vel eas exequi minimè teneri, indulti huiusmodi tenore de-
19 cernimus. 19 Planè, nè Prelatos, & Monachos huiusmodi etiam causarum strepitus inquietet, & ab otio sancto deducat; nè quis Prælatos, Monachos, & personas de huiusmodi Congregatione subire de calumniâ, & veritate dicendâ iuramentum, aut ad ferrendum testimonium quàcunque ex causâ compellat inuitos, siue extra Ciuitates, & Diœceses suas trahat, seu in eos, vel eorum aliquem propterea excommunicationis, vel alterius censuræ, siue pœnæ sententiam proferat, per litteras Apostolicæ Sedis, vel Legatorum, eius; nisi in eisdem litteris de huiusmodi indulgentiâ plena, & expressa, ac de verbo ad verbum facta fuerit mentio specialis, eâdem auctoritate indulgemus; excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias sententias, si quas in eorum, vel aliquem eorum, contra indultum huiusmodi promulgari contigerit, decernentes, præsen-
20 tium tenore, irritos, & inanes. 20 Prælatorum vero, Monachorum, Conuersorum, Commissorum, Nouitiorum ipsius Congregationis testimonia in causis ipsorum ciuilibus, & criminalibus in iudicio, & extra legitima sint, & iuridica, & vt eis liberè, & li-
21 citè vti possint, concedimus per præsentes. 21 Adijcientes etiam, quod si quandoque contigerit, per aliquem, aut plures actus contra huiusmodi, aut quæcunque alia Decreta, Priuilegia, Indulta, gratias, & immunitates præfatæ Congregationi concessa, aut aliquid ipsorum à quocunque, cuiuscunque conditionis, dignitatis, & gradus, seu status existat ex negligentiâ, vel ignorantiâ præsentium, vel futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quâuis causâ aliter attemptari, vel obseruari ignoranter, vel scienter; nullum per hoc præiudicium Decretis, Priuilegijs, Indultis, Gratijs, & Immunitatibus præfatis, volumus generari; sed illa in suo vigore, ac
22 robore permanere. 22 Non obstantibus in Constantien. & alijs Concilijs à felicis recordationis Innocentio Quarto, & Martino Quinto, necnon alijs Summis Pontificibus prædecessoribus nostris editis constitutionibus, & ordinationibus; etiam si de illis specialis, & expressa mentio, ac de verbo, ad verbum præsentibus habenda esset, quibus, quo ad præmissa, specialiter derogamus; necnon Monasteriorum, Prioratuum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcunque firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudini-
23 bus, ceterisque contrariis quibuscunque. 23 Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis susceptionis, commissionis, mandati, inhibitionis, voluntatis, constitutionis prohibitionis, concessionis, adiectionis, statuti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo, trigesimo quarto, septimo Calendas Martij, Pontificatus nostri Anno quarto. Gratis de mandato Domini Nostri Papæ A. de Florentia. M. de Pistorio.

## CONSTITVTIO LX.

### SVMMARIVM.

*1434. Octob. 29.*

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Ad processiones publicas, & funeralia, nisi de speciali Apostolicæ sedis mandato, accedere inuitos non teneri Monachos S. Iustinæ.*

2 *Monachos fugitiuos, vagos, inobedientes, & rebelles, ad alia Monasteria, quam sibi assignata se transferentes, vel ad seruitium, & obsequium, etiam Cardinalium accedentes, seu litteras Familiaritatis, seu Cappellanatus ab eisdem obtinentes, absque litteris Apostolicis, vel suorum superiorum facultate, capi, detineri, carceribus mancipari posse à suis Superioribus, etiam cum auxilio brachij secularis. Nisi per litteras Apostolicas de verbo ad verbum huic indulto derogantes, contrarium caueatur, decernit.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyrone Arm. III lib. 2. fol. 56.*

EVGENIVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Congregationi Vnitatis Ordinis S. Benedicti salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacræ Religionis Zelus, sub quâ sedulum prebetis Altissimo famulatum; necnon fama bonæ conuersationis, & vitæ, quibus vestra Religio palam apud Christi fideles in odorem suauitatis diffunditur, Nos inducunt, vt ea, quæ ad quietem, & bonum regimen vestrum pertinere noscuntur, vo-
1 bis fauorabilitèr concedamus. 1 Hinc est quod Nos vestris supplicationibus inclinati, vobis, & vestrum cuilibet, vt ad eundum ad Processiones publicas, seu Funeralia, Ordinariâ, vel aliâ, auctoritate quàcunque, præterquam de speciali Sedis Apostolicę mandato cogi, seu compelli inuiti minimè pos-
2 sitis. 2 Quodque etiam huiusmodi Congregationis Præsidentes, Visitatores, Abbates, Priores, aut alij ab eisdem ad hoc deputati pro tempore existentes, omnes, & singulos Monachos vestræ Congregationis vagos, aut fugitiuos, aut suis superioribus inobedientes, & rebelles, & qui habitâ licentiâ, conditionem eis impositam non impleuerint, aut lapso licentiæ termino ad propria Monasteria non redierint, siue qui suorum superiorum mandatis non paruerint, vel ad alia loca, seu Monasteria, absque speciali Priuilegio litterarum Apostolicarum, aut Abbatum, seu Priorum suorum licentiâ se transtulerint, vel aliquorum in quâcunque dignitate, etiam Cardinalatus, constitutorum seruitijs in Romanâ Curiâ, vel extra, absque literis Apostolicæ Sedis dederint; seu ab eis litteras Familiaritatis, aut Capellanatus obtinuerint, capere, detinere, & incarcera-

cera-

cerare, seu capi, & incarcerari facere, & mandare; ac eos per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, appellatione postpositâ, ad debitam, & solitam obedientiam compellere valeant; inuocato etiam, si ad hoc opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, auctoritate Apostolicâ concedimus per præsentes. Constitutionibus, & ordinationibus, ac litteris Apostolicis; nisi de presẽti indulto, ac præfatâ Congregatione per easdem literas fieret de verbo ad verbum mentio specialis, statutis, & consuetudinibus ipsius Ordinis, & alijs incontrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ. Millesimo Quadringentesimo Tricesimo quarto, Quarto Calendas Nouembris, Pontificatus nostri Anno Quarto. Poggius. Registrata in Camerâ Apostolicâ. Ioannes de Steccatis. Gratis de mandato Domini Nostri Papæ.

## CONSTITVTIO LXI.

### SVMMARIVM.

1436. *Iunij* 27.

### EVGENIVS PAPA IV.

*Priuilegia, & immunitates Congregationi Sanctæ Iustinæ hactenus concessa, vel in futurum concedenda à summis Pontificibus, & Concilijs, non posse in toto, vel in parte aboleri, nisi seruato ordine, & conditionibus præsenti indulto expressis.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyrone. Arm. I. Caps. I. n. 9.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, quo inter cœtera sumus vniuersis orbis Monasterijs, & locis Regularibus obligati; ad ea potissimè intendimus, in quibus Regularis obseruantia, honestas morum, castimonia vitæ, & Diuinus cultus laudabiliter obseruantur, & vigent; vt ea, quæ ex Apostolicâ indulgentiâ pro eorum conseruatione fuerint concessa, inuiolabiliter obseruentur, & perpetuò perdurent. Cum itaque dudum Congregationi Monachorum de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ, aliàs Vnitatis nuncupatæ, Ordinis Sãcti Benedicti, Nobis, & Romanę Ecclesiæ immediatè subiectę, ad cuius augmentum, & bonum regimen, etiam dum in minoribus eramus constituti, solicitudinis nostræ partes impendimus, & postea ad apicem summi Apostolatus assumpti, eam propensiori fauore sumus complexi, per Nostras diuersas, & varias certi tenoris litteras, quarum omnium tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, multa priuilegia, indulta, gratiæ, immunitates, exemptiones, & concessiones indulserimus; neque satis sit Priuilegia, & Immunitates concedere, nisi, & ea concedantur, per quæ concessa tueri valeant, & etiam conseruari; contingatque plerumque ex nimiâ supplicantium importunitate, summos Pontifices, non solùm fatigatos, sed etiam circumuentos, nonnulla concedere, quibus ritè iam indultis, facilè derogetur. Nos igitur concessionibus, & indultis Congregationis præfatæ, nè facilè reuocentur, de opportuno volentes remedio prouidere, Motu proprio, non ad Abbatum, Monachorum, seu personarum dictæ Congregationis, aut alicuius alterius super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam; sed de Nostrâ merâ liberalitate, statuimus, ordinamus, & decernimus, ac declaramus, per quascumque litteras Apostolicas, seu quorumcumque Conciliorum hactenus celebratorum, aut in futurum celebrandorum, quorumcumque tenorum existant, seu quascumque clausulas derogatorias in præteritum, vel in futurum habentes, etiam si motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac cùm decreto irritante; etiam si per viam statuti, & constitutionis, & ad quorum cumque etiam Regum, Reginarum aliorumque Principum, seù Ecclesiasticarum personarum, etiam si Cardinalatus dignitate præfulgeant, aut Vniuersitatum etiam Scholarium instantiam, seù aliàs in genere, vel in specie ob publicam, seù priuatam causam emanatas, concessas, aut imposterum concedendas, etiam si in hijs, quod de verbo ad verbum, & quod singulariter, nominatim, & indiuiduè concessiones, & indulta, ac alia huiusmodi dictæ Congregationi concessa pro expressis habeentur, contineatur expressè, seù per alias quascumque clausulas in Apostolicis litteris, aut quorumcumque Conciliorum hactenus solitas apponi, quantumcumque specificatam, & expressam derogationem continentes; nisi in eisdem litteris de nominibus, & cognominibus omnium, & singulorum Monasteriorum, & Monachorum, qui pro tempore fuerint dictæ Congregationis specificè caueatur, Priuilegijs, indultis, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, aut concessionibus huiusmodi non fuisse, nec esse in toto, vel in parte quomodolibet derogatum hactenus, neque imposterum derogari. Hoc specialiter vltra omnes alias derogationum formas requiri decernimus; vt per hoc intacta, & illibata, ac specialiter præseruata censeantur, & intelligantur ab omnibus quibuscumque clausulis derogatorijs, etiam eisdem Priuilegijs specialiter derogantibus; nisi formæ premissæ fuisset specialitèr derogatum. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, seu decretis Conciliorum quorumcumque, cœterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum statuti, ordinationis, constitutionis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Sexto, Quinto Calendas Iulij, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

## CONSTITVTIO LXII.

### SVMMARIVM.

1436. *Iunij* 30.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Capituli Generalis, Congregationis S. Iustinæ Decretis, Ordinationibus, & Correctionibus obedire Monachos teneri, non tamen peccare inobedientes, nisi adsit contemptus, declarat.*

2 *Appellationes Monachorum, etiam ad Sedem Apostolicam, & gratias inde sequutas, irritat; nisi adsit speciale dictæ Sedis indultum.*

3 *Processus, & Causas tam Ciuiles, quàm Criminales Monachorum, iuxta dictæ Congregationis statuta, Iuris Communis apicibus ommissis, sine strepitu, & figurà iudicij agi debere, constituit.*

4 *Abbates, seu dictæ Congregationis Superiores contrà Monachos, à dictæ Cogregationis Monasterijs, discedentes, prætextu ad alios Ordines accedendi, etiam litteris Apostolicis ob id impetratis; nisi in ipsis litteris præsenti indulto specialiter derogatum fuerit, post elapsum trimestre, vel tempus in eisdem Apostolicis litteris appositum, non redeuntes, tamquam contra Apostatas, & fugitiuos agere posse, decernit.*

5 *Monachi à Monasterijs fugientes, non debere redeuntes, etiam cum litteris Apostolicis, huiusmodi indulto specialiter, & expresse non derogantibus, recipi à Superioribus dictorum Monasteriorum, nisi ex proprià voluntate, statuit.*

6 *Beneficia Ecclesiastica extra dictam Congregationem impetrare, seu acceptare non posse Monachos, absque speciali Capituli dictæ Congregationis vel Præsidentis, & maioris partis Visitatorum licentià, sub pœnà perpetuæ inhabilitatis ad illa Beneficia, & excommunicationis ipso facto incurrendæ; nisi factà admonitione infrà triduum cessauerint, à quà, nisi debità præmissà satisfactione non posse absolui, decernit.*

7 *Monachos in officijs Monasteriorum occupatos vel indoctos, adeo vt Diuinum Officium persoluere, vel Choro interesse nequeant, dummodò in Sacris Ordinibus non sint constituti; preter Officium Beatæ Virginis quotidiè persoluendum, ad quod obligantur, posse à suis Superioribus dictum Diuinum Officium in alijs pijs operibus commutari, statuit.*

8 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padolyr. Arm. I. Caps. I. n. 6.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad
perpetuam rei memoriam. Regularem vitam
agentibus Apostolicum conuenit adesse præsi-
dium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut
eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, Sacræ
1 Religionis infringat. 1 Cupientes itaq; dilectorum
filiorum vniuersorum Monachorum Congregatio-
nis de obseruantià S. Iustinæ, Ordinis S. Benedicti
Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ
oportunitatibus, & commodis propter eorum ex-
cellentiam meritorum, atq; vitæ sanctimoniam Nos
reddere beneuolos, & fauorabiles. Motu proprio,
non ad ipsorum Monachorum, aut alicuius alterius
super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de
nostrâ merâ liberalitate; ne spiritus, nequam suis
venenosis afflatibus malignandi in ipsâ Congrega-
tione materiam præbeat; auctoritate Apostolicâ
statuimus, & decernimus, omnia, & singula institu-
ta, ordinationes, correctiones, & mandata Capituli
generalis, nec non Præsidentis, Visitatorum, & Rec-
torum ipsius Congregationis, ab eiusdem Prælatis
Monachis, & personis inuiolabiliter obseruari, il-
lisq; perpetuò parendum fore; ita tamen, quod ad
peccatum, nisi contrafiat ex contemptu, aliquem
2 non obligent. 2 Districtius inhibentes eisdem Præ-
latis, Monachis, & personis, nè ad quemcunq; etiam
Apostolicam Sedem à dictis institutis, ordinationi-
bus, correctionibus, & mandatis, seu eorum aliquo
articulo coniunctìm, vel diuisìm audeant appellare,
nisi de speciali dictæ Sedis indulto; irritum decer-
nendo, & inane quicquid in contrarium à quoquā
quàuis auctoritate scienter, vel ignoranter contige-
3 rit attemptari. 3 Cum verò contra aliquem Præ-
latum, vel personam dictæ Congregationis, per
illius Capitulum, seu Præsidentem, vel Visitatores,
Abbates, siue Priores agi contigerit ciuilitèr, aut cri-
minalitèr, secundum consuetudines, & statuta Con-
gregationis prędictę, iuris cōmunis apicibus, dilatio-
nibus, terminis, & litiū anfractibus ommissis, procedi
debere, tenore præsentium volumus, & manda-
4 mus. 4 Statuentes, quod Prælati dictæ Congrega-
tionis contra Monachos eiusdem, qui licentiam à
Sede Apoſtolicà habere dixerint ad aliud quodcunq;
Monasterium, siue locum se transferendi obtentu
litterarum Apostolicarum, nisi in ipsis literis specia-
lis, nominata, & expressa fieret mentio de ipsâ Con-
gregatione, & huiusmodi eidem indulti concessi re-
uocatione; & tunc, si infra tres menses id non
impleuerint; tanquam contra Apostatas agere, &
procedere valeant; nisi tempus in literis Apostolicis
fuerit expressum, infra quod se debeant ad huius-
modi Monasteria, siue loca transtulisse; quo casu
non prius agere possint contra eos, quàm dicta
5 tempora fuerint elapsa. 5 Planè cum interdum
contingat nonnullos Monachos inobedientes, & re-
belles à Monasterijs, & eorum Superiorum obedien-
tià se subtrahere, & vt inuitis præfatis Superioribus
redeant Apostolicas literas impetrare; huiusmodi
malignitatibus obuiare volentes, nè quis præfatæ
Congregationis Prælatos, Monachos, vel Conuer-
sos vigore quarumcunq; literarum huiusmodi, nisi
nominatim, & expresse apparuerit de mente Summi
Pontificis, qui pro tempore fuerit huic nostro In-
dulto velle derogare, ad ipsos recipiendum com-
pellere possit; etiam si in huiusmodi literis clausula
(Priuilegijs, & indultis dictę Congregationi conces-
sis, non obstantibus, de quibus expressa mentio fieri
debeat,) expresse contineatur, præsentis paginæ te-
6 nore decernimus. 6 Præterea vt omnis materia
instabilitatis, ambitionis, & scandali de mentibus
Monachorum dictæ Congregationis tollatur, voli-
mus, & ordinamus, ac etiam in virtute sanctæ obe-
dientiæ, & maledictionis æternæ inhibemus, nè si-
cut Religiosi, electionibus de se factis, absq; sui Su-
perioris obtētâ licentià speciali non valent de iure
communi quomodolibet consentire, sic dictæ Cō-
gregationis Monachi præsentes, & futuri, etiam in
ipsâ Congregatione officia regiminis vniuersalis,
aut particularis Monasterij sub Abbatis, Prioris, si-
ue alio quocunque vocabulo aliquod Beneficium
Ecclesiasticum extra dictam Congregationem per
se, vel alium impetrare, aut ipsum, quamuis obla-
tum, acceptare possint, absque speciali licentià Ca-
pituli dictæ Congregationis, vel Præsidentis, cum
majori parte Visitatorum. Quod si secus quiuis fa-
cere præsumpserit, ipso facto careat impetratis, &
ad Ecclesiastica Beneficia, specialiter ad illud, cui
absque speciali licentià obtentâ, vt præfertur, con-
senserit, aut procurauerit, promoueri perpetuo sit
inhabilis; & si contra Superiorum suorum inhibi-
tionem contendere præsumpserit, si monitus, infra

ue,

tres dies, non cessauerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à quâ, nisi factâ debitâ satisfactione, absolui non possit. 7 Sanè cum
7 ex debito mutuæ charitatis, in quo vis obseruantiæ regularis maximè consistit, plerumque præfati Monachi sint varijs Monasteriorum Officijs occupati, adeo, quod in Choro interesse nequeuntes, Officiũ Diuinum dicere vix sine labore, & tedio, ac ipsa charitatis opera implere queant. Nos attendentes, quod virtus charitatis omnes supereminet virtutes, quodq; hilarem datorem diligit Deus; præsentium tenore statuimus, quod præfati Monachi taliter occupati, aut qui aliàs non adeò docti sunt, aut minus experti, vt Officium Diuinũ commodè dicere possint; dũmodo in Sacris nõ sint ordinibus constituti, licet professionem emiserint; tamen ad persoluendum totum integrum Officium Diuinum non teneantur; sed eorum Prælati, habitâ consideratione suppositorum suorum, vltra Officium Beatæ Virginis, ad quod obligati remaneant, iuxta dispensationem eis creditam, si expedire videbitur animabus eorum, aliquid aliud dicendum imponat, quod cum alacritate animi persolui possit; ad quod Monachi ipsi obligati huiusmodi seruitutis impositæ
8 pensum persoluere nullatenus prætermittant. 8 Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non priuilegijs, & indultis Apostolicis, quæ ad impediendum, vel differendum effectum huiusmodi, aut quò minus ipsa statuta, & ordinationes vim, vigoremq; perpetuos habeant, & alicui suffragentur emanasset, & imposterum emanarent; ac Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Congregationis, nec non Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis aliâ firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis, inhibitionis, voluntatis, mandati, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo sexto. Pridie Cal. Iulij Pontificatus nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO LXIII.

### SVMMARIVM.

*1436. Iunij 30.*

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Monachos ad Sacros Ordines promouendos, tantum cuicumque Episcopo ordinanti præsentandos, non autem examinandos esse ab eodem, decernit.*

2 *Episcopos ad Sacros Ordines conferendos, Altaria, & Sacra Vasa consecranda, aliaque Pontificalia exercenda, absque Diœcesani licentiâ aduocari à Monachis posse.*

3 *Casus Apostolicæ Sedi reseruatos semel tantùm in mortis articulo personis dictæ Congregationis indulget, pænitentiasque iniungit ijs, qui huiusmodi indulto participare voluerint. Illos excipiendo, qui præsentis indulgentiæ cõfidentiâ peccauerint.*

4 *Stationum Vrbis Indulgentias eiusdem Congregationis personis visitantibus quinque Altaria, vel panciora sua Ecclesiæ, vel alterius in itinere constitutis, semel Psalmum Miserere pro quolibet Altare recitantibus, vel ter Pater noster, & totidem Aue Maria pro singulo, elargitur.*

5 *Missam celebrare ante diem vsque ad Nonam inclusiuè personas eiusdem Congregationis posse, indulget.*

6 *Interdicti tempore Diuina Officia celebrare, Sacramenta administrare, & suscipere posse eiusdem Congregationis personas ianuis clausis, exclusis interdictis, & submissâ voce concedit.*

7 *In Nouitios, seu Monachos, & Commissos quoscunque Sæculares, vel Clericos accedentes ad dictam Congregationem, etiam si alterius Ordinis, quamuis artioris ingressum vouissent; dum tamen professionem in eo non emiserint, recipi posse, indulget.*

8 *Vota quæcumque, præterquam Religionis, dispensare posse in suos Commissos Abbatibus dictæ Congregationis, elargitur.*

9 *Ab Excommunicatione quâcumque absoluere posse Nouitios, dummodò professionem in eadem Congregatione emittant, superioribus eiusdem Congregationis, indulget.*

10 *Confessiones quorumcunque fidelium audire, eisq; absolutionis, seu dispensationis beneficium impendere, in casibus, Votis, & censuris, in quibus Sedes Apostolica non sit consulenda. Eisdemque Eucharistiæ Sacramentum ministrare posse, concedit.*

11 *Mulieres intra septa Monasteriorum dictæ Congregationis ingredientes, introducentes, & receptantes Excommunicationem ipso facto incurrisse decernit, à quâ Monachos per Præsidem, seu Visitatores absolui posse, elargitur.*

12 *Dispensationes, & facultates, pro quibus Ordinarij locorum, vel Sedes Apostolica de iure communi esset consulenda, Abbatibus, & Prælatis dictæ Congregationis impertiri posse in suos subditos, de licentia tamen Capituli Generalis, vel Præsidis, & maioris partis Visitatorum concedit.*

13 *Abbates dictæ Congregationis, licet benedictionis munus non suscipiant, Monasteria tamen regere, & administrare, atque Abbatialia insignia deferre posse, ac si munus benedictionis suscepissent, indulget.*

14 *Natalium defectu laborantes Monachos dispensare, eosdemque ad Sacros Ordines pariter, & Religionis gradus habilitare posse concedit.*

15 *Participantes, etiam in diuinis, cum excommunicatis, suspensis, vel interdictis, nullam excommunicationis, seu peccati maculam incurrere Monachos decernit; dummodò tamen non sint publicè, & specialiter denunciati.*

16 *Sepulturam in Ecclesijs dictæ Congregationis liberam esse cuicumque Fideli, præter quam Excommunicatis, Interdictis, vel publicis vsurarijs constituit.*

*stituit; saluo tamen Iure Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur.*

17 *Derogari Priuilegijs dictæ Congregationis per vnum, vel plures actus contrarios scienter, vel ignoranter commissos non posse, decernit.*

18 *Derogatorijs derogat.*

19 *Excommunicationis, seu maledictionis sententiam in contrafacientes contestatur.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone Arm. I. Caps. I. n. 8. & ex Collect. Priuil. Apost. Relerie.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi quaslibet personas sæculi desiderijs abdicatis omnium Conditori Domino, sub Regulari obseruantiâ famulantes, Apostolicis fauoribus, & præsidijs, ex iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, confouere teneamur; laudabilem tamen, Deoque & hominibus acceptam Congregationem Monachorum de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectam propensioribus priuilegijs, & gratijs prosequi satagimus; & eisdem potiores curas, & solicitudines assiduis studijs adhibemus.
1 1 Sanè, cum plerumque contingat præfatos Monachos Ordinationum suscipiendarum, causâ extra Monasteria vagare, atque in plurimorum tumultu, cum alijs sæcularibus Ordines recipere, ex quo eorum deuotio perturbatur, & quies; volumus, ac auctoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ statuimus, & decernimus, quatinus ipsius Congregationis Monachi præsentes, & futuri, omnes, etiam Sacros, Ordines, ad quos per eorum Superiores præsentati fuerint, à quocũq; maluerint Catholico Antistite gratiã, & cõmunionem Apostolicæ Sedis habente, statutis à iure tẽporibus, absq; aliquo dictorũ
2 Monachorum examine recipere valeant. 2 Atque huiusmodi Antistites in dictæ Congregationis Monasterijs, & locis dumtaxat, aduocare; quibus liceat Apostolicâ auctoritate, absque aliâ licentiâ & contradictione Diœcesani, nullâ vt præfertur, examinatione præmissâ, Monachos ordinare, Missas celebrare, Ecclesias, Altaria, & Vasa consecrare, Vestes benedicere, & alia Pontificalia exercere, nec propterea volumus Diœcesanum loci, iuris sui præ-
3 iudicium incurrere. 3 Porro, vt Abbatum, Priorum, Monachorum, Conuersorum, Commissorũ, & Nouitiorum præsentium, & futurorum Congregationis huiusmodi deuotio amplius propagetur, & eorum animarum saluti fructuosius consulatur. Vt Confessores idonei quos præfati Monachi de suorum voluntate Superiorum, aut ipsi Superiores pro libito elegerint, peccatorum omnium suorum; de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam, semel tantum in mortis articulo, remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate S. Romanæ Ecclesiæ, ac obedientiâ, & deuotione nostrâ, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persistentibus, auctoritate Apostolicâ concedere valeant, ipsorum Monachorum deuotioni indulgemus; Sic tamen, quod ipsi Confessores de his, de quibus fuerit satisfactio impendenda, illam præfatæ Congregationis personis, pro vt illas contigerit per se, vel alios, sicuti congruerit faciendam, iniungant; quam ipsæ, iuxta earum possibilitatẽ, facere teneantur. Et nè, quod absit, aliquæ ex præfatis personis, propterea procliuiores reddantur ad illicita in posterum committenda; volumus, quod si ex confidentiâ remissionis huiusmodi aliqua forsan commiserint, quoad illa, eis prædicta remissio nullatenus suffragetur. Quodque singuli ex præfatis Monachis Clericis, quamprimum concessione absolutionis huiusmodi gaudere voluerint, septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litanijs, & Orationibus, consuetis, Conuersi verò, & Commissi, aut qui præfatos Psalmos dicere commodè non potuerint quinquagesies Pater noster, & totidem Aue Maria, singulis hebdomadis, ad dicendum inchoare debeant, ac iuxta huiusmodi impositionem, legitimo cessante impedimento, per annum integrum, etiamsi totidem plus, minusuè ex aliâ quâuis causâ eos dixisse, aut dicere oportere contingeret, nihilominus dicere, & complere teneantur; cessante vero legitimo impedimento, quam primum commodè poterunt, impositionem huiusmodi resi-
4 cere teneantur. 4 Præterea ipsis Præsidentis, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Conuersis, Commissis, & Nouitijs, qui pro tempore fuerint, indulgemus per præsentes; Quod si diebus illis, quibus habetur accessus ad Stationes Ecclesiarum in Vrbe pro Indulgentijs, si quinque Altaria sui loci, aut pauciora, si tot non habuerint, visitauerint, semelque Miserere mei Deus pro singulo Altari pro felici Statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dixerint; similem, seu tantam indulgentiam, qualem, & quantam hi, qui dictas Ecclesias Vrbis in die Stationum visitant consequi solent, consequantur. Si vero ipsos contingat propter obedientiam, aut alias causas, pro bono ipsius Congregationis exire propria Monasteria, & vbicunque commodiùs potuerint; totidem Altaria in quacunque Ecclesiâ dicendo semel Miserere mei Deus, pro quolibet Altari, vt præmittitur, visitauerint, aut Conuersi, siue Commissi, aut alij, nescientes Miserere, si dicta Altaria visitantes ter Pater noster, & totidem Aue Maria pro quolibet Altari dixerint,
5 eamdem etiam Indulgentiam cõsequantur. 5 Quodque huiusmodi Congregationis Sacerdotes in itinere constituti, aut aliâs ad hoc causâ subsistente ante diem, & vsque ad nonam inclusiuè celebrare valeant, tenore præsentium duximus conceden-
6 dum. 6 Præterea, si contingat Ciuitates, Terras, vel loca, in quibus Monasteria, siue loca dictæ Cõgregationis existant, Ecclesiastico esse supposita Interdicto, ipsi tamen Congregationis Prælati, Monachi, Conuersi, Commissi, Nouitij, & Cappellani, nec non Layci, qui intra septa ipsorum locorum, pro tempore habitauerint, à præfatæ Congregationis Monachis ad id deputatis, ianuis clausis, interdictis exclusis, & submissâ voce Missas, & alia diuina Officia audire, & celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta licitè ministrare, & suscipere valeant,
7 præsentium tenore statuimus. 7 Liceat insuper præfatis Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus præfatæ Congregationis præsentibus, & futuris personas volentes eorum Congregationi sociari, quæ Religionem, Locum, vel Ordinem alium quemcunque, etiam arctiorem, ingredi vouissent; tali voto non obstante, ad probationem, & professionem recipere, easque auctoritate Apostolicâ ab ipso voto absoluere, & cum ipsis dispensare; dummodo in tali Religione, seu Ordine, de quo vouissent, professionem non emiserint; quod si tamen ante professionẽ emissam ab ipsâ recesserint Cõgregatione, huiusmodi dispensatio nullius sit roboris,
8 vel momenti. 8 Nec non quod præfati Præsidens Visitatores, Abbates, Priores, & Rectores, cum Commissis, quamdiù in Monasterijs suis, aut sub obe-

obedientiâ eorum vixerint, super omnibus votis, excepto duntaxat voto Religionis, eâdem auctoritate valeant dispensare.
9 9 Cum verò aliquis, quocunque excommunicationis vinculo innodatus, velit Congregationem ipsam Altissimo famulaturus ingredi; liceat dictę Congregationis Prȩlatis, & qui loco eorum in ipsorum absentiâ constituuntur, ingredienti huiusmodi, iniunctis ei, iuxta possibilitatem, restitutione, & pœnitentiâ salutari, tamquam vni ex Monachis præfatæ Congregationis beneficiũ absolutionis impendere, ac ad probationem recipere. Ita tamen, si in prædictâ perseuerauerit Congregatione, vsque ad Professionem inclusiuè; aliàs eamdem ipso facto reincidat excommunicationē.
10 10 Prȩterea, cum sępè contingat, ob deuotionem, quam ad Monachos præfatæ Congregationis nonnullæ personæ habent singularem, ad huiusmodi Monachos, pro earum salute animarum recurrere; Nos volentes earum deuotioni satisfacere; Quod liceat dictæ Congregationis Prælatis suis Monachis deputatis à suis Superioribus, ad audiendum huiusmodi personarum confessiones accedere, illasque audire, ac personę ipsę eis confiteri possint, absque aliâ suorum Superiorum licentiâ; necnon eis pœnitentiâ, & satisfactione iniunctis, quotiens oportuerit, absoluere ab omnibus, & singulis peccatis, præter quam Sedi Apostolicæ dumtaxat reseruatis, necnon à quibuscunque suspensionum, excommunicationum, & interdicti sententijs, alijsque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à iure, vel ab homine latas satisfactione iniunctâ, incurrisse, quomodolibet censebuntur. Insuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, etiam Ordinarijs, aut per synodales, seu prouinciales constitutiones; reseruatis cum eis dispensare præter ea, Censuras, Pœnas, Vota, & Casus, de quibus esset merito Sedes Apostolica consulenda, eisque, ac omnibus, qui ad præfatos Monachos ob huiusmodi deuotionem recurrerint, Eucharistiæ Sacramentum ministrare valeant, de specialis dono gratię, in fauorē
11 obseruãtię regularis licentiam elargimur. 11 Planè, vt huiusmodi Congreg. Monachi in vitæ honestate, & odore bonæ famæ apud Deum, & homines conseruentur, & quia ibi cautiùs est agendum, vbi maius imminet periculum animarum; eâdem auctoritate statuimus, quod nulli hominum liceat quascumq; Mulieres Laycas, seu Religiosas cuiuscumq; ætatis, status, gradus, auctoritatis, vel conditionis existant, quâuis occasione ducere, siue ipsis Mulieribus ingredi, seu commorari infra septa Monasteriorum præfatæ Congregationis; quod si alitèr scientèr attemptatum fuerit, tàm ipsæ mulieres, quàm earum ductores, sed & ipsi receptatores, si voluntariè hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à quâ dictæ Congregationis personæ absolui possint per Præsidem, &
12 Visitatores Congregationis huiusmodi. 12 Quin etiam, nè præfatæ Congregationis Monachi, ab eorum quietè distracti Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentijs frequentare cogantur; quod in omnibus casibus, in quibus de iure communi Prælatis, & Monachis dictæ Congregationis auctoritas, siue licentiâ, siue dispensatio Ordinarij esset necessaria, si ab eodem exempti non essent, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus huiusmodi, qui pro tempore fuerint, vnâ cum eorum Conuentibus, de licentia tamen, & consensu dictæ Congregationis Capituli generalis, aut Præsidentis, cum maiori parte Visitatorum, auctoritate Apostolicâ, absq; eo, quod ad Sedem Apostolicam habeant recursum, huiusmodi licentiam, auctoritatē, & dispensationem, tenore præsentium, indulgemus.
13 13 Volentes insuper, quod Prælati Congregationis præfatæ, licet benedictionis munus non acceperint, perinde tamen Monasteria ipsius Congregationis regere, & administrare, atq; omnes actus, in ipsis valeant exercere, & insignia deferre, ac
14 si munus huiusmodi fuissent consecuti. 14 Sanè cum Religionis fauore nonnulla concedantur, quæ alias interdici solent; quod si qui ex Monachis Congregationis prȩfatæ defectus Nataliũm patiantur, in Monasterio tamen aliàs laudabiliter conuersati fuerint; vt huiusmodi defectu non obstante, ad Sacros Ordines, ac Officia, Prælationes, dignitates, & honores eorum Monasteriorum, iuxta illorum Constitutiones liberè, & licitè valeant promoueri, Congregationi memoratæ, tenore prȩsentium, indulgemus.
15 15 Quodq; vt animarum eorum saluti prouideatur, Prælati, Monachi, & personæ dictæ Congregationis quocumq; nomine censeantur, propter participationem, etiam in diuinis, cum excommunicatis, suspensis, & interdictis à iure, vel statutis, Ordinariorum, nullam excommunicationis, seu Censuræ, aut peccati maculam incurrant; nisi ipsi excommu-
16 nicati essent specialiter denunciati. 16 Sepulturam quoq; in locis, & Monasterijs præfatæ Congregationis præsentibus, & futuris liberam esse volumus, & eorum deuotioni, & liberæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint; nisi forte excommunicati, seu interdicti sint, aut publicè vsurarij, nullus obsistat; saluò tamen iure illarum Ecclesiarum, à
17 quibus corpora assumuntur. 17 Adijcientes etiam, quod si quandoq; contigerit per aliquem, aut plures actus, contra huiusmodi, aut quæcumque alia decreta, priuilegia, indulta, gratias, immunitates, & ordinationes præfatæ Congregationis concessa, aut ipsorum aliquod, à quocumq; cuiuscumq; conditionis, dignitatis, gradus, seu status existat ex negligentiâ, vel ignorantiâ præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut aliâ quàuis causâ, propter quam fuerit alitèr attemptatum, vel pro tempore obseruatum, ignoranter, vel scienter; nullum tamen præiudicium, decretis, priuilegijs, indultis, gratijs, immunitatibus, & ordinationibus huiusmodi volumus generari; sed in suo vigore, ac ro-
18 bore permanere. 18 Non obstantibus in Constantiensi, & alijs Concilijs, ac à fel. rec. Innocentio Quarto, Martino Quinto, & alijs Summis Pontificibus prædecessoribus nostris editis constitutionibus, & ordinationibus, etiamsi de illis specialis, & expressa præsentibus mentio habenda esset, quibus, quoad præmissa, specialiter derogamus; nec non Monasteriorum, Prioratuum, & Ordinum prędictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcumq; firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę voluntatis, constitutionis, concessionis, statuti, adiectionis, & derogationis infringere, vel ei ausu teme-
19 rario contraire. 19. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimò quadringentesimo trigesimo sexto, Pridie Calen. Iulij, Pontificatus Nostri Anno sexto.

CON-

# CONSTITVTIO LXIV.

## SVMMARIVM.

1436. Iunij 30.

## EVGENIVS PAPA IV.

1 *Abbates, vel Monachos Congregationis S. Iustinæ ad quemcumque, etiam ad Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli Generalis, Præsidentis, & Visitatorum appellare non licere, decernit.*

2 *Processus tam ciuiles, quàm criminales, iuxta dictæ Congregationis statuta, Iuris communis apicibus ommissis, sine strepitù, & figurà Iudicij agi debere, constituit.*

3 *Abbates dictæ Congregationis contra Monachos à dictæ Congregationis Monasterijs discedentes, & ad aliorum Ordinum Monasteria, etiam prætextù litterarum Apostolicarum impetratarum se se transferentes, nisi in ipsis litteris specialiter præsenti indulto derogatum fuerit, post elapsum trimestre, vel tempus in eisdem Apostolicis litteris appositum, non redeuntes, vel litterarum Apostolicarum mandata nō adimplentes, tamquā contra Apostatas, & fugitiuos agere posse, constituit.*

4 *Interdicti tempore Diuina Officia ianuis clausis, exclusis interdictis, seù excommunicatis, submissà voce Prælatos, Monachos, Commissos, Capellanos, & Laycos, qui intra septa ipsorum Monasteriorum, seu locorum habitauerint, celebrare, seu interesse respectiuè posse, indulget.*

5 *Monachos ad Sacros Ordines ordinandos, præsentandos tantum Episcopo ordinanti, sine vllo præuio examine ordinari debere, concedit.*

6 *Abbatibus dictæ Congregationis licere Episcopos in proprijs Monasterijs aduocare ad Sacros Ordines con erendos, Altaria, & Sacra Vasa consecranda, & alia Pontificalia exercenda, absque Diœcesani licentià.*

7 *Monasteria dictæ Congregationis fore exempta ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus ratione visitationis, & subiectionis, quibusuis Ordinarijs, Vniuersitatibus, Collegijs, siue Capitulis, & Congregationibus debitis.*

8 *Episcopis, vel Ordinarijs locorum, sub excommunicationis ipso facto incurrendæ pœnà, interdicit Missas celebrare, Synodos conuocare, & quæcumque ali a iurisdictionalia, vel Pontificalia exercere in Monasterijs dictæ Congregationis, Monachis inuitis.*

9 *Mulieres intra septa Monasteriorum dictæ Congregationis ingredientes, introducen tes, & receptantes, excommunicationem ipso facto incurrisse. A' quà tamen Monachos per Præsidem, seu Visitatores absolui posse, indulget.*

10 *Dispensationes, & facultates, pro quibus Ordinarij locorum, vel Sedes Apostolica esset de iure communi consulenda, Abbates, & Prælatos dictæ Congregationis impertiri suis subditis posse, decernit.*

11 *Monachos dictæ Congregationis, seu Abbates recipientes, seù requirentes ad obsequium, seruitium, vel quamcumque ob causam, absque Capituli Generalis, seù maioris partis Visitatorum, vel de speciali Sedis Apostolicæ facultate, indulto huiusmodi speciatim derogante, sententiam excommunicationis tam receptos, quam receptantes incurrere, à Sede Apostolicà tantùm, præter quàm in mortis articulo absoluendos; dummodo datà eis notitià de præsenti indulto Monachos, seu Abbates huiusmodi infra triduum non dimiserint.*

12 *Excommunicationes latas à quocumque contra Benefactores, aut familiares, vel Pœnitentes eorumdem Monachorū, irritas, & inanes esse declarat.*

13 *Abbates, seu Monachos à Monasterijs fugientes, non debere redeuntes, inuitis superioribus Monasteriorum recipi, etiam cum litteris Apostolicis derogantibus generaliter Priuilegijs dictæ Congregationis, etiam cum clausulà speciali; dummodò de indulto huiusmodi expressa mentio facta non fuerit.*

14 *Commissiones à quàcumque sæculari, vel ecclesiasticà personà directas exercere non teneri inuitos Abbates dictæ Congregationis, seu Monachos, etiam cum litteris Apostolicis præsenti indulto expresse non derogantibus.*

15 *Monachos dictæ Congregationis non teneri vltra proprias causas, iuramentum subire, testimonium ferre, ad iudicium trahi renuentes, à quocumque, etiam Apostolicæ Sedis Legato, absque litteris Apostolicis huiusmodi indulto specificè, & ad verbum derogantibus; sententiasque pro huiusmodi causà contra eosdem latas, inanes decernit.*

16 *Testimonio Monachorum, & Commissorum in proprijs causis tam ciuilibus, quam criminalibus vti posse dictam Congregationem, statuit.*

17 *Bona, ac Hæreditates quocumque titulo aquirere, & exigere posse Monasteria, idemque ius habere in bonis Monachorum, ac si ijdem Monachi in sæculo morarentur, constituit.*

18 *Confessiones quorumcumque fidelium audire posse dictæ Congregationis Monachos, eisque absolutionis, seu dispensationis beneficium impendere, præter quam in casibus in quibus Ordinarij locorum, vel Sedes Apostolicà ab eisdē Confessoribus videbitur consulenda. Eucharistiæ Sacramentum, pariter eisdem impendere.*

19 *Natalium defectu laborantes Monachos dispensari posse, & ad omnes Sacros Ordines pariter, & Religionis gradus habilitari, per Superiores dictæ Congregationis, concedit.*

20 *Abbates, licèt benedictionis munus non accipiant, Monasteria tamen administrare licitè posse, ac si benedictionem suscepissent, confirmat.*

21 *Derogari non posse Priuilegijs dictæ Congregationis*

per

*per vnum, vel plures actus contrarios, scienter, vel ignoranter commissos.*

22 *Derogari non posse dictæ Congregationis Priuilegijs, neque eorumdem singulis particulis per litteras Apostolicas, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, vel sub clausulâ ista scilicet (Priuilegijs, & indultis dictæ Congregationi concessis, & de quibus expressa mentio fieri debeat non obstantibus) nisi expresse præcisa huiusmodi Priuilegii verba apponantur, euidentissimèque appareat, velle Sedem Apostolicam præsenti indulto, vel parti eiusdem derogare; causamque insuper legitimam huius derogationis apposuerit.*

23 *Derogatorijs derogat.*

24 *Excommunicationis, seù maledictionis sententiam in contrafacientes contestatur.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. I. Capf. Z. n. 10. & ex Collect. Priuil. Apost. Roderici.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam agentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, nè fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, Religionis in-
1 fringat. 1 Cupientes itaque Dilectorum filiorum Congregationis Monachorum Vnitatis, aliàs de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ nuncupatæ, Ordinis Sancti Benedicti, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ oportunitatibus, & commodis, propter eorum excellentiam meritorum, atque vitæ sanctimoniam Nos reddere beneuolos, & fauorabiles. Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, aut alicuius alterius super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, ne nequam Spiritus veneno afflatus malignandi in ipsâ Congregatione materia præbeatur, auctoritate Apostolicâ statuimus, districtiùs inhibentes; Nè cui Prælatorum, vel Monachorum dictæ Congregationis ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli Generalis, siue Præsidentis, siue Visitatorum, aut Rectorum ipsius Congregationis ad quemcumque, etiam ad Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceat appellare; appellationem nihilominus si quam interponi contingat, cum inde sequutis, irri-
2 tam decernendo. 2 Cû autem contra aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis agi contigerit ciuiliter, vel criminaliter; secundum consuetudines, & statuta dictæ Congregationis, iuris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus ommissis, procedi debere; tenore præ-
3 sentiû volumus, & mandamus. 3 Statuentes, quod Prælati dictæ Congregationis contra Monachos eiusdem, qui licentiam se ab Apostolicâ Sede habere dixerint, ad aliud quodcunque Monasterium, siue locum se transferendi obtentu litterarum Apostolicarum; nisi in ipsis litteris specialis nominata, & expressa fieret mentio de ipsâ Congregatione, & huiusmodi Indulto eidem concesso reuocando; & tunc, si infra tres menses id non impleuerint, tamquam contra Apostatas agere valeant, nisi tempus in litteris Apostolicis fuerit expressum, infra quod se debeant ad huiusmodi Monasteria, siue loca trâstulisse; quo casu non prius agere possint contra eos
4 quâ dicta tempora fuerint elapsa. 4 Cæterum, cum per alias nostras certi tenoris litteras, quarum tenorem hic haberi volumus pro expresso, memoratæ Congregationi duximus indulgendum, vt si contingat, Ciuitates, Terras, vel loca, in quibus Monasteria, siue loca dictæ Congregationis consistant, Ecclesiastico esse supposita Interdicto; ipsi tamen dictæ Congregationis Prælati, & Monachi, ianuis clausis, interdictis exclusis, submissâ voce Missas, & diuina Officia celebrare possint; Nos volentes Congregationem ipsam vberioris dono gratiæ confouere; vt huiusmodi tempore Interdicti etiam Côuersi, Comissi, Cappellani, & Laici, qui infra septa ipsorum Monasteriorum, siue locorum pro tempore habitauerint, à præfatæ Congregationis Monachis ad id deputatis Missas, & alia diuina Officia audire, & Ecclesiastica Sacramenta licitè suscipere valeant, similiter præsentium tenore statuimus.
5 5 Insuper cum dudum Congregationis huiusmodi, quod Monachi præsentes, & futuri præfatæ Congregationis præsentati à suis Superioribus, ordinari possint à quocûque Catholico Episcopo, per antefatas nostras litteras indulserimus; volentes etiam eamdem Congregationem amplioribus fauoribus prosequi, quod absque aliquo examine Monachi huiusmodi ordinari debeant, de præsentantium con-
6 scientiâ confidentes. 6 Quodq; Congregationê huiusmodi quemcumque Catholicum Episcopum gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentem in dictæ Congregationis Monasterijs, & locis dumtaxat, aduocare valeant, cui liceat Apostolicâ auctoritate, absque aliquâ licentiâ, & contradictione Diœcesani, nullâ (vt præfertur) examinatione præmissa, Monachos ordinare, Missas celebrare, Ecclesias, Altaria, & Vasa consacrare, Vestes benedicere, & alia Pontificalia exercere, de quo Diœcesanum loci non oporteat timere, quod huiusmodi ordinationis occasione, iuris sui præiudiciû
7 incurrat, eâdem auctoritate indulgemus. 7 Cumq; aliàs per easdem nostras litteras Congregationem prædictam ab omni iurisdictione Ordinariorum, & à Charitatiuis Subsidiis, ac omnibus oneribus eximentes, sub Nostrâ, & B. Petri protectione suscepimus, prout in dictis litteris pleniùs continetur, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso; in dubium postea versum est, prout Nobis relatû extitit, An antiquos census ratione Visitationis, aut Subiectionis, huiusmodi Ordinarijs, Vniuersitati, Collegijs, siue Capitulis hactenus debitos, Monasteria dictæ Congregationis de cætero soluere teneantur. Nos volentes super hoc de oportuno remedio prouidere; declaramus, & nihilominus de nouo statuimus, quod dictæ Congregationis Monasteria, siue loca à die exemptionis huiusmodi, ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus ratione Visitationis, aut Subiectionis, quocumque iure hactenus debitis, aut in futurum debendis quibuscunque Ordinarijs, Capitulis, Collegijs, Congregationibus, Vniuersitatibus, aut alijs quibuscunque personis de plenitudine potestatis Apostolicæ omnino liberamus, & penitùs absoluimus. Non obstantibus præscriptionibus, constitutionibus, statutis, decretis, & priuilegijs Apostolicis quibuscunque in contrarium facientibus, de quibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum esset mentio
8 facienda. 8 Vt autê dictæ Congregationis Monachi liberiùs in eorum Regularis vitæ obseruântia valeant perdurare; omnes, & singulos Episcopos, vel locorum quorumlibet Ordinarios, aut alias quasuis personas ad Monasteria, siue loca dictæ Congregationis, causâ Ordines celebrandi, seu Causas ciuiles, aut criminales exercendi, Conuentus, si-

ue Synodos, & Processiones conuocandi, Missas, & alia Officia celebrandi, sub excommunicationis pœnâ, quam incurrant ipso facto si aliter attentauerint, accedere, vel immorari ipsis inuitis, tenore
9 præsentiũ, prohibemus. 9 Planè, vt huiusmodi Cõgregationis Monachi in vitæ honestate, & odore bonæ famæ apud Deum, & homines conseruentur, & quia ibi cautiùs est agendum, vbi maius imminet periculum animarũ; eâdem auctoritate statuimus, quod nulli hominum liceat, quascunque Mulieres Laycas, seu Religiosas, cuiuscunque ætatis, gradus, status, auctoritatis, vel conditionis existant, quâuis occasione ducere, siue ipsis Mulieribus ingredi, seu commorari infra septa Monasteriorum præfatæ Congregationis; quod si aliter scienter attentatum fuerit, tàm ipsæ Mulieres, quàm earum conductores, sed & ipsi receptatores, si voluntariè hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à quâ dictæ Congregationis personæ absolui possint per Præsidentem, & Visitatores Con-
10 gregationis huiusmodi. 10 Quin etiã nè præfatæ Congregationis Monachi ab eorum quiete distracti, Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentijs, frequentare cogantur; quod in omnibus casibus, in quibus de iure communi Prælati, & Monachi dictæ Congregationis, auctoritas, siue licentia, seu dispensatio Ordinarij esset necessaria, si ab eis exempti non essent, Prælatibus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus, huiusmodi licentiam, &
11 auctoritatẽ, tenore præsentium, indulgemus. 11 Prohibemus etiam, ad obstruendas vias, quibus præfati Monachi extra Congregationem huiusmodi in eorum præiudicium animarum vacare possent, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, aut sæculares, cuiuscunq; status, gradus, vel conditionis existãt, & quâcunq; fulgeant auctoritate, vel dignitate, nè quemquam ex Prælatis, vel Monachis Congregationis prædictæ penès se obsequiorum, vel Seruitiorum aliquorum, seu Monasteriorum suorum obtentu, aut si absq; licentiâ suorum Superiorum à se diuerterint, seu aliâ quâuis causâ à dictâ Congregatione abstrahere, seu etiam ad se spontè venientes retinere præsumant, etiam auctoritate literarum Apostolicarum, in quibus de huiusmodi personâ, ac Congregatione nominatim, & expressa mentio facta non fuerit, absque consensu Capituli Generalis, seu Præsidentis, & maioris partis Visitatorum Congregationis eiusdem, sub pœnâ excommunicationis, quam ipso facto incurrant, si factâ eis notitia de huiusmodi priuilegio infra tres dies personam ipsam dictæ Congregationi non restituerint cum effectu, vel ab eis abiecerint: à quâ sententia non nisi in mortis articulo, & à Sede Apostolicâ recipientes, & recepti absolui possint; Non obstantibus quarũcunq; Religionum, aut Ordinum, aut alterius cuiuscunq; personæ priuilegijs, & indultis quibuscunq; de quibus etiam specialis, ac de verbo ad verbum mentio facienda esset. Quibus omnibus volumus nominatim, & specificè per huiusmodi indultum, quo ad
12 præmissa, derogari. 12 Prętereà, nè quies, & pax Monachorum, & personarum de dictâ Congregatione quouis modo, etiam per indirectum conturbari, contingat, quascunq; sententias latas ab Ordinarijs, seu quibuscunque personis, quâcunq; præfulgeant dignitate, ac contra Benefactores dictæ Congregationis, occasione beneficiorum eidem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum, cum huiusmodi Monachis conuersentur, seu ab eis recipiant absolutionis beneficium, & Eucharistiæ Sacramentum, ipso facto irritas, & inanes, eâdem auctoritate decerni-
13 mus. 13 Cũ autem interdum contingat nonnullas Monachos inobedientes, & rebelles à Monasterijs, & eorum Superiorum obedientiâ se subtrahere, & vt inuitis Superioribus redeant, Apostolicas literas impetrare; huiusmodi malignantibus obuiare volentes; nè quis præfatæ Congregationis Monachos, vel Prælatos, vigore quarumcunq; literarum huiusmodi, nisi nominatim, & expressè apparuerit de mente Summi Pontificis, qui pro tempore fuerit, huic nostro indulto velle derogare, ad ipsos recipiendum compellere possint, etiamsi huiusmodi literis, clausula (Indultis, priuilegijs dictæ Congregationi concessis non obstantibus, & de quibus expressa mentio fieri debeat) expressè contineatur,
14 præsentis paginæ tenore decernimus. 14 Insuper tranquilitati eorum intendentes, nè ij, qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimiserunt, eligentes potius cum Mariâ circa pedes Domini residere ad audiendum verbum illius, causarum turbinibus perturbentur; Si contingat aliquem literas Apostolicas commissorias de administrandâ institiâ, executione faciendâ, visitatione exercendâ, aut aliâ quâuis causâ aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis directas impetrasse, nisi huic indulto expressè, & specialiter, & nominatim derogetur, ad huiusmodi causas, talium obtentu litterarum, præter liberam eorum voluntatem, procedere, vel eas exequi minimè teneantur, indulti
15 huiusmodi tenore decernimus. 15 Plane nè Pręlatos, & Monachos huiusmodi causarum strepitus inquietet, & ab otio sancto deducat; Nè quis Prælatos, Monachos, & personas huiusmodi Congregationis subire de calumniâ, & veritate dicendâ iuramentum, aut ad ferendum testimonium quâcunq; ex causâ compellat inuitos, siue extra Ciuitates, & Diœceses suas trahat, seu in eos, vel eorum aliquem, propterea excommunicationis, vel alias censuræ, vel pœnæ sententias proferat per literas Apostolicæ Sedis, vel Legatorum eius; nisi in eisdem literis de huiusmodi indulgentiâ plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, facta fuerit mentio specialis, eâdem auctoritate indulgemus; excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias sententias, si quas in eos, vel in aliquem eorum contra indultum huiusmodi promulgari contigerit, decernentes, præsen-
16 tium tenore, irritas, & inanes. 16 Prælatos etiam, & Monachos Congregationis predictę Monachorum, Comissorum, & Conuersorum ipsius Congregationis in causis eorum ciuilibus, & criminalibus testimonio vti posse liberè, & licitè, tenore præsentiũ
17 declaramus. 17 Quodq; prefatę Cõgregationis Monasteria, bona immobilia, & mobilia, in quibuscunq; Ciuitatibus, & locis, quouis titulo aquirere possint; petendi etiam, exigendi Monachis, & personis huiusmodi præfata bona vndecunque, vel qualitercunq; eis debita, & quæ si in sæculo remansissent ius petẽdi, & exigendi haberent ipsis eorũ Monasterijs aquirenda. Non obstantibus quibusuis statutis, ordinationibus, & decretis, cuiusuis Ecclesiasticæ, siue sæcularis personæ, Communitatis, Collegij, siue Vniuersitatis, aut alterius cuiuscunq; gradus, status, dignitatis, officij, & auctoritatis existant, præsen-
18 tium literarum serie, statuimus. 18 Præterea cũ sæpe contingat ob deuotionem, quam ad Monachos præfatæ Congregationis nonnullæ personæ habent singularem, ad præfatos Monachos pro eorum salute animarum recurrere. Nos volentes eorum deuotioni satisfacere, & in fauorem Religionis, ac obseruantiæ Regularis; Quod liceat huiusmodi personis ad dictæ Congregationis Prælatos, siue Monachos

nachos deputatos à suis Superioribus ad audiendas Cõfessiones,accedere,quas possint audire,absq;aliquâ dictarum personarum Superiorum licentiâ, & contradictione, ac eis absolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis, & dispensare super omnes casus(præter ea,peccata,& eos casus,de quibus ipsis Confessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum,aut de quibus meritò esset Sedes Apostolica consulenda), & eis ministrare Eucharistiæ Sacramentum, de specialis dono gratiæ elargi-
19 mur. 19 Quin etiam,cũ Religionis fauore nonnulla concedantur,quæ aliàs interdici solent: Quod si qui ex Monachis Congregationis præfatæ defectum Natalium patiatur, in Monasterio tamen aliàs laudabiliter conuersati; huiusmodi defectu non obstante ad Sacros Ordines, & Officia, Prælationes dignitates, & honores in eorum Monasterijs, iuxta Constitutiones eorum liberè, & licitè valeant promoueri, Congregationi memoratæ, tenore præsen-
20 tium,indulgemus. 20 Volentes insuper quod Prælati Congregationis præfatæ, licet munus benedictionis non acceperint, perinde tamen Monasteria ipsius Gongregationis regere,& administrare, ac omnes actus in ipsis valeant exercere, ac si munus
21 huiusmodi fuerint consecuti. 21 Adijcientes etiam, quod si quando contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiusmodi decreta,priuilegia, & ordinationes, aut ipsorum aliquod à quocunq; ,cuiuscunq;conditionis,dignitatis, gradus, seu status existat,etiam negligentiâ, vel ignorantiâ præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut aliâ quauis causâ,propter quam fuerit attentatum, vel pro tempore obseruatum, ignoranter, vel scienter; nullum tamen præiudicium decretis huiusmodi volumus generari,sed in suo vigore, & robore perma-
22 nere. 22 Postremò,cũ plerumq;contingat prę nimiâ importunitate petentium, ac negotiorum multitudine,& suppressione veritatis,Summos Pontifices fatigatos,ac circumuentos concedere, quibus alias nullatenus annuerent; auctoritate præsentium statuimus,decernimus,& ordinamus, quòd quæcunq; literæ Apostolicæ, etiam proprio motu confectæ, aut in futurum conficiendæ, etsi in eisdem clausula(priuilegijs, & indultis dictæ Congregationi concessis, non obstan., & de quibus expressa mentio fieri debeat) expresè contineatur, quæ obuient, & contrafaciant huic præsenti priuilegio, aut cuilibet eius particulæ;nisi appareat euidentissimè, & apertissimè,quod Summus Pontifex, qui pro tempore fuerit,huic indulto, vel alicui eius parti velit per literas Apostolicas derogare, facientes plenam mentionem, de verbo ad verbum, ex certâ scientiâ de huiusmodi priuilegio,ac ipsâ Congregatione diuersis nominibus,eam nominando per hæc præcisè vocabula, Congregationem vnitatis, aliàs de Obseruatntia S.Iustinæ nuncupatam,causasq; legitimas allegauerit, cur his obuiare decretis intendat, nul-
23 lius sint roboris,vel momenti. 23 Non obstan. in Constantien.& alijs Concilis,ac à fel.rec.Innocentio IV. & Martino V. nec non alijs Summis Pontificibus prædecessoribus Nostris editis constitutionibus,& ordinationibus;etiam si de illis specialis, & expressa,ac de verbo, ad verbum præsentibus mentio habenda esset,quibus;quoad pręmissa,specialiter derogamus; Nec non Monasteriorum, Prioratuum,& Ordinũ prædictorũ iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàcunq; firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunq;. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostrorum statuti, inhibitionis, voluntatis, mandati, constitutionis, indulti, liberationis, absolutionis, prohibitionis,derogationis, decreti, declarationis, elargitionis,ordinationis, concessionis, & exemptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum,eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1436. pridie Cal.Iulij,Pontificatus nostri Anno VI.

## CONSTITVTIO LXV.

### SVMMARIVM.

1436. *Iulij* 2.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Vniones Congregationis S.Iustinæ, ac Monasteriorum, Ecclesiarum, & Prioratuum factas, vel faciendas,non posse annullari, reuocari,vel rescindi, per Summos Pontifices subquibusuis formis verborum, neque vllum eisdem præiudicium inferri, constituit.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin. lib. A. fol. 50.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Monasteriorum,ac Religiosorum Locorum,& in eis sub Sacro Religionis iugo degentium personarum omnium statum salubriter, & prosperè dirigendum paternâ solicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus,& ijs,quæ eis per Sedem Apostolicam gratiosè concessa sunt, vt perpetuò perdurent fauorem,quantum cum Deo,possumus Apostolicum adhibemus. Dudum si quidem ex certis, ac diuersis tunc expressis rationabilibus causis,animum nostrum mouentibus Sanctæ Iustinæ Paduanensis,ac Sancti Petri Perusin. Necnon Beatæ Mariæ propè Cesenaten:muros,Ordinis Sãcti Benedicti: & nonnulla alia in diuersis partibus, consistentia Monasteria,Prioratus,& Ecclesias, ac Loca Ecclesiastica, tam sæcularia, quam Regularia prædicti, & aliorum diuersorum Ordinum vniuersitati, seu Congregationi Monachorum Vnitatis, aliàs de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ nuncupatæ dicti Ordinis Sancti Benedicti, sub certis modis, & formis tunc expressis inter alia vniuimus, concessimus, appropriauimus, & donauimus, prout in diuersis Nostris desuper confectis literis, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, pleniùs continetur. Nos igitur attendentes quod Monachi Congregationis huiusmodi à pluribus annis citra,præsertim in Italiæ partibus in eorum Monasterijs,ac locis sub regulari obseruantiâ,vitæque castimoniâ ad laudem,& gloriam Altissimi,ac populi deuotionis augmentum laudabiliter viuentes, varijs multiplicantur, & quotidie multiplicant virtutum meritis,& nè ad debitum literarum huiusmodi consequendum effectum quomodolibet impediri valeant prouidere volentes. Motu proprio,non ad ipsorum Monachorum, seu alicuius eorum Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate,authoritate Apostolicâ ex certâ scientiâ, tenore præsentium volumus, statuimus decernimus, & ordinamus quod per quascumque reuocationes, cassationes, seu annullatio-

nes quarumcumque vnionum, incorporationum, annexionum, & appropriationum, de prædictis, & quibusuis alijs Monasterijs, Prioratibus, Ecclesiis, siue Locis Ecclesiasticis per Nos, seu successores Nostros Romanos Pontifices, aut eorum aliquem; etiam per literas, seu constitutiones, voluntates, & ordinationes Nostras, aut Pōtificum eorumdem in genere, vel in specie, seu quibusuis formis, vel verborum expressionibus de cætero forsan faciendas, nullum Vniuersitati, seu Congregationi Monachorum huiusmodi, quin prædictarum eis concessarum, ac super similibus de alijs Monasterijs, Prioratibus, Ecclesiis, ac Locis Ecclesiasticis faciendis vnionibus, in corporationibus, appropriationibus, & donationibus per Nos concedendarum literarum totalē, & plenariū, vigore huiusmodi sortiantur effectū, valeat, siue possit præiudicium inferri. Sed illæ omnes, etiam post reuocationes, cassationes, & annullationes prędictas, in suo robore permaneant, & permanere debeant; prout in omnibus, & per omnia, ac si quoad eas, & ipsarum singulas reuocatio, annullatio, & cassatio prædicta nullatenus emanassent, nisi alias ipse vnionum, concessionum, appropriationum, & donationum expeditæ, & expediendæ literæ huiusmodi, in reuocationum, cassationum, & annullationum literis, constitutionibus, & ordinationibus huiusmodi de verbo ad verbum insererentur; ac in eis specialis, ac expressa, ac indiuidua de ipsis Monasterijs, & Locis, ac dictâ Congregatione mentio contineretur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę voluntatis, statuti, constitutionis, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1436. pridie Kalen. Iulij. Pontificatus nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO LXVI.

### SVMMARIVM.

*1436. Iulij 2.*

### EVGENIVS PAPA IV.

*Bona, & iura Congregationis S. Iustinæ alienandi permutandi, & in Emphiteusim locandi vsque ad summam florenorum ducentum auri de Camerâ, facultatem concedere posse Capitulum generale, vel Presidens, cum Visitatoribus, concedit.*

*Ex Arch. Abbatiæ Florent. Arm. I. Caps. 2. n. 14. & ex Collect. Friul. Apostol. Roderici.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ex debito Pastoralis Officij circa regimen Monasteriorum omnium solicitè intendamus; ad ea tamen, quæ sub Obseruantiâ Regulari Altissimo famulantur, propensiorem diligentiam, & studium adhibemus, vt inibi diuinus cultus augeatur, & personæ in eis degentes possint quietiùs reddere Altissimo vota sua. Sanè, cum sæpè contingat Prælatos, & Conuentus Monasteriorum Congregationis Vnitatis aliàs de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ nuncupatæ, Ordinis Sancti Benedicti Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ ex nonnullis rationabilibus causis prædia, possessiones, vineas, olíueta, hortos, syluas, nemora, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, census, decimas, iura, iurisdictiones, & alia bona immobilia ad Monasteria ipsa spectantia, vendere, alienare, & permutare velle, propter quod necesse est eis, vt ad Sedem Apostolicam pro licentiâ, & auctoritate recurrant, & sic à quiete, & otio sancto distrahi. Nos volentes eorum tranquillitati, & vt accuratiùs contemplationi, cui vita eorum dedita est, vacare possint de remedio oportuno prouidere. Motu proprio, non ad eorum, aut alicuius alterius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostrâ merâ liberalitate, statuimus, & ordinamus, quod quoticscumque huiusmodi Congregationis Prælati, & Conuentus, qui pro tempore fuerint vendere, alienare, permutare, vel in emphiteusim, aut ad annuum Censum concedere voluerit, seu ad longum tempus prædia, possessiones, vineas, olíueta, hortos, syluas, nemora, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, census, decimas, iura, iurisdictiones, & alia bona immobilia Monasteriorum huiusmodi, quæ nunc sunt, & in futurum, dante Domino, erunt dictæ Congregationis; dum tamen singula huiusmodi prædia, possessiones, & bona immobilia quocunque vocabulo censeantur, quantitatem pretij florenorum auri de Camerâ ducentorum, secundum communem extimationem non excedant, recursum habeant ad Capitulum, cum celebrari contigerit, aliàs ad Præsidentem, & Visitatores Congregationis huiusmodi. Qui quidem Capitulum, & Præsidens, vnà cum omnibus Visitatoribus ipsi Præsidenti assistentibus, si conspexerint huiusmodi alienationes, siue concessiones in euidentem vtilitatem prædictorū Monasteriorum cedere, super quo eorum conscientias oneramus; huiusmodi Prælatis, & Conuentibus; prædicta immobilia bona vendendi, permutandi, alienandi, aut aliter concedendi, vt præfertur, absque eo, quod vendentes, seu ementes, recursum habeant ad Sedem eamdem, seu Ordinarios, aut quoscumque alios pro licentiâ, & auctoritate huiusmodi, aut confirmatione obtinendis; seruatis tamen alijs iuris solemnitatibus; licentiā, & auctoritatem Apostolicâ auctoritate largiri, atque impendere valeant; constitutionibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostrorum statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo Trigesimo sexto, sexto nonas Iulij. Pontificatus nostri, Anno sexto.

## CONSTITVTIO LXVII.

### SVMMARIVM.

*1436. Iulij 3.*

### EVGENIVS PAPA IV.

*Congregationem Sanctæ Iustinæ à Canonicæ portionis, Decimarum Legatorum, & vltimarum voluntatum solutione cuicunque facienda eximit.*

Ex

*Ex Arch. S.Benedict. de Padolyrone.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac personarum Ecclesiasticarum omnium, præsertim regularem vitam professarum statum salubriter dirigendum, iuxta Pastoralis Officij debitum curam, & sollicitudinis nostræ partes libenter impendimus. Cum itaque dudum Congregationi Monachorum de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ, aliâs Vnitatis nuncupatę Ordinis Sancti Benedicti, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ, per alias nostras certi tenoris litteras, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, Sepulturam in Monasterijs, & locis eorum saluo tamen Parochianorum illarum Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur, pro vt in præfatis litteris, pleniùs continetur, concesserimus. Nos volentes præfatæ Congregationis Monachos, à pluribus citra temporibus in obseruantiâ regulari, & vitæ sanctimoniâ varijs multiplicarunt, prout in dies multiplicant virtutum meritis, & vt Altissimo possint commodiùs, & quietiùs deseruire, ac reparationi Monasteriorum eorum, quâ maximè indigent vacare, amplioribus fauoribus prosequi. Motu proprio, nō ad ipsorum, aut alicuius eorum Nobis super hoc oblatę petitionis instātiam, Sed de Nostrâ merâ liberalitate; omnibus, & singulis dictæ Congregationis, Monasterijs, Prioratibus, grangijs, membris, manualibus, & locis, vt ad dandum, seu soluendum aliquam Canonicam portionem, siue Decimas, aut aliud quodcumque, quod loco earum solui consueuisset Parrochianis, Episcopis, Archiepiscopis, Capitulis, Collegiis, vniuersitatibus, Communitatibus, Fabricis, & alijs quibuscumque personis de iure, vel consuetudine, aut statutis, vel priuilegijs, quibuscunque, ex quâcunque causâ hactenus debitâ, seu quæ deberi prætendant quomodolibet in futurum ab eisdem, etiam de relictis, legatis, & donatis, tàm in vltimis voluntatibus, quàm inter viuos, seu quâcunque occasione concessis, præteritis, & imposterum concedendis, minimè teneantur; quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, ac præfatis Nostris litteris, quibus, quatenus huic nostro Indulto obuient, volumus derogare, & alijs consuetudinibus, statutis, præscriptionibus, & priuilegijs, sub quâcunque formâ, aut quibuscunque clausulis editis non obstantibus; etiam si de illis, eorumque totis tenoribus præsentibus expressâ, & specialis, ac indiuidua foret habenda mentio, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ, de specialis dono gratiæ, indulgemus. Decernētes ex nunc omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque quascunque sententiás, quas contra personas dictæ Congregationis, siue Monasteria, & loca, & alias in præiudicium concessionis huiusmodi promulgari, nullas, nec non irritum, & inane quicquid aliud in contrarium à quoquam, quàuis auctoritate, scienter, vel ignoranter attemptatum, forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto. Quintò nonas Iulij, Pontificatus nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO LXVIII.

### *SVMMARIVM.*

*1436. Iulij 11.*

### EVGENIVS PAPA IV.

*Priuilegia Congregationis S. Iustinę derogari non posse, nisi seruatis clausulis in pręsenti indulto expressis.*

*Ex lib. Priuil. Cong. Casin. n.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, quò inter cætera sumus vniuersis Orbis Monasterijs, & locis regularibus obligati; ad ea potissimè intendimus, in quibus regularis obseruantia, honestas morum, castimonia vitæ, & diuinus cultus laudabiliter obseruatur, & viget; vt ea, quæ ex Apostolicâ indulgentiâ pro eorum conseruatione fuerint concessa, inuiolabiliter obseruentur, & perpetuò perdurent. Cum itaque dudum Congregationi de Obseruantiâ S. Iustinæ, aliâs Vnitatis nuncupatæ, Ordinis S. Benedicti Nobis, & Romanę Ecclesiæ immediatè subiectę, ad cuius augumentum, & bonum regimen, etiam dum in minoribus eramus constituti solicitudinis nostræ partes impendimus; & postea ad apicem Summi Apostolatus assumpti, eam propensiori fauore sumus cōplexi, per Nostras varias, & diuersas certi tenoris literas, quarū omniū tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis, multa priuilegia, indulta, gratias, immunitates, exemptiones, & concessiones, indulxerimus; neque satis sit priuilegia, & immunitates concedere; nisi, & ea concedantur, per quæ concessa tueri valeant, & etiam conseruari; contingatque plerumq; ex nimiâ supplicantiū importunitate Summos Pontifices, non solum fatigatos, sed etiam circumuentos nonnulla concedere; quibus ritè iam indultis facilè derogetur. Nos igitur concessionibus, & indultis Congregationis præfatæ, nè facilè reuocentur, de oportuno volentes remedio prouidere; motu proprio, non ad Abbatum, Monachorū, seu personarum dictæ Congregationis, aut alicuius alterius super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra merâ liberalitate, statuimus, ordinamus, & decernimus, quod quandocumq; literæ Apostolicæ, etiam proprio motu, sub quâcumq; expressione verborum, aut clausularum derogatiuarum confectæ, aut in futurum conficiendæ, quæ indulgentijs, priuilegijs, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, & concessionibus huiusmodi dictæ Congregationi hactenus concessis, & in futurum concedendis in totum, vel in parte obuient; nisi appareat euidentissimè, & apertissimè, quod Summus Pontifex, qui pro tempore fuerit, præfatis indultis, & priuilegijs in toto, vel in parte velit derogare per literas Apostolicas facientes specialem mentionem, de verbo ad verbum, ex certâ scientiâ de huiusmodi priuilegijs, ac ipsâ Congregatione, diuersis nominibus eam nominando, per hæc præcisa vocabula, videlicet Congregationem Vnitatis, aliâs de Obseruantia S. Iustinæ nuncupatam; expresseritque quod eisdem priuilegijs, indultis, & concessionibus intendat derogare. Insuper, & in eisdem literis nominatim, & seriatim expressa fuerint

rint omnia nomina Monasteriorum dictæ Congregationis, nullius sit roboris, vel momenti. Non obstantibus præmissis,ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumq. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti,ordinationis, & constitutionis,infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1436. Quinto Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno Sexto. A.de Florentiâ.

## CONSTITVTIO LXIX.

### SVMMARIVM.

*1436. Nou. 24.*

### EVGENIVS PAPA IV.

*Iudices Conseruatores eligit,qui bona, & iura Congregregationis S. Iustinæ, & quorumcumq; eiusdem Monasteriorum tueantur. Causasque eorumdem sine strepitu,& figurâ iudicij, solâ facti veritate inspectâ;etiam per Censuras Ecclesiasticas terminent,& decernant.*

*Ex Arch.S.Petri de Perusio lib.B.fol.67.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mediolanensi,& Castellanẽsi,ac Christophoro Ariminẽn. Episcopis, nec non Dilecto filio Abbati Monasterij Casinẽn.nullius Diœcesis,Salutem, & Apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ,licet immeriti, disponẽte Domino præsidentes, circa curam Ecclesiarum,& Monasteriorum,aliorumq; piorum locorum omnium,solertiâ reddimur indefessâ soliciti,vt iuxta debitum Pastoralis officij,eorum occurramus dispendijs, & profectibus, diuinâ cooperante clementiâ, salubriter intendamus. Sanè dilectorum filiorum Præsidentis,Visitatorum, & Prælatorum Congregationis Monachorum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, & Locorum vnitatis aliàs de Obseruantiâ S.Iustinæ nuncupatæ,Ordinis S.Benedicti,ad Rom.Ecclesiam,nullo medio pertinentis conquestione percepimus, quòd nonnulli Archiepiscopi,Episcopi,alijq;Ecclesiarum Prælati, & Clerici,ac Ecclesiasticæ personæ, tam Religiosæ, quàm sæculares,necnon Duces,Marchiones,Comites,Barones,Nobiles,Milites,& Layci,Communia Ciuitatum, Vniuersitates Oppidorum, Castrorum, Villarum,& aliorum locorum, ac aliæ singulares personæ Ciuitatum, & Diœcel. & aliarum partium diuersarum,violarunt, occuparunt, & occupari fecerunt Ecclesias, Castra, Villas, & alia loca, siue membra,terras,domos,grangias, molendina, decimas,obedientias,casalia,vineas,prata,nemora,piscationes,possessiones,iura,priuilegia,& iurisdictiones; necnon fructus,census,redditus, & prouentus dictæ Congregationis, ac Monasteriorum, Prioratuum, domorum, aliorumq; locorum sub Congregatione huiusmodi comprehensorum,siue illi subiectorum; & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritualia,& temporalia,ad Congregationem, siue Monasteria,Prioratus,Membra, nec non subiecta, domos, & loca huiusmodi spectantia, & ea detinent indebitè occupata,seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem. Nonnulli etiam Ciuitatum, Diœcel. & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant,eisdem Præsidenti; Visitatoribus, necnon dilectis filijs Abbatibus Monasteriorum,& Prioratuum prædictorum,ac eorumdem, necnon Congregationis,ac subiectorum, domorum, & locorum huiusmodi personis alijs,super prædictis Castris,Villis, & locis alijs,terris,domibus, pertinentijs, possessionibus,iuribus, & iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, & prouentibus eorumdem, ac quibuscunq;alijs bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus,& temporalibus, & alijs rebus ad Congregationem,Monasteria,Prioratus, necnon subiecta, domos,& loca huiusmodi spectantibus, multiplices molestias,& iniurias inferunt, ac iacturas. Quarè dicti Præsidens, & Visitatores Nobis humiliter supplicarunt,vt cum eisdem valdè reddatur difficile, & alijs Abbatibus, Prioribus, & Prælatis huiusmodi pro singulis quærelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, prouidere eis super hoc paternâ diligentiâ curaremus. Nos igitur aduersus violatores, occupatores,detentores,præsumptores, molestatores,& iniuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Cõgregationi,Præsidenti,Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus,& personis alijs, remedio subuenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & alijs aditus committendi similia præcludatur; Discretioni vestræ,ex certâ scientiâ,per Apostolica scripta mandamus,quatenus vos, vel duo, aut singuli vestrum per vos,vel alium,seu alios,etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis Conseruatores, & Iudices, ipsis Præsidenti,Visitatoribus,Abbatibus,Prioribus, & personis, necnon Conuentibus, domibus, ac membris eisdem subiectis,efficacis defensionis præsidio assistentes,non permittatis eosdem super hijs, & quibuscunq;alijs, bonis,& iuribus, ad Congregationem,Monasteria,Prioratus, necnon subiecta,domos,& loca prædicta,spectantibus, ab eisdem, vel quibusuis alijs indebitè molestari, vel eis grauamina,seu damna, vel iniurias irrogari, facturi dictis Præsidenti,Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & personis,quum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo,fueritis requisiti de prædictis, ac alijs personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Prioratuum, Ecclesiarum, membrorum, grangiarum,castrorum,casalium,villarum,terrarum, possessionum, & aliorum locorum, iurisdictionum, iurium,redditũum quoque,& prouentuum,& aliorum quorumcunq;bonorum spiritualium, & temporalium,necnon de quibuscunq;molestijs, iniurijs, atq;damnis,præsentibus,& futuris, in personis, & rebus ipsorum; in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem,summariè, & de plano, sine strepitu,& figurâ iudicij,solâ facti veritate inspectâ, in alijs verò,prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum. Violatores, occupatores, seu detentores,præsumptores,molestatores, & iniuriatores huiusmodi,nec non contradictores quoslibet, & rebelles,cuiuscumq;dignitatis,status, gradus, ordinis,vel conditionis extiterint,quandocunq; & quotiescunq;expedierit,auctoritate nostrâ, per Censuram Ecclesiasticam,ac omni appellatione, processũ causarum quouis modo respicienti, postpositâ, compescẽndo;inuocato ad hoc,si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus, tam fel.rec. Bonifacij Papæ VIII.prædecessoribus nostri, in quibus

bus cauetur, ne aliquis extra suam Ciuitatem, & Diœces. nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœces. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices, & Conseruatores à Sede deputati prædictâ extra Ciuitatem, & Diœces. in quibus deputati fuerint, contra quoscumq; procedere, siue alij, vel alijs vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine Diœces. earumdem trahere præsumant, seu quòd de alijs quàm de manifestis iniurijs, ac violentijs, & alijs quæ iudicialem requirunt indaginem, pœnis in eos si secùs egerint, & in id procurantes adiectis, Conseruatores se nullatenus intromittant. Et tam de duabus dietis in Concilio generali, dummodò vltra duas, aliquis extra suam Ciuitatem, & Diœces. auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, quàm alijs quibuscumq; constitutionibus à prædecessoribus Nostris Rom. Pontificibus, tàm de Iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quàm personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alijs editis, quæ vestræ possent in hâc parte iurisdictioni, aut potestati, eiusq; libero exercitio quomodolibet obuiare, seu si aliquibus communiter, vel diuisim à prædictâ sit Sede indultum, quòd excommunicari suspendi, vel interdici, seu extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari nō possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus proprijs mentionem, & quâlibet aliâ dictæ Sedis Indulgentiâ generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam, præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestræ iurisdictionis explicatio in hâc parte valeat quomodolibet impediri, & de quâ cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum in Nostris litteris habenda sit mentio specialis. Cæterum volumus, & Apostolicâ auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus. Quodque à datis præsentium, sit vobis, & vnicuique vestrum, in præmissis omnibus, & eorum singulis, cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris perpetuata potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eâque firmitate possitis in præmissis omnibus, cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cœpta fuissent, & iurisdictio vestra, & cuiuslibet vestrum in præmissis omnibus, & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Constitutione prædictâ super Conseruatoribus, & aliâ quâlibet in contrarium edita non obstante. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, M.CCCCXXXVI. Octauo Kalend. Decembris, Pontificatus nostri, Anno Sexto.

## CONSTITVTIO LXX.

### SVMMARIVM.

1437. Apr. 1.

### EVGENIVS PAPA IV.

*Facultatem conferendi Beneficia cum Curâ, vel sine Curâ Monasterij S. Iustinæ de Paduâ, (præterquam reseruata per Summos Pontifices) reliqua verò per Expectatiuas Generales, vel particulares etiam Motu propriò & ad fauorē cuiuscunq; personæ in quâuis, etiā Pontificali, dignitate constitutæ, etiam cum præuentione Sedis Apostolicæ, vel Legatorum eius, prȩterquā per obitum in Curiâ Romanâ, eidem Monasterio concedit.*

*Ex Arch. S. Io. Euangelistæ Parmen. Caps. 2. n. 1.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, cui à Deo omnium Ecclesiarum, & Beneficiorum ecclesiasticorum solicitudo cœlitùs est commissa, illorum in quantum potest dispendijs libenter obuiat; & vt Ecclesiæ, ac Beneficia ipsa viris committantur idoneis, per quorum industriam illorum bona, non solum conseruari, sed etiam multipliciter adaugeri valeant, Apostolici partes ministerij copiosiùs interponit. Sanè pro parte Dilectorum filiorum Abbatis, & Conuentus Monasterij S. Iustinæ Paduanæ Ordinis S. Benedicti nuper exhibita petitio continebat; quod, licet ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, seù dispositionem diuersa Ecclesiastica Beneficia pertineant; plerumque tamen expectantes Apostolici, siue alij, auctoritate prouisionis Sedis Apostolicæ, aut Legatorum eius de dictis Beneficijs eis faciunt prouideri, quorum aliqui nonnunquam ad gubernanda dicta Beneficia minùs idonei reperiuntur, vnde varia in partibus illis succedunt scandala, & pericula animarum, quæ plurimum cessarent, si Abbas, & Conuentus prædicti in ipsorum Beneficiorum collationibus, illorum vacationum occurrentibus temporibus, per Sedis prædictæ, aut Legatorum eius prouisiones, aut facultates, seù indulta non possent impediri Nos itaque super his salubriter prouidere cupientes, ipsorum Abbatis, & Conuentus in hâc parte supplicationibus inclinati, præsentis perpetuò valituræ constitutionis edicto, Apostolicâ auctoritate statuimus, & ordinamus, Quod deinceps perpetuis futuris temporibus, nulla ex Beneficijs Ecclesiasticis cum curâ, vel sinè curâ ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem Abbatis, & Conuentus prędictorum, communiter, vel diuisim pro tempore pertinentibus; etiam qualitercunque Beneficia ipsa, & vbicunque, præterquam apud eamdem Sedem vacare contigerit; dummodo dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata non fuerint, sub gratijs, expectatiuis, aut prouisionibus, seu dispositionibus dictæ Sedis, vel Legatorum eius, aut ipsius Sedis facultatibus, seù indultis de conferendis Ecclesiasticis Beneficijs vacantibus, vel vacaturis quibusuis personis, cuiuscunque status, dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quauis, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeant, ab eâdem Sede quomodolibet concessis, & in antea concedendis, quomodolibet cadant, siue comprȩhendantur, sed ipsorum Beneficiorum Collatio, prouisio præsentatio, electio, & dispositio, vacationum temporibus huiusmodi præmissis non obstantibus, ad Abbatem Monasterij pro tempore existentem, & Conuentum prædictum liberè, & absque quocunque, etiam Apostolicæ Sedis præuentionis impedimento, pertineant, atque spectent; ac de ipsis Beneficijs nullus alius, præterquam Abbas, & Conuentus prædicti vigore, seù prætextu quarumcunque facultatum, seù indultorum ipsis à Sede, vel Legatis prædictis qualitercunque, vel sub qui-

quibusuis verborum formis, etiam cum quibuscunque clausulis derogatorijs; etiam motu proprio concessorum, & concedendorum, qualitercunque disponere valear. Omnes quoque, & singulas gratias, expectatiuas, & processus super illis pro tempore habitas; necnon acceptationes, & prouisiones, ac dispositiones, collationes, & litteras Sedis, & Legatorum huiusmodi; necnon facultates, & indulta super conferendis Beneficijs vacantibus, aut vacaturis quibusuis personis, etiam si ille Pontificali, aut Sæculari dignitate præfulgeant à Sede, aut Legatis prædictis, seù aliàs Apostolicâ, vel quâuis auctoritate concessę, aut concessa, vel concedendæ, seu cōcedenda, sub quibusuis verborum formis, etiamsi Motu proprio concessiones ipsæ pro tempore factę reperiantur, & quascunque fauorabiles, seu derogatorias clausulas, etiam tales; aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel alijs Beneficijs ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint; etiamsi per eas ad inhibitionem, reseruationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; seu si dictis Abbati, & Conuentui, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel prouisionem alicuius minimè teneantur, & ad id compelli; aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quodque de huiusmodi, vel alijs Beneficijs Ecclesiasticis ad eorūdem Abbatis, & Conuentus collationem, prouisionem, & præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem coniunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat prouideri per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quâlibet aliâ dictæ Sedis indulgentiâ generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totalitèr insertam effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat, vel quomodolibet differri; & de quâ, cuiusque toto tenore habenda foret mentio specialis in se contineant; quo ad Beneficia ad collationem Abbatis, & Conuentus spectantia huiusmodi; nec non etiam omnes, & singulos processus, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasq; Ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas, quas contra præmissa ferri, vel promulgari; nec non totum id, & quidquid in contrarium à quoquam, quâuis auctoritate, scienter, vel ignoranter fieri, vel attemptari contigerit, nullius subsistere robore firmitatis eâdem auctoritate decernimus, per præsentes. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis Sedis, & Legatorū prędictorum literis, concessionibus, reseruationibus, dispositionibus, collationibus, prouisionibus, inhibitionibus, facultatibus, & indultis, etiam cum decretis irritantibus, sub quibusuis verborum formis, etiam motu simili concessis, & concedendis, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus, præsentibus de verbo ad verbum mentio habenda foret; quibus omnibus, quo ad Beneficia ad collationem Abbatis, & Conuentus spectantia, huiusmodi præsentibus expressè derogamus, & derogari, & ad ea non extendi volumus, & protestamur illis aliàs in suo robore duraturis; nec Monasterijs, & Ordinis prædictorum Iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate, roboratis, statutis, & consuetudinibus, cœterisq; contrarijs quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, constitutionis, derogationis, voluntatis, & protestationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo trigesimo septimo, Calendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO LXXI.

### SVMMARIVM.

1437. *Iunij* 27.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Beneficia plura vnit Monasterio S. Petri de Perusiâ.*

2 *Eorumq; liberè possessiouem accipere licere Monasterio per cessum, vel decessum Rectorum, etiam si Sedi Apostolicæ specialiter reseruata forent. Vel de eisdem ad processus, seu inhibitiones, & decreta sit deuentum; quæ irrita, & inania fore, & esse decernit.*

3 *In annullationibus, seu cassationibus vnionum per futuros Summos Pontifices faciendis, annexiones, & vniones per Eugenium IV. factas non comprehendi voluit, nisi de eisdem mentio fiat specialis, ac de verbo ad verbum.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusio lib. A. fol. 47.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Iniunctum Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, mentem nōstram excitat, & inducit, vt ad ea, per quæ Monasteriorum, & aliorum Religiosorum locorum, nec non in eis sub Sacro Religionis iugo degentium personarum omnium commodo, & vtilitati consulitur, operosis studijs, & remedijs paternalitèr intendamus. Nuper siquidem Monasterium S. Petri Perusini, Ordinis S. Benedicti, quod tunc Regulari obseruantiâ penitùs destitutum, nec non in suis structuris, & ædificijs plurimæ desolationi, & ruinæ deditum erat, vt illud in spiritualibus, & temporalibus debitæ reformationis beneficio gauderet, ac in eo obseruantia huiusmodi vigeret, & ex alijs tunc expressis rationabilibus causis, vniuersis Monachis de Congregatione S. Iustinæ, aliàs Vnitatis dicti Ordinis, ac huiusmodi Congregationis per alias nostras literas, inter cætera concessimus, constituimus, & etiam assignauimus, prout in dictis literis plenius continetur. Cum itaque postmodum, sicut Nobis innotuit, plures Monachorum Congregationis huiusmodi possessionem Monasterij prædicti, ac illius bonorum vigore dictarum literarum apprehendentes, in eo, sub obseruantiâ prædictâ, die, ac nocte Diuina inibi continuando officia, laudabiliter permanserint, prout plures etiam permanent de præsenti, & aliàs circa reparationem, & reformationem structurarum, & ædificiorum Monasterij huiusmodi multam pecuniæ quantitatem hactenus exposuerint, & ad illorum perfectionem, ad quam debitè faciendam tria millia florenorum auri vix sufficere
1 posse videntur, toto posse intendant. 1 Nos attendentes, quod præfatum Monasterium, propter Monachorum in eo degentium huiusmodi vitam laudabilem, ac opera fructuosa, plura in spiritualibus, &

& temporalibus suscepit, & quotidie suscipit incrementa, ac illius, nec non Monachorum præfatorum statui super hoc consulatur; ac vt Abbas, & Monachi inibi pro tempore existentes circa vlteriorem reformationem, ac reparationem prædictas faciliùs intendere, seque commodiùs sustentare; nec non præfatum Monasterium in Monachorum numero, & alios in eisdem spiritualibus, & temporalibus ad laudem, & gloriam Diuini Nominis adaugere valeant, salubriter prouidere volentes, ex præmissis, & alijs rationabilibus causis Nobis notis, quas præsentibus haberi volumus pro expressis. Motu proprio, non ad Monachorum prædictorum, vel alicuius eorum instantiam Plebanatum Plebis S. Constantij prope muros Perusinos, cui inibi dignitas Parochialis existit, ac ipsam Plebem, cuius triginta, & Sancti Nicolai de Spinâ cuius centum; ac Beatæ Mariæ de Fonte, cuius sexaginta; nec non S. Blasij de Valle, cuius octuaginta; ac Sancti Petri de Monte Lagello, cuius quadraginta; & S. Appollinaris, cuius centum, & triginta; nec non Sancti Montani, cuius etiam quadraginta, ipsorum singulis cura imminet animarum. Et sine curâ Sanctæ Crucis, aliàs Sancti Martirij, cuius similiter quadraginta; nec non S. Andreæ de Fractâ, cuius quinquaginta; & S. Ruffini de Lacu, cuius decem; nec non Sancti Saluatoris de Pozali, cuius centum, & Beatæ Mariæ de Nestoris, cuius etiam decem; ac S. Petri de Candione, cuius quindecim; & S. Benedicti de Fabrione, cuius similiter quindecim; nec non S. Martini in Valle, cuius etiam decem; & Sancti Clementis de Pitignano, cuius sex; ac S. Cassiani, cuius centum, & viginti; nec non Beatæ Mariæ de Pilonico, cuius etiam decem; & Beatæ Mariæ de Monte Vbiano, cuius trium, ac Sancti Ioannis de Præsio, cuius quatuor; & S. Martini in Valle, cuius quinque, Perusinæ, Tudertinæ, & Assisinatis Diœcesis Ecclesias, siue Prioratus à præfato Monasterio dependentes, & quorum aliquæ, seu aliqui per Monachos præfatorum Prioratuum, & reliquæ, seu reliqui per sæculares Clericos, seu Presbyteros regi consueuerunt, etiam partim Ecclesiæ, & partim Prioratus existunt, cum omnibus membris iuribus, & pertinentijs ipsorum, & cuiuslibet eorum, Monasterio, cuius mille florenorum auri de Camerâ fructus, redditus, & prouentus secundum communem æstimationem, valorem annuum, vt accepimus, non excedunt; nec non Congregationi Monachorum huiusmodi authoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ perpetuò vnimus concedimus, 
2 annectimus, & incorporamus. 2 Ita quod liceat Abbati pro tempore existenti, ac Dilectis filijs Priori, & Conuentui præfati Monasterii per se, vel alium, seu alios corporalem Plebis Ecclesiarum, ac Prioratuum, etiamsi specialiter, vel generaliter, ex quâuis causâ dispositioni Apostolicæ reseruati existat, si ad præsens vacant ex nunc; alioquin quam primum per cessus, vel decessus, aut aliis quibusuis modis vacare contigerit, iuriumque, & pertinentiarum prædictorum authoritate propriâ, libere, apprehendere, ac huiusmodi illarum, siue illorum fructus redditus, & prouentus in suos, & dicti Monasterij vsus, & vtilitatem conuertere, exponere, & perpetuò retinere; Diœcesanorum locorum, & aliorum quorumlibet super hoc licentiâ minimè requisitâ. Non obstantibus Monasterij, Plebis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcunque firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de Plebanatibus, Ecclesijs, ac Prioratibus huiusmodi specia-

les, vel alijs Beneficijs Ecclesiasticis in illis partibus, generales Apostolicæ Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reseruationem, & decretum, & alias quomodolibet sit processum; quas quidem literas, & processus per illas habitos, ad Plebanatum, Plebem, Ecclesias, & Prioratus huiusmodi, volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Plebanatuum, Ecclesiarum, ac Prioratuum, aut Beneficiorum aliorum præiudicium generari, & quibuslibet aliis Priuilegijs, indulgentiis, ac literis Apostolicis quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, quorum totis tenoribus habenda sit in Nostris literis mentio specialis. 3 Præterea Motu, &
3 authoritate similibus statuimus, decernimus, & ordinamus, quod per quascunque reuocationes, seu cassationes, tàm prædictarum, quàm aliarum Ecclesiarum, Prioratuum, seu Beneficiorum, de quibus vnionibus, annexionibus, & incorporationibus, de quibusuis Beneficiis, & aliis Ecclesiis, Monasteriis, siue locis, aut Beneficiis Ecclesiasticis per Nos, seu authoritate literarum Nostrarum tunc factis, quæ tunc suum non fuerint sortitæ effectum; per successores Nostros Romanos Pontifices, vel eorum aliquem in genere, vel in specie, sub quibusuis formis, vel expressionibus verborum forsitan faciendas; nisi in illis de præsentibus specialis, & expressa, ac particularis de præfatâ Congregatione, atque dictis Plebe, Ecclesiis, Prioratibus, & Beneficiis nominatim specificando, & de verbo ad verbum mentio tunc fiat, huiusmodi, præsentes literę, in quantum suum plenarium effectum sortitæ non fuissent, ac omnia in eis contenta, nullatenus cassata, seu reuocata censeantur, sed in suo robore permaneant, & valdè persistant, perinde ac si reuocationes, & cassationes prædictæ tunc factæ minimè extitissent. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam, quâuis authoritate, scientèr, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, quod propter vnionem, annexionem, & incorporationem Nostras huiusmodi, si illas vigore præsentiũ effectum sortiri contingat Plebes, Ecclesiæ, ac Prioratus huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed eorum omnium debitè supportentur onera consueta. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ vnionis, concessionis, annexionis, incorporationis, statuti, constitutionis, & ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, quinto Kalen. Iulij Pontificatus nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO LXXII.

### SVMMARIVM.

*1437. Augusti. 13.*

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Constitutiones à se editas pro electione, vel destitutione Abbatũ, & Superiorum à Capitulo generali,*

*seu à Præside, & Visitatoribus facienda, confirmat.*

2 *Abbates, licet Benedictionis munus, non acceperint, Monasteriorum suorum administrationes exercere posse, decernit.*

3 *Abbati, Monasterij vnius titulum, alterius verò administrationem posse committi, declarat.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padalyrone, Arm. 1. Caps. 1. n. 11.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis prouidētia circumspecta, circa quorumlibet Monasteriorum, & aliorum Religiosorum locorum, ac in eis præsertim sub sacro Religionis iugo, & regulari obseruantiâ degentium personarum statum salubritèr, & prospere dirigendum libenter intendens, nonnunquam statuit, decernit, ordinat, atque declarat, prout locorum, personarum, & temporum qualitate pensatâ, id ad huiusmodi status conseruationem, & augumentationem conspicit in
1 Domino salubriter expedire. 1 Dudum siquidem ex certis, tunc expressis rationabilibus causis inter alia statuimus, & ordinauimus, quod Monasteria, & Prioratus Congregationis Monachorum de Obseruantiâ S. Iustinæ aliàs Vnitatis nuncupatæ ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinētis, Ordinis S. Benedicti, tunc illi vnita, subiecta, & appropriata, ac inantea vnienda, subijcienda, & incorporanda, per Prælatos dumtaxat præfatæ Congregationis, ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus gubernarentur, & quotiens illa vbicumque, etiam apud Sedem Apostolicam, & qualitercunque vacare contingeret, etiam si quæuis speciales, vel generales de illorum prouisionibus, siue dispositionibus per Sedem eamdem, reseruationes factæ fuissent; Capitulum si tunc celebretur, alioquin Præsidens, & qui commodè adesse possent, cum maiori suorum consultorum parte, Visitatores dictæ Cōgregationis, illos ex ipsis Monachis præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos fore crediderint, in Abbates, & Priores tunc vacantium Monasteriorum, ac Prioratum huiusmodi, aliàs iuxta ipsius Congregationis, ordines, & statuta, eligere, & nominare; nec non ad nutum, seu beneplacitum ipsorum taliter electos, seu nominatos à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præessent, & quæ propterea vacare
2 censerentur, absoluere, & amouere. 2 Præfatique sic electi, siue nominati, absque alicuius Sedis prædictæ, vel alterius prouisionis, siue confirmationis adminiculo. Et præter hoc, quod eis propterea munus, benedictionis impenderetur, ipsis Monasterijs, & Prioratibus, ad quæ sic electi seu nominati forent, præesse, ac illa in huiusmodi, spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare; nec non omnia, & singula, quæ per Abbates, & Priores aliorum Monasteriorum, & locorum dictæ Congregationis iuxta illius statuta, & ordines huiusmodi fieri poterant, facere, & exercere liberè, & licitè valerent, prout in Nostris desuper cōfectis litteris ple-
3 niùs continetur. 3 Postmodum verò, sicut Nobis innotuit, licet Monasteria, & Prioratus Congregationis huiusmodi per Abbates, & Priores ad illorum regimina, per Capitulum, seu Visitatores predictos, iuxta statutum, & ordinationem Nostram huiusmodi deputatos laudabiliter, recta, & gubernata extiterint, nec non ex ipsorum vitâ laudabili, & operibus fructuosis plura in spiritualibus, & temporalibus susceperint, & continuò suscipiant incrementa. Tamen, quia plerumque contingit propter inordinatas sui iitiones Dominorum temporalium, aut guerrarum turbines, seu incumbentem necessitatem pro varijs Congregationis ipsius occurrentibus negocijs, vel quia ita Capitulo Generali videretur pro bono ipsiùs Congregationis expedire, Prælatos, præfatæ Congregationis abesse à Monasterijs, & Prioratibus ad quæ sunt deputati, ita quod pro Congregationis Monachorum, huiusmodi, ac illorum præsentium, & futurorum Monasteriorum, & Prioratuum conseruatione, & statu prospero, ac felici, vtile iudicetur, & expediat. Quod absente Prælato, nè Monasterium cui præest damna suæ absentiæ patiatur, alius per Capitulum dictæ Congregationis, seu Præsidentem, cum ad hoc deputatis, iuxta eorum constitutiones, & statuta, qui Monasterium regat, & gubernet præfatâ durante absentia, deputetur. Quodque Prælatus hiusmodi, qui absens fuerit, aliud dictæ Congregationis Monasterium authoritate Capituli, aut Præsidentis, vt præfertur, regere, & gubernare; non obstante, quod alterius Monasterij titulum habeat, valeat, & possit. Nos igitur super hoc commodo, vtilitati, & statui Congregationis, ac illius Monasteriorum, & Prioratuum præsentium, & futurorum hiusmodi, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter prouidere volentes. Motu proprio, ex certâ scientiâ, & authoritate Apostolicâ in fauorem obseruantiæ regularis statuimus, decernimus, & ordinamus; Quod quotiens continget Prælatum à Monasterio, vel Prioratu præfatæ Congregationis, ad quod, vel quem est deputatus, abesse, vel ad ipsius gubernationem non accedere, ex supradictis, vel aliâ quâuis causâ, Capitulum dictæ Congregationis, siue Præsidens cum ad hoc deputatis, iuxta eorum constitutiones, & statuta, regimen, curam, & administrationem in spiritualibus, & temporalibus, authoritate Apostolicâ alteri committere, durante absentiâ præfatâ possit, & valeat; quodque Prælato ipso absenti, si fuerit opportunum, præfatæ Congregationis aliud Monasterium, siue Prioratum, in spiritualibus, & temporalibus, authoritate etiam Apostolicâ, regendum, & gubernandum, dictum Capitulum, seu Præsidens cum deputatis, vt præmittitur, committere; non obstante, quod alterius Monasterij, seu Prioratus titulum, & gubernationem habeat, valeat, & possit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis, & Ordinis, prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcumque firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus; nec non omnibus illis, quæ in dictis litteris non obstare volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri statuti, Constitutionis, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadragentesimo trigesimo septimo, Idibus Augusti, Pontificatus Nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO LXXIII.

*SVMMARIVM.*

*1437. Sept. 12.*

EVGENIVS PAPA IV.

1 *Ab accessu ad Rogationes, Processiones, Litanias, Funeralia, Sepulturas, & alios actus publicos eximit Monachos, loca, & personas Congregationis S. Iustinæ.*

2 *Excommunicationis sententiam contra Ordinarios, & alios quoscumque, quantumuis priuilegiatos, compellentes Monachos prædictos ad talem accessum, ipso facto incurrendam, à Romano tantum Pontifice absoluendam; nisi de præsenti Indulto admoniti resipuerint, decernit.*

3 *Processus, Sententias, Censuras, & pœnas contra Monachos prædictos, huiusmodi causâ latas irritat.*

4 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone, Arm. I. Capsf. I nu. 12.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacræ Religionis zelus, sub quâ dilecti filij Vniuersitas Abbatum, Priorum, Monachorum, & aliorum Congregationis Sanctæ Iustinæ, aliàs Vnitatis nuncupatæ, Ordinis Sancti Benedicti, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ, mundanis abiectis illecebris, deuotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, non indignè meretur, vt ad ea, per quę eorum quieti, & commodo consulitur, opem, & operam impendamus, quantum cum Deo possumus, efficaces. Hinc est, quod Nos prouidè considerantes, quod Abbates, Priores, Monachi, & alij prædicti, quouis nomine censeantur, sub Sacræ Religionis iugo, ac Regulari Obseruantiâ, à quibusdam annis citra in pluribus, & diuersis Monasterijs, ac Prioratibus, & locis eis canonicè concessis, & donatis, illa in spiritualibus, & temporalibus multipliciter reformando, laudabiliter vixerunt, ac viuunt, ac varijs multiplicarunt, prout in dies multiplicant, virtutum, meritis. 1 Sanè quia, vti veridicorum relatione didicimus, ob temporum varietates, necnon guerrarum turbines, in Prouincijs, Ciuitatibus, Castris, Villis, Terris, Diœcesibus, atque locis, ex quibus Monasteria, Prioratus, & loca prædictorum existunt, nonnullas personas tam Ecclesiasticas, quã sæculares per inordinatas animi affectiones, faciles, & congruas, vel non expedientes, Processiones, Rogationes, Litanias, Funeralia, siue Obsequia, Sepulturas, Actus publicos, & priuatos fieri iubent; Ad quæ Abbates, Priores, Monachos, & alios de dictâ Congregatione, etiam sub pœnâ pecuniariâ, & alijs censuris ire cogunt inuitos, cum eorum conscientiæ scrupulo, & animarum præiudicio, &
2 iacturâ. 2 Nos verò, qui dum essemus in minoribus constituti de dictâ Congregatione, & Vnitate, ob eorum laudabilem vitam, semper curam gerebamus solicitam; postmodum Diuinâ fauente Clementiâ ad apicem Summi Apostolatus assumpti, volentes ipsis, necnon alijs futuris Congregationis huiusmodi Abbatibus, Prioribus, Monachis, & alijs, vt à quibuslibet impedimentis, distractionibus, & incommodis liberati, sua quietiùs Altissimo vota reddere, & qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimiserunt, eligant potius cum Mariâ circa pedes Domini residere ad audiendum verbum illius, salubriter prouidere. Motu proprio, non ad ipsorum Abbatum, Priorum, & Monachorum, aut alicuius eorum super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate; auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus, quod ipsi Abbates, Priores, Monachi, & cæteri, aut eorum aliqui de dictâ Cõgregatione præsentes, & futuri, ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus, ad Rogationes, Processiones, Litanias, Funeralia, seu Obsequia, Sepulturas, & alios actus publicos, seu priuatos, in quibusuis Prouincijs, Ciuitatibus, Castris, & Diœcesibus, atque locis, in quibus Monasteria, Prioratus, & loca eorum quæcumque præsentia, & futura consistunt, & in futurum consistent, quomodolibet, & ex quâcumque causâ faciendis, interesse nullatenùs teneantur; nec ad id per Ordinarios, siue per quasuis alias personas tam Ecclesiasticas, quàm sæcula-
2 res, quouis modo cogi, compelliue possint. 2 Et nihilominus Ordinarijs præfatis, & alijs quibuslibet personis cuiuscumque dignitatis, officij, gradus, conditionis existant, & eorum cuilibet, sub excommunicationis pœna, quã ex nunc, prout ex tunc, si & in quantum de præmissis notitia eis factâ fuerit, ac secus egerint, incurrere volumus ipso facto; à quâ præterquam à Romano Pontifice absolui non possint, nisi in articulo mortis constituti; vel si aliquibus communiter, vel diuisim sit à prædictâ Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, & interdici non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbo ad verbũ, de personis, locis, & nominibus mentionem. Districtiùs inhibentes nè contra ordinationem, statutum, & decretum huiusmodi, quouis quæsito colore venire, facere, seu attentare audeãt,
3 & præsumant. 3 Decernentes ex nunc omnes, & singulos processus, & quascumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas in se continentes, præmissa forsan habentes, irritas, & inanes, nulliusque roboris, &
4 momenti. 5 Non obstantibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis constitutionibus, & ordinationibus; necnon Monasteriorum, & locorũ prædictorũ iuramento, confirmatione Apostolica, vel quâcũq; firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorũ statuti, constitutionis, ordinationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽptare præsũpserit, indignationẽ Omnipotẽtis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datũ Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1447. Pridie Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno 7.

CONSTITVTIO LXXIV.

*SVMMARIVM.*

1438. *Iunij* 26.

NICOLAVS MARCHIO ESTENSIS.

*Exemptionem Monachis Congregationis S. Iustinę, à Gabellis, datys, passibus, & portubus pro se, rebus, & famulis in Statu Estense, concedit.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyrone Arm. III lib. 30.*

DOMINOS Patres, Fratres, & Amicos nostros, ad quos præsentes aduenerint. Rogamus nos Nicolaus Marchio Estensis, &c. quatinus omnes, &

& singulos Venerabiles Patres, Abbates, Priores, & Monachos Congregationis Sanctæ Iustinæ, cum eorum socijs, & familiaribus quibuscumque tam simul, quàm diuisim præsentium ostensores per eorum terras, territoria, castella, passus, portus, pontes, vrbes, & loca quælibet, per quæ ipsos proficisci contigerit, in eundo, stando, & redeundo, totiens, quotiens transitum fecerint, vel aliquis eorum fecerit, cum rebus suis quibuscunq; ac libris, tam equites, quam pedites, vel per nauim, cum valisijs, capsis, pannis, bisacijs, die, noctuque absque arrestatione aliqua, molestia, inquietatione, impedimento, & sine solutione alicuius, datij, pedagij, vel gabellæ, liberè, & expeditè nostrâ contemplatione, vltra Religionem, quæ omnes ad hoc excitare debet, transire permittant. Et habentes eos propitiè commendatos, prouideant sibi de libero saluoconductu, & idoneâ scortâ, si & cum opus fuerit, & ipsi requirendum duxerint; & gratissimum habebimus, & ad beneplacita cuiusuis nostri intuitu id agentes, nos fore paratissimos offerrimus. Officialibus verò, & subditis nostris, ac passuum, & locorum nostrorum quorumcumque custodibus quibuscumque strictè, & sub pœna indignationis nostræ, & aliâ quâlibet nostri arbitrio imponendâ. Mandantes, vt in terris, ac locis nostris præmissa seruent, & perpetuò seruari faciant inuiolabiliter. Datum Ferrariæ in Palatio Curiæ nostræ Anno Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi 1438. Indictione prima, die 26. mensis Iunij, sub nostri soliti impressione sigilli.

## CONSTITVTIO LXXV.

### SVMMARIVM.

1441. Aug. 10.

### EVGENIVS PAPA IV.

1 *Priuilegia hactenus emanata in fauorem Congregationis S. Iustinæ confirmat.*

2 *Derogari non posse eiusdem Congregationis Priuilegijs emanatis, vel emanandis per Litteras Apostolicas, Motu etiam proprio, & ex certâ scientiâ; nisi in easdem totus tenor, à principio ad finem priuilegij derogandi verbatim inseratur, ac apertè appareat Summos Pontifices eisdem velle litteris erogare, decernit.*

3 *Constitutiones super reformatione Capituli generalis, ac eiusdē gubernatione à se emanatas sub Data Florentiæ tertio Idus Aprilis 1441. de nouo confirmat.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyr. Arm. I. Caps. I. n. 14.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Acceptam Deo, & hominibus, nouellam dilectorum filiorum Cōgregationis Monachorum de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti, cui benedixit Dominus, plantationem, congruis, prosequentes gratijs, & fauoribus, ac attendētes per Marthæ sollicitudinem, Mariæ prouidendum quieti, ac cum Mariâ contemplantes, frequenti Marthæ solicitudinis ministerio releuandos fore; debitum merito arbitramur, vt singulis ab eisdem Monachis turbationum sublatis materijs, illa, quæ pro felici ipsorum statu, ac votiuâ directione profutura, necnon Apostolicæ Sedis concessionibus, salubriter prodijsse conspicimus, vt illibata permaneant, arctioribus roboris nexibus, firmiùs solidemus.

1 1 Cum itaque Sedes ipsa Congregationis huiusmodi, propter laudabiles, qui eius occasione in Dei Ecclesiâ, cum sanctæ Religionis propagatione in vbertate honoris, & honestatis, fructus copiosiùs successerunt pro Congregationis huiusmodi incremento, & conseruatione, diuersa, exemptiones, immunitates, libertates, gratias, indulgentias, concessiones, priuilegia, indulta, & litteras concesserit. Nos, qui etiam dum in minoribus constituti fuimus, propter præmissa singularem ad Congregationem huiusmodi gessimus, prout etiam adhuc gerimus affectum, exemptiones, immunitates, libertates, gratias, indulgentias, & alia præmissa debiti roboris vinculo subsistere cupientes. Motu proprio, nōn ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, exemptiones immunitates, libertates, gratias, indulgentias, concessiones, priuilegia, indulta, & litteras huiusmodi, ac alia quæcunque per Nos, & Prædecessores Nostros quoscumque; necnon Sedem prædictam Congregationi huiusmodi, sub quibusuis verborum formis, quomodolibet, & qualitercumque concessa, quorumcumque tenorum existant; quæ omnia præsentibus, ac si de verbo ad verbum inserta forent pro sufficienter expressis haberi volumus; perpetuæ firmitatis robore subnixa, & irreuocabilis muniminis ope solidata fore, Apostolicâ auctoritate, & ex certâ scientiâ censentes, ac decernentes, præsentis perpetuò valituræ constitutionis edicto.

2 2 Motu auctoritate, & scientiâ similibus, etiam ordinamus, quod deinceps per quascunq; reuocatorias, seu alias Apostolicas concessiones, vel litteras, sub quibusuis verborū formis, & tenoribus, aut clausulis derogatorijs, etiam si illæ motu proprio, & ex certâ scientiâ emanauerit, nulla ex exemptionibus, immunitatibus, indultis, priuilegijs, concessionibus, & literis prædictis, ac alijs in posterum faciendis, seu concedendis, quomodolibet reuocari, cassari, vel annullari censeantur; aut reuocari, cassari, vel annullari possint, vel ipsorum alicui, aut effectui, seu quibusuis in eis contentis particulis, aut clausulis derogari valeat; nisi in reuocatorijs, aut derogatorijs, vel alijs litteris, seu concessionibus huiusmodi, illa, vel illę ex litteris, quæ reuocari, aut cassari, vel annullari videretur, seu viderentur, aut cui, vel quibus derogari appareret, earumque totus tenor de verbo ad verbum à principio, vsque ad finem integrè inserantur, & de omnibus, ac singulis Congregationis huiusmodi Monasterijs nominatim, & specificè mentio fiat, ac in eisdem reuocatorijs, & alijs litteris, nec non concessionibus manifestè, & expresè appareat, quod Romanus Pontifex, qui tunc fuerit, priuilegijs, indultis, & litteris, de quibus tunc actum fuerit, voluerit specialiter derogare, vel illa reuocare, aut cassare, seu annullare; ac in eis vrgens, & sufficiens, nec non rationabilis, propterquam derogatio, reuocatio, cassatio, vel annullatio merito fieri debeat causa exprimatur; alias vero litteras, nec non reuocationes, derogationes, cassationes, irritationes, & anuullationes quascumque; si quas aliter, quam vt præfertur à quouis Romano Pontifice fieri contigerit, ac quæcunque ex inde secutâ, nullius decernimus existere roboris, vel momenti; ipsis concessis litteris, priuilegijs, indultis, gratijs, exemptionibus, & libertatibus, in suo pristino plenario robore

5 bore perpetuò duraturis. 5 Insuper quasdam alias litteras nostras, quas pridem, sub datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ 1441. tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno vndecimo, dictæ Congregationi super reformatione, & gubernatione Capituli generalis ipsius Congregationis concessimus, per quas in aliquibus innouauimus, & quædam adiecimus, ac correximus, eas litteras, quas super reformatione Capituli, & Regiminis huiusmodi antea eisdem concesseramus, omnino volumus in suo robore permanere, ac eis per præsentes nullatenus detrahi, vel derogari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in dictis concessis litteris priuilegijs, & indultis Sedes ipsa non obstare voluit, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, Ordinationis, Constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Quadragesimo primo. Quarto idus Augusti, Pontificatus nostri Anno vndecimo.

## CONSTITVTIO LXXVI.

*SVMMARIVM.*

1441. *Sept.* 12.

## EVGENIVS PAPA IV.

*Breuiarium Monasticum pro Congregatione S. Iustinæ confirmat, & approbat.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyr. Arm. III. lib. 21. fol. 94.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Capitulo Generali Præsidenti, Visitatoribus, Prælatis, & personis Congregationis de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ Ordinis Sancti Benedicti Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacræ Religionis zelus, sub quâ sedulum præbetis Altissimo famulatum promeretur, vt vestris commoditatibus consulamus. Cum itaq; Congregatio vestra à triginta, & eo amplius annis citra, virtutum merito, & per sonarum numero, & in Dei laudem, & gloriam, ac proximorum, & Christi fidelium ædificationem non modicam aucta esse cognoscatur, adeo vt pleràque in Italiæ partibus solemniâ Monasteriâ habeatis; nec dū pro varietate Diuinorum Officiorum, quam in singulis fermè Monasterijs reperitis, vnum omnibus commune, & vniforme Officium, vt cæteri penè Ordines, Congregationesq; facere assumpsistis, ex quo plerumq; turbationes, & animorum varietates, dum quilibet pro captu mentis suæ, aut Monasterij vbi residet, ordine, & consuetudine Officium ipsum dicere, aut Breuiaria scribere cupit, cum simul in Capitulo Generali congregamini, aut ex altero in alterum vos contingit transferri Monasterium, in dictâ exurgant Congregatione, quod discordiarum seminarium posteris parere posset; quodq; ab omni Officiorum varietate inter vos pleriq; ipsius Diuini Officij minus docti reperiantur, dum tedio pleriq; affecti vnicum, & commune quod iam discant Officium non habeant. Iccirco Congregationis vestræ Capitulum Generale volens huiusmodi turbationibus, & varietatibus, tàm præsentibus, quàm de facili possent euenire futuris, plures super hoc à nonnullis annis citra ordinationes edidit, vt vnicum conficeretur Breuiarium, quo omnis Congregatio vti deberet; quod cum voluntatum plurimorum diuersitate fieri non posset; vt aliquando tandem finem huiusmodi varietatibus imponeret maturâ deliberatione præhabitâ statuit, vt vnum Breuiarium secundum Ordinem Monasticum conficeretur, quod, postquam per Venerabilem Fratrem nostrum Ludouicum Episcopum Taruisinum Primum dictæ Congregationis Institutorem, & tàm Officij Monastici, quam secundum Curiam ex longâ vtriusque experientiâ doctum, & expertum, visum, & correctum fuerit, ab omnibus ipsius Congregationis personis, sine aliquâ alteratione recipi deberet. Quod dicti Capituli decretum præfatus Episcopus exequi volens, omni cum solertiâ, diligentiq; curâ visum, & correctum ad Nos cum cordula ligatum, suoque consueto sigillo munitum direxit. Nos vero, qui præfatæ Congregationis, ad quam singularem gerimus affectionem paci, & vnitati summis desiderijs intendimus, de remedio oportuno, tantæ varietati prouidere volentes. Motu proprio ex certâ scientiâ, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium præcipimus, & mādamus quatenus huiusmodi Breuiarium per omnia Monasteria Prioratus, & loca dictæ Congregationis perpetuis, futuris temporibus, & non aliud in Conuentu practicetur, dicatur, & obseruetur. Ad cuius exemplar alia, quæ de nouo scribenda sunt Breuiaria conficiantur, & cui aliquid addere, minuere, aut alterare, præterquam de licentiâ Nostrâ, aut Sedis Apostolicæ, falsis tamen latinitatibus, & orthographijs duntaxat exceptis, nullatenus liceat; verborum vero incompositionem, si quam in eodem Breuiario reperiri contigerit, vt vniformis fiat correctio Capituli generalis Diffinitores possint emendare. Non intendentes propter hoc obuiare quin pro loco, pro tempore, pro aliquâ subsistente causâ dictæ Congregationis personæ lectiones breuiare, aut elongare, seu extra Conuentū quocūq; Breuiario, non omnissis ipsius Officij substantialibus vti valeant; dummodo eo animo id non fecerint, quo formam vnius Breuiarij alterare velint. Breuiaria autem portatilia formare, lectionibus tamen ad libitum abbreuiatis, de cætero in dicta Congregatione scribantur. Antiphonarijs autem, quæ de nouo conficienda sunt, & iuxta huiusmodi ritum scribi volumus, donec ipsa scribantur, prout in quolibet Monasterio reperiuntur, dum cantant, vti valeant, tenore præsentium concedimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrorum præcepti, mandati, voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, Pridie Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno vndecimo. Blondus. Duplicata Gratis de mandato Domini nostri Papæ. Ioannes de Steccatis.

CON-

## CONSTITVTIO LXXVII.

SVMMARIVM.

1442. *Maij.* 23.

EVGENIVS PAPA IV.

*Honorij Papæ III. Priuilegia pro Monasterio S. Pauli de Vrbe concessa renouat.*

*Ex Arch. Monast. S. Pauli de Vrbe.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex Apostolicæ Sedis prouisione, nec non personarum, præsertim sub regulari obseruantiâ piæ studio vitæ Domino famulantium deuotione prouenire dinoscitur, vt Romanus Pontifex quandoque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innouet, innouationem restauret, & auctoritate Apostolicâ fulciat innouata. Hinc est quod Nos ad instantiam dilectorum filiorum Abbatis, & Conuentus Monasterij S. Pauli extra Muros Vrbis, Ordinis S. Benedicti, quasdam felicis recordationis Honorij Papæ Tertij prædecessoris nostri litteras in Cancellariâ Apostolicâ inspici, nec non examinari diligenter, & earum, cum incipiant vetustate consumi, tenorem, subscriptionibus, & caracteribus omissis, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus qui talis est. Domino Sancto, meritoque Beato Prædicatori præcipuo, egregioque Doctori Paulo Apostolo. Honorius indignus Episcopus Seruus Seruorum Dei, reuerentiæ votum, cum deuotione perenni. Cum aliqua tibi Beatissime Paule Vas electionis, & gratiæ Prædicator, *& cætera, quæ habes supra in Constitut.* 25. Nos igitur ipsorum Abbatis, & Conuentus in hac parte supplicationibus inclinati, litteras, ac tenorem huiusmodi auctoritate prædictâ innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius ipsis Abbati, & Conuentui de nouo acquiri volumus. Sed antiquum, si quod sit, tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ innouationis, communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo Quadringentesimo, quadragesimo secundo, septimo Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno duodecimo.

## CONSTITVTIO LXXVIII.

SVMMARIVM.

1444. *Apr.* 27.

EVGENIVS PAPA IV.

1 *Visitatores Congregationis S. Iustinæ post elapsum visitationis annum, Præsidentis officium subire posse; Præsidentem quoque post elapsum Præsidentatus annum, Visitatoris Officium inire posse, declarat.*

2 *Præsidentem ante Visitatores eligere, & Visitatores ante Præsidentem, eidem Congregationi licere, decernit.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. III. lib. 33. fol. 114.*

EVGENIVS Papa IV. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Insinuastis nobis aliàs, quod in quarundam litterarum Nostrarum intelligentiâ aliquæ subortæ scrupulositates, conscientias vestras molestabant; metuentesque nè contra præfatas litteras facientes, censuras in eisdem contentas incurreretis. Nobis, vt de remedio oportuno prouideremus supplicastis; quibus per Breue ad vos dimissum satis abundè credimus scrupulositates ipsas enodasse. Vt tamen paci vestræ, nè de cætero huiusmodi difficultates emergant, consulatur.
1 1 Declaramus mentis nostræ fuisse, & esse, quod is, qui anno vno fuerit Visitator, sequenti proximo anno esse possit Præsidens, & è contra. Quodque lex, quæ de Visitatorum Officio loquitur, non
2 intelligatur de Visitatoribus actu. 2 Ad id vero, quod dicitur quinque eligi debere Visitatores, ex quibus vnus nomen Præsidentis assumat, cuius contrarium hactenus in Capitulis vestris in practicam deductum, respondemus. Volentes quod, quia id potius ex ignorantiâ, quam ex malitiâ actum arbitramur; ea, quæ hactenus gesta sunt validantes de cætero, vobis quæ melius iudicaueritis, aut prius Præsidentem eligere, & demum Visitatores secundum consuetudinem vestram, aut omnes pariter, iuxta Priuilegium vobis concessum, facere possitis, vt Deo quietiùs seruire, & vtilitatibus Congregationis vestræ consulere valeatis, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium vobis concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Nostro secreto, die vigesimâ septimâ Aprilis, Pontificatus nostri Anno quartodecimo.

## CONSTITVTIO LXXIX.

SVMMARIVM.

EVGENIVS PAPA IV.

*Stationum Vrbis Indulgentias Monachis Monasterij Pratalea Congregationis S. Iustinæ quinque Altaria suæ Ecclesiæ visitantibus indulget, pro diebus earumdem Stationum.*

*Ex Arch. Pratalea Caps. 6. nu. 39.*

BEATISSIME Pater. Abbas, Prior, Monachi, Conuersi, Nouitij, Donati, Oblati, & Commissi Monasterij Sanctæ Mariæ de Prataleâ Ordinis Sancti Benedicti Paduanæ Diœcesis, qui inibi sub regulari Obseruantiâ eiusdem Sancti, Altissimo famulantur. Cupientes aliquâ spirituali alimoniâ, & Indulgentiâ recreari, vt eo feruentiùs, & deuotiùs sua vota Deo viuo, & vero reddere valeant. Supplicant humiliter Sanctitati vestræ; Quatenus omnibus, & singulis supradictis præsentibus, & futuris in prædicto Monasterio sub Regulari Obseruantiâ degentibus, diebus omnibus, in quibus sunt Stationes almæ Vrbis, visitantibus quinque Altaria Ecclesiæ Monasterij antedicti, illas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si eisdē diebus præfatas Ecclesias dictæ Vrbis personaliter visitarent. Ita tamen, quod coram quolibet dictorum quinque Altarium teneantur semel dicere Psal-

Psalmum Miserere mei Deus, cum Pater noster, & Aue Maria, atque oratione illâ. Deus omnium fidelium Pastor &c. Conuersi vero, Nouitij, Donati, Oblati, & Commissi, qui præfatum Psalmum, & orationem nesciunt, coram quocumque dictorum quinque Altarium septem Pater noster, & totidem Aue Maria dicere debeant. Quodque si contingeret aliquem prædictorum senio, aut infirmitate, dicto Stationum tempore, fore grauatum, taliter quod Ecclesiam accedere non valeret, dicendo Psalmum, & Orationes prædictas, & Conuersi, & alij prædicti dictos Pater noster, & Aue Maria, eamdem Indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur de Vestræ Beatitudinis innatâ clementiâ concedere, & indulgere misericorditer dignemini de gratiâ, & dono speciali; cum non obstantiis, & clausulis opportunis. Fiat, vt petitur G. Et quod huiusmodi Supplicationis sola signatura sufficiat, absq; aliâ expeditione literarum Apostolicarum. Fiat vt petitur G. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Septimo Idus Februarij, Anno quintodecimo.

## CONSTITVTIO LXXX.

### SVMMARIVM.

1449. *Iunij*. 13.

### NICOLAVS PAPA V.

*Priuilegia Congregationi S. Iustinæ hactenus concessa confirmat.*

*Ex Lib. Priuil. Casin.*

NICOLAVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ex debito Summi Pontificatus Officij Nobis desuper iniuncti, circa quorumlibet fidelium, præsertim mundanis abiectis illecebris, sub regulari habitu Altissimo famulantium omnium, profectus, vtilitates, & commoda Nos deceat intentos existere, Congregationem tamen, aliàs Vnitatem Sanctæ Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti, eiusque pro tempore Religiosos, tanto potioribus fauoribus, & gratijs fouere desiderantes, quantò illorum vitæ integritate, cæterisque virtutibus, ac fructuosis operibus, etiam ad optimum, & saluberrimum Fidei Catholicæ exemplum, pariter, & incrementum, ad Diuini Nominis laudem, & gloriam id conspicimus in Domino salubriter expedire. Hinc est quod Nos dilectorum filiorum Præsidentis, & Visitatorum dictæ Congregationis, seu Vnitatis, in hâc parte supplicationibus inclinati; Omnia, & singula Priuilegia, immunitates, & exemptiones, libertates, gratias, & indulta à felicis recordationis Martino V., & Eugenio IV., & alijs Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris Congregationi præfatæ, eiusque Præsidentibus hactenus concessa, atque facta; necnon illorum Apostolicas confirmationes, & validationes, & quæcumque Martini, Eugenij, & aliorum Prædecessorum prædictorum confecta, & emanata litteras, & priuilegia, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus haberi volumus pro expressis, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ, approbamus confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illasque plenariam roboris firmitatem, & perinde ac si eâ per Nos de verbo, ad verbum, pro vt in litteris, & Priuilegijs prædictis continetur, de nouo concessa forent, obtinere, eâdem auctoritate decernimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ Martinus, Eugenius, & alij Prædecessores præfati, in eorum litteris, & Priuilegijs prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, communitionis, & constitutionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Spoleti Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, octauo Idus Iunij, Pontificatus nostri Anno tertio.

## CONSTITVTIO LXXXI.

### SVMMARIVM.

1451. *Maij* 17.

### NICOLAVS PAPA V.

*Martini Papæ V. Constitutionem, quâ Mendicantium Ordinum Fratres ad Monasticos Ordines, præterquam Carthusianum accedere, vel recipi posse respectiuè prohibet, ipse confirmat.*

*Ex lib. Priuilegiorum Eremitarum S. Augustini.*

NICOLAVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Solicitudo Pastoralis Officij Nobis, licet immeritis, diuinâ dispositione commissi, studia Nostræ mentis solicitare non desinit; sic singulis rebus executionem adhibere iustitiæ, quod commissa per Religiosas personas, quæ mundanis abiectis illecebris sub regulari obseruantiâ præ cœteris honestiùs ex voto professionis viuere sunt adstrictæ, crimina, & excessus puniat, & emendet, ac committendorũ in posterum audaciam interdicat, easque ad vitæ frugem reducat salubriter melioris. Dudum siquidem felicis recordationis Martinus Papa Quintus prædecessor Noster viâ ambitiosæ cupiditatis, Religiosis potissimè Mendicantibus, ad alios Ordines præsertim Monasticos, fucatis coloribus, & ob frugem melioris vitæ conuolare nitentibus, præcludere cupiens; ex certâ scientiâ declarauit, ac decreuit; statuens, quod de cætero nullus Religiosus de Ordinibus Mendicantium quorumcumque, cuiuscunque status, conditionis, vel Religionis existeret, quomodocumque, & qualitercunque posset, vel deberet, virtute cuiuscunque licentiæ, ac Indulti Apostolicâ, seu Pœnitentiariæ nostræ (tunc suæ) curam gerentis, vel aliâ quâuis auctoritate hactenus etiam per Bullas Apostolicas, facultatum quorundam, tam Legatorum, & Nunciorum Sedis præfatæ, necnon Pœnitentiariæ huiusmodi pro tempore curam gerentis, quàm aliorum quorumcumque, sub quâuis potestate, aut auctoritate, maximè de transferendis Fratribus, aut aliquibus, præsertim Ordinum Mendicantium professoribus, in genere, vel in specie ab Ordinibus huiusmodi Mendicantium ad Monasticos sub quâcunque conceptione verborum appareret admitti, aut recipi per aliquos etiam Superiores Ordinis,

seu

seu Monasterij, aut loci Monastici, seu aliàs in Monachum, vel in Fratrem alicuius ex Ordinibus Monasticis supradictis, vel alijs expressis, & non expressis (Ordine Carthusiensi dumtaxat excepto) sub pœnâ excommunicationis, in quam, tam recipientes, quàm recepti ipso facto incurrerent, & quam ex tunc contra quemlibet transgressorem protulit, ac secùs, vel aliter facta non tenere, nullius existere efficaciæ, roboris, vel momenti; decernens, quod si quis virtute cuiuscunque licentię, seu indulti fuisset receptus ad aliquem Monasticum Ordinem, & habitū consuetum gestari per Monachos dicti Ordinis suscepisset, siue professionem emisisset, siue non, sub dictâ pœnâ teneretur in Monasterio, in quo receptus stare, per quasdam primo, & deinde per alias suas litteras statuit, & etiam ordinauit, quod omnes, & singuli Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, qui ipsis Prędecessoris super hoc non obtentâ licentiâ, erant tunc, & in antea essent Venerabilium S. R. E. Cardinalium, seu aliorum Prælatorum, aut quarumuis aliarum personarum Ecclesiasticarum, vel sęcularium Cappellani, seu Confessores, aut familiares, non tamen in domibus eorundem Cardinalium pro tempore commorantes, proinde eorum Superioribus, & correctioni ipsorum in omnibus, & per omnia essent subiecti, ac si Cappellani, seu Confessores, aut familiares (vt præfertur) non essent; decernentes nihilominus eos ad renuntiandum officijs, & familiaritatibus huiusmodi obtentis quamcitò resignare, desistendumque penitùs, & omninò ab officijs, & familiaritatibus eisdem, atque ad claustra sua reuertendum, & regulariter iuxta professionis suę continentiam viuendum, per dilectos filios Priorem Generalem, ac Prouinciales ipsius Ordinis Priores efficaciter compellendos, prout in singulis dicti Prædecessoris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut facti euidentia manifestat Prędecessoris statuta, decreta, & ordinationes hujusmodi, quę minimè custodita sunt, non solum spectatos fructus, prout verisimiliter credebatur, attulerunt; verùm etiam ijdem Religiosi exquisitis medijs suaui iugo Domini excusso, Religionis obseruantiâ, ac claustri amenitate penitùs derelictis, ad alios Monasticos, siue Canonicorum Regularium S. Augustini Ordines, se transtulerint: nonnulli verò beneficia Ecclesiastica, etiam quibus cura imminet animarum, simulatis occasionibus assecuti, illa, contra decreta, statuta, & ordinationes prædictas detinuerint, prout eorum aliqui adhuc illa detinent in animarum suarum periculum, & Ordinis memorati præiudicium, ac non modicum detrimentum. Nos volentes in præmissis, pro vt ex Officij Pastoralis debito obligamur, de oportuno remedio prouidere, declarationem, statuta, & ordinationes prædictâ auctoritate Apostolicâ ratificantes, approbantes, & pro illorum soliditate innouantes, illaque inuiolabiliter obseruari mandantes, vniuersis, & singulis eiusdem Ordinis professoribus cuiuscunque dignitatis, gradus, vel conditionis fuerint, qui contra literarum earundem tenores, ad aliquem Monasticum, siue Canonicorum Regularium S. Augustini, præterquam Carthusiensem Ordinem, se transtulerunt, quique beneficia Ecclesiastica cum curâ, vel sine curâ ex post adepti sunt, aut earundem, vel aliarum personarum, præterquam si aliquorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prædictorum Capellani, continui commensales, eorumque seruitijs insistant; harum serie in virtute sanctæ Obedientiæ, auctoritate Apostolicâ præcipimus, & mandamus, quatenus infra vnius mensis spatium, postquam præsentes ad eorum notitiam deductæ fuerint, ad domos ipsius Ordinis, in quibus regularem professionem emiserant, vel aliàs prout Generalis, ac Prouinciales Priores dicti Ordinis pro tempore existentes statuerint, omni prorsus exceptione remotâ, redire, ac beneficia huiusmodi, quæ ex nunc vacare decernimus, realiter, & cum effectu dimittere, ipsorumque Superiorum mandatis parere, ipsisque intendere humiliter teneantur. Et nihilominùs eisdem Prioribus tenore præsentium, auctoritate præfatâ committimus, & mandamus, quatenus omnes, & singulos professores prædictos, qui in earumdem, ac præsentium literarum obseruatione se exhibuerint negligentes quomodolibet, vel rebelles; non obstantibus quibuscunque priuilegijs, exemptionibus, habilitationibus, dispensationibus, commendis, licentijs, collationibus, prouisionibus, aut literis Apostolicis eis, vel eorum aliquibus, etiam alicuius, seu aliquorum intuitu, vel respectu, sub quâcunque formâ, vel expressione verborum, etiamsi de illis indiuidua, & expressa mentio, ac de verbo ad verbum habenda foret, hactenus factis, seu concessis, & in posterum forsitan faciendis, seu concedendis, quæ eis in præmissis nullatenus volumus suffragari, omnibus, & singulis beneficijs, aut Officiis, quæ obtinent, seu obtinebunt, quomodolibet in futurum, priuare, ipsosq; ab illis amouere, & amoueri facere; necnon inobedientes prædictos pœnis, quæ pro culpis, aut excessibus maioribus, seu grauioribus in dicto Ordine imponi solent, siue aliàs pro suo arbitrio punire, & corrigere; necnon omnes, & singuli, qui aliquē ex Fratribus dicti Ordinis in Ecclesijs sibi commissis, vel aliàs ad eos legitimè pertinentibus pro Cappellanis, vel aliter retinent, illos infra dictum mensem licētiare, expellere vigili attentione, procurent. Alioquin si in præmissis fuerint negligentes quomodolibet, vel rebelles, beneficiis huiusmodi eo ipso priuati existant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, constitutionis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo quinquagesimo primo, decimo sexto Calendas Iunij, Pontificatus nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO LXXXII.

### SVMMARIVM.

1452. Oct. 7.

## BORSIVS DVX MVTINAE.

*Exemptionem Monachis Congregationis S. Iustinæ à gabellis, datijs, passibus, & portibus pro se, rebus, & famulis in Statu Estensi, concedit.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padol. Arm. III. lib. 30.*

DOMINOS Patres, Fratres, & Amicos nostros, ad quos præsentes peruenerint. Rogamus Nos Borsius Dux Mutinæ, & Regij, Marchio Estensis, Rodigijq; Comes &c. Quatinus omnes, & singulos

los Venerabiles Patres Dominos Abbates, Priores, & Monachos Congregationis S. Iustinæ, cum eorum socijs,& familiaribus quibuscumq; tàm simul, quàm diuisim præsentium ostensores per eorum terras,territoria, castella, passus, portus, pontes, vrbes,& loca quælibet,per quæ ipsos proficisci contigerit in eundo, stando, & redeundo, totiens, quotiens transitum fecerint, vel aliquis eorum fecerit cum rebus suis quibuscumque,ac libris, tàm equites,quàm pedites,vel per nauim,die noctuq;,& tàm per terram, quàm per aquam absque arrestatione aliquâ,molestiâ,inquietatione, & impedimento, & sine solutione alicuius datij, pedagij, vel gabellæ, nostri contemplatione,vltra Religionem, quæ omnes ad hoc excitare debet,liberè,& expeditè transire permittant. Et habentes eos propitiè commendatos,prouideant sibi de libero saluoconductu,& idoneâ scortâ, si, & cum opus fuerit, & ipsi requirendum duxerint. Quod gratissimum habebimus, & ad beneplacita cuiusuis, nostri intuitu id agentes, nos fore paratos offerimus. Officialibus verò, & subditis nostris,ac passuum, & locorum nostrorum quorumcunq; custodibus has inspecturis strictè mandamus, quatinus sub pœnâ amissionis gratiæ nostræ,prædicta omnia,& singula in terris, & locis nostris perpetuò faciant, & obseruent. Dat. Ferrariæ in Palatio Curiæ nostræ Anno Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi 1452. Indictione quintadecimâ die 7. mensis Octobris sub impressione sigilli nostri.

## CONSTITVTIO LXXXIII.

### SVMMARIVM.

1456. Febr. 1.

### NICOLAVS PAPA V.

*Vniones beneficiorum per Eugenium IV. ad fauorem Monasterij S. Petri de Perusiâ factas, confirmat. Eorumq; possessionem propriâ auctoritate quoties vacauerint, Diœcesanorum licentiâ minimè requisitâ, adire posse, constituit.*

*Ex Arch. S. Petri Perusiâ lib. A. fol. 72.*

NICOLAVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam Circumspecta Sedis Apostolicæ prouidentia nonnunquam ea, quæ ad Monasteriorum,& aliorum Religiosorum locorum,necnon in eis sub Sacro Religionis iugo degentium commodum, & vtilitatem prouidè facta fuisse conspicit,approbare,confirmare, ac de nouo concedere consueuit;prout animaduertit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis,Eugenius Papa Quartus prædecessor noster,motu proprio certos Plebem,Prioratus, siue Ecclesias Perusinæ, Tudertinæ, & Assisinatis Diœcesis à Monasterio S. Petri Perusino, Ordinis S. Benedicti,dependentes, quos, & quas præsentibus haberi volumus pro expressis,eidem Monasterio, certis rationabilibus causis animum suum mouentibus vniuit,annexit,& incorporauit, prout in literis ipsius prædecessoris pleniùs continetur. Cum autem,sicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilecti filii Abbatis dicti Monasterij petitio continebat, vnio, annexio,& incorporatio huiusmodi,de Prioratibus, & Ecclesijs Præfatis, partim sortitæ, partim vero non dum effectum sortitæ fuerint. Nos qui dicto prædecessore,sicut Domino placuit, rebus humanis exempto,fuimus diuinâ fauente clementiâ, ad apicem Summi Apostolatus assumpti, vniones, & incorporationes de quibusuis Beneficijs Ecclesiasticis inuicem factas, quæ nondum effectum sortitæ fuerant reuocauimus,cassauimus,& annullauimus, nulliusque decreuimus existere firmitatis. Præfati Monasterij statuti,& indemnitatibus super his prouidere volentes; ipsius Abbatis supplicationibus inclinati,litteras præfatas,nec non vnionem,annexionem, & incorporationem de omnibus, & singulis Plebe,Prioratibus,& Ecclesijs prædictis, quorum, seu quarum nomina,& cognomina, ac veros valores, nec non ipsius Monasterij, præsentibus haberi volumus pro expressis, per dictum prædecessorem factas; etiam de illis,quæ nondum sortitæ sunt effectum (S. Petri de Candione,& Sancti Benedicti de Fabrione,necnon Sancti Clementis de Pitignano, & Sanctæ Mariæ de Pilonico, ac Beatæ Mariæ de Monte Vbiano, necnon S. Ioannis de Præsio, & S. Martini in Valle,Ecclesijs dumtaxat exceptis)ratas, & gratas habentes, authoritate Apostolicâ,ex certâ scientiâ approbamus, ac in suo robore, & vigore permansisse,& permanere; ita quod liceat Abbati pro tempore existenti, ac Dilectis filijs Priori, & Conuentui præfati Monasterij,per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Plebis,Ecclesiarum, & Prioratuum, etiamsi specialiter, vel generaliter ex quâuis causâ dispositioni Apostolicæ reseruati, seu reseruatæ existant,si ad præsens vacant ex nunc, alioquin quam primum per cessus,vel decessus, aut alijs quibusuis modis vacare contigerit, iuriumque, & pertinentiarum prædictarum,authoritate propriâ liberè apprehendere,& huiusmodi illarum, seu illorum fructus,redditus,& prouentus in suos, & dicti Monasterij vsus,& vtilitatem conuertere, expendere,& perpetuò retinere Diœcesanorum locorum,& quorumlibet super hoc licentiâ minimè requisitâ, in omnibus,& per omnia;ac si reuocatio,cassatio,& annullatio, aut constitutio huiusmodi nullatenus emanassent;ac Constitutionibus,& Ordinibus Apostolicis,necnon omnibus illis,quæ idem prædecessor in dictis litteris voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Calendis Februarij,Pontificatus nostri Anno quarto.

## CONSTITVTIO LXXXIV.

### SVMMARIVM.

1457. Ian. 3.

### CALIXTVS PAPA III.

*Vsurpatores, & turbatores bonorum Monasterijs Sublacensis Læsæ Maiestatis reos declarat, ac si bona S. R. E. vsurparent. Centenariâ Præscriptione idem Monasterium gaudere decernit.*

*Ex Arch. Sublacen.*

CALIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum Ordo Beati Benedicti, ipsiusque Regulæ professores, in Dei Ecclesiâ, magno Religionis splendore refulgeat, maximisque Deo nostro laudibus, diuinisque cultibus, Sancta Ecclesia in omnibus Christianæ Religionis decoretur; conuenit, vt dicti Sanctissimi Benedicti Cœnobium Sublacense, quod ipse pro præcipuo dictæ Religionis fundamento instituit, ac fundauit, eiusque Castra, Terras, Bona, Subditos, & Vassallos præcipuâ quâdam protectione muniamus; vt in eius manutensione totius ipsius Religionis auctoritatem conseruare, pro posse, videamur; maximè nunc, cum ipsum Monasterium, & bona per Dilectum Filium nostrum Ioannem, Tituli Sanctæ Mariæ Transtyberim S.R.E. Presbyterum Cardinalem, cui ipsius Monasterij, & bonorum curam dedimus, sint adeo reformata, vt omnibus subditorum seditionibus sublatis, saluberrimis statutis, & ordinationibus, ad benè viuendum beatèque, Nostrâ auctoritate editis, bonis auctis, & eiusdem Monasterij propagatis, Conuentus, Monachi, Subditi, & Vassalli, & Bona, proximis locis guerrarum turbinibus vexatis, in quietâ pace quiescant. Ipsum igitur Monasterium, & eius supposita, eiusque Terras, Castra, & Loca, Subditos, & Vassallos, & Bona sub Beati Petri, & Nostrâ protectione speciali recipimus; eorumque violatores, occupatores, & turbatores illis pœnis ligari, quibus, qui Terras Romanæ Ecclesiæ, & Nobis immediatè subiectas quomodolibet occuparent, ligarent, & pro talibus haberi, reputari, condemnari, & astringi, ac vt criminis Læsæ Maiestatis reos puniri. Ipsumque Monasteriũ Centenariâ Præscriptione gaudere, & alijs omnibus iuribus, priuilegijs, immunitatibus, & indultis, quibus de consuetudine, vel de iure, res Nostrę, & ipsi Romanę Ecclesię immediatè subiectæ gaudent, volumus, & decernimus per præsentes. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrę receptionis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, tertio nonas Ianuarij. Pontificatus Nostri Anno tertio.

## CONSTITVTIO LXXXV.

### SVMMARIVM.

1458. *Ianuarij.* 18.

### PIVS PAPA II.

*Priuilegia Congregationi S. Iustinæ hactenus concessa, confirmat.*

*Ex Archiu. S. Petri de Perusiâ lib. B. fol. 40.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ex debito Summi Pontificatus Officij Nobis desuper iniuncti, circa quorumlibet fidelium, præsertim mundanis abiectis illecebris sub Regulari habitu famulãtium omnium profectus, vtilitates, & commoda, Nos deceat intentos existere; Congregationem tamen Monachorum de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ, aliàs Vnitatis, Ordinis S. Benedicti, eiusque pro tempore Religiosos, tantò potioribus fauoribus, & gratijs confouere desideramus, quantò illorum vitæ integritate, cæterisq; virtutibus, cum fructuosis operibus, etiam ad optimum, & saluberrimum fidei Catholicæ exemplum pariter, & incrementum, ad Diuini Nominis laudem, & gloriam id conspicimus in Domino salubriter expedire. Hinc est, quod Nos dilectorũ filiorum Præsidentis, Visitatorum, & Rectorum dictæ Congregationis in hac parte supplicationibus inclinati. Omnia, & singula Priuilegia, Immunitates, Donationes, Gratias, & Indulta per Felicis recordationis Martinum Quintum, Eugenium IV. Nicolaum Quintum, Calistum Tertium, & alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros, cæterosq; Ecclesiarum Antistites, Imperatores quoque, ac Reges, & Principes Catholicosque fideles, tam particulariter Monasterijs, & locis, quæ per prædictam Congregationem nunc, Domino concedente, reguntur, & in futurum iustis titulis regi continget, ac personis in illis degentibus, quam generaliter prędictæ Congregationis Monasterijs, locis, & Personis, ac bonis eiusdem præsentibus, & futuris concessa; nec non præmissorum omnium confirmationes, validationes, litteras, Priuilegia, & Indulta emanata, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus haberi volumus pro expressis; Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Illaque plenariam roboris firmitatem, etiam proinde, ac si ea per Nos de verbo ad verbum, prout in litteris, & Priuilegijs prædictis pleniùs continetur, de nouo concessa forent, obtinere eâdem auctoritate decernimus. Supplentes omnes, & singulos defectus, si qui in prædictis, vel aliquibus prædictorum interuenissent. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ Martinus, Eugenius, Nicolaus, & Calistus, ac alij prædecessores præfati in eorum litteris, Priuilegijs, & Indultis prædictis voluerunt non obstare, cęterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, constitutionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotẽtis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1458. Quintodecimo Calendas Februarij. Pontificatus Nostri Anno Primo.

## CONSTITVTIO LXXXVI.

### SVMMARIVM.

1459. *Octob.* 24.

### PIVS PAPA II.

*Indulgentiam plenariam in Festo S. P. N. Benedicti concedit.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyrone.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super Gregem Dominicum Nobis, licet meritis insufficientibus, desuper creditum

rum extendentes speculatoris officium, in decore Sacræ Religionis, sub quâ dilecti filij Monachi Cõgregationis Sanctæ Iustinæ de Obseruantiâ, Ordinis Sancti Benedicti, mundanis abiectis, deuotum, & sedulum exhibent Domino famulatum, ingenti mẽtis exultatione reficimur; præsertim considerantes, quod ipsi nonnulla Monasteria desolata, & collapsa mirificè refecerunt, & in illis, cum essent prius omni regulari obseruantiâ destituta, vitam ducunt regularem, ac per gradus virtutum, & bonorum operum exercitium, necnon præclara sanctimoniæ merita procedentes, cęteros ad Diuinæ Maiestatis obsequium trahunt per exemplum, diuinis laudibus, ex quibus Altissimi gloria attollitur accuratius insistendo. Vnde, cum de præmissis etiam in Monasterio Sancti Benedicti Mantuanæ Diœcesis Ordinis, & Congregationis prædictorum, hodie moram trahentes certam notitiam haberemus, non immerito ducimur, quinimo dignum, & iustum esse censemus, vt Congregationem prædictam specialibus fauoribus, & gratijs prosequamur, ac sibi ea præsertim, quæ animæ suæ salutem respiciunt fauorabiliter concedamus. Hinc est, quod Nos volentes Congregationem prædictam fauoribus prosequi, gratiosis, Dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Monachis, Commissis, Nouitijs, & Oblatis præsentibus, & futuris Congregationis prædictæ verè pœnitentibus, & confessis, qui Altare maius singularum Ecclesiarum Monasteriorum præsentium, & futurorũ eiusdem Congregationis in Festo S. Benedicti, directè visitauerint annuatim, plenam omnium peccatorum suorum remissionem, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus. Ita tamen, quod singulis, ex præfatis personis, quę primum huiusmodi indulgentiam cõsequi voluerint, ante dictum Altare maius ter Psalmum Miserere pro felici Statu S. Romanę Ecclesię; qui verò præfatum Psalmum dicere commodè non potuerint, vel nescierint, duodecies Pater noster, & totidem Aue Maria dicere teneantur. Et ne, quod absit, aliquis ex dictis personis propterea procliuiores reddantur ad illicita in posterum committenda; volumus, quod si ex confidentiâ huiusmodi indulgentiæ, & remissionis aliqua commiserint, quoad illa eis prædicta indulgentia nullatenus suffragetur; præsentibus pro viginti annis valituris. Datum in Monasterio Sancti Benedicti de Padolyrone, Mantuanæ Diœcesis, Anno 1459. Nono Calendas Nouembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

*Prorogata fuit per Sixtum IV. & ampliata in perpetuum à Greg. XIII.*

## CONSTITVTIO LXXXVII.

### SVMMARIVM.

*1460. Iulij 7.*

### PIVS PAPA II.

*Conseruatores, etiam in dignitate non constitutos dummodo Ecclesiastici existant, pro iurium, & bonorum Congregationis Sanctæ Iustinę defensione eligere concedit.*

PIVS Papa II. Venerabilibus Fratribus Patriarchę Venetiarum, & Archiepiscopo Mediolani. Aliàs fel. record. Eugenius IV. Prædecessor Noster per

*Bull. Casin. Tom. 1.*

suas litteras Dat. Bononiæ 1436. 8. Calend. Decembr. prædecessoribus vestris, eorum nominibus non expressis commisit, & mandauit ad instantiam Dilectorum filiorum Præsidentis, Visitatorum, ac Congregationis, Monachorum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, & locorum Vnitatis, aliàs de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ nuncupatæ, Ordinis S. Benedicti ad Romanam Ecclesiam, nullo medio pertinentium, quatenus vos duo, vel vnus vestrum per se, aut alios ipsi Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & personis, necnon Conuentibus, Domibus, & membris eisdem subiectis, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permitteretis, eosdem super quibuscumque bonis, & iuribus indebitè molestari, prout in ipsis litteris, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, latiùs continetur. Verum mittentes ad Nos Præsidens, & Visitatores, ac Prælati dictæ Congregationis exponi fecerunt, supradictos eorum Conseruatores, neque per se ipsos, neque per substitutos, præsertim in dignitate constitutos, prout tenentur, propter Prælatorum, ac constitutorum in dignitate carentiã posse sufficere, & supplere ad ea facienda, quæ in diuersis locis, & temporibus pro membrorum omnium Congregationis suæ defensione, & conseruatione antedictâ gerenda, facienda, & expedienda noscuntur occurrere. Quare eorumdem Præsidentis, Visitatorum, ac Prælatorum supplicationibus inclinati; vt quotiescunque expediens, & necessarium esse videbitur per alios substitutos, qui non sint in dignitate constituti, dummodo viri sint Ecclesiastici, saltem Cathedralium Ecclesiarum Canonici, aut in simili Ecclesiastici officij gradus existentes, & possitis exequi facere, & implere, quæ per litteras Prædecessoris Nostri concessa, & commissa sunt, concedimus auctoritate Apostolicâ per præsentes; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Senis sub anulo Piscatoris 1460. die 7. Iulij, Pontificatus nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO LXXXVIII.

### SVMMARIVM.

*1461. Febr. 9.*

### PIVS PAPA II.

*Acta Capituli Generalis Congregationis S. Iustinæ de Padua per Scribam dicti Capituli Generalis conscripta, fidem publicam habere, ac si per manum publici Notarij descripta forent, indulget.*

*Ex Arch. S. Mariæ de Florentiâ.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Præsidenti, & Visitatoribus Congregationis Sanctæ Iustinæ Paduanæ Ordinis Sancti Benedicti præsentibus, & futuris Salutem, & Apostolicam benedictionem. Exigit Sacræ Religionis honestas, & deuotionis vestræ promeretur integritas, vt votis illis, quæ ad quietem, & pacem vestram cedere dignoscuntur, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte vestrâ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in Generali Capitulo vestræ Congregationis, quod singulis annis celebratur, iuxta Priuilegia vobis ab Apostolicâ Sede concessa, seu instituta regularia vestri Ordinis

dinis, aut consuetudinem hactenus introductam, Nouem Definitores, qui nomine totius Capituli, singulis Monasterijs, Prioratibus, & locis Congregationis eiusdem, de Abbatibus, atque Prioribus, prouidere debent, eligantur, nominentur, & publicentur; ac ipsorum nouem Definitorum, vnus Scriba per ipsos Definitores ad hoc specialiter electus, assumptus, & deputatus, singulas prouisiones, ordinationes, & deputationes, atque alia quæcumque per ipsos Definitores fiunt, & quæ in eodem Capitulo determinantur, statuuntur, & ordinantur in scriptum redigere, & adnotare teneatur, & debeat, eligatur; qui tamen in publicatione eorum, quæ per ipsos Definitores ritè peracta sunt, postea in eodem Capitulo, vnus, qui in publicam formam huiusmodi sic peracta, & ordinata, redigat; ne de gestis, & ordinatis per Definitores prædictos in posterum hesitetur, solet interesse Tabellio. Nos prouidè considerantes, quod ea, quæ pro vestro statu, ac Regularium personarum directione, & vtilitate, peraguntur, non debent per exteros, qui plerumque viris Ecclesiasticis, & Religiosis præcipuè emulantur, tractari; pro parte vestrâ Nobis fuit humiliter supplicatum, vt præmissis paternâ consideratione attentis, pro ipsius vestræ Congregationis conseruatione, & nè in publicum prodeant, quæ per vos salubriter ordinantur, hijs, quæ per eumdem Definitorem, & Scribam ad hoc, vt præfertur assumptũ, pro tempore conscribentur, & adnotabuntur, fidem indubiam, ac si publicâ manu conscripta, & adnotata forent vbilibet adhiberi debere, mandare de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati; Quod de cetero Scripturæ, deputati per vos Scribæ prædicti, seù illius ex Definitoribus ipsis, qui per Capitulum præfatos ad conscribendum, & adnotandum præmissa pro tempore assumptus fuerit, stetur, & fides indubia adhibeatur, vbicumque ipsius scriptura super gestis in Capitulo huiusmodi adhibita fuerit, vel ostensa, ac si publicâ manu conscripta, & adnotata forent, auctoritate Apostolicâ, tenore presentium concedimus, ac vobis, & Scribę præfato paritèr indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, ac Legibus Imperialibus, & Statutis Municipalibus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrę concessionis, infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autẽ hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringentesimo sexagesimo primo, Quinto Idus Februarij, Pontificatus Nostri Anno quarto. Gratis de mandato Domini nostri. A. de Reate C. Fidelis.

## CONSTITVTIO LXXXIX.

### SVMMARIVM.

1461. Dec. 23.

### PIVS PAPA II.

*Per promotionem Episcopi Castellani in Patriarcham Venetum, non auferri officium Conseruatoris in causis Congregationis S. Iustinæ per Eugenium IV. Episcopis Castellanis collatum, declarat.*

*Ex Archiuo Pratalea.*

PIus Papa Secundus. Venerabili Fratri Nostro Patriarchæ Venetiarum præsenti, & pro tempore existenti. Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum, vt nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filij, Præsidens, Visitatores, & Prælati Congregationis Monachorum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, & locorum, Vnitatis, aliàs de Obseruantia S. Iustinę, Ordinis S. Benedicti, ad Romanam Ecclesiam immediatè pertinentes, Fel. Rec. Eugenius Papa Quartus prædecessor noster, volens conseruationi, & defensioni bonorum, & iurium eorumdem paternâ prouisione consulere, concessit eisdem litteras Apostolicas Conseruatorias in formâ amplissimâ, Episcopo Castellano, eius proprio nomine non expresso vnà, cum certis alijs conseruatoribus in eisdem deputato, prout in ipsis litteris prædecessoris Nostri datis Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1436. Octauo Calen. Decembris, Pontificatus eiusdem anno sexto, quarum tenorẽ præsentibus litteris haberi volumus pro expresso, latiùs continetur. Verum quia post concessionem huiusmodi Conseruatoriarum litterarum, Episcopatus Castellanus in Sedem Patriarchalem Venetiarum erectus existit, & qui tunc erat Episcopus Castellanus in præsentiarum Patriarcha Venetiarum esse censeretur, ac per hoc dubitari forsan contingeret, An Patriarcha ipse huiusmodi Conseruatoriatus facultatem haberet. Nos ad dubium ipsum tollendum, & nè dicti exponentes effectum litterarum dicti prædecessoris Nostri frustrati remaneant; decernimus, & harum serie Apostolicâ auctoritate mandamus, vt tu, ac tui in Patriarchatu prædicto successores, omnes, & singulas facultates dicto Episcopo Castellano, vigore dictarum litterarum quomodolibet per ipsum prædecessorem Nostrum concessas, & attributas, perinde habeatis, & exercere possitis, ac si litteræ ipsæ tibi, & ipsis successoribus directæ extitissent. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac cæteris in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris 23. Decembris 1461. Pontificatus Nostri Anno quarto. E. de Piccolominibus.

## CONSTITVTIO LXXXX.

### SVMMARIVM.

1462. Sept. 9.

### PIVS PAPA II.

*Monasterium, ac Congregationem S. Iustinæ de Padua à solutione Charitatiui Subsidij eximit. Solutionesque dicti Subsidij iam factas, esse loco Eleemosinæ, non Subsidij, declarat.*

*Ex Arch. S. Iustinæ de Padua.*

PIus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam Prouida Romani Pontificis circumspectio ad ea libenter vt tenetur, intendit, per quam ambiguitates, & dubia ex litteris Apostolicis, super quibusuis exemptionibus, gratijs, & indultis successiuè concessis emergentia, suæ declarationis ministerio summoueri valeant; & viris Ecclesiasticis, sub regulari præcipuè obseruantiâ Altissi-

tissimo famulantibus omnis inquietudinis occasio subtrahatur. Sanè pro parte dilectorũ filiorum Præsidentis, & Visitatoris Congregationem Monachorum S. Iustinæ, Ordinis S. Benedicti Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim fel. rec. Eugenius Papa IV. prædecessor Noster omnia, & singula eiusdem Congregationis Monasteria, Prioratus, & loca quæcunque, personas, cum bonis suis vniuersis à quibusuis Charitatiui Subsidij quibuscunque locorum Ordinarijs exhibendis, vel soluendis prorsus exemerit, & totaliter liberauerit. Et deinde piæ memoriç Nicolaus Papa Quintus etiam prædecessor Noster, ac postremo Nos, qui eisdem prædecessoribus, sicut Domino placuit successiuè sublatos de medio, fuimus Diuinâ fauente clementiâ ad apicem summi Apostolatus assumpti, exemptionem, & liberationem prædictas, ratas habentes, & gratas; eas per diuersas Nostras litteras duxerimus approbandas. Postmodum tamen pro parte dilectorum filiorum Vniuersitatis, Cleri Ciuitatis, & Diœcesis Paduanæ Nobis exposito, quod postquam idem Eugenius prædecessor Noster aliàs, quod Charitatiuum Subsidium inantea per Episcopos Paduanos qui essent pro tempore ab eis Clero petendam summam octingentorum ducatorum auri infra biennium soluendorum, excedere, & qui ipsi Clero, occasione dicti subsidij ad solutionis maioris summæ per eosdem Episcopos cogi non possent, per suas literas decreuerat, & ordinauerat, licet decretum, ordinatio, & litteræ prædictæ vniuersum Clerum Ciuitatis, & Diœcesis prędictarum concernerent; tamen nonnulli Abbates, aliçque Personæ Ecclesiasticç earumdem Ciuitatis, & Diœcesis allegantes se, ac Ordines, & Monasteria, ac Beneficia, & loca sua partim ante, & partim post quam decretum, ordinatio, & litteræ prædictæ emanauerint, ab huiusmodi Subsidij solutione exempta fuisse, ratam eiusdem Subsidij eos cõtingentem soluere hactenus recusauerant, & recusabant tunc; Propter quod illi ex Clero prædicto, qui Subsidium ipsum soluere cogebantur, in ipsorum octingentorum ducatorum, quos Venerabilis Frater Noster Iacobus Episcopus Paduanus ab eis non exemptis, absque diminutione exigere intendebat, solutione insupportabilitèr grauabantur. Nos eorundem Cleri in eâ parte supplicationibus inclinati, volumus, ac statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Abbates, & Cleri, ac personę Ecclesiasticę Ciuitatis, & Diœcesis prædictarum, etiam exempti, qui ante dictarum litterarum emanationem aliquamdiù soluissent, pro suis Monasterijs, & Beneficijs Ecclesiasticis, in solutione subsidij octingentorum ducatorum huiusmodi, pro ratâ eos contingente, contribuere tenerentur, ita, & quemadmodum ante exemptiones easdẽ, ratione Monasteriorum, & Beneficiorum huiusmodi contribuere consueuerunt, prout in singulis litteris prædictis pleniùs continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Præsidens, & Visitatores prædicti in Ciuitate vnum, & in Diœcesi Paduanâ præfatis aliud, Congregationis, & Ordinis prædictorum Monasteria, vt præfertur, exempta habeant; quodve illorum Abbates, & Conuentus, vt verisimiliter creditur, posteriorum literarum prætextu ad solutionem, & contributionem Subsidij antedicti, de iure cogi non possent; ne tamen ipsi, qui orationi, & contemplationi instare cupiunt, vt tenentur, per litigiorum deducantur anfractus, & concessæ eis exemptiones inefficaces reddantur. Prò parte Præsidentis, & Visitatorum eorumdem, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt eos, & Monasteria prædicta, etiam quoad solutionem, & contributionem Subsidij huiusmodi plenâ exemptione gaudere, ac per litteras posteriores Clero concessas, huiusmodi exemptioni, & litteris prioribus, ipsis Præsidenti, Visitatoribus, & Congregationi concessis, quo minus illa semper in suâ soliditate permaneant; etiam si ipsi loco Eleemosinę potiusquam Subsidij prædicti aliquid soluerint, nullatenus derogare, aut præiudicare voluisse, declarare, ac alias eorum statui, & quieti super his opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ declaramus, Monasteria prædicta, eorumque personas, & bona, plenâ exemptione gaudere, & per litteras posteriores Clero concessas, huiusmodi exemptioni, & litteris prioribus ipsi Præsidenti, & Visitatoribus ac Congregationi concessis, quo minus illa semper in suâ soliditate permanserint, ac in futurum perdurare debeât, etiam si ipsi, loco Eleemosinæ, potiusquam Subsidij prædicti aliquid persoluerint, vt præfertur, nullatenus derogare, aut præiudicare voluisse, eosque, ratione Monasteriorũ eorundẽ, ac membrorum dependentium ab eisdem ad solutionem, seu contributionem eiusdem Subsidij non teneri. Non obstantibus litteris posterioribus prædictis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Pientiæ anno Incarnationis Dominicæ 1462. quinto idus Septembris. Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO LXXXXI.

### SVMMARIVM.

1469. Iunij 6.

### PAVLVS PAPA II.

*Annatas, & Communia minuta seruitia pro Monasterijs, & Beneficijs Congregationis S. Iustinæ, & aliarum Congregationum Regularium Sedi Apostolicæ singulis quindecim annis persoluenda indicit. Obligationemq; pro dictâ solutione infra annum in Camera prædictâ debere præstare, constituit.*

*Ex Arch. Mon. S. Mariæ Flor Arm. 1. Caps. Z. n. 22.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem sic in eius fore gratijs liberalem, quod in Ecclesiarum, & Monasteriorum, aut Clericalis Ordinis personarum Sæcularium, seu Regularium fauore concessa, in Apostolicæ Cameræ, vel, aliorum preiudicium non redundent. Sanè, dudum ad humiles diuersorum poscentium supplicationes, & ex certis rationabilibus causis, tunc expressis inducti, tàm Nos, quàm Sanctæ recordationis Martinus Quintus, Eugenius Quartus, Nicolaus etiam Quintus, Calixtus Tertius, & Pius Secundus, Romani Pontifices prædecessores Nostri, quamplura diuersorum Ordinum Monasteria, Prioratus, Prærposi-

posituras Conuentuales, necnon dignitates maiores in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & principalis in Collegiatis Ecclesijs; Administrationes quoque Officia, & Beneficia Ecclesiastica, etiã dispositioni Apostolicæ generaliter reseruatas inuicem, vel alijs Cathedralibus, etiam Metropolitanis, seu Collegiatis Ecclesijs, earumq; siue Capitularibus mensis, Monasteriis, aut Dignitatibus, Collegiis, Vniuersitatibus, & Beneficiis; & præsertim Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensis, & de Scopeto, seu de S. Saluatore nuncupatorum, Monachorum S. Iustinæ Paduanæ, & Montis Oliueti, S. Benedicti Cisterciensis, Vallis Vmbrosæ, & Carthusiensis Ordinum, Presbyterorum quoq; S. Georgii in Alega Venetiarum, atq; aliis Monasteriis, Domibus, Hospitalibus, Fabricis, & piis locis vtriusque sexus personarum, sub diuersis modis, & formis Apostolicâ auctoritate vniuimus, incorporauimus, annexuimus, applicauimus, atq; submisimus; propter quæ Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, Prepositurae, Dignitates, Administrationes, Officia, & Beneficia vnita huiusmodi amplius nequaquam vacare sperantur. Cumq; propterea Camera Apostolica, necnon Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Collegium, ac Sedis Apostol. Officiales, detrimentum non modicum patiantur. Nos, quorum interest, eorumdem Cameræ, Collegii, & Officialium indemnitati, prospicere volentes, quemadmodum par est; Quod vniones, incorporationes, annexiones, applicationes, & submissiones prædictæ, si aliàs ritè, & rationabiliter processerint, ita in suâ firmitate permaneant, quod ipsorum quibus vnà cum suis oneribus vnita fuere, commodis deseruiant, & aliorum iura propterea non lædantur; Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, atq; decernimus, quod omnia, & singula Monasteria, illa videlicet, quorum fructus redditus, & prouentus ad summam centum florenorum auri de Camerâ, secundum communem extimationem, ascendunt annuatim, siue in libris eiusdem Cameræ taxati reperiuntur, Communia minuta seruitia, atq; alia iura debita, & consueta, tàm ipsi Cameræ, & Collegio, quàm Officialibus prædictis; reliqua vero Monasteria, Prioratus, Præpositurae, Præpositatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, & Beneficia, vt præfertur vnita, pro quibus Cameræ Apostolicæ Annata, seu alia iura solui consueuerant, vel debebant temporibus retroactis, & de soluendo singulis certis futuris temporibus obligatio in eâdem Camerâ per inaduertentiam facta non fuit, Annatam, siue medios fructus vnius anni in posterum, singulis quindecim annis perpetuò secuturis eidem Cameræ omnino soluere teneantur, & debeant; & quod de omnibus Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, & Beneficiis prædictis, vt præfertur, vnitis, à quarum vnionum temporibus, postquam illæ fuere sortitæ effectum anni quindecim effluxerunt, infra annum proximè secuturum Communia minuta, & alia iura, seu Annatas, & medios fructus huiusmodi soluere astringantur, etiam singulis annis quindecim in futurum, prout multi alij, similes vniones, & gratias obtinentes, faciunt, & facere consueuerunt. Et ad hoc hii, quorum interest infra ipsius anni spacium, se in eâdem Camerâ efficacitèr obligare debeant cum effectu. Alioquin, si à solutione, aut obligatione præmissis cessare præsumpserint, vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones prædictæ habeantur penitùs pro infectis, acsi vnita Monasteria, Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, Dignitates, Personatus, & Administrationes, Officia, & cuiusuis qualitatis, aut generis Beneficia huiusmodi, tamquam verè vacantia possint liberè à Sede Apostolica impetrari, & canonicè obtineri, ac si vniones ipsæ, & per eis confectæ litteræ, processus quoq; habiti per easdem, & quæcumq; inde sequuta nullatenus emanassent. Non obstantibus vnionibus, & aliis præmissis, cæteriq; contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrorum statuti, ordinationis, & constitutionis infringere, vel ei aûsu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono. Octauo Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

## CONSTITVTIO LXXXXII.

### SVMMARIVM.

1469. Iulij 29.

PAVLVS PAPA II.

*Supradictas litteras Apostolicas pro Annatis intimat Congregationi S. Iustinæ.*

*Ex Arch. Mon. S. Mariæ Flor. Arm. I. Capss. Z. nu. 22.*

PAVLVS Papa II. Dilecto Filio Præsidenti Congregationis S. Iustinæ de Paduâ. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Bullam præsentibus alligatam constitutionis, & decreti Nostri, circa annexa, & vnita Beneficia: rationabilibus de causis in ea latiùs expressis, nuper à Nobis editàm Deuotioni tuæ, quam ea res specialiter concernit mittendam duximus, nè ob ignorantiam rei, ei contrauenires: Leges itaq; eam diligenter, & illis de Congregatione tuâ, ad quos spectat, per autentica transumpta exhibebis; curabisq; Archiuiis registrari; & nihilominus Bullæ ipsius originale, ad notitiam posterorum accuratè seruari; & ita vt facias auctoritate Apostolicâ, in vim Sanctæ Obedientiæ mandamus. De receptione autem Bullæ, & Breuis, & de mandato desuper edito, illis, ad quos de Congregatione tuâ spectat, Præsidentes Cameræ Apostolicæ per tuas litteras autenticas, certos reddere curabis; significando ipsis numerum, & nomina Beneficiorum tuæ Congregationi annexorum, & in quibus Diœcesibus sint constituta. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 29. Iulii 1469. Pontificatus nostri Anno Quinto.

## CONSTITVTIO LXXXXIII.

### SVMMARIVM.

1474. Aug. 24.

SIXTVS PAPA IV.

*Renouat Constitutionem Eugenij Papæ IV. Datam Florentiæ, Anno Domini 1434. Februarij 23. ad fauorem Congregationis S. Iustinæ.*

X

*Ex Archiu. S. Bened. de Padolyr. Arm. III lib. 21. fol. 110.*

SIxtvs Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Prouisionis nostrę debet prouenire subsidio, vt ius suum cuilibet conseruetur. Hinc est quod Nos tenorem quarundam litterarum fel. record. Eugenij Papę IV. Predecessoris Nostri in Registro ipsius repertum, pro eo, quod, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Presidentis, Visitatorum, Abbatum, Priorum, Rectorum, & Monachorum Congregationis S. Iustinę nuncupatę, Ordinis S. Benedicti petitio continebat, ex litteris originalibus predictis Bullâ plumbeâ eis appensâ casualiter cecidit, de Registro huiusmodi, de verbo ad verbum transcribi, & ad ipsorum supplicationis instantiam, presentibus annotari fecimus, qui talis est. Evgenivs Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Et si ex debito Ministerij Pastoralis. *Et cætera, prout supra Constitut. 59.* Cęterum, vt ipsarum litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apostolicâ auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eosdem vim, & vigorem tenor predictus per omnia habeat, quę haberent originales littere supradictę, & eandem prorsus ipsi tenori sic annotato fides adhibeatur, quandocunque, & vbicunque in iudicio, vel alibi vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, ac eidem stetur firmitèr in omnibus, sicut dictis originalibus litteris staretur, si forent vnâ cum appensâ Bullâ predictâ exhibitę, vel ostensę. Per hoc autem nullum ius, cuique de nouo acquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrę Constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. Nono Calendas Septemb. Pontificatus Nostri Anno 3. Grifus. Registrata in Camerâ Apostolicâ M. Millinus.

## CONSTITVTIO LXXXXIV.

### SVMMARIVM.

1476. *Ianu.* 3.

### SIXTVS PAPA IV.

*Ientaculum in mane diebus Ecclesiastici Ieiunij posse fieri ab itinerantibus Monachis, indulget.*

*Ex Arch. S. Io: Euang. Parmen. Capsa 24. lib. 3. fol. 37.*

BEatissime Pater. Cum pluriès contingat deuotos Oratores Sanctitatis Vestrę Visitatores, ac etiam alias personas Congregationis Sanctę Iustinę causâ Visitationis, aut honestâ aliâ equitare in Aduentu, aut in Quadragesimâ, siue in alijs ieiunijs de precepto; si vellent tunc personę predictę comedere horâ congruenti, quoniam non inuenirent hospitia apta, & etiam si comederent, post talem comestionem non commodè explerent dietam, nec etiam fortè sine lesione corporum, ob grauedinem cibi. Quare supplicant eidem Sanctitati Vestrę Visitatores predictæ Congregationis, vt dignetur Sanctitas ipsa Vestra piè concedere eis, & omnibus alijs personis Congregationis prefatę presentibus, & futuris, cum eos in predictis temporibus equitare contigerit, vt in mane modicum collationis de quatuor, aut quinque bolis, vel circa, cum potu, facere possint, & in sero comedere. Fiat, vt petitur F. Et quod presentis supplicationis sola signatura sufficiat, Fiat F.

Hanc supplicationem signauit S. D. N. Sixtus 4. Ianuarij 1476. libentissimè, presentibus P. D. Gregorio de Manfredoniâ, D. Antonio de Ponzano, & me Seuerino de Bitonto; dixitque Sanctitas sua, quod etiam ipsa faciebat similem collationem olim quando equitabat, &c.

## CONSTITVTIO LXXXXV.

### SVMMARIVM.

1476. *Ianuarij.* 3.

### SIXTVS PAPA IV.

*Incorrigibiles Monachos expellendos à Congregatione S. Iustinæ; Fugitiuosque & Incorrigibiles non requirendos, decernit.*

*Ex Arch. S. Io: Euangelistæ Parmensis Capsa 24. lib. 3. fol. 37.*

BEatissime Pater. In Regulâ Sancti Benedicti, sub quâ Congregatio Sanctæ Iustinæ degit, continetur, & ordinatur, vt Fratres incorrigibiles expellantur, nè contaminent alios. Cum autem Ius Canonicum videatur determinare contrarium, mandando Monachos fugitiuos debere requiri. Supplicatur Sanctitati Vestræ pro parte deuotorum Oratorum, Rectorum Congregationis præfatæ, vt ne boni maculentur à malis, annuere dignetur, ac concedere, quod Rectores Congregationis prædictæ, qui pro tempore fuerint, eos ex Congregatione ipsâ quos iudicauerint incorrigibiles, siue pro Congregatione non facere, ab obedientiâ suâ licentiare, ac etiam expellere de Congregatione, iuxta Regulam, valeant, & si ipsi discesserint, eos requirere non teneantur; non obstante iure aliquo, nec in contrarium facientibus quibuscunque. Fiat vt petitur F. Et quod præsentis supplicationis sola signatura sufficiat. Fiat. F. Hanc supplicationem signauit. S. D N. Sixtus, 4. Ianuarij 1476. præsentibus Patre D. Gregorio de Manfredoniâ, D. Antonio de Ponzano, & me Seuerino de Bitonto, & dixit Sanctitas sua de incorrigibilibus, de quibus erat sermo, monendos esse eos prius dulciter; aliqui enim cum dulcedine meliùs emendantur; deinde si non se corrigunt, aliquanto acriùs; postea austeriorem adhibeatis medicinam. Et ego dixi, Pater Sancte, Sanctus Benedictus in Regulâ valde diffusè ordinat gradus, secundum quos est habenda correctio Fratrum. &c.

## CONSTITVTIO LXXXXVI.

### SVMMARIVM.

1483. *Ian.* 13.

### SIXTVS PAPA IV.

*Benedictionem vestimentorum Sacerdotalium, corporalium,*

*lium, & ornamentorum Altaris, tàm pro vsu Monasterij S. Mariæ de Florentiâ, quàm etiam pro quorumcunq; accedentium vsu elargiri posse Abbatem dicti Monasterij declarat, & confirmat.*

*Ex Arch. Abb. Flor.*

SIxtus PP. IV. Dilecto filio Abbati Abbatię Florentinæ Congregationis S. Iustinæ, Ordinis S. Benedicti. Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliàs, cum exposuisses Nobis, ex consuetudine antiquâ Abbates prædecessores in istâ Abbatiâ tuâ, Corporalia, Altaris linteamina, nec non Sacerdotales, & alias Diuino cultui dicatas vestes, tàm ad Abbatiam ipsius pertinentia, quàm vndecumq; transmissa benedicere consueuisse; supplicasseq; Nobis ad tollendum dubium, an ea ritè dicti Abbates facere potuissent, quę Episcopis reseruata videntur, de opportuno declarationis, & Nostrę concessionis quatenus opus esset remedio. Nos tunc, tàm tibi, quàm successoribus tuis concessimus, vt huiusmodi Altaris ornamenta, seu indumenta ad Monasterium tuum dumtaxat pertinentia, sine scrupulo conscientiæ benedicere, prout consueueras posses. Nuper verò Nobis per Visitatorem Congregationis præfatæ S. Iustinæ fuit humiliter supplicatum; Quod cum supradictæ benedictiones per Abbates consuetudine prescribi possit, sicut in dicto Monasterio factum creditur, & cum ad totam Congregationem res spectet, dignaremur ad euitanda scandala prouentura imminentibus personis, quæ pro huiusmodi rerum benedictione ad ipsum tuum Monasterium conuenire sunt solitę, opportunè desuper prouidere. Nos pręmissis attentis, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, vt Monasterium ipsum tuum Abbatiæ Florentinæ, tuq;, & qui pro tempore fuerint Abbates in eo statu, & conditione sitis, quo ad prædicta, in quo, tù, & Monasterium ipsum eratis ante primum concessionem, seu declarationem huiusmodi per signaturam manu Nostrâ factam tenore præsentium annuimus, & concedimus, ipsâ signaturâ, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Februarij 1483. Pontificatus duodecimo.

## CONSTITVTIO LXXXXVII.

*SVMMARIVM.*

1486. *Nouembris.* 28.

## INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Conseruatorum electionem pro causis Congregationis S. Iustinæ à Monachis dictæ Congregationis fieri posse de quibusuis personis, quæ de Iure communi possunt in Conseruatores deputari, constituit.*

INNOCENTIVS Papa VIII. Dilectis Filijs Præsidenti visitatoribus, & Prælatis Monasteriorum Prioratuum & locorum Congregationis Sanctæ Iustinæ de Paduâ Ordinis Sancti Benedicti pro tempore existentibus, illorumque Conuentibus. Dilecti filij salutem, & Apostolicam bene. Nobis nuper exponi fecistis quod aliàs per felicis recordationis Eugenium Papam IV. prędecessorem nostrum Nobis aduersus inferentes Ecclesijs, Castris, Villis, & alijs locis vestræ Congregationis nec non priuilegijs, iuribus, & iurisdictionibus molestias, violentias, iniurias, atq; damna; concessi fuerunt quidam Conseruatores, prout in literis ipsius Eugenij prædecessoris desuper confectis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, pleniùs continetur. Et cum contingat sæpenumero Conseruatores prædictos per vos commodè haberi, & eos aliquando eorum iurisdictionem ex eo exercere non posse, quod Ecclesias, & Monasteria quorum ratione deputati sunt. Conseruatores obtineant in commendâ, non sine magno vestro, ac Monasteriorum, Prioratuum, & locorum prędictorum dispendio. Nos indemnitati vestrę super hoc oportunè prouidere volentes, vestris in hâc parte supplicationibus inclinati; vobis, quod quęcunque personę Ecclesiasticę in dignitate constitutę, quę aliter de iure communi possint deputari Conseruatores, quibus literas Eugenij prędecessoris huiusmodi duxeritis presentandas, literas prędictas liberè, & licitè exequi possint, aliàs in omnibus, & per omnia iuxta dictarum litterarum continentiam, & tenorem, ac si eis à principio directę fuissent, & dirigerentur, authoritate Apostolicâ, tenore presentium, de specialis dono gratię indulgemus, mandantes nihilominus in virtute Sanctę Obedientię eisdem personis, vt postquā per parte vestrâ fuerint super hoc requisitę ad exequutionem literarum huiusmodi omnino procedere debeant, & teneantur, pro vt facerent, si dictę littere eis, vt prefertur, directę fuissent, & dirigerentur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quę idem Eugenius prædecessor in literis prædictis voluit non obstare, cęterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romę Apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris Die 28. Nouembris 1485. Pontificatus nostri Anno secundo, Balbanus.

## CONSTITVTIO LXXXXVIII.

*SVMMARIVM.*

1485. *Dec.* 10.

## INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Monachos Casinenses fugitiuos, aut translatos, ad habitum dictæ Congregationis dimittendum posse a dictâ Congregatione compelli, concedit.*

INNOCENTIVS Papa Octauus. Dilectis filij Præsidenti, Visitatoribus, & Prælatis, Monasteriorum, Prioratuum, & Locorum Congregationis Sanctæ Iustinæ de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti, eorumque Conuentibus pro tempore existentibus. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut Nobis nuper exponi fecistis, aliquando contingat à Congregatione vestrâ Monachos aliquos dyscolos, & ab obseruantiâ, bonoque modo viuendi deuiare volentes, discedere, & etiam interdum authoritate litterarum Apostolicarum ad alia Monasteria, seu Loca Ordinis Sancti Benedicti se transferre; qui nihilominus post translationem, & discessum, huiusmodi habitum per Monachos dictæ Congregationis deferri solitum non dimittunt, non sine eiusdem Congregationis, atque Religionis vestræ opprobrio, maloque exemplo, & scandalo plurimorum,

rum, cum præfati Monachi illum Ordinem viuendi non seruent, quem vos, Monachique vestræ Cõgregationis obseruant, sed aliàs indebitè, & contra obseruantiam Regularem viuant. Nos vestris in hâc parte supplicationibus, vtpotè iustis, & honestis inclinati, vobis, quod de cœtero perpetuis futuris temporibus liceat Monachis huiusmodi fugitiuis, aut quouis modo, etiam auctoritate Apostolicâ à corpore dictæ Congregationis separatis, quoties illos cum habitu vestro repereritis, præmissâ trinâ canonicâ monitione, sub pœnâ excommunicationis, vt habitum huiusmodi dimittant præcipere, ac illum ab eisdem reuocare; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, auctoritate præmissâ, tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegijs, forsan eis sub quibusuis verborum formis, pro tempore concessis, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die Decimâ Decembris, Anno Millesimo Quadringentesimo Octogesimo Quinto, Pontificatus Nostri, Anno secundo.

## CONSTITVTIO LXXXXIX.

### SVMMARIVM.

1486. *Ian.* 25.

### INNOCENTIVS PAPA VIII.

1 *Casinensis Cœnobij Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Præposituras, & bona quæcunque in Beneficium, Comendam, vel Censum à præfato Monasterio, vel à Sede Apostolicà, vel alijs concessa, post obitum detinentium liberè, & propriâ auctoritate eadem recipere, eidem Monasterium, & sibi applicari posse, decernit.*

2 *Census annuos pro prædictis Beneficijs, vel bonis persoluendos à Beneficiatis, vel Censuarijs sub pœnâ caducitatis dictorum Beneficiorum, vel bonorum, constituit.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyr. Arm. III. lib. 21. fol. 186.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacræ Religionis, sub quâ dilecti filij Abbas, & Conuentus Monasterij Casinen. ad Nos, & Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis Sancti Benedicti, quod nullius Diœcesis existit, sedulum, & deuotum exhibent Altissimo famulatum promeretur honestas, vt votis eorum, illius præsertim, per quem ipsorũ, & dicti Monasterij commoditatibus, & necessitatibus consulitur, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Exhibita si quidem Nobis pro parte dictorum Abbatis, & Conuentus petitio continebat, quod nonnulli ex Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus, & quidam Ecclesiastici Prælati, ac aliæ personæ Ecclesiasticæ nonnulla Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, aliaque Beneficia Ecclesiastica, & membra dicti Monasterij ab ipso Monasterio dependentia ex concessione, & dispensatione Sedis Apostolicæ tenent in Commendam, & quæ ipsi Abbas, & Conuentus ante Commendam huiusmodi iusto titulo, in vsu eorum, & dicti Monasterij tenuerunt, & etiam possiderunt, & ex quorum nonnullis ipsi Abbas, & Conuentus, antequam in Commendam, seu Titulum eisdem Cardinalibus, seu Prælatis, & personis concessa fuerint certas annuas Pensiones pro tempore percipere consueuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Abbas, & Conuentus præfati multa subire habeant, pro tempore, onera expensarum; pro parte ipsorum Abbatis, & Conuentus Nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsis, & eiusdem Monasterij necessitatibus in præmissis oportunè prouidere
1 de benignitate Apostolicâ dignaremur. 1 Nos igitur eisdem Abbati, & Conuentui super hijs consulere cupientes; ipsis, quod cedentibus, vel decedentibus dictis Cardinalibus, Prælatis, & personis sæcularibus, vel Regularibus, Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, Beneficia, & Membra, necnon alia Beneficia, huiusmodi in Commendam, aut aliàs quouis titulo obtinentibus, aut aliàs Abbatias, Præposituras, Prioratus, & Beneficia, ac membra huiusmodi quomodolibet dimittentibus, ea liberè apprehendere, & perpetuò licitè retinere, fructusque redditus, & prouentus Abbatiarum, Præposituarum, Prioratuum, Beneficiorum, & membrorum huiusmodi in vsus proprios conuertere, & etiam deputare valeant in omnibus, & per omnia, prout antequam Abbatiæ, Præpositure, Prioratus, Ecclesiæ, & alia Beneficia supradicta Cardinalibus, Prælatis, ac personis eisdem in Commendam, aut alium Titulum huiusmodi cõcessa fuerunt, facere consueuerunt, seu etiam debuerunt alicuius licentiâ, aut consensu super hoc minimè requisito. Præmissis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, de spe-
2 ciali gratiâ indulgemus. 2 Et quia iuxtà canonicas sanctiones res cum eius onere transit, volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, quod inferiores prædictis Cardinalibus, Prælatis, & personæ prędictæ, ratione Abbatiarum, Præposituarum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum supradictorum huiusmodi, consuetum annuum Censum eisdem Abbati, & Conuentui annis singulis deinceps efficaciter persoluere teneantur. Quodque illi ex eisdem Prælatis, & personis, qui Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, & alia Beneficia huiusmodi obtinent, vt præfertur, à iuribus ipsis competentibus; ratione Commendarum, & aliorum Titulorum huiusmodi cadant, nisi easdem Pensiones soluant annis singulis, prout ad quemlibet eorum pertinent, Abbati, & Conuentui antedictis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, eius se nouerit incursurum. Dat. Viterbij octauo Calend. Februarij, Pontificatus Nostri Anno secundo, Io: de Pempelnoirde. Registrata in Secretariâ Apostolicâ.

## CONSTITVTIO C.

### SVMMARIVM.

1486. *Febr.* 20.

### INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Animarum Curam exerceri posse per Monachos amouibiles, cum deputatione quoq; Cappellani conductitij, indulget.*

*Ex Arch. S. Iustinæ de Padua.*

INNOCENTIVS Papa VIII. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Supplicari Nobis humiliter fecistis, vt, cum vos desideretis Beneficium S. Nicolai de Villâ Boschi Paduanæ Diœcesis, cui cura imminet animarum, & quod ad collationem, & omnimodam dispositionem vestram spectare asseritis; & aliquando Monachis, aliquando verò Presbyteris sæcularibus conferri consueuit, pro illius meliori gubernatione, Monachis tantum amouibilibus, cum pro tempore vacabit conferre, & assignare, dignaremur desiderijs vestris benignè annuere. Nos, qui Religiosorum omnium vota, quantum cum Deo licet, libenter exaudimus; vestris huiusmodi supplicationibus inclinati, vt dictum Beneficium de cœterò perpetuis futuris temporibus cum vacabit, Monachis tantum istius Monasterij ad vestrum nutum amouibilibus conferre; quibus liceat illud retinere, & ei per aliquem conductitium Cappellanum Sæcularem, vel Regularem deseruire, liberè, ac licitè possitis, & valeatis, tenore præsentium, Apostolicâ auctoritate concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti vestri Monasterij, & illius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliàs quomodolibet roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ sub Annulo Piscatoris die 20. Februarij 1487. Pontificatus nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CI.

### SVMMARIVM.

1486. Iunij 13.

### INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Facultatem eligendi in Conseruatores Congregationis S. Iustinæ, eiusque Monasteriorum, omnes ad quos litteræ Apostolicæ de iure dirigi possunt, concedit. Eisque electis, huiusmodi litterarum exequtionem committit.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusiâ lib. A. fol. 67.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Congregationi Monachorum S. Iustinæ Paduanæ, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotionis augmentum vobis Deo propitio prouenire confidimus, si super his, quæ pro vestrâ tranquillitate summouendis molestijs, & turbationibus, vt in contemplationis suauitate quiescere valeatis prout cupitis, Nos benignos, ac fauorabiles habeatis. Sanè pro parte vestrâ Nobis nuper exhibita petitio continebat: quòd si vobis in genere, ac Abbatibus, & Prioribus, & Conuentibus, Monasteriorum, Prioratuum, & membrorum vestræ Congregationis, vbilibet per orbem consistentium concederetur, quòd omnes, & singuli quibus causæ per rescripta Apostolicæ Sedis delegari de iure possunt, ad exequutionem quarumcunq; litterarum dictæ Sedis Conseruatorialium nuncupatarum, per quas vobis, Monasterijs, Prioratibus, Membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus præfatis dati, & deputati sunt, & pro tempore dabuntur, & deputabuntur aliqui nominatim Conseruatores, contra inferentes vobis, & illis molestias, iniurias, grauamina, atq; damna, etiam cum potestate cognoscendi de his, quæ iudicialem requirunt indaginem, exequi possent, & deberent totiens, quotiens contingeret eos requiri; Exinde profectò vobis, & Monasterijs, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus vestris præfatis, in præmissis longè pleniùs, & vberiùs consuleretur, facilioremq; & pleniorem reportaretis ex eis vos Abbates, Priores, & Conuentus præfati fructum, & vtilitatem. Nam varijs plerumq; respectibus, à deputatis Conseruatoribus opportuna remedia, iuxta litterarum earumdem continentiam, vos, & illi habere non potestis. Quare pro parte vestrâ, Nobis fuit humiliter supplicatū, vt vobis Monasterijs, Prioratibus, Membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus præfatis, quòd huiusmodi litterarum conseruatorialium exequutionem ab omnibus quibus causæ per rescripta Apostolica delegari possunt, obtinere liberè, & licitè valeatis, perinde, ac si illæ eis omnibus à principio directæ fuissent, concedere, aliasq; in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Regularem vitam professis, libenter omnem inquietudinis materiam subtrahimus, vestrumq; statum prosperum, & tranquillum, paterno desideramus affectu; huiusmodi supplicationibus inclinati, vniuersis, & singulis, quibus causæ, auctoritate litterarum Apostolicarum, de iure delegari possunt, mandamus, vt dum, & quotiens fuerint pro parte vestrâ Abbatum Priorum, & Conuentuum prædictorum, aut alicuius eorum legitimè requisiti, super talium litterarum exequutione, ad illarum exequutionem, perpetuis futuris temporibus procedere possint, & debeant, per se, vel alios, aliàs iuxta earum continentiam, atq; formam, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si litteræ ipsæ à principio eis directæ fuissent, & eis vt, licet aliàs Conseruatores esse nequirent, illas exequerentur, mandatum nominatim extitisset. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in dictis litteris concessum extitit, non obstare, cœterisq; contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1486. Idibus Iunij, Pontificatus nostri Anno Secundo.

## CONSTITVTIO CII.

### SVMMARIVM.

1487. Nouembris. 1.

### INNOCENTIVS PAPA VIII.

1 *Pauli Papæ II. Constitutionem pro Annatis, seu Quindennijs, & minutis seruitijs Cameræ Apostolicæ persoluendis à Congregatione S. Iustinæ, alijsque Congregationibus; & obligationibus pro prædictâ solutione faciendis, confirmat.*

2 *Obligationes prædictas factas, & faciendas, adnotari*

*tari in particulari libro in Camerâ Apostolicâ per Notarios eiusdem Cameræ, mandat.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusia lib. B. fol. 88.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Exposcit iniunctum Nobis desuper Apostolicæ seruitutis Officium vt ijs quæ pro Cameræ Apostolicæ Romanæ Curiæ Officialium indemnitatibus à prædecessoribus Nostris rationabiliter processisse comperimus, Nostri adijciamus roboris firmitatē; vt eo firmiùs illibata perdurent, quo sæpius erunt Apostolicâ authoritate firmata. Dudum siquidem à felicis recordationis Paulo Papâ II. prędecessore Nostro emanarūt literę tenoris subsequentis. Paulus Episcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memor. Decet Romanū Pontificem sic in suis fore gratijs liberalem, quod in Ecclesiarum, & Monasteriorum, aut Clericalis Ordinis personarum Sæcularium, seu Regularium fauore concessa, in Apostolicæ Cameræ, & aliorum prędiudicium non redundent. Sanè, dudum, ad humiles diuersorum poscentium supplicationes, & ex certis rationabilibus causis, tunc expressis inducti, tàm Nos, quàm Sanctæ recordationis Martinus Quintus, Eugenius Quartus, Nicolaus Quintus, Calixtus Tertius, & Pius Secundus, Romani Pontifices prædecessores Nostri, qui plura diuersorum Ordinum Monasteria, Prioratus, Præposituras, & Præposituratus, Conuentuales, nec non dignitates maiores in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & principalibus Collegiatis Ecclesijs, Administrationes quoque Officia, & Beneficia Ecclesiastica, & dispositioni Apostolicæ etiam generaliter reseruata inuicem, pro alijs Cathedralibus, etiam Metropolitanis, seu Collegiatis Ecclesijs, earumq; siue Capitularibus mensis, aut Monasteriis, Dignitatibus, Collegiis, Vniuersitatibus, & Beneficiis; & præsertim Congregationibus Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensis, & de Scopeto, seu S. Saluatoris nuncupatorum, Monachorum S. Iustinæ Paduanæ, & Montis Oliueti, S. Benedicti Cisterciensis, Vallis Vmbrosæ, & Carthusiensis Ordinum, Presbyterorum quoq; S. Georgii in Alega Venetiarum, atq; aliis Monasteriis, Domibus, Hospitalibus, Fabricis, & Piis locis vtriusque sexus personarum, sub diuersis modis, & formis Apostolicâ auctoritate vniuimus, incorporauimus, applicauimus, & submisimus, propter quod Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, Prepositurę, Dignitates, Administrationes, Officia, & Beneficia vnita huiusmodi nequaquam amplius vacare sperantur. Cumq; propterea Camera Apostolica, necnon Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, ac Sedis Apostolicæ Officiales, detrimentum non modicum patiantur: Nos, quorum interest, eorumdem Cameræ, Collegii, & Officialium indemnitati, prospicere volentes, quemadmodum par est; Quod vniones, incorporationes, annexiones, applicationes, & submissiones prædictæ, si aliàs ritè, & rationabiliter processerint, ita in suâ firmitate permaneant, quod ipsorum, quibus vnà cum suis oneribus vnita fuere, commodis deseruiant, & aliorum iura propterea non lædantur, Apostolicâ Auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus, atq; decernimus, quod omnia, & singula Monasteria, illa videlicet, quorum fructus redditus, & prouentus ad summam centum florenorum auri de Camerâ, secundum communem extimationem, ascendunt annuatim, siue in librum eius Cameræ taxati reperiantur, Communia, & minuta seruitia, atq; alia iura debita, & consueta, tàm ipsi Cameræ, & Collegio, quàm Officialibus prædictis; reliqua vero Monasteria, Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, & Beneficia, vt præfertur vnita, pro quibus Camerę Apostolicę Annata, seu alia iura se solui consueuerant, vel debebant temporibus retroactis, & de soluendo certis futuris temporibus obligatio in eâdem Camerâ per inaduertentiam acta non fuerint, Annatam, seu medios fructus vnius anni inposterum, singulis quindecim annis perpetuò secuturis eidem Camerę omnino teneantur, & debeant; & quod de omnibus Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, & Beneficiis supradictis, vt pręfertur, vnitis; à quarum vnionum temporibus, postquam illi fuere sortitæ effectum anni quindecim effluxerunt, in annum proximum sequuturum Communia minuta, & alia iura, seu Annatas, & medios fructus huiusmodi soluere astringantur, etiam singulis annis quindecim in futurum, prout multi alij, similes vniones, & gratias obtinentes, faciunt, & facere consueuerunt. Et ad hoc hii, quorum interest intra ipsius anni spacium, se in eâdem Camerâ efficaciter obligare debeant cum effectu. Alioquin, si à solutione, aut ab obligatione præmissis cessare præsumpserint, vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, submissiones prædictæ habeantur penitùs pro infectis, & sic vnita Monasteria, Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, Dignitates, Personatus, & Administrationes, Officia, & cuiuscuis qualitatis, aut generis Beneficia huiusmodi, tamquam verè vacantia possint liberè à Sede Apostolicâ impetrari, & Canonicè obtineri, ac si vniones ipsæ, & super eis confectæ litteræ, processusque habiti per easdem, & quæcumq; inde secuta nullatenus emanassent. Non obstantibus vnionibus, & aliis præmissis, cæterisque; quibuscunque. Nulli ergo &c. nostrę Constitutionis, Ordinationis, statuti, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ &c. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, octauo idus Iunij Pontificatus Nostri Anno quarto.

1 Cupientes igitur vt statutum, ordinatio, & decretum prædictum prædecessoris præfati, ac alia in dictis litteris contenta tanto firmiùs obseruentur, quanto erunt etiam Nostrâ authoritate roborata, & innouata, statutum, & ordinationem, & decretum huiusmodi Pauli Prædecessoris præfati, & prout illa concernunt omnia, & singula in dictis litteris contenta, authoritate Apostolicâ præsentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, proque potiori cautelâ omnia, & singula per eundem prædecessorem prouidè in dictis litteris statutâ, ordinata, & decreta, de nouò eâdem authoritate statuimus, ordinamus, & decernimus, ac mandamus perpetuis futuris temporibus obseruari. 2 Et vt facilius quid, & quando vnaqueque Congregatio earundem soluere teneatur, sciri possit, volumus quod Notarij dictæ Cameræ nunc, & pro tempore existentes, debeant huiusmodi hactenus factas, & quas fieri continget imposterum obligationes, super quindecennali solutione prædicta fienda, non solum in communi obligationum nuncupato, sed etiam in vno alio particulari libro, qui quindecennarum obligationum nuncupetur adnotare vnamquamque Congregationem, & illi incorporata membra hactenus, & quæ incorporari continget, describendo diem obligationum, & fructus membri incorporati, ac quar-

*Bullar. Casin. tom. I.*

ro folio libri communis obligatio ipsa extensa apparet, mensem eis praefigentes à die publicationis praesentium ad librum ipsum ordinandum, & factas, ac in diuersis libris annotatas obligationes quindecennales huiusmodi in illo, serie, & ordine debito vnamquamque Congregationem, & illius membra de per se in illo collocando; ita vt quae fient in posterum, successiuè illis addi possint. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae idem praedecessor in dictis suis literis voluit non obstare, caeterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo &c. Datum Romae &c. Anno Millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, Calendis Nouembris, Pontificatus nostri Anno quarto.

## CONSTITVTIO CIII.

*SVMMARIVM.*

1488. *Ian.* 5.

INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Facultatem eligendi Visitatores Monialium, Capitulo generali Congregationi S. Iustinae, concedit.*

INNOCENTIVS Papa VIII. Dilectis filijs Praesidenti, & Visitatoribus Monasteriorum, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Iustinae de Padua. Dilecti filij Salutem, & Apostolicā benedictionem. Cū sicut Nobis nuper exponi fecistis, per Sedem Apostolicam licentia, & authoritas visitādi aliqua Monasteria Monialium aliquibus Praelatis, seu Abbatibus vestrorum Ordinis, ac Congregationis sub nomine dignitatis in specie concessa fuerit; cupiatisq; , vt melius possit prouideri, huiusmodi Visitationem personis Ordinis, & Congregationis praedictorum per generale Capitulum deputan. committi. Nos, vestris in hac parte honestis supplicationibus inclinati; Capitulo generali Ordinis, & Congregationis praedictorum, quod pro tempore celebrari contigerit, authoritatē, & licentiam Visitandi Monasteria huiusmodi, tàm ratione commissionum per Nos, & Sedem Apostolicam praedictam hactenus factarum, quam quae fient in posterum personis Ordinis, & Congregationis huiusmodi, quibus idem Capitulo placuerit committendū plenam licentiam, & omnimodam, tenore praesentium, concedimus facultatem. Non obstantibus praemissis, ac cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoq; & consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliā roboratis; caeterisque contrarijs quibuscunq; Dat. Romę apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Ianuarij 1488. Pontificatus Nostri Anno 4. B. Nicosien.

## CONSTITVTIO CIV.

*SVMMARIVM.*

INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Reuocat Confessionalia per Monachos Congregationis S. Iustinae, absq; suorum Superiorum licentiā, impetrata, seu impetranda à Sede Apostolicā.*

BEATISSIME Pater. Cū inter Monachos Congregationis S. Iustinae, Ordinis S Benedicti sint nonnulli Monachi, qui forsan quaerentes obedientiam Superiorum suorum subterfugere, obtinuerunt à Sede Apostolicā eis indulgeri, quod Confessorem pro eorum libito volūtatis eligere possint, ac propterea detur occasio eis forsan ad aliqua minus licita declinandi. Supplicant humiliter Sanctitati Vestrae deuoti Oratores Vestri Praesidens dictae Congregationis, & Congregatio praefata. Quatenus super hoc opportunè prouidentes, omnia, & singula Confessionalia huiusmodi Monachis dictae Congregationis in specie concessa, & quae forsan in futurum concedi contigerit sine suorum licentiā Superiorum reuocare, & annullare; ac eis in aliquo suffragari non debere decernere dignemini de gratiā speciali; Constitutionibus Apostolicis, caeterisq; in contrarium facientibus, & ordinationibus, non obstantibus quibuscunq;. Concess. vt petitur in praesentiā D. N. PP. Iul. Ostien. Et quod praesentis Supplicationis sola signatura sufficiat, & vbiq; fidē faciat, absque aliarum desuper confectione litterarum. Concess. Iul. Ostien. Dat. Romae apud S. Petrum sexto Idus Maij, Anno primo.

## CONSTITVTIO CV.

*SVMMARIVM.*

INNOCENTIVS PAPA VIII.

*Indulgentias Vrbis, tàm concessas, quàm concedendas, Congregationi S. Iustinae communicat.*

BEATISSIME Pater, Aliàs Congregationi Monachorum S. Iustinae de Padua, Ordinis S Benedicti per Sedem Apostolicam concessae fuerunt omnes Indulgentiae, quas consequuntur Visitantes Stationes Almae Vrbis Vestrae; vt autem Oratores praefati, videlicet Monachi Congregationis praefatae, ac Conuersi, Nouitij, Commissi, & Oblati illius, quibus non licet hinc inde discurrere, ad consequendum alias Indulgentias dictae Vrbis, maiorem gratiam à Sanctitate Vestrā, & hac Sanctissimā Sede reportasse cognoscant. Supplicant humiliter eidem Sanctitati Vestrae Oratores praefati; Quatenus eos spiritualibus fauoribus, & gratijs amplioribus prosequentes, ac animarum eorundem saluti, paterno consulentes affectu, eis, & cuilibet eorum, quod etiam Visitando Ecclesias Monasteriorum, & aliorum locorum dictae Congregationis, siue principales, siue subiectas, & annexas, semel genibus flexis, dicendo videlicet illi qui sciunt Psalmum Miserere mei Deus &c. Alij vero, qui illum nesciunt, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quinquies; omnes alias, & singulas Indulgentias Ecclesiarum dictae Vrbis, quae hactenus per Sedem praefatam concessae sunt, & concedentur in futurum, siue Plenariae fuerint, siue temporales consequantur, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si dictas Ecclesias visitarent, ac omnia illa fecissent, quae ad consequutionem Indulgentiarum huiusmodi, quomodolibet essent opportuna, concedere, & indulgere dignemini de gratiā speciali: Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caeterisq; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Fiat vt petitur. I. Et praesentis Supplicationis sola signatura sufficiat, & vbiq. fidem faciat, absq; aliarum desuper confectione litterarum. Fiat. I.

CON-

# CONSTITVTIO CVI.

## SVMMARIVM.

1492. Nouemb. 20.

## ALEXANDER PAPA VI.

1 *Monasterio Sublacensi, & Specuensi, Frumentum, Vinum, Oleum, cæteraque ad vsum dictorum Monasteriorum necessaria ex Vrbe, alijsque finitimis locis extrahere posse absque solutione aliqua Gabellarum, confirmat.*

2 *Prioribus eiusdem Cœnobij Sacras vestes benedicere posse indulget.*

3 *Monachis eorumdem Monasteriorum, Ordines etiam Sacros à quocumque Antistite, etiam extra tempora, suscipere posse concedit.*

*Ex Arch. Sublacensi.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex Apostolicæ Sedis prouisione, necnon personarum Deo deuotarum, præsertim sub regulari obseruantiâ Domino famulantium piâ deuotione prouenire dignoscitur, vt Romanus Pontifex quandoq; Prædecessorũ suorum Romanorum Pontificum concessa innouet, & innouata, Apostolicâ auctoritate communiat, vt eò firmiùs perdurent, quo sæpiùs fuerint Sedis Apostolicæ auctoritate circumfultæ; ac illa libenter concedit, per quæ ipsarum personarum in-
1 demnitatibus opportunè consulitur. 1 Dudum siquidem à felicis recordationis Nicolao Papa V. Prædecessore Nostro emanarũt litteræ tenoris subsequentis. NICOLAVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. ad futuram rei memoriam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem supernâ dispositione vocati, ad ea, quæ statum prospero Monasteriorum, ac personarum in illis sub regulari obseruantiâ Altissimo famulantiũ profutura fore conspicimus, Apostolici fauoris præsidium extendimus, & ea, quæ ad conseruandum religionis integritatem prodijsse comperimus, dũ à Nobis petitur, muniminis vinculo solidamus. Sanè pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Conuentuum Sublacen. & Specus Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœcesis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Eugenius Papa IV. Prædecessor Noster eis, & qui pro tempore essent dictorum Monasteriorum Prioribus, & Monachis, ipsorumque Cellerarijs, ac Procuratoribus, Nuncijs, & famulis auctoritate Apostolicâ concessit, vt de Vrbe, ac Tiburtinâ, & Triuiglianâ, alijsque Ciuitatibus, Terris, & locis in Campaniæ, & Maritimæ Prouincijs Nostris consistentibus, frumentum, vinum oleum, aliaque bona mobilia, & quæcunque animalia ad victum, vestitum, & vsum personarum, necnon animalium in eisdem Monasterijs, dumtaxat pro tempore degentium, absque alicuius Gabellæ, Passus, vel Dohanæ solutione extrahere, transducere, & ad ipsa Monasteria conducere liberè, & impunè valerent, prout in eiusdem Prædecessoris litteris inde confectis, quarum tenorem de verbo, ad verbum præsentibus inseri fecimus, pleniùs continetur. Quarè pro parte Priorum, & Conuentuum prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, vt concessionem huiusmodi Apostolico præsidio cõmunire, & aliàs eis super hijs opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem prædictam, ac omnia, & singula in ipsis litteris contenta, & inde secuta rata, & grata habentes, illa auctoritate præfatâ, ex certâ scientiâ perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus per præsentes. Non obstantibus Constitionibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Tenor verò dictarum litterarum talis est. EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Prioribus, & Conuentibus Sublacen. ac de Specu Monasteriorum, quæ nullius Diœcesis sunt, Ordinis Sancti Benedicti salutem, & Apostolicam benedictionem. In decore Sanctæ Religionis, sub quâ mundanis abiectis illecebris deuotum, & sedulum exhibetis Altissimo famulatum ingenti mentis exultatione refecti, libenter vos Apostolicis fauoribus, ita prosequimur, vt Diuinæ contemplationi, ad quã estis supernâ dispositione vocati, commodiùs vacare Deo, propitio, valeatis. Cum itaque sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestrâ petitio continebat, vos, qui sub regulari obseruantiâ diuino estis obsequio mancipati, sterilitate locorum, in quibus Monasteria vestra consistunt, & nimia fructuum eorumdem egestate causantibus, non valentes aliter inibi sub huiusmodi obseruantiâ viuere, nisi aliunde frumentum, vinum, & oleum, cæteraque ad victum, & vestitum vobis necessaria ad dicta Monasteria conducere habeatis: Nos, qui obseruantiam prædictam, ac personas Altissimo deditas, & præsertim vos, dictaque Monasteria, in quibus Ordo vester, illiusque Regula initium habuisse noscuntur, singulari dilectione prosequimur; huiusmodi supplicationibus inclinati vobis, quod vos, & qui in posterum erunt dictorum Monasteriorum, Priores, ac Monachi vestrorumque, & illorum Cellerarij, ac Procuratores, Nuncij, & famuli de Almâ Vrbe, Tyburtina, Triuigliano, alijsque Ciuitatibus, Terris, & locis in Campaniæ, & Maritimæ, Prouincijs Nostris consistentibus, frumentum, vinum, oleum, aliaque bona mobilia, & quæcunque animalia ad victum, vestitum, & vsum personarum, necnon animalium in eisdem Monasterijs dumtaxat pro tempore degentium, extrahere, transducere, & ad ipsa Monasteria conducere liberè, & impunè absque illius Gabellæ, Passus, vel Dohanæ solutione perpetuò valeatis, & ad solutionem alicuius Gabellæ, Passus, vel Dohanæ cuipiam faciendam, ratione præmissorum, minimè teneamini, nec ad id à quoquam, quàuis auctoritate inuiti compelli possitis, quibuscunque Constitutionibus, ac Indultis Apostolicis, necnon quibuslibet personis de eisdem Gabellis, & Dohanis animalium venditionibus, quâcunque auctoritate factis, quibus omnibus, illis aliàs in suo robore permansuris, quoad præmissa derogare intendimus, & derogamus, cæterisque contrarijs nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, de speciali gratiâ concedimus pariter, & indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ derogationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationé Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, sexto Kalen. Maij, Pontificatus Nostri

ſtri Anno quarto decimo. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Noſtræ Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo Pridie Nonas Februar. Pontificatus
2 Noſtri Anno primo. 2 Et deinde exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Conuentuum Monaſteriorum prædictorum petitio continebat, quod ſæpè contingit, quod Eccleſiaſtica ornamenta in dictis Monaſterijs exiſtentia, ex eo, quod in illis Epiſcopi, qui illa benedicant non fuerint, per longum tempus abſque benedictione exiſtere, & Monachos Monaſteriorum prædictorum pro recipiendis Ordinibus cogi ad Romanam Curiam accedere; pro parte Priorum, & Conuentuum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt litteras prædictas, ac omnia, & ſingula in eis contenta approbare, & cõfirmare, illaq; de nouo cõcedere, necnon Prioribus Monaſteriorũ huiuſmodi pro tẽpore exiſtentibus Caſulas, Dalmaticas, Stolas, Manipulos, & quæcumque alia ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum Diuinum pro dictis Monaſterijs, & eo-
3 rum Grangijs neceſſaria, benedicendi. 3 Monachis verò præfatis, vt à quibuſuis Catholicis Antiſtitibus, vel Archiepiſcopis gratiam, & communionem dictæ Sedis habentibus, & ad ipſa Monaſteria ex quãuis causâ pro tempore declinantibus, aliquibus diebus Dominicis, vel Feſtiuis (etiam extra tempora à iure ſtatuta) ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines ſe promoueri facere poſſint; eidemq; Antiſtibus, vel Archiepiſcopis illos, vt præfertur promouendi licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur Monaſteria huiuſmodi, quæ dum in minoribus conſtituti eramus ex diſpenſationis dictæ Sedis in Commendam obtinebamus paterno affectu proſequentes; ac cupientes Priorum, & Conuentuum prædictorum indemnitatibus prouidere; Priores, & ſingulas perſonas Conuentuum prædictorum à quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quãuis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus, quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi, necnon conſideratione Dilecti filij Noſtri Ioannis S. Mariæ in Aquiro Diaconi Cardinalis, qui Monaſteria præfata ex conceſſione, & diſpenſatione dictæ Sedis in Commendam obtinet Nobis nuper ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, conceſſiones, & litteras prædictas, ac omnia, & ſingula in eiſdem litteris contenta, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, confirmamus, & approbamus; ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. Et nihilominus pro potiori cautelâ, conceſſiones, & indulta, omniaq; alia, & ſingula in eiſdem litteris cõtenta Prioribus, & Conuentibus præfatis eâdem auctoritate Apoſtolicâ de nouo; Quodq; Caſulas, Dalmaticas, Stolas, Manipulos, & alia quæcunque ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum Diuinum, pro dictis Monaſterijs, & eorum Grangijs neceſſaria benedicere; necnon Monachi præfati à quibuſcunque Catholicis Antiſtibus, vel Archiepiſcopis, vt præfertur ad dicta Monaſteria pro tempore ex quãuis causâ declinantibus ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines aliquibus diebus Dominicis, vel Feſtiuis (etiam extra tempora à iura ſtatuta) ſe promoueri facere; eiſdemque Antiſtibus, vel Archiepiſcopis, vt Monachos huiuſmodi, vt præfertur promouere liberè, & licitè valeant eiſdem auctoritate, & tenore, licentiam, & facultatem concedimus, eiſq; pariter indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum ſtatutis, & conſuetudinibus iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quãuis aliâ firmitate roboratis; necnon omnibus illis, quæ dictus prædeceſſor in dictis ſuis litteris voluit non obſtare, cęteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſuppletionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

## CONSTITVTIO CVII.

### SVMMARIVM.

*1495. Februarij. 10.*

## ALEXANDER PAPA VI.

*Monachis Monaſteriorum Sublacenſis, Specus, & Farfenſis Miſſam ante diem celebrare; Sacrumque Presbyteratus, Ordinem anno ætatis vigeſimo tertio ſuſcipere poſſe, concedit.*

*Ex Arch. Sublacen.*

ALEXANDER Papa VI. Dilectis filijs Priori, & Conuentui Sublacenſis, Specus, & Farfenſis Monaſteriorum inuicem vnitorum, Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœceſis. Dilecti filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi Nobis feciſtis, quod cum ſæpè contingat vos pro negotijs veſtrorum Monaſteriorum longa itinera facere, deſideratis Miſſas ante diem aliquando celebrare, vt expeditiores ad iter ſitis; Quodque in Monaſterijs veſtris aliqui Monachi profeſſi exiſtunt minores vigintiquinque annorum, idonei tamen ad Presbyteratus Ordinem ſuſcipiendum, qui ſi vigeſimo tertio eorum ętatis anno promoueri poſſent, decori, & commodo eorundem Monaſteriorũ, ac incremẽto Diuini cultus oportunè cõſuleretur. Nos igitur, qui cõmodis, & oportunitatibus dictorũ Monaſteriorũ quantũ cum Deo licet, libenter conſulimus; veſtris in hâc parte ſupplicationibus inclinati; Vt Monachi eorundẽ Monaſteriorũ in Sacerdotio cõſtituti, quamdiu iter fecerint, & qualitas negotiorum id exegerit, Miſſas ante diem, circa tamen diurnam lucem licitè celebrare; Vtque alij, qui vigeſimum quintum annum nondum attigerint: ſi in Ordine Diaconatus cõſtituti: ac idonei, & ſufficientes, ad Presbyteratus Ordinem huiuſmodi, aliâs tamen ritè promoueri: & poſtquam promoti fuerint, miniſtrare liberè valeant Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium, concedimus, pariter, & indulgemus.

mus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis,& consuetudinibus,cœterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Februarij 1495. Pontificatus Nostri, Anno tertio.

## CONSTITVTIO CVIII.

### SVMMARIVM.

1496. Apr. 22.

## ALEXANDER PAPA VI.

*Confessionalia quæcumque Monachis Congregationis S. Iustinæ de Paduâ non vult suffragari, nisi seruatâ formâ præsentis Constitutionis.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Digna exauditione vota personarum præsertim sub suaui Religionis iugo degentium, Apostolico Nos conuenit fauore prosequi, prout personarum earumdem, animarum saluti conspicimus in Domino salubritèr expedire. Sanè pro parte Dilectorum filiorum Præsidentis, & Visitatorum Monachorum Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Iustinæ Paduanæ Nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod Monachi dictæ Congregationis pro tempore existentes, iuxta decretum Viennen. Concilij, quolibet mense eorum peccata confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum recipere obligantur; Quare pro parte Presidentis, & Visitatorum prædictorum, nè Monachi præfati, prętextu concessionum, quæ à Sede Apostolicâ tam pro singularibus personis, quam Confratribus nonnullarum Confratriarum super electione Confessoris, qui eligentur, vt confessiones audiant, & eis de absolutionis beneficio prouideant, hactenus emanarunt, & quas emanare contigerit infuturum, occasionem assumant contra laudabiles ritus, ac mores seruari solitos in huiusmodi confessionibus per Monachos Congregationis prædictæ, qui ad illius consecutionem plurimum conferunt veniendi; Nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis in præmissis, opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur qui ad ea, per quæ in Monasterijs, & alijs Regularibus locis personæ sub Regulari Obedientiâ degentes, regularibus institutis subiaceant libenter intendimus; huiusmodi supplicationibus inclinati volumus, & ordinamus, quod de cœtero perpetuis futuris temporibus, Abbates, & alij Prælati Monasteriorum, Monachi, & Conuersi, ac Nouitij, & Commissi dictæ Congregationis, qui nunc sunt, & prò tempore erunt, prætextu concessionum, quas viuę uocis oraculo dumtaxat, aut in scriptis à Sede Apostolicâ prædictâ, vel eius Legatis in posterum obtinerent, seu eorum incorporatione, & descriptione in numerò confratrum, Confratriæ Hospitalis Nostri S. Spiritus in Saxiâ de Vrbe Ordinis S. Augustini, aut alterius cuiuscumq;, quæ fieret in futurum; ita demum quò ad Confessoris electionem, & obtinendum ab eo absolutionis beneficium dumtaxat se iuuare possint; si in huiusmodi incorporationum, & descriptionum impetratione Præsidentis pro tempore dictæ Congregationis, & Confessoris quem elegerint prò tempore electionis, Prælati tunc temporis Monasterij, seu alterius loci eorum, tunc residentię, expressus accesserit assensus, & Confessor sic electus de dictis Monachis dictę Congregationis fuerit; vel sine consensu prædicto ad Priorem Claustralem, seù Decanos dicti loci ad audiendum Confessiones Monachorum deputatos recursum habuerint, & non aliàs, nec alio modo. Illi verò, qui huiusmodi concessiones, incorporationes, & descriptiones vsque modo obtinuissent, & aliquando illis semel vsi fuissent, & qui illis vsi non fuissent infrà mensem à die scientię præsentium, pari modo in futurum vti possint, eligendo quem voluerint de Monachis dictæ Congregationis in Presbyteratus ordine constitutis; Prælati Monasterij in quò pro tempore residebût ad id expresso accedente consensu; & sine huiusmodi consensu Priorem Claustralem, seù Decanos Monasterij prædicti, in quò tunc fuerint, totiens, quotiens voluerint, eligere licitè possint, & valeant, & non aliàs, nec alio modo; possint tamen, & valeant priuilegijs, gratijs, & concessionibus prædictis, quo ad reliqua in eis contenta liberè vti, potiri, & gaudere, ac in prædicta dicti Hospitalis, & quàuis aliâ Confratriâ, in quâ Ecclesiasticæ Personæ recipiuntur, consentiente Presidente prædicto, & non aliàs, illarum Confratriarum numero incorporari, & dictâ electione Confessoris, vt prefertur, etiam vti, & gaudere auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, statuimus, ordinamus; & præfatis Abbatibus, Monachis, & Conuersis, & Nouitijs, & Commissis, qui nunc sunt, & prò tempore erunt dictæ Congregationis, perpetuis futuris temporibus; nè huiusmodi concessiones, & incorporationes quærere, & illis etiam vsque modo quęsitis, & obtentis, & quas etiam cùm consensu prædicto eos obtinere contigerit in futurum, quò ad electionem Confessoris aliter, quam, vt præmittitur vti, quomodolibet præsumāt sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipso incurrant, eâdem auctoritate districtiùs inhibemus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, ordinationis, statuti, & inhibitionis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1496. Decimo Calendas Maij, Pontificatus Nostri Anno quarto. Io: Lilius.

## CONSTITVTIO CIX.

### SVMMARIVM.

1498. Apr. 10.

## ALEXANDER PAPA VI.

1 *Monasterij S. Petri de Perusio bona quæcumque à Commune Perusii in Catastro descripta præsentia, & futura, tàm ab intestato, quàm ex testamento, vel Legatis, fideicommissis, donationibus, emptionibus, permutationibus, vel quocumque alio titulo aquisita, in eodem, vel alio territorio, ab Impositionibus, Gabellis, & oneribus quibuscumque eximit.*

2 Le-

2 *Legato, Locumtenenti, Gubernatori, Ordinario Perusiæ huiusmodi constitutionis obseruationem committit.*

3 *Communitati eiusdem Ciuitatis sub pœnà excommunicationis præcipit, huiusmodi bona exempta manutenere.*

4 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin. lib. O. fol. 588.*

ALEXANDER Papa VI. Dilectis filijs Abbati, & Monachis Monasterij S. Petri de Perusiâ. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper Nobis exponi fecistis, quod licet de iure, ac varijs diuersorum Nostrorum prædecessorum Romanorum Pontificum priuilegijs, gratijs, & indultis, bona quæcunque immobilia iuris Monasteriorum, locorum, & membrorum vestræ Congregationis S. Iustinę de Paduâ sint ab omnibus oneribus, taleis, collectis, datijs, & impositis, alijsque grauaminibus libera prorsus, & exempta; tamen quia Dilecti filij, Communitas Ciuium Perusinorum, omnia territorij sui bona immobilia in certo eorum nouo Catastro nuper descripsisse dicuntur; timetis, nè bona huiusmodi in dicto territorio existentia, ad dictum Monasterium specialitèr pertinentia, tempore procedente, indebitè grauentur. Propterea Nobis humiliter supplicari fecistis, vt priuilegiorum, exemptionum, ac iurium vestrorum huiusmodi conseruationi, & indemnitati vestræ, de remedio
1 prouidere dignaremur oportuno. 1 Quare supplicationibus vestris inclinati decernimus per præsentes; Quod bona quæcumque immobilia iuris locorum, & membrorum quorumcunque ipsius Monasterij præsentia, & futura, & tàm ab intestato, quàm ex testamento, necnon legatis, fideicommissis, donationibus, & quibusuis alijs iuxtis titulis acquisita, & acquirenda, in quibuscunque dicti, vel alterius territorij locis sint, & esse reperiantur, ab omnibus, & singulis grauaminibus, Datijs, Taleis, Gabellis, Collectis, Impositionibus, & quibusuis aliis nominibus nuncupentur Oneribus, libera prorsus, & exempta
2 sint. 2 Committentes, tàm Legato, quàm Locumtenenti, & Gubernatori pro tempore Perusinis, quã omnibus aliis Nostris, & Sedis Apostolicæ Legatis, ac Ordinarijs, & Locumtenentibus eorundem, & cuilibet eorum, vt præmissa priuilegia vestra, & exemptiones sub pœnis, & censuris Ecclesiasticis, & omnibus alijs iuris remedijs, omni appellatione re-
3 motà obseruari faciant, & mandent cum effectu. 3 Mandantes insuper Communitati, & Ciuibus præsentibus, & futuris, etiam sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, & censuris prædictis, nè contra formam priuilegiorum, & exemptionum vobis, vt præmittitur, concessorum huiusmodi, aliquid attentare præsumant; Irritum quoque, & inane decernentes, quicquid secùs super his à quoquam at-
4 temptatum fuerit, seu contigerit attemptari. 4 Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoque, priuilegijs, & indultis Communitati, & Ciuibus concessis, & concedendis, iuramento, Apostolicâ, & quâcunque aliâ authoritate roboratis; cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decimâ Aprilis, Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo, Pontificatus Nostri Anno sexto. L. Podocatharus.



## CONSTITVTIO CX.

### SVMMARIVM.

1501. April. 1.

### ALEXANDER PAPA VI.

1 *Congregationem S. Iustinæ sub Regulà S. Benedicti esse asserit, eiusque Priuilegia, confirmat.*

2 *Congregationis prædictæ Monasteria, vnum Congregationis Corpus efficere.*

3 *Capitulum Generale ab eàdem Congregatione quotannis celebrandum. Nec locum pro dicto Capitulo electum immutandum, absque Præsidentis, & maioris partis Visitatorum assensu.*

4 *Definitores nouem ab eodem Capitulo electos, vniuersam Congregationem repræsentantes, facultatem habere statuendi, ordinandi, declarandi, corrigendi, & interpretandi, etiam circa Diuini Officij directionem, absque ipsius Regulæ S. Benedicti variatione substantiæ.*

5 *Definitoribus prædictis, eorumque Decretis obediendum ab Abbatibus, Monachis, & vniuersis de dictà Congregatione.*

6 *Abbatum, & Priorum electionem pro Monasterijs vacantibus, & destitutionem, absque alicuius causæ cognitione ad eosdem Definitores spectare.*

7 *Visitatorum deputationem ab eisdem Definitoribus faciendam.*

8 *Visitatorum eorundem vnum, Præsidentis vicem, nomen, & administrationem eiusdem Congregationis per annum, vsque ad futurum Capitulum, cum alijs Visitatoribus, habere.*

9 *Locum futuri Capituli, postquam electus, & acceptatus fuerit, non licere immutare, absque Præsidentis, & maioris partis Visitatorum assensu.*

10 *Visitatoribus eisdem ab Abbatibus, & Monachis obedientiam præstandam esse.*

11 *Nouitios ad Professionem admittere non licere, nisi duarum partium Monachorum eiusdem Conuentus assensu.*

12 *Monachos ab vno ad aliud Monasterium dictæ Congregationis mutatos, seu deputatos, in actibus, & negotijs etiam Capitularibus, & obedientijs, tanquam eiusdem loci Professos censeri.*

13 *Monasteria eiusdem Congregationis singula inuicem subiecta non fore.*

14 *Monasteriorum de nouo venientium vniones à Congregatione prædicta receptas, & dispositas, & in formam publicam redactas, Apostolicæ confirmationis robore, eo ipso, absque aliâ declaratione esse suffultas.*

15 *Abbatum, & Priorum electiones à Capitulo Generali factas, à Sede Apostolicà confirmatas esse censeri.*

16 *Mensæ Abbatialis, quæ quintà redditunm parte consistebat, abolitio facta per Eugenium IV. confirmatur.*

17 *Abbates, & Priores à Congregatione electos, facultatem habere sua Monasteria in spiritualibus, & temporalibus, iuxtà Sancti Benedicti Regulam, & eiusdem Congregationis Constitutiones, administrandi.*

18 *Absolutionem à Censuris, etiam ijs, qui per annum in eisdem insorduerint, ad effectum præsentium litterarum dumtaxat consequendum, indulget.*

19 *Vniones Monasteriorum, & Beneficiorum, eorumque constitutiones, & ordinationes, exemptiones, & immunitates, tam toti Congregationi, quàm singulis Monasterijs, confirmat.*

20 *Dubia in Priuilegijs dictæ Congregationis, & Monasteriorum emergentia, ad fauorem dictæ Congregationis, & Monasteriorum esse interpretanda, decernit.*

21 *Particularia singulorum Monasteriorum Priuilegia ad Congregationem, & Monasteria particularia extendit.*

22 *Pacta quæcunque, etiam exorbitantia, & à iure prohibita, tam pro Monasteriorum, & Beneficiorum vnione, quàm etiam super eorumdem fructibus à Congregatione prædictà contracta, seu contrahenda, licita, & valida fore, ac etiam Apostolicà confirmatione vallata, decernit. Reuocando quascunque concessiones, & collationes de dictis Monasterijs, & Beneficijs per Summos Pontifices vigore huiusmodi pactorum, tamquam Simoniacorum factas, & faciendas.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. I. Capsſ. 2. nu. 27.*

ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter cæteros Religionis Monasticæ Professores, quibus velut rutilantibus gemmis Militans decoratur Ecclesia, Dilectos Filios Monachos Congregationis S. Iustinæ de Paduâ Ordinis S. Benedicti, qui vitæ munditia, & charitatis eximiæ feruore, ac continentiæ cingulo lumbos accincti, mortui mundo, & Domino viuentes, Militantem Ecclesiam alijs pluribus eorum virtutum donis illustrant, specialis dile-
1 ctionis prærogatiuâ prosequimur. 1 Vnde ijs, quæ pro eorum felici successu, ad Dei laudem, & Religionis propagationem, prouidâ consideratione ordinata, & concessa fore noscuntur, Apostolici muniminis libenter adijcimus firmitatem; vt eò firmiùs illibata persistant, quo magis fuerint Apostolicæ Sedis præsidio, circumfulta; Nostræ etiam declarationis oraculo ea declarantes, prout in Domino con-
2 spicimus salubriter expedire. 2 Dudum si quidem fel. rec. Eugenius Papa Quartus prędecessor Noster, attendens, quod piæ mem. Martinus Papa Quintus, etiam prædecessor Noster, nonnulla eisdem Monachis præfatę Congregationis S. Iustinæ contulerat Priuilegia, quæ non vsque adeo ad pleniorem eiusdem Congregationis soliditatem, augumentumve erant sufficientia; idcirco idem Eugenius prędecessor, propter dictorum Monachorum laudabilem vitam, & exemplares mores, sibi, etiam antequam ad Summi Apostolatus apicem assumeretur, cognitos; præfati Martini prædecessoris vestigijs inhærendo, atque vbi opportunum fuerat, nonnulla innouando, & adijciendo; motu proprio, auctoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ, necnon irrefragabili, præcipuâque Constitutione sanciuit, & statuit, voluit pariter, & ordinauit; Quod omnes, & singuli dictæ Congregationis Ordinem ipsum professi, tunc præsentes, & futuri, quamuis in diuersis pro tempore Monasterijs, seu locis morarentur, Vnum tamen Corpus, & vna Congregatio existerent; Quam quidem Congregationem, auctoritate, & scientiâ similibus approbauit, & vt Christi fidelibus in reuerentiâ, & deuotione haberetur eam sub Ordine, & Regulâ S. Benedicti esse declarauit, atque
3 constituit. 3 Quodq; pro eorum salubriori statu in loco ad id congruo Generale, iuxta laudabilem, quæ de super dudùm viguerat consuetudinem, Capitulum per eos singulis annis celebraretur, nec illud postquam inchoatum foret, donec pro alio futuro celebrando Capitulo similis locus electus, & acce-
4 ptatus existeret, quomodolibet dissolueretur. 4 In quoquidem Capitulo Nouem ex illis, qui in illo vocem habere poterant eligerentur Definitores, qui sic electi, totum Capitulum præfatum repræsentantes, pro salubri dictæ Congregationis successu, statuta, Constitutiones, & Ordinationes, ac omnia, & singula, quę in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis in re, vel ad rem certam, vel incertam, & quantum ius quæsitum, & ordinationes ac omnia & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis ac præfatæ Regulæ statum, obseruantiam, & indemnitatem, nec non circa Diuini Officij directionem, & ordinationem, absque tamen ipsius Regulæ variatione substantiæ, vel effectus, interpretationem, seu declarationem, quomodolibet cōcernere poterant, auctoritate prędictâ instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, nec non ea, quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata forēt, in toto, vel in parte, prout rerum, & temporum qualitates exigerent, amouendi, alterandi, & in melius commutandi plenam,
5 & liberam in omnibus haberent facultatem. 5 Quorum Definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus definitionibus, & correctionibus, singuli de Congregatione huiusmodi, cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, siue conditionis existerent,
6 in omnibus efficaciter parère tenerentur. 6 Volens atq; statuentes, quod huiusmodi Definitores de præfatis Monasterijs, & locis, ac corū bonis liberè disponere; necnon ex ipsis Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos iudicarent in Abbates, & Priores vacantium pro tempore Monasteriorum, ac Prioratuum huiusmodi, aliàs iuxta dictæ Congregationis constitutiones, ordinationes, & statuta, eligere, seu nominare, necnon ad beneplacitum eorum taliter electos, seu nominatos, absq; aliquâ causæ cognitione, à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præessent, & quæ tunc propterea vacare censerētur, absoluere, & amouere; ac etiam omnia, & singula, quæ in præmissis omnibus, & circa ea, quomodolibet necessaria, & opportuna forent, facere, & exequi
7 liberè, & licitè possent, & valerent. 7 Et nè post dissolutionem huiusmodi Capituli prædicta Congregatio regiminis solario destituta remaneret,
8 Quinque, vel plures, prout Definitoribus ipsis visum foret, Visitatores deputarentur. 8 Quorum vnus iuxta ipsorum Definitorum dispositionem, Præsidentis, vicem nomenq; susciperet, & ad eum, secundum huiusmodi decreta Capituli, singula prædictę Congregationis negocia deferrentur, ipsiq; Præsidens, & Visitatores omnia, & singula facerent, disponerent, & exequerentur, super quibus ab huius-

modi Capitulo muniti potestate forent, vel quæ ab
eo recepissent in commissis, aut aliàs, iuxta eorum
Constitutiones, & statuta; quorum Officia vsq; ad
sequens, anno proximè futuro, tunc celebrandum
9 huiusmodi Congregationis Capitulum duraret. 9
Locus autem Capituli præfati, postquam electus, &
acceptatus foret, absq; rationabili causà, de Præsi-
dentis quoq; necnon maioris partis Visitatorum eo-
10 rundem assensu, nullatenus immutaretur. 10 Ac
quod omnes, & singuli tunc præsentes, & futuri di-
ctæ Congregationis Prælati, necnon Monachi, Con-
uersi, & Commissi, sub præfatorum Visitatorum, &
consequenter illorum Prælatorum, in quorum
Monasterijs, siue locis ipsi Monachi, Conuersi, &
Commissi morarētur obedientijs sisterent, eas hinc
11 inde, prout decens foret, impensuri. 11 Et insuper
nè facilitate præcipiti Religionis iugum, quis ac-
ceptaret, nullus ex Monasteriorum, siue loco-
rum huiusmodi Prælatis, absque deliberatione
maturâ, necnon duarum partium sui Conuentus
assensu quempiam in Monachum, seu Conuersum
Monasterij sui, siue loci, cui præesset quomodolibet
ad professionem reciperet; aliter verò inibi recepto,
nisi postea prædictus accederet assensus stare, vel
12 morari ibidem esset penitùs interdictum. 12 Et vt
cuilibet materia turbationis adempta personæ Con-
gregationis huiusmodi quietiùs possent Altissimo
famulare, omnes, & singuli, quos de prioribus, in
quibus professi forent Monasteriis, & locis ad alia,
tunc præsentia, & futura dictæ Congregationis Mo-
nasteria, siue loca, iuxta ordinationem Capituli hu-
iusmodi transferri contingeret, aut aliàs pro Con-
uentualibus quomodolibet deputari; ex tunc ab ipsis
prioribus Monasteriis, atq; locis realitèr absoluti
essent, & Monasteriorum, & locorum prædictorum,
quandiù starent ibidem, Monachi, & suppositi repu-
tarentur, & pro Conuentualibus inibi haberentur in
actibus, & negotiis Capitularibus; ac si ibidem pro-
13 fessi forent. 13 Ac nè præmissorum occasione
Monasteriis, & locis Congregationis huiusmodi, vel
eorum alicui detractum fore quomodolibet existi-
maretur; omnia Monasteria, & loca prædicta, nec
non illorum Prælati, atq; Personæ quibuslibet eis à
Sede Apostolicà, vel aliàs qualitercumq; concessis,
de iure, seu consuetudine quomodolibet debitis, iu-
ribus, præeminentiis, & dignitatibus, inconcussè
gauderent, & vterentur; dummodò illa præmissis, &
alijs huiusmodi Congregationis, ordinationibus, &
institutis non obsisterent; nec propterea ex Monaste-
riis ipsis vnū reputaretur alteri subiectum; sed eis in
suâ libertate manentibus, illa vicissitudinis admini-
culo coniuncta sub felici Congregationis Regimi-
ne, conformi Regularis Obseruantiæ gressu, sibi in-
14 uicem suffragarentur. 14 Adiecit etiam idem Eu-
genius prædecessor, quod quotiescumq; Prelatus ali-
quis qui Monasterio præesset ad eiusdem Congrega-
tionis obseruantiam reducere, & sub illâ reformare
eligeret; iuxta statuta, decreta, nec non ordinationes
Congregationis huiusmodi, prout congruentiùs
posset ipsam reformationem faceret, eiusque desu-
per acta, & conuentiones, de Congregationis eiusdem
consensu, vel illorum, quos ad id deputarent, in for-
mam publicam redacta forent, eo ipso confirma-
15 tionis Apostolicę essēt robore suffulti. 15 Et quia di-
ctus prædecessor, prædictæ Congregationi concesse-
rat, quod vacantibus Monasteriis, quæ tunc erant
dictæ Congregationis electiones ritè, & canonicè
celebratæ à duabus partibus, eligentium Auctorita-
te Apostolicâ confirmatæ ipso facto censerentur.
16 16 Quodq; de omnibus redditibus Monasteriorum
præfatorum, quinta pars, pro decenti sustentatione
Prælatorum deputaretur, aliæ vero quatuor partes
per Cellerarios absq; contradictione Prælatorum in
Monachorum, & Conuentuum vtilitates dispensa-
rentur; Idem Eugenius prædecessor attendens, quod
huiusmodi ordinationes, & decreta non ad conser-
uationem, & augumentum dictæ Congregationis;
sed ad eius dispendium maximum, cedebant, &
detrimentum, omnia, & singula statuta, ordinatio-
nes, & decreta electionum, & redditiuum diuisiones
17 huiusmodi reuocauit pariter, & annullauit. 17
Volens, & statuens, quod electiones Abbatum, &
Priorum ad dictæ Congregationis Capitulum ge-
nerale, aut Præsidentem, & Visitatores, iuxtà con-
cessam eis, vt præmittitur facultatem, ac eorum
constitutiones, & statuta continerent; quibus taliter
electis, iuxta Regulam B. Benedicti, & eorum Con-
stitutiones, Monasteria ipsa, siue loca, & bona, tàm
in spiritualibus, quàm in temporalibus regendi, &
gubernandi libera, & licita esset facultas, prout in
litteris dicti Eugenii Prædecessoris desuper confe-
18 ctis plenius continetur. 18 Nos igitur, qui dudum
inter alia statuimus, & ordinauimus generalē abso-
lutionem à Censuris Ecclesiasticis quibus personæ,
pro quibus litteræ Apostolicæ emanarent, ligatæ fo-
rent, ad effectum litterarum earumdem indifferen-
ter concedi, & in litteris Apostolicis apponi solitam
non suffragari, non parentibus rei iudicatæ, qui
propterea, aut in certis casibus tunc expressis à iure,
vel ab homine per quatuor menses scienter excom-
municationis huiusmodi sententiam substinerent, &
generaliter quibuscumq; aliis, qui censuris aliqui-
bus, etiam aliàs, quàm vt præmittitur quomodoli-
bet ligati in illis per annum continuò insorduissent.
Quiq; iam dictam Congregationem, & illius Mona-
chos, propter eorum exemplarem vitam, compro-
batosq; mores, ac vitæ sanctimoniam non minori
dilectione, quàm ipse Eugenius prædecessor, dum
viueret faciebat, prosequimur; volentes quieti, &
paci Congregationis prædictæ, ac aliis pro tempore
Præsidentium, & Definitorum, ac singularum per-
sonarum paci, & quieti opportunè prouidere, ac
Præsidentes Definitores, Monachos, & singulos ex
Congregatione huiusmodi à quibuscumq; excom-
municationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ec-
clesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis à iure, vel
ab homine quàuis occasione, vel causâ latis, si qui-
bus quomodolibet, etiam ex causis prædictis inno-
dati existunt, & in illis vltra annum insorduerint,
seu insorduisse dicerentur, ad effectum præsentium
dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes,
19 & absolutos fore censentes; 19 Ac omnia, & sin-
gula Monasteria, tàm dictæ Congregationi, quàm
Beneficia Monasterijs eiusdem Congregationis vni-
ta, annexa, & incorporata, necnon quæcumq; alia
priuilegia immunitates, & indulta dictæ Congrega-
tioni concessa illorumq; ac vnionum, & annexio-
num, & incorporationum prædictarum tenores, &
formas, ac si de verbo ad verbum insererentur, &
exprimerentur præsentibus pro expressis haben-
tes etiam eiusdem prædecessoris Eugenij vestigijs
inherendo; Motu simili, non ad Præsidentis, aut Visi-
tatorum, vel Congregationis prædictorum, vel ali-
cuius alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ peti-
tionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, &
deliberatione, ex certâ scientiâ, & de Apostolicæ po-
testatis plenitudine, litteras Eugenij prædecessoris
huiusmodi, ac prædicta, & alia in eis contenta quæ-
cumque, nec non ordinationes consuetudines, qui-
bus ipsa Congregatio regitur, & gubernatur, ac
omnia,

omnia, & singula alia priuilegia, indulta, exemptiones, & immunitates, tàm eidem Congregationi, quàm quibusuis particularibus Monasterijs eiusdem Congregationis per Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & Sedem prædictam, aut aliàs quomodolibet concessa, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, ac perpetuæ firmitati robur obtinere debere, decernimus.
20 20 Declarantes etiam motu, scientiâ, auctoritate, & potestate prædictis, ac volentes, quicquid Dubij in dictis Priuilegijs, seu aliquo eorum pro tempore emerserit, datâ verborum ambiguitate, & variâ peritorum interpretatione, in fauorem dictæ Congregationis, & locorum particularium eius interpretari debere.
21 21 Ac cuiusuis particularis Monasterij priuilegia, toti Congregationi, & eius particularibus Monasterijs esse communia, & ad illa ea extendi, prout etiam extendimus per præsentes, quando ipsa priuilegia alijs Monasterijs, & locis dictæ Congregationis adaptari, & conuenire possunt.
22 22 Ac etiam Præsidentem, Definitores, & Congregationem prædictos, quæcumque Monasteria, & alia Beneficia, quæ vigore dictarum litterarum Eugenij prædecessoris hactenus receperunt, seu sub quouis alio vigore, modo, & formâ, etiam cum conuentionibus, & pactis super retentione bonorum, seu fructuum concessorum, aut partis eorum dictorum Monasteriorum, seu bonorum eidem Congregationi, seu alicui Monasterio particulari eiusdem Congregationis, cum dictis cedentibus factis, & habitis, licitè retinuisse, & retinere, & huiusmodi conuentiones, & pacta obseruare potuisse, & debere, & non solum huiusmodi sed omnia alia pacta, cuiuscumque conditionis, qualitatis, & modi, tam exorbitantia, quàm à iure prohibita, & insolita, & quæ necessariâ, & speciali approbatione Apostolicâ egerent, quæ tamen aliàs robore Apostolicæ confirmationis munita, licita, & honesta forent, motu, scientiâ, potestate, auctoritate, & tenore præmissis approbamus similiter, & confirmamus, ac sub priuilegio Eugenij prædecessoris huiusmodi contineri debere declaramus; supplentes omnes, & singulos defectus, tam iuris, quam facti, si qui forsan, & ex quacumque causâ interuenerint in eisdem; reuocantes, & annullantes, ac pro non concessis, & infectis habentes etiam quascumque impetrationes, seu etiam motu, & scientiâ ac potestate prædictis, concessiones de dictis Monasterijs, Prioratibus, & Beneficijs prætextu conuentionum, & pactorum huiusmodi, tamquam Simoniacorum, per quoscumque, cuiuscumque conditionis, etiam Cardinalatus honore fulgentes, quorum nomina, cognomina, & qualitates, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, à Nobis, vel à Sede prædictâ factas, siue concessas, tamquàm emanatas preter, & contra mentem, & intentionem Nostram; cum intentionis prædicti Eugenij prædecessoris, & Nostræ fuerit, & sit, quod præfatis Præsidenti, & Definitoribus, ac prædictæ Congregationis deputatis licuerit, & liceat in vnionibus, annexionibus, ac reformationibus, seu receptionibus aliorum Monasteriorum, seu Beneficiorum pro dictâ Congregatione facere conuentiones, & pacta cum Prælatis, & personis Monasteria, & Beneficia sua dictæ Congregationi, seu alicui particulari Monasterio vnire, seu concedere volentibus, quæ illicita, & quando carerent Apostolicâ confirmatione, expressè prohibita apparerent. Declarantes etiam, vigore huiusmodi concessionum, seu impetrationum, propter huiusmodi pacta, conuentiones, & modos, ac



quoscumque alios defectus, si qui forsan interuenissent in huiusmodi vnionibus, & reformationibus cuiuscumque generis, & qualitatis existerent, resultantibus, per nos hactenus, occasione huiusmodi pactorum in fauorem cuiusuis de Monasterijs dictæ Congregationis, etiamsi dignitate Cardinalatus fulgeret factarum, non fuisse, nec esse ius quæsitum in re, vel ad rem certam, vel incertam; & quatenus ius quæsitum foret, seu fuisse prętenderetur; ex nunc illos dicto iure, de plenitudine potęstatis Nostræ, quâm in beneficialius obtinemus, priuamus; illisque simili motu mandamus sub penâ excõmunicationis latæ sententiæ, quod tale prætensum ius, in iudicio, vel extra allegare non præsumant, nec super eo aliquam gratiam à Sede prædictâ impetrare. Non obstantibus statuto, & ordinatione Nostris præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis, & ordinis præfatorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, constitutionis, declarationis, voluntatis, extensionis, confirmationis, suppletionis, reuocationis, annullationis, priuationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo primo, Calend. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Nono.

## CONSTITVTIO CXI.

SVMMARIVM.

1501. Mart. 15.

## ALEXANDER PAPA VI.

*Litteras Sixti Papæ IV. quod Monachi Casinenses non possint cogi ad Monasteria Monialium, sub eiusdem Congregationis curâ suscipienda, absque Sedis Apostolicæ speciali præcepto, confirmat.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padol. Arm. I. Capf. I. n. 36.*

ALEXANDER Papa VI. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis fecistis, quod olim postquam felicis recordationis Sixtus Papa IV. prædecessor Noster, pluriès victus præcibus, & importunitate petentium, vobis imposuerat, vt curam aliquorum Monasteriorum Monialium susciperetis, eisque Ecclesiastica Sacramenta ministraretis, & aliqua ex prefatis Monasterijs, illa à iurisdictione Ordinariâ eximendo, vobis submiserat, vt eis liberiùs attendere possetis; ac pro parte vestrâ eidem Prædecessori expositum fuerat, quod cura earundem Monialium vestræ Regulæ præcipienti, vos in claustro residere, non conueniebat, neque augmento, & conseruationi vestræ Congregationis conducebat, quin potius causa eius destructionis esse poterat. Idem Prædecessor statuit, & ordinauit, quod Monachi ipsius Congregationis pro tempore existentes, ad curam aliquarum Monialium, modo aliquo suscipiendam per litteras Apostolicas, aut in forma Breuis, aut sub

plumbea tunc editas, vel in posterum edendas cuiuscunque tenoris existerent, & sub quibusuis clausulis, & censuris confectæ forent cogi non possent, nisi solum, & dumtaxat Romanus Pontifex, qui pro tempore esset, ore proprio eis præciperet, vt curam huiusmodi suscipere deberent, prout in litteris ipsius Prædecessoris in formâ Breuis desuper editis, pleniùs asseritis contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, vos desideretis litteras prædictas pro illarum subsistentia firmiori, Apostolicâ auctoritate confirmari; Nos vestris in hâc parte supplicationibus inclinati, litteras Prædecessoris præfati, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium innouamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus litteris, quibusuis Monialibus, per Nos, aut alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros concessis, aut in posterum concedendis, quibus quoad hoc specialiter, & expresè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martij 1402. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

## CONSTITVTIO CXII.

### SVMMARIVM.

1502. Aug.

### LVDOVICVS XII. REX GALLIARVM.

*Confirmat Exemptiones, & Immunitates Monasteriorum Sancti Saluatoris, & S. Spiritus Papien. Congregationis Casinensis.*

*Ex Arch. S. Saluatoris Papien.*

LVDOVICVS Dei gratia Francorum, & Neapolis Rex, & Dux Mediolani. Notum facimus vniuersis, præsentibus, & futuris: Quod nos pia consideratione pensantes. Quod in pace factus est locus Domini; dignum, & laudabile censemus, vt cultus eius sit eorum debitâ veneratione pacificus, & quietus. Vnde iustum conspicimus, vt Ecclesia sua Sancta, personæque bona, & loca Ecclesiastica, præsertim Religiosa, in eorum priuilegijs, & libertatibus confirmentur; adeo quod ipsa Ecclesia in pacis pulchritudine sedeat, & quietâ tranquillitate lætetur: ministrare sui in quiete letantes, & pace, sponsum eius Dominum nostrum Iesum Christum glorificent, eique sanctè, & deuotè seruiant, & tanto se ipsos ad id promptiores exhibeant, quanto per potentiam Regiæ Maiestatis se adiutos nouerint. Hinc est, quod Dilecti, & Fideles oratores nostri Abbates, Priores, & Conuentus Monasterij Sancti Saluatoris, & Priores S. Spiritus Papię, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Iustinæ de Obseruantiâ, ad nos humiliter peruenerunt exponendo, quod ipsis, eorũ que prædecessoribus fuerunt per Prædecessores Nostros concessa, quamplura priuilegia, libertates, Immunitates, & Franchesiæ, quibus temporibus præteritis, ritè, debitè, & iustè vsi, & gauisi fuerunt, & vtuntur de præsenti. Verùm ex eisdem timent turbari, & inquietari, nisi in illis per Nos confirmarentur. Illa propterea à nobis cõfirmari, ratificari, & approbari; & in quantũ opus est de nouo concedi gratiam, & liberalitatem, nostras opportunas concedi, humiliter implorando. Nos verò supplicationi dictorum Abbatis, Prioris, & Conuentus Ordinis, & Congregationis antedictorum benignè annuentes, matura deliberatione certâq; de causâ, ac de potestatis plenitudine, auctoritateq; Regia, dicta Priuilegia, Franchisias, & Libertates, rata, & grata, ratas, & gratas, habentes, laudauimus, approbauimus, & confirmauimus, laudamus, approbamus, & confirmamus, volumusque, & concedimus, vt amodo in futurum ipsi Abbas, Prior, & Conuentus Monasteriorum prædictorum, eorum in dictis Monasterijs successores, dictis Priuilegijs, Franchisijs, & Libertatibus vti, & gaudere valeant, pacificè; eatenus tamen, quatenus temporibus præteritis ritè, debitè, & iustè vsi, & gauisi fuerunt, vtunturque, de præsenti, quâcunque contradictione cessante. Quò circa dilectis, & fidelibus Consiliarijs Nostris, Senatum Nostrũ Mediolani tenentibus, seu qui pro tempore futuro tenebunt, cæterisque Iustitiarijs, & Feudatarijs Nostris, aut eorum loca tenentibus præsentibus, & futuris, ad quos spectat, tenore præsentium committimus, & damus, in mandatis, quatenus præfatos Abbatem, Priorem, & Conuentum, & eorum in hâc parte successores, Nostris præsentibus ratificatione, & gratiâ vti, & gaudere pacificè faciant; in contrarium facta reuocando, & ad statum pristinum reducendo, & debitum. Quod, vt firmum, & stabile perpetuò maneat in futurum, Sigillum Nostrum præsentibus duximus apponendum. Saluo tamen iure Nostro, etiam omnibus quolibet alieno. Datum Papiæ, in mense Augusti, Anno Domini, Millesimo quingentesimo secundo, & Regni Nostri Quinto.

## CONSTITVTIO CXIII.

### SVMMARIVM.

1504. Ianuarij. 13.

*Decretum Sacræ Penitentiariæ Romanæ. Quod Superiores Casinenses sint primarij Iudices, & inspectores infirmitatum Monialium eis subiectarum, ad hoc, vt litteræ, & facultates à dictis Monialibus impetrata, & impetrandæ à dicta Sacra Pœnitentiariâ eis suffragentur, vt licitè ad curandas dictas infirmitates clausuram egredi possint.*

*Ex Arch. SS. Faustini, & Iouitæ Brixien.*

IVLIANVS Dei gratia Episcopus Brictonoriensis. Religiosis Viris Præsidenti Generali, Visitatoribus, nec non vniuersis, & singulis Abbatibus, & Prioribus Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Sanctæ Iustinæ, in Ciuitate Paduæ, & alijs vbilibet constitutorum, tam præsentibus, quam futuris. Salutem in Domino. Oblatæ Nobis nuper pro parte vestrâ petitionis series continebat. Quod licet à paucis diebus citra, & aliàs certa Monialium Monasteriâ, & perpetuam profitentium clausuram, ex dispensatione Apostolicâ, vestræ curæ, dispositioni, & reformationi sint, & fuerint subiecta; tamen nonnullæ Moniales in dictis Monasterijs degentes læuitate, & animi vanitate potius motæ, quàm necessitate, certa ab Apostolicâ Sede, & illius Pœnitentiariæ officio indulta sibi impetrare; vt cum contingat eas aliquibus infirmitatibus vrgeri, aut grauari pro eis curandis, & sanitate recuperanda cum ali-

aliquâ sociâ Moniali, aut Conuersâ, Monasteria prædicta exire, & ad domos parentum, consanguineorum, seu affinium suorum diuertere, ac iuxta Medicorum assertionem balnea naturalia petere posse, & sanitate recuperatâ, ad Monasteria sua reuerti, & obtinere procurant, & procurarunt; adhibito etiam, vt dictis indultis liberiùs vti, & gaudere valeant certorum externorum iudicum præsidio, qui de statu Monasteriorum, & valetudine Monialium nullam ferè certitudinem, vel quasi modicam habent, nullâ exponentium prædictorum seu alicuius eorum habitâ ratione. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, occasione indultorum prædictorum, in dictis Monasterijs eorum Monialium vita turbetur, norma reformationis confundatur, & de iactura personarum, & rerum dictorum Monasteriorum tam intus, quam extra, & graui illorum scandalo formidetur; Et ad similes eneruandos errores supplicari fecerunt humiliter ijdem Præsidens Generalis, Visitatores, Abbates, & Priores eis super hijs per Sedis eiusdem clementiam, de oportuno remedio misericorditèr prouideri. Nos igitur tantis periculis obuiare volentes. Auctoritate Domini Papæ, cuius Pœnitentiariæ officium regimus, & de eius speciali mandato super hoc viuę vocis oraculo nobis facto. Quod semper, & expressè intelligatur, & pro expresso habeatur; Quod esponentes præfati, seu eorum aliqui, qui ad spirituale regimen Monasteriorum prædictorum, seu aliquorum eorundem deputati fuerint, primarium inter iudices locum teneant, sintque inspectores, & discreti prouisores de qualitate, & quantitate ægritudinum dictarum Monialium; & si tantæ, & tales fuerint, vt à iure exire permittantur, illas exire permittant; sin vero minus, & intra septa suorum Monasteriorum, Medicorum possunt habere suffragia; illas sub censuris & alijs condignis pœnis exire prohibeant, decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, indultis prædictis hactenus impetratis, & imposterum impetrandis, etiam cum præsidio dictorum iudicum, sententiâ, & consortio eorum, & alijs in contrarium facientibus quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub sigillo Penitentiarię Idibus Ianuarij Pontificatus Domini Iulij Papæ II. Anno Primo.

## CONSTITVTIO CXIV.

### SVMMARIVM.

1504. Dec. 1.

### IVLIVS PAPA II.

1 *Casinense Monasterium Congregationi S. Iustinæ annectit, & vnit.*

2 *Congregationem prædictam, ob reuerentiam S. Legislatoris Benedicti, cuius corpus in prædicto Casinensi Monasterio asseruatur, Casinensem Congregationem, aliàs S. Iustinæ deinceps nuncupari, decernit.*

3 *Immunitates, & exemptiones Congregationi S. Iustinæ per Summos Pontifices, aliosq; Principes concessas, eidem sub nouo Casinensis Congregationis titulo, confirmat.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusiâ lib. B. fol. 104.*

IVLIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedram pastoralis præeminentiæ dispositione diuinâ, meritis licet insufficientibus confidentes, pio, ac sancto desiderio cupimus efficere, vt Monasteria, & loca Religiosa quæcunque per Nostrę operationis diligentiam, gratiâ quoque cooperante diuinâ salubriter dirigantur, & eis Regularis disciplinæ norma seruetur, cultus Diuinus augeatur, charitas vigeat, humilitas perseueret, & omnis beneuiuendi modus, & causâ æternæ vitæ præmio valeat stabiliri feliciter.
1 1 Sanè Monasterio Casinense ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœcesis, quod Dilectus filius Noster Ioannes S. Mariæ in Dominicâ Diaconus Cardinalis ex concessione, & dispensatione Apostolicâ in commendam nuper obtinebat, Commenda huius, ex eo quod idem Ioannes Cardinalis hodie in manibus Nostris spontè, & liberè cessit, Nosq; cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc eo, quod ante Commendam eamdem vacabat modo vacante. Nos verum, & vltimum supradicti Monasterii vacationis modum, etiam si ex eo quæuis generalis reseruatio, etiam in corpore iuris clausa resultet, præsentibus pro expressis habentes, ad prouisionem super ipsius Monasterij regimine celerem, & felicem, nè Monasterium ipsum longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & solicitis studijs intendentes, post deliberationem, quam desuper cum Fratribus Nostris habuimus diligentem, demum ad Dilectos filios Congregationem Monachorum S. Iustinæ de Paduâ supra dicti Ordinis sub Regulari Obseruantiâ eiusdem Ordinis viuentium direximus oculos Nostræ mentis; sperantes, quod sicut Congregatio ipsa per vniuersam Italiam per incrementa temporum suos palmites dilatauit, sicque vbique virtutum radijs iugiter crescit; si Monasterium ipsum eidem Congregationi perpetuò vniretur, annecteretur, & incorporaretur, vigeretq; in eo Regularis Obseruantia, supra dicti Ordinis, Monasterium ipsum Regulari Obseruantiâ huiusmodi hactenus destitutum, cum tamen Caput omnium Monasteriorum dicti Ordinis existat, & in eo Corpus Sanctissimi Benedicti, multâ cum veneratione conseruetur, exinde votiuæ reformationis susciperet incrementum, & eorundem Monachorum exemplaris vita, Nobis tunc in minoribus constitutis eorum Protectore existentibus nota, & accepta in spiritualibus, & temporalibus speratæ prosperitatis successibus gratularetur; succederetq; in eâ Diuini cultus augmentum, cum incolarum, & habitatorum, ac conuicinorum omnium animarum salute. Quibus omnibus debitâ meditatione pensantes, Monasterium prædictum sic, vt præfertur, vacans, cum illi annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentijs suis, eidem Congregationi per Abbatem temporalem iuxta eiusdem Congregationis laudabiles ritus, & mores, ac Regularia instituta eiusdem Ordinis, & eidem Congregationi per Sedem Apostolicam concessa priuilegia, & indulta, perpetuis futuris temporibus, ad instar aliorum Monasteriorum dicti Ordinis eidem Congregationi vnitorum, annexorum, & incorporatorum, per Præsidentem Congregationis huiusmodi, & Definitores pro tempore existentes deputandum, tenendum, regendum, & gubernandum, de eorundem Fratrum nostrorum Consilio, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium perpetuò

tuò vnimus, annectimus, & incorporamus. Ac volumus, statuimus, & ordinamus, illud de cætero dictæ Congregationis esse, ac iuxta mores, & ritus, & instituta prædicta perpetuò regi, & gubernari debere; liceréque Præsidenti, & Definitoribus, ac Congregationi prefatis per se, vel alium, seu alios regiminis, & administrationis, ac bonorum omnium mobilium, & immobilium dicti Monasterij possessioné vel quasi, propriâ authoritate liberè, apprehendere, ac perpetuò retinere; ac illud vt præfertur regere, & gubernare, cuiusuis licentiâ super hoc minimè requisitâ. Ac illos ex Monachis dicti Monasterij qui sub dictâ obseruantiâ viuere nollent inde amouere, ac ipsis de quæuis alia Monasteria dicti Ordinis, vbi beneuolos inuenerint receptores se transferendi licentiam concedere; eis tamen qui beneficia Ecclesiastica vnde viuere possint non habuerint, quoad vixerint, aut donec dictos beneuolos inuenerint receptores, Monachali portione ex fructibus dicti
2 Monasterij assignare. 2 Necnon Congregationem ipsam propter nomen, & dignitatem Monasterij huiusmodi, quod aliorum Monasteriorum dicti Ordinis Caput est, vt præfertur, de cætero Casinensem Congregationem, aliàs S. Iustinæ nuncupari
3 debere. 3 Omnibus tamen, & singulis priuilegijs, & immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, & indultis hactenus Congregationis S. Iustinæ huiusmodi concessis in suis robore, & firmitate persistentibus, in omnibus, & per omnia, proinde, ac si huiusmodi nominis, ac tituli mutatio, seu variatio facta non esset; & huiusmodi priuilegia à principio sub nomine Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ huiusmodi specialitèr, & expressa, concessa fuissent. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterij, ac Congregationis Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & constitutionibus cæterisque contrarijs quibuscunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secùs super his à quocunque, quâuis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ vnionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatissimorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quarto decimo, Calendis Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CXV.

### SVMMARIVM.

1506.

### IVLIVS PAPA II.

*Annatas Sedi Apostolicæ debitas, & à Congregatione Casinensi non solutas, sed cum Cameralibus litigatas, remittit eidem Congregationi.*

IVlius Papa II. Motu propriò. Cum lis & causa in Camerâ Apostolicâ ad instantiam Procuratoris Fiscalis contra Dilectos Filios Visitatores, & Congregationem Casinensem, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, occasione Annatarum, seu Quindenniorum per eos vigore Monasteriorum eidem Congregationi per Sedem Apostolicam vnitorum, quæ eidem Cameræ debere prætendebantur, & per Nos quondam Bernardino de Ecclesiâ Ciui Saonen. & socijs vendita fuerant, ita quod certa pars pecuniarum, & huiusmodi Quindennijs, aut Vigennijs per Bernardinum, & Socios exigenda, dictæ Cameræ persolui deberet, mota fuerit, & forsan adhuc pendeat indecisa. Nos, qui Visitatores, & Monachos Congregationis huiusmodi paterno amore complectimur; eorum pariter quieti consulere cupientes, causam huiusmodi ratione partis, quomodolibet, ac ex personâ, cuiuscumque debitæ, ad Nos aduocantes, & litem ipsam, sine præiudicio heredum Bernardini, & Sociorum, ac aliorum in præmissis interesse habere prætendentium primitùs extinguentes; totum, & quidquid per Congregationem huiusmodi Cameræ præfatæ debere prætendi posset vsque ad diem venditionis dictarum Annatarum, Bernardino de Ecclesiâ, & Socijs factę, debitarum dumtaxat, remittimus; eosque, ratione dictæ partis eidem Camerę forsan debitę per quoscumque, tam Camerarium, quam Thesaurarium generalem Nostros, ac dictę Camerę Clericos, & Notarios pręsentes, & futuros molestari non posse; ac quidquid per eos, & quoscumque alios, premissorum occasione, contra Congregationem huiusmodi attemptare contingeret, irritum, & inane fore decernimus. Ac Thesaurario, Clericis, & Notarijs predictis, quatenus sub pœnâ interdicti ingressus Ecclesię, ac suspensionis à Diuinis quoad Camerarium, & Thesaurarium; Quo vero ad Clericos, & alios inferiores, sub excomunicationis latę sententię pœnâ, inuiolabiliter obseruari mandamus. Non obstantibus premissis, ac Cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque, Placet, & ita motu proprio mandamus. I.

## CONSTITVTIO CXVI.

### SVMMARIVM.

1510. Apr. 8.

### IVLIVS PAPA II.

*Conuentuales singulorum Monasteriorum ad Capitulum Generale Congregationis Casinensis mittendos, vt sorte eligantur, concedit.*

IVlius Papa II. Dilectis filijs Præsidenti, & Congregationi Casinensi, Ordinis S. Benedicti. Dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis fecistis, quod licet felicis recordationis Eugenius Papa Quartus Prædecessor Noster Congregationi Casinensi, tunc Sanctæ Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti, quod Definitores in Capitulo per dictam Congregationem singulis annis pro tempore celebrando electi, ac totum Capitulum repræsentantes, pro salubri ipsius Congregationis successu, statuta, Constitutiones, & Ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus, Congregationis, & Regulæ vestræ, statum, obseruantiam, & indemnitatem quomodolibet concernere possunt, instituere, ordinare, interpretari, & decla-

declarare, ac per eos pro tempore ordinata, instituta, interpretata, & declarata, in totum, vel in partem amouere, alterare, & commutare possent, licentiam, & facultatem concesserit, & Conuentus Monasteriorum dictæ Congregationis personas, quas cum Prælatis ad Capitulum pro electione Definitorum mittere tenentur, certo modo eligere cõsueuerint. Tamen, quia electio personarum ad Capitulum ire debentium, per ballotas, & nomina Sacerdotum dumtaxat, quos ad id dignos, & idoneos iudicatis; Et (vt quidam alij Religiosi faciunt) vasculis, seu sacculis inclusa per sortem extrahere, & eligere, tamquam fuerit via magis salubris pro ipsius Cõgregationis conseruatione, postmodum cœpistis; intendatisque deinceps eo modo extrahere, & eligere, & pro quiete Monachorum eiusdem Congregationis, cupiatis modum prædictum, per sortem eligendi personas Monasteriorum dictæ Cõgregationis, quæ ad Capitulum celebrandum cũ Prælatis mitti debeat, Apostolicâ auctoritate confirmari. Nos igitur, qui paci, & quieti Religiosorum quorumlibet, quantum cum Deo possumus, libenter consulimus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, modum eligendi personas mittendas ad Capitulum pro electione Definitorum eorundem, per sortem, vt præfertur, fieri cœptum, cum opportunâ defectuum suppletione, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Cap. Ecclesia de Sorte, necnon dictæ Congregationis, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 8. Apr. M.D.X. Pontificatus Nostri, Anno septimo.

## CONSTITVTIO CXVII.

### SVMMARIVM.

*1513. Iulij 22.*

### LEO PAPA X.

1 *Innocentij Papæ VIII. Constitutionem pro Casinensis Cœnobij Monasteriorum, præterquam Consistorialium, Præpositurarum, Prioratuum, & Beneficiorum in Commendam, vel censum concessorum, post obitum detinentium, liberâ recuperatione, & applicatione eidem Cœnobio, confirmat.*

2 *Pensiones super parte, vel totis fructibus dictorum Monasteriorum, Præpositurarũ, Beneficiorum &c. ac etiam super dicti Cœnobij bonis imponi posse ab eodem Monasterio absque Simonia, seu aliquo conscientiæ scrupulo, ad fauorem cedentium dicta Beneficia, vt faciliùs recuperentur, absq; Apostolicæ Sedis noua facultate, concedit.*

3 *Abbates S. Seuerini Neapolitani S. Angeli Caietani, Sanctissimæ Trinitatis Cauensis Apostolicos Commissarios pro prædictorum executione, constituit.*

4 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin. lib. B fol. 129.*

Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ea, quæ per prædecessores suos in fauorem Monasteriorum omnium, præsertim in quibus Ecclesiasticæ personæ sub suauis Religionis iugo Altissimo famulantur, concessæ sunt, approbare, & confirmare, suarumq; litterarum præsidio communire; vt eo firmiores remaneant, quò maiori fuerint munimine roborata, ac etiam de nouo concedere, prout id cognoscit in Dominò salubriter expedire. Dudum si quidem felicis recordationis Innocentio Papa VIII prædecessori Nostro pro parte tunc Abbatis, & Dilectorum filiorum Conuentus Monasterij Casinen. Ordinis S. Benedicti, nullius Diœcesis, exposito, quod nonnulli ex S.R.E. Cardinalibus, ac quidam Ecclesiastici Prælati, ac aliæ Ecclesiasticæ personæ, nonnullas Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, aliaq: Beneficia Ecclesiastica, & membra dicti Monasterij ab ipso Monasterio dependentia, ex commissione, & dispensatione Sedis Apostolicæ tenebant in Commendam, & quæ ipsi Abbas, & Conuentus ante Commendam huiusmodi iusto titulo in vsus eorum, & dicti Monasterij tenuerant, & etiam possederant, & ex quorum nonnulli ipsi Abbas, & Conuentus, antequam in Commendam, seu Titulum eisdem Cardinalibus, Prælatis, & personis concessa fuerant, certas annuas Pensiones pro tempore percipere consueuerant; quodq; Abbas, & Conuentus præfati, multa subire habebant pro tempore onera expensarum. Idem Innocentius prædecessor cupiens eisdem Abbati, & Conuentui super id consulere, ipsisq; cedentibus, vel decedentibus dictis Cardinalibus, Prælatis, ac personis Sæcularibus, vel Regularibus, Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, Beneficia, ac membra; necnon alia Beneficia huiusmodi in Commendam, aut aliàs quouis titulo obtinentibus; aut alias Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, & Beneficia, ac membra huiusmodi quomodolibet dimittentibus, ea apprehendere, & perpetuò liceat retinere; fructusq; redditus, & prouentus Abbatiarum, Præpositurarum, Prioratuum, Beneficiorum, & membrorum huiusmodi in vsus proprios conuertere, & deputare valerent in omnibus, & per omnia, prout antequam Abbatiæ, Præposituræ, Prioratus, Ecclesiæ, & alia Beneficia supradicta Cardinalibus, Prælatis, ac personis eisdem in Commendam, aut alium Titulum huiusmodi concessæ fuerant, facere consueuerant, seu etiam debuerant; alicuius licentiâ, aut consensu super eo minimè requisitis, indulsit. Ac voluit, & Apostolicâ auctoritate decreuit, quod inferiores, à præfatis Cardinalibus, Prælati, ac personæ prædictæ, ratione Abbatiarum, Præpositurarum, Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum suprascriptorum huiusmodi, consuetum annuum Censum eisdem Abbati, & Conuentui annis singulis ex tunc efficaciter persoluere tenerentur. Quodq; illi ex eisdem Prælatis, & personis, qui Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, & alia Beneficia huiusmodi obtinerent, vt præfertur, à iuribus ipsi competentibus ratione Commendarum, & aliorum titulorum huiusmodi caderent, nisi easdem Pensiones soluerent annis singulis, prout ad quemlibet eorum pertinebat, Abbati, & Conuentui antedictis, prout in ipsius prædecessoris litteris desuper cõfectis pleniùs continetur. Quare pro parte moderni Abbatis, & Conuentus huiusmodi ad præsens Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ, asserentium à nonnullis dubitari litteras, & indulta Innocentij

Innocentij prædecessoris huiusmodi, etiam ad illas cessiones, in quibus aliquà Pensio à partibus constituenda, & soluenda foret, minimè extendi; ipsumque Monasterium propter bella, quæ in Regno Neapolitano, proximis annis viguerunt, valdè desolatum, & in ædificijs collapsum existere, ac non modicâ reparatione indigere; Nobis fuit humiliter supplicatum, vt litteris, & indulto Innocentij Prædecessoris huiusmodi robur Apostolicæ confirmationis adijcere; ac quod cedentibus prædictis ab agentibus pro dicto Monasterio licitè, & sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut simoniæ vitio, aliqua pensio annua, seu fructuum in totum, vel in partem reseruatio, tam super fructibus Beneficij sic resignati, quàm ipsius Monasterij Casinensis, assignari possit concedere, aliàsque in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

1 1 Nos igitur præfatos modernum Abbatem, & Conuentum, ac Conuentus huiusmodi singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dûtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; litteras Innocentij Prædecessoris huiusmodi, præterquam quoad Monasteria Consistorialia, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, approbamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illasque perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus; & nihilominus pro potiori cautelâ, omnia in dictis litteris contenta innouamus, & de nouo concedimus.

2 2 Et quotiescumque contingat Cardinales, Prælatos, & personas antedictas, qui pro tempore fuerint, alitèr nolle cedere; ne ipsi cedentes nimium dispendium patiantur, & præfati Abbas, & Conuentus in præmissis faciliùs desideratum consequantur effectum; Quod cedentibus ipsis, per Monasterium ipsum, & agentes pro eo, licitè, & sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut simoniæ vitio aliqua Pensio annua, seu fructuum in toto, vel in parte reseruatio, tàm super fructibus illius Beneficij, sic resignati, quàm dicti Monasterij Casinensis, aliâ eiusdem Sedis licentiâ super hoc minimè requisitâ assignari possit, ipsosque modernum Abbatem, & Conuentum ad integram solutionem Pensionum huiusmodi per eos, vt præfertur, assignandarum, etiam sub sententijs, censuris, & pœnis, ac si litteræ Apostolicæ desuper confectæ fuissent, auctoritate, & tenore præmissis decernimus.

3 3 Quocirca Dilectis filijs Sancti Seuerini Neapolitani, & S. Angeli Caietani, & Sanctæ Trinitatis Cauensis Monasteriorum Abbatibus per Apostolicâ scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios eisdem moderno Abbati, & Conuentui in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos approbatione, innouatione, & decreto, ac alijs præmissis, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos per quoscunque desuper quomodolibet indebitè molestari; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo.

4 4 Non obstantibus præmissis, & quibusuis alijs constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterij Casinensis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac quibusuis expectatiuis specialibus, vel generalibus obseruationibus, etiam in nullius fauorem, & vtilitatibus, ac vnionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, & aliis, extra tamen accessus, & regressus, ac coadiutorias, de consensu, facultatibus, & mandatis, cum actualibus prouisionibus, ex tunc, prout ex nunc, & è conuerso quibusuis personis, & familiaribus Nostris continuis commensalibus, & descriptis nuncupatis, ac Cappellanis Cappellæ Regiæ Neapolitanæ, etiam ad supplicationem Regis concessis, & quâcumque aliâ præeminentiâ fungentibus, & cum quibusuis clausulis quantumcumque fortissimis, efficacissimis, & insolitis, etiam talibus, quod illis nullatenus derogari posse videatur; etiam motu proprio, ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ex quâuis consideratione, intuitu, vel respectu concessis, & concedendis, quas, & quæ omnia, & singula, eorumque vim, & effectum, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum, præsentibus insererentur pro expressis habentes, suspendimus, & suspensa esse decernimus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per litteras Apostolicas non facientas plenam, ac expressam, ác de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, innouationis, cõmunitionis, concessionis, mandati, suspensionis, ac decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quingentesimo tertio decimo, vndecimo Calendas Augusti, Pontificatus Nostri, Anno primo.

## CONSTITVTIO CXVIII.

### SVMMARIVM.

1514. *Ian.* 16.

### LEO PAPA X.

*Adscribi Militiæ Cruciatæ contra Infideles indictæ, vel indicendę, non posse Monachos Casinenses absque suorum Superiorum licentiâ, decernit.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyr. Arm. I. Caps. I. n. 47.*

Leo Papa X. Vniuersis, & singulis Abbatibus eorumq; Prioribus, quorumcumq; Monasteriorum Congregationis Casinensis aliàs Sanctæ Iustinæ Patauinæ, Ordinis Sancti Benedicti de Obseruantiâ salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper ex parte Dilectorum Filiorum Præsidentis, & Definitorum Capituli generalis vestræ Congregationis Nobis fuit expositum, eos in ipso generali Capitulo præsensisse nonnullos eorum Monachos sæpius dixisse atque iactasse se ad Cruciatam contra Infideles forsan faciendam, velle accedere, & eorum Monasteria sub huiusmodi prætextu relinquere, & à sua professione deficere, quos infensissimus hostis humani generis, cum eos fortasse aliâ viâ seducere posse non confidat, hoc boni velamento, vtpote zelo defensionis Orthodoxæ Fidei, à suaui Religionis, & obedientiæ regularis iugo deuocare, atque

que diuellere nititur, & cum dicti Monachi, Conuersi prætcrea, ac Commissi, qui ad dictam Cruciatam proficisci velle iactatunt, se se Deo semel dicauerint, & tales personæ nullis vnquam temporibus contra votum Religionis, quod iam emiserunt, sub simili prætextu Monasteria derelinquere, atque à regulari obseruantiâ deflectere consueuerint. Ea propter Præsidens, ac Definitores prædicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, dignaremur eorum Congregationi in præmissis opportunè consulere. Nos considerantes nihil melius esse ijs, qui in Religione profecerunt, nihilque deterius ijs, qui defecerunt; pariterque attendentes dictos Monachos velle cœlestis militię, cui adscripti sũt sub dicto prętextu desertores fieri; eorum prauis cogitationibus, atque scandalis, quæ inde exoriri possent, duximus obuiandum. Eà propter omnes, & singulos Monachos, Conuersosque, & Commissos huiusmodi, qui ex Monasterijs vestris sub prætextu cuiusuis indictæ, vel indicendæ Cruciatæ discesserint, aut quomodolibet sine licentiâ vestrâ exierint, sententiam excomunicationis, aliasque pœnas in Constitutionibus dictæ Congregationis vestræ à Sede Apostolicâ confirmatis contentas incurrisse, harum serie decernimus, & declaramus; Vobisque Abbatibus, & Prioribus antedictis, & cuilibet vestrum licentiam, & facultatem concedimus, quinimò iniungimus, & expresse mandamus, vt eosdem Monachos, sic vt præmittitur, à Religione deficientes capiatis, carceribusque mancipetis, & ad illorum, vel alia dictæ Congregationis Monasteria, quibus se spontè dedicarunt, reducatis, vt ibi in Diuinis Altissimo famulentur. Quo circa omnibus, & singulis locorum Ordinarijs in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt vobis circa præmissa in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac locis auxilium, & fauorem, cum brachij secularis, si opus fuerit, inuocatione promptè exhibeant; Inquo de Christianâ Religione, de Nobis, & de hâc Sanctâ Sede se bene mereri cognoscent. Datum Canini Castren. Diœc. sub Anulo Piscatoris die 16. Ianuarij 1514. Pontificatus Nostri Anno Primo. Ia: Sadoletus.

## CONSTITVTIO CXIX.

### SVMMARIVM.

1514. *Ian.* 16.

### LEO PAPA X.

*Facultates eligendi Confessores etiam extra Congregationem Casinensem à Monachis dictæ Congregationis impetratas reuocat, & prohibet impetrandas.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyr. Arm. I. Capf. I. n. 46.*

LEo Papa X. Vniuersis, & singulis Abbatibus eorumq; Prioribus quorumcumq; Monasteriorum Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ Patauinæ Ordinis Sancti Benedicti de Obseruantiâ, salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper ex parte Dilectorum Filiorum Præsidentis, & Definitorum Capituli Generalis vestræ Congregationis Nobis fuit expositum, eos in Generali Capitulo præsensisse nonnullos dicti Ordinis Monachos certa Cõfessionalia à Sede Apostolicâ furtiuè impetrasse, vel potius extorsisse, per quæ inter cœtera ipsis Monachis concedi facultas eligendi Confessores, etiam extra dictam Congregationem cuiusuis Ordinis Regulares, vel Seculares, qui eos quotiens opus fuerit à casibus non reseruatis, à reseruatis vero semel in vitâ, & in mortis articulo constitutos possint absoluere, prout latiùs in illis dicitur contineri. Quâ in re, cum vsu compertum sit huiusmodi Cõfessionalia non in animarum salutem dictorum Monachorum, sed in laqueum, & perditionem cedere posse. Quandoquidem Monachi ipsi scientes eis impunè licere, vigore huiusmodi Confessionalium sibi confessorem eligere, etiam extra eorum Congregationem, absque consensu suorum Superiorum, & contrà ipsorum Regulam, multa forsan illicita, & ab eorumdem statu regularis obseruantiæ, atque ab animarum salute aliena perpetrare possunt; indeque Congregationem prædictam diuersa in dies scandala fore de facili subituram. Iccirco Præsidens, & Definitores prædicti zelo Religionis, & charitatis ducti, supplicari Nobis humiliter fecerunt, dignaremur desuper oportunè prouidere. Nos, more peruigilis Pastoris, præcipuam curam habere volentes, ne oues Dominici gregis ab ouili aberrantes in sęuas luporum fauces incidant, pleneq; considerantes Monachos, qui huiusmodi Confessionalia impetrarunt, nolle per rectam obedientiæ viam, ac veram dicti Ordinis Regulam ambulare, huiusmodi supplicationibus iustis, & honestis, inclinati; Confessionalia prædicta, seu quascunque similes gratias particularibus Monachis, aut Conuersis, vel Commissis dictæ Congregationis, concessis, harum seriè reuocamus, cassamus, annullamus, & penitùs extinguimus; Mandantes, & precipientes eisdem Monachis, Conuersis, & Commissis eiusdem Congregationis præsentibus, & futuris sub excomunicationis latæ sententię pœna, quam præuia monitione canonicâ ferimus in his scriptis, nè de cœtero huiusmodi Confessionalia pro se ipsis impetrent, ne vè quouis modo directè, vel indirectè impetrari faciant, aut procurent, & hactenus impetratis nullatenus vtantur. Vobis autem, & vestrum cuilibet sub eâdem pœnâ committimus, & mandamus, vt præsentes litteras in Capitulo vestro Generali, ac vestris Monasterijs quibuscunque omnino publicetis, & publicari faciatis, vt ad quorumcunque Monachorum, Conuersorum, & Commissorum eiusmodi veram, & certam notitiam perueniant. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis dictisq; Confessionalibus, & cęteris in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Canini Castreñ. Diœc. Sub Anulo Piscatoris, die 16. Ianuarij 1514. Pontificatus Nostri Anno Primo. Ia. Sadoletus.

## CONSTITVTIO CXX.

### SVMMARIVM.

1515. *Februarij* 18.

### LEO PAPA X.

1 *Præsidenti Congregationis Casinensis post completum annum suæ administrationis, vacationem ab eodem officio per quadriennium. Eidemque vacationem a Visitationis officio per biennium, indicit.*

2 *Monialium, ac Monachorũ Visitatoribus pariter biennij vacationem ab eodem officio, decernit.*

3 *Definitores itidem ab officio vacare per biennium, constituit.*

4 *Definitorum sex quolibet Capitulo vacare ab officio, tres autem remanere in eodem, non autem vltra biennium statuit. Præsidentis, & Definitorum eligendi formam, seu modum, determinat.*

5 *Censuras latæ sententiæ, & inhabilitates per quinquennium in contrafacientes, vel Tractatus ad hos gradus recipiendos ineuntes, imponit.*

6 *Constitutionis huiusmodi interpretationem D. Ignatio de Florentiâ Abbati Casinensi; Eidemq; publicationem, & executionem præsentium committit.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padol. yr. Arm. I. Capf. I nu.* 48.

LEo Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Gregis dominici supernâ Nobis dispositione cõmissi, viribus licet imparibus curam gerentes, ad singulorum fidelium pia,& Religiosa Collegia,in quibus militans Christi Sponsa repræsentatur Ecclesia, Nostræ meditationis aciem passim reflectimus, & quæ ad illorum quietem, & felix regimen necessaria esse noscuntur, vt Nostræ prouisionis ministerio votiuè succedant, opem, & operam impendimus efficaces, prout varietate temporum, & rerum qualitatibus benè perpensis, in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè multorum fide digna relatio ad Nostrum deduxit auditum;Quod licet Monasteriorum, & aliorum Regularium locorum, ac Dilectorũ Filiorum Monachorum Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ,Ordinis S.Benedicti numerus,benedicente Domino, auctus non mediocritèr fuerit; tamen onus, & cura eorum regiminis, quibus in plures persona,per vicissitudinem gubernandi diuisas, Congregatio prædicta multorum Rectorum adiuta præsidio præseruari faciliùs posset à noxijs, & maiora in spiritualibus, & temporalibus susciperet incrementa,quã apud paucos,& plerũq; diuersis inuicem succedentibus officijs in eâdem Congregatione grauatos,longo tempore resident; & perpetuitate quâdam in illis,non sine illius Congregationis notâ,& quandoque iacturâ,præseferre videntur. Quarè Nos,qui etiam per multos ante annos,quam ad Apostolatus apicem vocaremur, familiarem cum dictæ Congregationis Monachis habuimus consuetudinem, & ipsos, ob eorum inter cæteros disciplinæ Monasticę professores,vitę synceritatem, Religionis zelum,& exemplares mores, atq;vberes fructus, quos in agro Domini producere nunquam desinũt, singulari fuimus dilectione complexi;& vt celeberrimum illud Monasterium Casinense dicti Ordinis,nullius Diœcesis,à quo dicta Congregatio, mutatâ denominatione antiquâ, illustre sumpsit cognomen,& quod Nos,tunc Cardinalatus honore fungentes, in Commendam obtinebamus, eidem Congregationi, per eos, iuxtà eorum laudabiles ritus, & regularia instituta reformandum perpetuò concedi curauimus. Et modo Congregationem eandem crescentibus in illius personis quotidie meritis, in visceribus gerimus charitatis; desiderantes summopere,vt dicti Monachi,sicuti in spiritualium cultu sunt vitâ conspicui, & exemplo fructuosi, sic etiam in tẽporalium administratione, & totius regiminis ministerio, ab omni ambitionis labe exhibeant se immunes, & rerum gerendarum cura in plures frequentèr diuisa, neminem abstrahat à studijs, & meditationibus diuinorum. Congregationem præfatã, & illius singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs,censuris, & pœnis à iure,vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis,si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes.

1 1 Moru proprio, non ad Congregationis huiusmodi, aut alicuius pro eis oblatæ Nobis super hoc petitionis instantiam,sed de nostrâ deliberatione, & ex certâ scientiâ,auctoritate Apostolica,tenore præsentium (dummodo maioris partis Prælatorum habentium vocẽ in Capitulo dictæ Congregationis proximè celebrãdo,ante illius inchoationem, ad infrascripta expressus accesserit consensus) statuimus, & ordinamus; Quod ex nunc de cætero in perpetuum Regiminis dictæ Congregationis, quod post biennium,& Capituli qui post annum, Præsidentes finitis eorum officijs Præsidentiæ huiusmodi respectiuè ad eadem officia eligi poterant; ante quadriennium, à fine ipsorum officiorum computandum,lapsum, ad Regiminis,aut Capituli, quibus respectiuè præfuerint, Præsidentiam, assumi nequeant. Idemq;Præsidens Regiminis,cui ad Visitationis officium, nulla dabatur vacatio, Visitationis curâ careat per biennium à suæ Præsidentiæ fine

2 computandum. 2 Et tam Monachorum dictæ Congregationis,quam sub illorum curâ degentium pro tempore Monialium Visitatoribus, qui post annum non prohibebantur in Visitatores assumi,interdictum ante biennium sit idem Visitationis offi-

3 cium. 3 Nec liceat cuiquam in Definitoriatus dictæ Congregationis officio vltra biennium remanere, sed debeat per integrum vacare biennium, antequam Definitor rursum valeat deputari. Et hæc locum sibi vendicet,tâm quo ad futuros, quàm ad eos, qui superioribus annis fuerunt, habitâ ratione temporis,quo præesse desiterunt,Regiminis,& Capituli Præsidentes,& Definitores, ac Monachorum, & Monialium Visitatores Congregationis huius-

4 modi. 4 Circa electiones autem, & scrutinia personarum ad Præsidentis Capituli, & Definitoriatus officia prædicta assumendarum, vt absque Congregationis dispendio,maximè hoc primordio, & cum eligentium libertate fideliùs, & tranquilliùs celebretur,modum,& formam sequentes volumus obseruari. In futuro generali Capitulo præsentis anni,nomina Definitorum, qui in proximo præsenti Capitulo fuerunt, quos Nouem esse intelleximus, cõijciantur in pixidem,& ex eis,si omnes ibi adsint, sex,alioquin tot minus,quòt absentes fuerint, vsq; ad sex,absentibus,& præsentibus computatis, sorte ex dictâ pixide trahantur,& hi tres, quorum nomina pixidem non exierint, vel si magis expedire videbitur,omnes nouẽ, vel quod ex eis præsentes fuerunt scrutinio subijciantur, & eos tres, quibus plura fuerint suffragia, vnà cum alijs sex de nouo eligendis,ad idem Diffinitoriatus officium in electiones concurrant; Et si electi fuerint etiam Definitores, remaneant futuro anno dumtaxat. Sex vero reliqui, quos sors eduxerit, vel suffragiorum fauor depresserit, in Definitores eâ vice,& alio immediatè sequenti Capitulo eligi nequeant. Idemq; ordo,sortis tamen vsu reiecto,vigeat in futuris; Ita vt ex nouem antecedentis anni Definitoribus, semper tres, quos suffragiorum fauor cæteris antetulerit, vt præfertur, cum sex alijs de nouo eligendis, pro aliorum faciliori in rebus dictę Congregationis geren-

gerẽdis instructione, ad ipsum Diffinitoriatus Officium eligibiles sint, sed nullus in eo vltra biennium durare possit. Et cum in sequentibus Capitulis de Definitorum electione agendum erit, nomina eorum omnium, quæ eâ vice in Definitores assumi poterunt, in vrnam, aut saccum mittantur, & deinde super eorum singulis, prout ex vrnâ, vel sacco huiusmodi educentur, scrutinium fiat per suffragia. Nouem ipsorum, qui pluribus suffragijs adiuuabuntur, Definitores sint. Rursus de ipsis nouiter sic tunc electis, ad Præsidentis Capituli officium scrutinium celebretur; Et ille ex eis Præsideat eâ vice, in quem plura conuenerint suffragia. Et si in Definitores, vel Præsidentis Capituli huiusmodi electionibus duos, aut plures suffragiorum numero, pares esse contingat; ille alij, vel alijs præferatur, quem constiterit in professionis emissione, cœteris cum eo concurrentibus fuisse priorem. Suffragiaque ipsa in prædictorum Præsidentis Capituli, & Definitorum electionibus, quæ ante hàc per cedulas præstabantur, per fabas, siue ballotas, formâ, aut colore distinctas in pixidem secretè, mittendas de cætero

5 ministrentur. 5 Decernentes præmissa omnia, & singula debere ab omnibus modernis, & pro tempore existentibus Præsidentibus, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, & alijs dictæ Congregationis Monachis, Commissis, & personis quibuscunque, inuiolabiliter obseruari; & eos qui scienter in aliquo contrauenerint, aut alios contrauenire maliciosè procurauerint, excommunicationi latæ sententiæ, à quâ, nisi à Præsidente regiminis, præterquã in mortis articulo constituti, absolui nequeant; & inhabilitatis ad vocem actiuam, & passiuam in dicto Capitulo generali, & ad dignitates, gradus, & administrationes in dictâ Congregatione, pœnam, quinquennio continuo duraturam incurrere ipso facto. Eisdem quoque pœnis, & censuris eos, qui circa Definitorum electionem per se, vel per alios, directè, vel indirectè, quocunque tempore Practicas fecerint, seu ab alijs practicari, vel aliàs censeri, aut quomodolibet talium Practicarum notitiam habẽtes, & ante non reuelantes, ligari, & inuolui; necnon irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quâuis auctoritate, scienter, vel ignoranter

6 contigerit attentari. 6 Et ne cuiusuis ambiguitatis scrupulo salubrem Definitorum huiusmodi Præsidentis electionem præsentium executionem retardet, Dilecto filio Ignatio Abbati dicti Monasterij Casinen. cui super præmissis omnibus aperuimus mentem nostram, & de quo in his, & alijs specialem in Domino fiduciam obtinemus, Dubia quęcumque, quæ super præsentibus, & eorum dispositiones forsàn emerserint, interpretandi, & declarandi. Non obstantibus cuiusuis litteris etiã in formâ Breuis, cum quibusuis clausulis, quod in futurum à Nobis emanare contigerit, nisi in illis totus tenor præsentium litterarum, de verbo ad verbum insertus foret; Motu, & scientiâ similibus plenam concedimus facultatẽ. Et nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse per se, vel alios faciat præsentes literas, vbi, & quatenus ei expedire videtur, solemniter publicari, & contenta in eis firmiter obseruari. Contradictores quoq; per censuræ, & pœnæ prædictarum declarationem, & alia quæuis opportuna remedia, appellatione qualibet omnino postpositâ compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quâ cauetur nè Iudices à Sede Apostolicâ deputati, extra Ciuitatem, & Diœceses, in quibus deputati fuerint, contra quoscunq; procedere, aut alij, vel alijs suas vices committere præsumant; Et alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & Cõfirmationibus Ordinis, & Congregationis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis; Priuilegijs quoq; & indultis Apostolicis, cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusq; decretis, illis cõcessis, approbatis, & pluriès innouatis, quibus aliàs in suo robore permansuris, in quantum præsentibus obstant, motu, & scientiâ similibus, specialitèr, & expressè derogamus; contrarijs quibuscunq.; aut si dictis Præsidentibus, vel Definitoribus, & Visitatoribus pro tempore existen., vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, statuti, ordinationis, voluntatis, decreti, concessionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quinto decimo, duodecimo Calendas Martij, Pontificatus Nostri Anno tertio. D. de Comitibus.

## CONSTITVTIO CXXI.

### SVMMARIVM.

1515. *Aug.* 21.

### FERDINANDVS REX ARAGONVM, SICILIAE. &c.

*Casinensem Congregationem, & Sacrum Casinense Monasterium, cum eorum bonis, & iuribus sub protectione Regia suscipit.*

*Ex Archiuo Casinensi.*

SANCTISSIMO, ac Beatissimo Domino, Domino Nostro moderno Pontifici Obedientiam, manuumque, ac pedum oscula beatorum: Cæsareæquæ Serenissimæ Maiestatis, Serenissimis, & Illustrissimis quibusuis Regibus, & Reginis, & signanter Serenissimis Reginis Neapolis matri, & filiæ, sorori, & Nepti, & tamquam Filijs Nostris charissimis, Regumque primogenitis fratribus nostris: totique collegio Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Prelatis S. Romanę Ecclesię. FERDINANDVS Dei gratia, Rex Aragonum, Siciliæ citrà, & vltra Farum, Hierusalem, Nauarræ, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicę, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Rossilionis, & Ceritanię, Marchio Oristanni, & Gotiani, Salutem, & prosperos ad vota successus. Illustribus quoque spectabilibus magnificis, nobilibus, & egregijs viris quibuscumque Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Communitatibus, terrarumque Dominis & Dominabus, tam terrarum nostrarum, quam exterarum & cœteris vniuersis, & singulis Officialibus, & subditis nostris: Reuerẽdo etiam Archie-

chiepiſcopo Tarentino in Regno noſtro Siciliæ citrâ Farum Cappellano Maiori,& qui in eodem officio pro tẽpore fuerit Illuſtri ac dilecto deniq; noſtro Don Raymundo de Cardona locumtenenti, & Generali Capitaneo noſtri exercitus in Italiâ conſtituti cœteriſque Ducibus, Capitaneis, & ſubcapitaneis, Magnatibus, & omnibus, ac ſingulis alijs officialibus dicti noſtri exercitus quocumque nomine, & officio nuncupatis,qui pro tempore fuerint:necnon noſtrum loca tenentibus, & Regentibus, Conſiliarijs, & Iudicibus, ac omnibus alijs officialibus, & ſubditis noſtris in Regno noſtro Siciliȩ citra Farum, & vltra Farum reſidentibus,tam præſentibus quam futuris: noſtriſque demum Oratoribus in Romanâ Curiâ, & apud Cęſaream Maieſtatem, omnibuſque alijs in locis conſtitutis, & conſtituendis: ac etiam omnibus alijs quâuis auctoritate, poteſtate, ac dignitate fungentibus,præſentibus,& futuris,ſalutem, & dilectionem. Cùm totus quaſi Mundus inteſtinis bellis,ac ſi euiſceratus decideret, & decidat;Superni tamen Regis clementiâ nos in noſtris Regnis præficiens, & ſpecialem de hoſtibus noſtris victoriam tribuens,deuictis, calcatiſq; hoſtibus, peculiari gaudio, proſperitateque eximiâ, Regna noſtra vbique exiſtentia exultant. Ergo quia miſericordem, Omnipotentemque Deum nemo ſine pœna contemnit, ſummopere circa ſacrarum ędium ornatum,ſtabilimentumquè nobis inuigilandum eſt; vt ab ipſo cœleſtium recipiamus præmia gaudiorum. Quapropter omnium Chriſtianorum fidelium præſentium ſcilicet,& futurorum nouerit ſolers induſtria, qualiter nos heſternis annis noſtras interpoſuimus partes apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum tunc Iulium Papam, vt Sacrum Monaſterium Caſinenſe toto Mundo celeberrimum,Caput omnium Monaſteriorum, initiumque totius Ordinis Sancti Benedicti,In Regno noſtro Siciliæ citra Farum poſitum, vbi Corpora ipſius Sanctiſſimi Benedicti,ac Sororis eius S.Scholaſticę Virginis,in vno,eodemque ſepulchro condita,humataque ſunt,& ſine dubio requieſcunt,ad priſtinam redigeretur obſeruantiam,pro vt redactum fuit: Noſque præterea decreuerimus ob deuotionem præcipuam,quam habemus ſemper D. Benedicto omnium Monachorum Patri, & Inſtitutori,& dicti Sacri Monaſterij Fundatori,totiq; Congregationi Monachorum ipſius, aliàs nominatæ Sanctæ Iuſtinæ de Paduâ, nunc Caſinenſis dictæ; & pro peccatorum noſtrorum remiſſione, continuis, opportunis, & debitis fauoribus proſequi; & vt ruinæ ipſius Sacri Monaſterij,& aliarum Eccleſiarum, ſeu membrorum ipſius reſtaurentur, pro vt meliùs fieri poterit; ac etiam, vt debitus Dei cultus in Eccleſijs, & membris ad dictum Sacrum Monaſterium Caſinenſe ſpectantibus, per Monachos eiuſdem Ordinis, & Congregationis, prout conuenit exerceatur. Ipſum propterea Sacrum Monaſterium totamque Congregationem ipſius,& omnia,& ſingula eius Monaſteria, membra loca, & bona quæcunque ſub noſtrâ protectione ſuſcepimus, & ſuſcipimus. Cupientes igitur tàm Sanctam, Piamq; Religionem conſeruare protegere, & ab oppreſſionibus præſeruare,opportuniſque fauoribus proſequi: Vos Patrem Sanctiſſimum,cui proprium eſt Eccleſias,& Religiones, Religioſoſque tueri, & defendere ſuppliciter ex animo deprecamur,Cæſâreamque Maieſtatem protectricem Vniuerſalis Eccleſiæ, Sereniſſimos quoque, & Illuſtriſſimos Reges, Reginaſq; & ſignanter Sereniſſimam Reginam Caſtellæ filiam, & Primogenitam noſtram Chariſſimã,poſtque fælices, & longæuos dies noſtros,Deo propitio, legitimam Succeſſorem in omnibus Regnis,& Dominijs noſtris; Reginas quoque Neapolis, matrem, & filiam, ſororem, & Neptem noſtras, & tamquam filias, Regumque primogenitas, intentum noſtrum aperientes, enixè rogamus; Reuerendiſſimoſque Dominos Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Prælatos S. R. E. Dominos, Dominaſque & Dominorum amicos, & beneuolos noſtros affettuosè rogamus. Voſque Reuerendum Archiepiſcopum Tarentinum in noſtro Regno Siciliȩ citrà Farum Cappellanũ noſtrum maiorem, & qui in dicto officio Cappellaniæ pro tempore fuerit,requirimus, & hortamur. Officialibus verò,& ſubditis noſtris omnibus præſentibus, & futuris, & præſertim iam dicto Illuſtri Don Raymundo de Cardonâ locumtenenti noſtro, noſtriq; exercitus in Italiâ conſtituti Generali Capitaneo, cæteriſq; Ducibus, Capitaneis,& ſubcapitaneis, magnatibus, alijſque officialibus dicti noſtri exercitus, quocunque nomine, & officio, nuncupatis, & qui pro tempore fuerint; necnon noſtris Viceregibus, & Locatenentibus, & Regentibus,Conſiliarijs,Iudicibus,& omnibus officialibus & ſubditis noſtris in noſtro Regno Siciliæ citrà,& vltra Farum, & vbique Regnorum, & Dominiorum noſtrorum reſidentibus, tam præſentibus quam futuris; noſtriſque demum Oratoribus in Romanâ Curiâ & apud Cæſaream Maieſtatem, omnibuſque alijs in locis conſtitutis, & conſtituendis,alijſque omnibus, quâuis auctoritate, poteſtate, & dignitate fungentibus, præſentibus, & futuris dicimus, & diſtrictius præcipiendo mandamus,pœnâ vnciarum auri mille adiectâ; quatenus dictum Sacrum Monaſterium Caſinenſe, & omnes Eccleſias, & membra illius, deuotoſque Religioſos, Monachoſque omnes Congregationis prædictæ, Ordinis S.Benedicti,illorumque omnia,& ſingula Monaſteria, loca, & membra vbilibet conſtituta in ſingularem, & ſpecialem protectionem, cuſtodiam & ſaluaguardiam ſuſcipiatis, & ſuſcipiant, eoſque Religioſos Monachos, Commiſſos, Oblatos,familiares, laboratores, famuloſque, & eorum Monaſteria, loca,& membra Iura,Caſtra,Caſalia,Molendina,poſſeſſioneſque,animalia quoque,& quæcumque alia bona Mobilia, & immobilia, vndecunque, & vbicumque exiſtentia, & conſiſtentia, & quocumque nomine nuncupata dictæ Congregationis Caſinenſis,aliàs S. Iuſtinæ de Paduâ, opportunis fauoribus proſequendo,eos,& ea ab oppreſſionibus, & grauaminibus præſeruando, contra prædictorum inuaſores,iniuriamuè inferentes,opportunè procedatis; vt quietè,& ſine aliquo impedimento,damno, iniuriâuè,in eorum Monaſterijs locis, & membris viuere, & cultui Diuino intendere poſſint, rem gratam nobis facturi. Nos verò Pater Beatiſſime, pro veſtrâ ſanctitate, proque Maieſtate Cæſareâ Sereniſſimâ, & pro vobis dictis Regibus, Reginis, Regumque primogenitis, veſtriſque ſubditis; Proq; vobis Reuerendiſs.Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Prælatis S.R.E.omnibus,& alijs externis,ſimilia,& longè maiora facere pollicemur. Officiales verò,& Subditi noſtri contrarium nullatenus tentaturi,ratione aliqua, ſiue causâ, ſi rem gratam nobis facere cupiunt, & præter iræ, & indignationis noſtræ incurſum, pœnam præappoſitam cupiunt euitare. Datum in Villâ de Arandâ de Duero,die vigeſimâ primâ menſis Auguſti, tertiæ indictionis anno à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo, Decimo quinto. Io el Rey.

CON-

# CONSTITVTIO CXXII.

## SVMMARIVM.

1515. Nou. 20.

## FRANCISCVS I. GALLIARVM REX.

*Exemptiones, & immunitates, præcipuè ab Hospitio Militum, Congregationi Casinensi, confirmat.*

*Ex Arch. S. Io: Euang. de Parmà Caps. 34. nu. 30.*

FRANCISCVS Dei gratiâ Francorum Rex, ac Mediolani Dux, &c. Vniuersis, & singulis præsentes inspecturis Salutem. Vidimus litteras, quas diebus superioribus concessimus Religiosis Ordinis Sancti Benedicti Obseruantiæ, Congregationis S. Iustinæ, quorum tenor talis est. Franciscus Dei gratiâ Francorum Rex, & Mediolani Dux, &c. Dudum ad nos præcipuè, cum ad has Italiæ partes felicibus declinauimus auspicijs, celebris fama peruenit laudabilis, & Deo acceptæ vitę Religiosorum Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ nuncupatæ, sub regulari arctâ admodum Obseruantiâ Christo militantium, quantâ videlicet integritate, morum sanctimoniâ, variarumque virtutum nitore resplendeant; quantâ vigilantiâ Diuino cultui vacent, saluberrimisque monitis, ac exemplis populorum, & Ciuitatum saluti plurimum proficiant. Quos, etsi Diuino protectos auxilio magna sentiamus in dies suscipere incrementa; dignum tamen duximus, tàm ex eorum vitæ merito, quàm in honorem gloriosi Corporis Sancti Honorati, quod quidem in Lerinensi Cęnobio patriæ nostræ Prouinciæ, ex permissione, & beneplacito nostro Sanctæ Cõgregationi nuper vnito, quiescit, & plurimis quotidie miraculis coruscat, nostris, & illos gratiis, & fauoribus prosequi, & quantum possumus sub vmbrâ nominis nostri protegere. Idcirco Vniuersis, & singulis Contestabilibus, Locumtenentibus, Marescallis, Capitaneis, Coaductoribus armigerum, tàm equitum, quàm peditum, ordinariorum, & extraordinariorum, Germanorum, Heluetiorum, & aliorum quorumcumque Hospiciorum Marescallis, & Commissarijs præsentibus, & futuris præpositis, & præponendis ad distribuenda hospitia militum, & gentium nostrarum quorumcumque, conductorum, quam & custodum artellariæ nostræ, Vniuersisque Capitaneis Ciuitatum, Burgorum, Villarum, Castrorum, Fortaliciorum, armorumque cuiusuis status, & conditionis existant. Dilectis nostris, Magno Cancellario, Præsidibus, Consiliarijs, Iusticiarijs, Magistratibus, Officialibus, Subditis, Amicis, Collegatis, & Beneuolis nostris, præsentibus, & futuris, ad quos hæ nostræ deuenerint. Notum facimus, quod ex nostrâ certâ scientiâ, motu proprio, ac potestatis plenitudine prędictos Religiosos Congregationem, Abbates, Monachos, & Conuentus, Abbatias, Monasteria, eorumque seruitores, factores, & famulos, domos, grangias, possessiones, casinas, molendina, & alia quæcunque bona ipsis spectantia, & pertinentia, vbicumque sita sint, tàm in Ducatu nostro, & Dominio Mediolani, quàm alibi suscepimus, & posuimus, & sub speciali custodiâ, protectione, & saluaguardiâ nostrâ; ipsosque exemimus, francauimus, ac liberauimus, eximimus, francamus, & liberamus, cum eorum Abbatijs, Conuentibus, familijs, ac bonis prædictis, ab omnibus, & singulis Allogiamentis, & Hospicijs armigerorum, & gentium nostrarum quarumcumque; vobisque prohibemus, & expressè vetamus, tenore præsentium, & cuilibet vestrum, ad quem spectat, vel in futurum spectabit: nè in quantum gratiam nostram, & præcepta caripenditis, vos, neque aliquis vestrum hospitemini, aut hospitari patiamini aliquos armigeros, vel gentes nostras cuiusuis status, & conditionis existant, in Abbatijs, domibus, & pertinentijs quibuscunque, dictæ Congregationis, neque in illis accipi, foragiari, vel asportari aliqua blada, vina, carnes, fœnum, paleam, victualia, bona, vel res quascumque cuiusuis generis, vel manerici existant, absque eorum beneplacito, ac licentiâ. Non obstantibus statutis, ordinationibus, vel decretis editis super Statu armigerorum, & gentium nostrarum; quia volumus, quouis modo, tenore pręsentium per ea, derogari, vel præiudicari. Decernentes insuper, & mandantes præfatis Magno Cancellario, Præsidentibus, Consiliarijs, Iusticiarijs, Officialibus, & subditis nostris vniuersis, vti manuteneant, & parte nostrâ custodiant dictos Religiosos, Congregationem, Monasteria, eorumque res, & bona vniuersa, siue spiritualia, siue temporalia, frãchisias, & libertates quaslibet in quibus eos quietè, & pacificè fuisse inuenerint, neque permittant ipsos, vel eorum gentes, ac bona præfatâ quoquo modo vexari, aut indebitè molestari, tàm à dictis nostris armigeris, quàm ab alijs quibuscunq; personis, cuiusuis status, & conditionis existant. Quinimò defendant, & protegant, impendantq; illis omne auxiliũ, consiliũ, vel fauorem, prout opus fuerit, & sicuti ab ipsis fuerint requisiti; taliter quod à Diuino cultu nullo modo distrahãtur, & præsens nostra saluaguardia, suũ omninò sortiatur effectum. Vlterius cauẽtes, nè quouis exquisito colore, viâ, vel causâ, directè, vel indirectè in antiquâ eorũ, vel laudabili Obseruantiâ detrimentũ aliquod patiantur, præfatis officialibus, & subditis nostris districtè mandamus, ne citrà eorumdem Religiosorum, & Congregationis præfatæ, antiquas constitutiones, & approbatas consuetudines viuendi normam, & Regularis vitæ obseruantiam, quidquam à quàuis persona Ecclesiasticâ, vel sæculari, cuiusuis status, gradus, & cõditionis existant, immutari, vel innouari permittant. Quia, cum eam, & Deo acceptam, & hominibus salutarem esse longo vsu, multisq; probatum sit experimentis, nobis quoque illam conseruare, & omninò tutari est animus; & si quid in futurum super his oriri contigerit, quod ad eorum notitiam perueniat, vel ex ipsorum Religiosorum relatione, vel aliâ quàuis viâ, omninò statim occurrant, & illicò prouideant, nè quicquam fiat, aut tentetur, quod ad ipsius Congregationis dedecus, aut Constitutionum, siue Ordinum hactenus obseruatorum violationem, vel innouationem tendat. Contrafacientes, si qui fortè apparuerint, quicquam, quouis modo attentantes contra prædicta omnia, & nostram huiusmodi dispositionem, ac deliberatam voluntatem, ita, & tam grauitèr puniendo, & modis opportunis coercendo, vt eorum exempla omnibus tenorem incutiant. Consideratos verò amicos, & beneuolos nostros obsecramus, & requirimus, vt præfatam Congregationem, Abbates, Monachos, eorumque Monasteria, seruitores, familias, & gentes, nostri respectu singularitèr commendatos habeant, suscipiant, & ponant in ipsorum protectione, & saluaguardia, tàm in personis, quàm in rebus spi-

spiritualibus,& têporalibus quibuscunq; ,prout nos præsentiû tenore suscepimus,& posuimus. Quod si fecerint,cognoscent se rem nobis gratissimã fecisse, si in casu simili per eos, vel corû subditos requisiti fuerimus. Volumus etiam, ordinamusque præsentes nostras per Officiales, & Subditos nostros quoscunque inde requisitos propalari, & publicari, & in huius nostræ concessionis, & saluaguardiæ signû Arma, & Insignia nostra apponi in dictis Abbatijs, domibus, eorumque pertinentijs, nè aliquis inde ignorantiam prætendere valeat. Et etiam, quia in pluribus, & diuersis locis præsentes Nostræ dictis Religiosis, & Congregationi necessariæ erunt, indubitatam fidem transumpto earum sub Sigillo nostro Regali, vel Ducali adhiberi, sicuti his præsentibus originalibus nostris; quibuscunque in contrarium facientibus, vel aliam formam dantibus non attentis, quibus omnibus ex certâ scientiâ,& de nostræ potestatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus. Quæ,vt firma perpetuis temporibus maneant, Sigillum Nostrum duximus apponendum. Datum Mediolani die vigesimo Mensis Nouembris, Anno Domini Millesimo quingentesimo quinto decimo, & Regni Nostri primo. Per Regem. Episcopus Constancien. Grassen. Magistro Guielmo Parm: Confessore, & alijs præsentibus. Zachariæ, & sigillat: Sigillo consueto. Quare cum ipsæ superiùs introscriptæ litteræ, plenè concordent cum originalibus litteris, ita vt indubitata eis danda sit fides; Mandamus, & expresè præcipimus omnibus Cômissarijs, Capitaneis, Feudatariis, Stipendiarijs,Officialibus,& Subditis Nostris. Amicos verò, ac Beneuolos nostros hortamur, & rogamus,vt ipsis, & his nostris litteris plenam adhibeant fidem, non secus, ac si originales litteræ exhiberentur. In quorum fidem has nostras fieri, & Sigillo nostro muniri fecimus. Datum Mediolani die decimo Decembris, Anno Domini, Millesimo quingentesimo sexto decimo, & Regni Nostri secundo, Per Regem, Ducem Mediolani ad Relationem Consilij. Iulius.

## CONSTITVTIO CXXIII.

### *SVMMARIVM.*

*1516. May. 12.*

### MAXIMILIANVS IMPERATOR.

*Congregationis S. Iustinæ, seu Casinensis immunitates, & exemptiones confirmat. Vnionem Monasteriorum Sublacensis, Sacri Specus, & S. Nazarij de Veronà cum dictà Congregatione approbat.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyron.*

MAXIMILIANVS Diuinâ fauente clementiâ electus Romanorû Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Archidux Austriæ,Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lymburgiæ, Lucemburgiæ, & Gheldriæ. Lantgrauius Alsatiæ, Princeps Sueniç, Palatinus in Habspurg, & Hannoniç Princeps,& Comes Burgundiç, Flandriç, Tirolis, Goriciç, Arthesiç, Holandiç, Zelandiç, Ferreti, Kiburgi, Namurci, & Zutphaniç, Marchio Sacri Romani Imperij super Anasum, & Burgouij. Dominus Phrysiç, Marchiç sclauoniçe, Mechliniç, Portusnaonis, & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam. Arbitramur Nos ea potissimum ratione ad Imperialia sceptra euectos, ac tantç potestatis culmine â Deo optimo maximo decoratos, vt circa diuinum cultû solliciti, vt Ecclesiarum,Monasteriorum, piorumque locorum vniones,pacificum statum,custodiam, defensionem,protectionem,atq; augumentum semper simus peruigiles, & intenti. Nosque propterea diuinç retributionis subsidia, & indeficientis beatitudinis prçmia recepturos confidimus. Vnde, cum Religione,integerrimisque moribus, ac antiquâ deuotione, fide, summâq; beneuolentiâ, & amore erga Sacrum Romanum Imperium Venerandç Congregationis Montis Casini,olim Sanctç Iustinç nuncupatç,locupletissimum testimonium habuerimus; Nosque non lateat, quam vberes fructus,deuotissimis Monachis in vineâ Domini operantibus omnis Christiana Religio percipiat; summo cum desiderio inducimur prçfatam Congregationis iusto, ac conuenienti fauore prosequi. Motu igitur proprio, animo deliberato,ex certâ scientiâ,& de plenitudine potestatis Nostrç, nec non accedente Principum, Comitum, Baronum, ac Procerum Nostrorum, & Sacri Imperij Fidelium Dilectorum consensu; Nos prçfatam Congregationem, eiusq;Monasteria, Ecclesias, Abbatias, Prioratus, & quocumq; nomine censeantur personas, cuiuscumque qualitatis in eisdem degentes, Membra, Loca, Domos,Castra, Possessiones, iura, etiam bona, tam mobilia quam immobilia, & se mouentia,Nemora, Pascua, Iurisdictiones, tam in montibus, quam in paludibus, & quam in mari, aquis, & paludibus, pischerijs,qualitercumque,& quomodocumq; consistant, ad dictam Congregationê spectantia,& pertinentia, seu spectantes, & pertinentes, & quç, & quas nunc habent, vel in posterum iusto titulo acquirent, in specialem, & prçcipuam protectionem defensionis Nostrç suscipimus. Et insuper tenore prçsentium confirmamus omnia alia Priuilegia dictç Congregationis concessa,tam per Nos quam per prçdecessores nostros; Immo, & per Sanctam Sedem Apostolicam in his, quç ad Nos spectant, & pertinere possunt; quorum quidem priuilegiorum, tenores hic pro expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum prçsentibus expressi essent, aut exprimenda forent. Declarantes expresè Nostræ esse firmæ mentis,& intentionis, hanc confirmationem nostrâ in specie id prçcipuè operari, Vt vnio facta, & celebrata per Sanctam Sedem Apostolicam de Monasterijs, & Ecclesijs, Sacri Specus,& Sublacen. dictç Congregationis Montis Casini, effectum sortiatur, & locum habeat.Imponentes præsenti edicto Nostro Cçsareo perpetuum silentium Fratri Mauro, & consortibus suis, ac omnibus Monachis Nationis Germanicç, & quibuscumque alijs, qui de tali vnione aliquo modo prçtendant interesse; Ita vt de cætero,sub pœnâ infrascriptâ,non audeant,neq; prçsumant aliquo ingenio, modo, iure, vel causâ, aut quouis quçsito colore dictam Congregationê, eius Monasteria,Ecclesias, loca, personas vt supra, & præsertim suprascripta Monasteria vnita molestare,& inquietare;sed potius permittat,& ab alijs permitti faciant, quod dicta Congregatio perpetuâ pace, & quiete gaudeat, & fruatur. Amonentes,& amotum esse, ac intelligi volentes, & decernentes, omnem molestiam, omneque impedimentum,quç, vel quod aliquo modo,qui excogitari potest; fuissent illata, vel illatum,facta, seu factû per

per quoscunq; in dictis Monasterijs vnitis, & præcipuè etiam in Monasterio S Nazarij Veronæ, ac generaliter quibusuis Monasterijs, Ecclesijs, Membris, Locis, personis, & bonis dictæ Congregationis vbicumque sint, & esse reperiantur. Mandantes idcirco, & præcipientes vniuersis, & singulis Principibus, tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Locumtenentibus, Gubernatoribus, Magistratibus, ac quibuscumque Insidicentibus, quocunque nomine censeantur, ac Capitaneis Armorum, Ductoribus Militum, alijsque quibuscunque personis, & subditis nostris, ac Sacri Imperij fidelibus dilectis; vt dictam Congregationem Montis Casini, eiusque Monasteria, Ecclesias, Loca, Personas, vt supra, in quocunque loco existentes, & existentia defendant, manuteneant, ac ab omni damno, præiudicio, ac interesse præseruent, & conseruent in suo pacifico statu, & quiete Monasteria, Ecclesias, Loca, Personas, vt supra, à Nobis peculiari affectione, & Nostrâ Cæsareâ Clementiâ maximè dilecta, & chara, ac dilectos, & charos. In specie iniungentes, & districtè mandantes Gubernatori Nostro Veronæ, seu eius Locumtenenti, & Consilio Nostro, tàm diuisìm, quàm coniunctìm, vt ipsi, vel alteri eorum prædictum Fratrem Maurum, aliosque consocios, qui videntur missi, & positi in prætensâ possessione præfati Monasterij Sancti Nazarij, Iurium &c. à dicto Monasterio remoueantur, cassentque, & annullent, seu casset, & annullet omnia acta facta, & actitata contra dictum Monasterium, Abbatem, & Monachos Sancti Nazarij, & eorum præiudicium in assertum fauorem, & commodum dictorum Fratris Mauri, & sociorum, seu Monachorum Nationis Germanicæ; Ita quòd omnia in pristinum statũ reducant, vel reducat, cum integratione omnium Iurium dicti Monasterij, prout & Nos ex nunc, prout ex tunc per hoc præsens Nostrum Decretum cassamus, & annullamus, ac in pristinum statum reducimus, in omnibus, & per omnia, prout ante dictam molestiam illatam erant. Volumus tamen, & astringimus præsenti Decreto, quod ipsa Congregatio eiusque Præsidens, & Prælati, qui pro nunc sunt, & pro tempore erunt, prout confidimus ipsos facturos, præcipuè Nostro intuitu, vt præfatos Fratrem Maurũ, aliosque dictæ Nationis Germanicæ Confratres, seu Monachos, qui in præfatis Monasterijs vnitis Sacri Specus, & Sublacen. erunt tempore vnionis acceptare, & recipere debeant in eorum Monasterijs, & Congregatione, eosque benè tractare, tanquam bonos parentes, fratres, & filios, in victu, vestitu, ac etiam dignitatibus, & officijs, iuxtà eorum merita, & laudabilem, & Monasticam vitam, ita, & prout obseruant erga alios Monachos, professos præfatæ eorum Congregationis; dummodò monasticè, & secundum Regulam Beati Benedicti, ac Constitutiones, & consuetudines laudabiles ipsius Venerandæ Congregationis, sub obedientiâ suorum Prælatorum viuant, & prout alij Monachi viuunt, & obseruant. Nihilque contra dictam Congregationem, & eorum Loca, Monasteria, Ecclesias, Personas, vt supra machinati fuerint. Non obstantibus in contrarium quibuscunque, præsentium effectum impedire valentibus, etiam si talia essent, quæ hic deberent exprimi in specie; Quibus omnibus, & singulis, ac si inserta forent, motu, scientiâ, animo, & potestate, quibus supra derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. Nulli ergò omninò hominum, siue personæ humili, siue altæ, Ecclesiasticæ, vel Sæculari, quâcunque præfulgeant dignitate, hanc nostræ Protectionis, Confirmationis, Decreti, Derogationis, Voluntatis, & Gratiæ paginam, siue Priuilegium violare præsumat, & contrauenire, in toto, vel in aliquâ sui parte, inquãtum euitare voluerit, pœnam Indignationis Nostræ grauissimæ, ac centum marcharum auri puri, quarum medietatẽ Fisco, siue Ærario Nostro Cæsareo, reliquâ verò iniuriam passorum vsibus, decernimus ipso facto esse applicandam. Harum testimonio Litterarum Sigilli Nostri appensione munitarum. Datum In Ciuitate Nostrâ Tridentinâ, die duodecimâ, Mensis Maij, Anno Domini, Millesimo quingentesimo decimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani, 31. Hungariæ verò 27. Ad Mandatum Cesareæ Maiestatis Man. PPm. Per Regem P.G.

## CONSTITVTIO CXXIV.

### SVMMARIVM.

*1516. Maij 12.*

### LEO PAPA X.

*Imponit Decimã soluendam à Congregatione Casinensi, cæterisque Congregationibus Monasticis ad fauorem Francisci Regis Galliæ pro recuperatione Terræ Sanctæ.*

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Etsi dispositione supernâ ad vniuersalis Ecclesiæ regimen, meritis licet insufficientibus vocati, ad amplianda Ecclesiarum omnium commoda, & cunctorum fidelium, ordinis præcipuè Clericalis incrementa felicia, animarumque salutem, Nostra semper aspiret intentio, nullisque eos incommodis afficere, aut Subsidijs onerare cupiamus; vrgẽte tamen Redemptoris Nostri Iesu Christi, ac Sanctorum omnium contumelia, Orthodoxæ fidei, & Reipublicæ Christianorum omnium iniuriâ, ac communi periculo, irreparabilique ruinâ, quàm omnibus Christifidelibus imminere conspicimus, contra morem, & desiderium nostrum compellimur pro instanti temporis qualitate, & pressuræ remedio, Sacris quoq; Dei Templis, Sacerdotio, & Christianis Populis, à periculis liberandis, non solùm Regna, Prouincias, Ciuitates, Terras, & loca Nobis, & S. Romanæ Ecclesiæ subiecta, sed alios Christianissimos Principes, Populos, Ciuitates, & Potentatus ad defensionem Christicolarum, & contributionis opportunæ remedium exhortare, & Regibus Christianissimis, & principibus, quorum studia, & conatus ad stabiliendùm, ampliandumq; earumdem Ecclesiarum statum, necnon profligandam, & delendam Infidelium cœcitatem, & perfidiam tẽdere dinoscuntur, de Nostris, & Militantis Ecclesię, cui Diuinâ dispositione præsidemus bonis elargiri. Sanè Charissimus in Christo Filius Noster Franciscus Francorum Rex Christianissimus, prædecessorum suorum Francorum Regũ, qui vt vniuerso orbi notissimum est Petri, Regni Cœlestis Clauigeri, in terris Sedem, è manibus Infidelium liberentur, vestigia volens imitari, gratiâ, sibi assistẽte Diuinâ, ad Constantinopolim, & aliâs Prouincias vltramarinas ab Infidelibus occupatas pro illarum recuperatione, & illorum, qui Christianum sanguinem sitiunt expugnatione, se personaliter transferre decreuit. Nos, etsi præfatum

tum Franciscum Regem, qui pro fidei Orthodoxæ exaltatione,& diuini Nominis gloriâ,nullos fugiendo labores,nullisq;parcendo periculis,ad dictas partes personaliter accedere, ab ineunte ætate semper affectauit ab huiusmodi sanctissima expeditione, quam Deo,cuius res agitur, auctore suscipere intendit,nullâ ratione diuerti,aut amoueri posse confidimus. Tamen,dum consideramus quanta eundem Franciscum Regem in expeditionis huiusmodi prosecutione impensarum onera oporteat in dies de necessitate subire; quodq;ex hijs, quæ ex huiusmodi expeditionis prosecutione acquiri possunt, nō modica Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis prouenict vtilitas; dignum, quin potius debitum, reputamus vt crescat Nostra,& Sedis Apostolicæ, ac Romanæ Ecclesiæ, & membrorum eius erga ipsum Franciscum Regem,sanctissimamque hanc expeditionem munificentia, & liberalitas matura. Igitur super hijs deliberatione præhabitâ ex certâ Nostrâ scientiâ,& potestatis plenitudine, vnam veram integram Decimam omnium,& singulorum fructuum, redditutum,& prouentuum vnius integri anni à Data præsentiū computandi Cathedralium, & Metropolitanarum,& aliarum Ecclesiarum; necnon Monasteriorum, Prioratuum etiam Conuentualium, Præpositatuum,Præpositurarum,Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque cum curâ, & sine curâ Beneficiorum Ecclesiasticorum, Sæcularium,& S. Benedicti,S. Augustini,Cistercienfis,Cluniacensis,Præmonstratensis, Carthusiensis, Camaldulensis,Monti Oliueti,Humiliatorum,Vallis Vmbrosæ; Monachorum Eremitarum S. Hieronymi,& aliorum quorumuis Ordinum, tàm virorum,quàm mulierum,etiam Mendicantium,ex priuilegio,vel aliàs certos redditus habentium,Regulariumque Militiarum quarumcunque,etiam S. Iacobi de Spatâ,Iesu Christi, Beatæ Mariæ; etiam quorum redditus ad Hospitalitatem deputati existant; præterquam quibus S. R. E. Cardinales præsunt, quos ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum Ecclesiasticorum,Sæcularium, & quorumuis Ordinum Regularium, quæ in Titulum, seu Commendam,aut administrationē, vel aliàs obtinent, ac Pensionum, & fructuum, reddituum, & prouentuum loco Pensionum super illis reseruatarum,& ad huiusmodi expeditionem, & aliàs necessitates Nobis,& eidem S. R. E. pro tempore occurrentes huiusmodi Decimæ Nobis persoluerint, & persoluere consueuerunt ab huiusmodi Decimę impositione,& solutione exemptos fore decernimus; ac membrorum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani,in omnibus Regnis,Ducatibus, Comitatibus, Dominijs, Terris, ac locis præfati Francisci Regis mediate, vel immediate subiectis consistentium,ab omnibus,& singulis Archiepiscopis,Episcopis, Electis, Abbatibus,Abbatissis,Prioribus, Administratoribus, Commendatarijs, Capitulis, Conuentibus, Guardianis,cæterisque Beneficijs Ecclesiasticis,Sæcularibus,& Regularibus,Ordinum, & Militiarum prædictarum,ac Magistris, Prioribus, Castellanis, Baiuliuis,Præceptoribus Militiarum, & Prioratuū, Castellaniarum,Baiuliuiarum, & Præceptoriarum huiusmodi fructus, redditus, prouentus Ecclesiasticos in Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Dominijs,Terris, & locis Francisci Regis percipientibus, & percepturis,cuiuscumq;præeminentiæ,dignitatis, status,gradus,ordinis,vel conditionis existant, etiam exemptis, & qualitercunq; priuilegiatis, prædictis Cardinalibus, Membris, & Personis, Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani huiusmodi dumtaxat exceptis persoluendam, colligendam, leuandam, & exigendam infra terminum â prædicto Rege, seu deputandis ab eo ad huiusmodi decimam exigendam in præsentium litterarum publicatione præfigendum,ac eidem Francisco Regi, seu deputatis ab eo, postquam exacta fuerit, consignandam, & in præmissum Fidei opus sanctamque expeditionem huiusmodi conuertendam, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium imponimus;itaut ab eisdem Archiepiscopis,Episcopis,Electis,Abbatibus,Prioribus, Præpositis,Prælatis,Capitulis, Conuentibus, & personis alijs Ecclesiasticis,Sæcularibus, & Regularibus,Exemptis, & non Exemptis, in Regnis,Ducatibus,Comitatibus,Dominijs,Terris, & locis huiusmodi,fructus,redditus, & prouentus huiusmodi,vt præfertur habentibus, infra terminum per Franciscum Regem, seu ab eo pro tempore deputandos præfigendū Decima huiusmodi, vt præfertur colligatur,& exigatur; volentes, vt iuxta ordinationem super hoc in Concilio Viennensi editum, Calices, Libri,& alia ornamenta Ecclesiarū Diuinis Officijs deputata ex causâ pignoris,vel aliâ occasione dictæ exactionis nullatenus capiantur,recipiantur, distrahantur,vel etiam occupentur. Et nihilominus præfato Francisco Regi duos, tres, aut plures idoneos generales Collectores,receptores,& exactores,Decimæ huiusmodi pro dicto anno dumtaxat faciendi, constituendi,& deputandi,qui ad Ciuitates, Terras, Oppida,Castra,& loca Regnorum, Comitatuum, Ducatuum, & Dominiorum huiusmodi personaliter accedāt, vel prout eisdem Deputatis Collectoribus meliùs videbitur expedire, alios Subcollectores destinēt,qui Decimam ipsam ab omnibus,& singulis ad illius solutionem, vt præfertur, obligatis in terminis prædictis petere,exigere,leuare, & colligere procurent. Nos enim præfatis Deputatis Collectoribus,& Subcollectoribus Decimam huiusmodi per se,vel alium,seu alios, vt præfertur Deputandis,auctoritate Nostrâ exigendi,petendi,leuandi, & recipiendi, ac de receptis dumtaxat soluentes quietandi,liberandi,& absoluendi; necnon contradictores quoslibet,& rebelles, ac dictā Decimam soluere differentes, seu renuentes, excommunicationis sententiam, & priuationis Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum pœnas incurrisse declarandi, ac etiam per alias censuras Ecclesiasticas, aliaq; iuris opportuna remedia,ac sequestrationem fructuum, reddituum,& prouentuum huiusmodi compescendi; Et si proteruitas,aut contumacia exegerit,præfatos ab Ecclesijs,Monasterijs,Dignitatibus, Magistratibus,Præceptorijs,Baiulinis,Castellaniis,Hospitalibus,Beneficiis,& Officiis prædictis amouendi,& ad præmissa brachium sæculare inuocandi; necnon quotiens Collectores,vel Subcollectores deputandi huiusmodi respectiuè abesse contigerit aliam, vel alias personas,seu personas Ecclesiasticam, vel Ecclesiasticas, vel cuiusuis Ordinis Regulares in Regnis,Ducatibus,Comitatibus, Dominiis, Ciuitatibus,Terris,Castris,& locis prędictis illorumq; Diœcesis loco eorum,& consimili,aut limitata potestate deputandi,substituendi,illasq;amouendi, & alia de nouo substituendi,ac ab eis computa,& rationes de collectis,& administratis, recipiendi,& ad id per cēsuras,& pœnas prædictas,& alias modo præmisso cogēdi,& cōpellendi,omniaq; alia,& singula in prę missis,& circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciēdi,exercendi,gerēdi,&exequendi. Prę sentiūq; copijs,si manu fuerint Prælati, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ cōstitutę munitę,

ea

prorsus fides indubia, in iudicio, & extra, ac aliàs vbilibet in omnib., & per omnia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginã Nostrę impositionis, concessionis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attemptare prçsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo quingentesimo sexto decimo, Cal. Iunii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

## CONSTITVTIO CXXV.

### SVMMARIVM.

1517. *Feb.* 17.

### LEO PAPA X.

*Reuocat facultatem interpretandi mentem Pontificis circa Præsidentis, & Definitorum Congregationis Casinensis electionem, concessam D. Ignatio de Florentiâ.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyrone Arm. I. Caps. I. n. 83.*

LEo Papa X. Dilecto filio Ignatio de Florẽtiâ Abbati Monasterij S. Iustinę de Paduâ. Dilecte Fili salutẽ, & Apostolicam benedictionẽ: Superiore anno, dum Florentię essemus, pro debito, quiete, & salubri regimine Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ, de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti, quam in visceribus gerimus charitatis, Motu nostro proprio, & ex certâ scientiâ, nonnulla statuimus, & ordinauimus; & inter reliqua de electione Præsidentis, & Definitorum, ac modo etiam, & forma seruandis, quę omnia, de tuâ fide, integritate, & religionis zelo in Domino confisi, tibi exequenda, & hæc interpetranda, ac declaranda, secundum mentem Nostram, quam tunc tibi aperuimus, mandauimus, atque commisimus; prout in litteris Nostris sub plumbo, Datæ Florentię Anno Incarnationis Dominicę M. D. XV. XIII. Calendas Martij, Pontificatus Nostri Anno Tertio; quarum litterarum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus insereretur pro sufficienter expresso haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem te officio tuo rectè functum credamus, atque aliâ executione, interpretatione, aut declaratione statuta, & ordinata à Nobis, & tibi commissa in prædictis litteris post hâc non egere videantur; eisdem motu, & scientiâ, bonisque rationibus, & causis moti, omnem facultatem vigore prædictarum litterarum nostrarum tibi concessam, tenore præsentium reuocamus, atque executionem, interpretationem, seu declarationem huiusmodi vlterius non durare decernimus. Tibi nihilominus expressiùs inhibentes, ne post hâc ad vlteriorem aliquam executionem, interpretationem, seu declarationem earumdem litterarum quouis modo procedas; & omnem auctoritatem, illarum vigore tibi attributam, te super hoc supplicante, & tuo ad hoc accedente consensu cassam esse decernimus. Irritum quoq; & inane quicquid secus fieri contigerit, decernentes. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis Nostris litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris Die XVII. Februarij, M. D. XVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto. Ia. Sadoletus.

## CONSTITVTIO CXXVI.

### SVMMARIVM.

1517. *Martij* 26.

### LEO PAPA X.

*Priuilegia Congregationi S. Iustinæ concessa à Summis Pontificibus, & Principibus, non comprehendi in limitatione per Concilium Lateranensem factâ Priuilegijs Ordinum Mendicantium, & per eumdem Leonem ad alios Ordines extensa, sed ea in suo robore illibata permanere declarat, eademque confirmat. Sublatâ cuicunque aliàs interpretandi facultate.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyrone Arm. I. Caps. I. n. 49.*

LEo Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Padua, Ordinis Sancti Benedicti de Obseruantia. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Decet Romanum Pontificem gesta per eum, super quibus dubia oriuntur, suæ declarationis arbitrio ità planè facere, vt nulli valeat exinde dubitationis inuolucrum exoriri. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecistis, licet inter alia Priuilegia, Immunitates, Exẽptiones, Concessiones, Gratias, & Indulta Congregationi vestræ, ac illius locis & personis pro tempore existentibus ab Apostolica Sede concessa, & confirmata, felicis recordationis Eugenius Papa Quartus prædecessor Noster, Motu proprio, Congregationem ipsam, & illius Præsidentem, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, Conuersos, Commissos, Nouitios, & Personas, ac eorum Cappellanos qui pro tempore forent, etiam curam habentes animarum, necnon Familiares, & Seruitores ipsorum in præfatâ Congregatione pro tempore existentes, ac Monasteria, Prioratus, & Loca eidem Congregationi pro tempore vnita, & incorporata, necnon omnia & singula dictorum Prioratuum, & Locorum pro tempore vnitorum & incorporatorum, Ecclesias, Cappellas, etiam si ipsis cura immineret animarum, Oratoria, mansualia, membra, & bona quæcumque dictæ Congregationis pro tempore existentia, à quorumcumque Legatorum, Delegatorum, & Subdelegatorum, necnon Nunciorum dictæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumuis Officialium Romanæ Ecclesiæ, ac etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Administratorum, & aliorum quorumcumque Iudicum Ordinariorum, quouis nomine, & potestate fungantur, Locorum Ordinariorum ditione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione, itaquod in dictam Congregationem, vel eius singulares Personas, vel Benefactores, occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum cum Monachis eiusdem Congregationis conuersarentur, seu ab eis reciperet Absolutionis beneficium, & Eucharistiæ Sacramentum; necnon Monasteria, Prioratus, Loca, & Personas in eis degentes, ratione delicti, excessus, seu contractus, aut rei de qua ageretur, excõmunicationis, suspensionis, & interdicti, aut aliàs quasuis sententias; nisi de speciali commissione Sedis Apostolicæ, ac de indulto huiusmodi, ac Con-

gregatione præfata mentionem expressam faciẽdo, quomodolibet directè vel indirectè ferre, seu promulgare non possent, de plenitudine potestatis cum irritanti decreto per quandam, prorsus exemerit & totaliter liberauerit. Illaque omnia in ius, & proprietatem Beati Petri, & Sedis eiusdem, ac sub eorum protectione; reseruato sibi & Ecclesiæ Romanæ Annuo Censu in festo Beatorum Petri, & Pauli annis singulis Cameræ Apostolicæ persoluendo Auri Vnciæ Vnius in signum Perpetuæ Libertatis, & Exemptionis specialiter susceperit. Ac per alias suas litteras Motu simili statuerit, ordinauerit, & decreuerit, quod quandocumque literæ Apostolicæ, etiam Motu proprio, sub quacumque expressione verborum, ac clausularum derogatoriarum pro tempore confectæ, quæ huiusmodi Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, gratijs, & indultis dictę Congregationi hactenus concessis, ac infuturum concedendis in toto, vel in parte obuiarent; nisi appareret euidentissimè, & apertissimè, quod Summus Pōtifex, qui pro tempore esset Priuilegijs, & indultis ipsis in toto, vel in parte vellet derogare per literas Apostolicas facientes specialem mentionem, de verbo ad verbum, ex certâ sciẽtiâ de huiusmodi Priuilegijs, ac ipsâ Cōgregatione, diuersis nominibus eam nominando per hęc preciosa vocabula, videlicet, Cōgregationẽ Vnitatis, vel de Obseruãtiâ Sanctæ Iustinæ nuncupatam expresserit; Quodque eisdem Priuilegijs, indultis, & concessionibus intendat derogare; Ac in eisdem litteris & nominatim & seriatim expressa forent omnia nomina Monasteriorum dictæ Congregationis, nullius esset roboris, vel momenti. Nihilominus, cũ nuper Nos, Sacro approbante Concilio, Concessiones Fratribus Mendicantibus per Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & Sedẽ Apostolicam factas, sub certis modo, & formâ tunc expressis per alias Nostras litteras moderauerimus, ac huiusmodi moderationẽ ad alios Religiosos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam seruari debere intendimus, volumus, & decreuimus; per illas asseritur Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, gratijs, & indultis huiusmodi dictæ Congregationi prædictis præiudicatum fuisse, ac Congregationem, & illius personas huiusmodi, illis iuxta moderationem huiusmodi dumtaxat vti, & gaudere debere. Nos, ad quos ex commissi Nobis officij debito pertinet omnem ex Apostolicis Constitutionibus dubietatis scrupulum submouere, nè propterea veritatis suppressione, quis iure suo frustretur. Volumus super hoc vestræ, & dictæ Congregationis statui, & indemnitati prouidere; Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, & declaramus Per Moderationem, & Litteras Nostras predictas, nullum Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, gratijs, & indultis Congregationi præfatę, & in illius fauorem, vt prefertur, per tot Romanos Pontifices concessis, & variatis vicibus confirmatis, prędiudicium generatum; Neque ea sub huiusmodi Moderatione comprehensa fuisse, & esse, aut generari, & comprehendi potuisse, vel posse; Sed quoad huiusmodi Moderationem illęsam permansisse, & permanere; Congregationemque, & illius pro tempore existentes Præsidentes, Visitatores, & alios Prelatos illius, absque huiusmodi Moderatione liberè, iuxta illorum tenorem vti posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si Moderationi huiusmodi desuper confectis litteris vos expressè excepti fuissetis. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, Sublata eis & eorum cuilibet quauis alitèr interpretandi facultate, & auctoritate; iudicari, & sententiari debere. Irritumque, & inane, si secus super his à quoquam, quâuis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicæ Sedis; necnon omnibus illis, quę in dictis litteris volumus non obstare; cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Mallianæ, die 26. Martii. 1517. Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO CXXVII.

### SVMMARIVM.

1517. *Martij* 27.

### LEO PAPA X.

*Monachos Congregationis Casinensis ad alios Ordines, etiam ad Eremitas Camaldulenses transire vetat, absque Superiorum dictæ Congregationis licentiâ.*

LEo Papa Decimus. Ad futuram rei memoriam: Licet (Sacra scriptura testante) dicatur In eâ vocatione, in qua vocati estis perseuerate vsque in finem; tamen nonnulli Monachi Congregationis Casinensis, aliâs Sanctæ Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti postquam in Monasterijs dictæ Congregationis Ordinem ipsum expressè Professi fuerint, quãdam cum honestate, aut aliâs maligno instigãte spiritu, nescientes abstineri à vetitis, & permanere in Monasteriis, in quibus iuxta proprium votum stare tenentur; ad alios Ordines, suorum Superiorum licentiâ minime petitâ, vel saltem non obtentâ, se transferunt; Vnde scandala quamplura succedunt, & alijs perniciosũ exemplũ prebeat, & Regularis Obseruantia, ac Sancta Obedientia confunditur. Nos pro Pastorali officio Volentes desuper, quantum cum Deo possumus, opportunè prouidere, ac scandalis, quæ inde oriri possint, obuiare: Motu propio, & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicę potestatis plenitudine Decernimus, declaramus, & mandamus per præsentes; Quod Monachi dictæ Cōgregationis Casinensis, dictum Ordinem expressè professi, nisi à suis Superioribus licentiam petierint, & obtinuerit, ad Religiosos alterius cuiusuis Ordinis, prę sertim Camaldulensium, etiam vitam Eremiticam agentium, animo sese illis associandi, illorumque Ordinem profitendi, nullo modo se transferre possint. Contrafacientes autem, scilicet tam recipientes, quam recepti, Excommunicationis latæ sententiæ, quam ferimus in his scriptis, pœnam incurrant; à quâ, nisi à Nobis, & successorib. Nostris Romanis Pontificibus, præterquam in mortis articulo constituti, nullatenus absolui possint. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque, & consuetudinibus dictorum Ordinum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, Priuilegijs quoq; & indultis Apostolicis eorumdem Ordinum, & præsertim Camaldulensis etiam vitam Eremiticam agentibus Religiosis, sub quibusuis verborum formis, tenoribus, & clausulis quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; Quibus, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua ac de verbo ad verbum,

bum, non autem per generales clausulas id importante intentio, seu quæuis alia maior expresśio, aut alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores hic pro sufficientèr expresśis, & insertis habentes, quo ad hoc illis aliàs, in suo robore permansuris, specialiter, & expressè derogamus; cœterisque in contrariū facientibus non obstantibus quibuscūq; Datum in Villâ nostrâ Manlianâ Portuen: Diœcesis, sub annulo Piscatoris. Die 27. Martij. 1517. Pontificatus Nostri anno 5. Bembus.

## CONSTITVTIO CXXVIII.

### SVMMARIVM.

1517. Nou. 15.

### LEO PAPA X.

*Facultates ingrediendi Monasteria Monialium Congregationis Casinensis, etiam à Sede Apostolica concessas & concedendas Mulieribus sæcularibus, & Monialibus pariter exeundi dicta Monasteria, quouis prætextu, etiam vigore Confessionalium litterarum; præterquam in casibus à Iure permissis abrogat; nisi præsentibus ad verbum derogetur, vel adsit specialis, & expressâ licentiâ Præsidentis dictæ Congregationis.*

*Ex Arch. S. Io: Euang. de Parma Capś. 24. lib. 3. fol. 51.*

Leo Papa X. Dilectis filijs Præsidenti, & Definitoribus, ac Regimini Congregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti, nunc, & pro tempore existentibus. Dilecti filii salutem & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod cum aliàs ad remouendum conuersationes, & colloquia sæcularium à Monialibus, quę diuersis in locis clausæ, sub vestro regimine cōmissæ sunt, per alias Nostras sub formâ Breuis litteras, nè aliqua Mulier sub pœna excommunicationis dicta Monasteria Monialium ingrederetur, neque Moniales ipsæ ex Monasterijs exirent; & vobis, ne eis huiusmodi licentiam concedere possetis vt latius in dictis litteris continetur, considerantes id in animarum quietem præfatarum Monialium affuturum, mandauissemus; tamen postea, contra hoc noua adinuenta est via; nam multæ Mulieres, vt conuersationem Monialium præfatarum, & Monasteriorum ingressum pro eorum libito haberent, â Sede Apostolicâ varijs, & diuersis figmentis, & coloribus in eorum precibus appositis, licentiam obtinuerunt; ob quod factum est, vt si prius de licentiâ vestrâ moderatè, postea, quasi sine timore, ingressus, & exitus omnibus pateat. Proinde supplicastis, vt de benignitate Apostolicâ vobis, quod sine licentiâ vestrâ, etiam si à Sede Apostolicâ obtinerent, vel vigore Confessionalium, vel quarumcunque aliarum Nostrarum litterarum, nec Moniales exire, nec Monasteria aliæ respectiuè ingredi possint, & valeant, concedere dignaremur. Nos attentis præmissis, vestris huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ, harum serie vobis specialem gratiam facientes, decernimus, quod post hàc nullæ Mulieres cuiuscumque status, gradus dignitatis, auctoritatis vel præheminentiæ fuerint, vigore litterarum Apostolicarum eis in posterum concedendarum; nisi in illis de præsentibus litteris specialis mentio fiat, & illis expresśè derogetur, absque expresśâ licentiâ Præsidentis istius vestrę Congregationis, & non alterius, Monasteriorum clausuram ingredi, nec inde Moniales sub vestrâ curâ, vt præfertur, existentes, quouis modo, vel sub quouis quæsito colore exire, etiam causâ colligendorum fructuum, seu vindemiarum, præterquam in casibus à iure permissis, sub anathematis pœnâ audeant, vel præsumant. Non obstantibus pręmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque in contrarium faciētibus quibuscumq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 25. Nouembris 1517. Pōtificatus Nostri Anno Quinto. Euangelista.



## CONSTITVTIO CXXIX.

### SVMMARIVM.

1519. Apr. 2.

### LEO PAPA X.

1 *Martini Papæ V. Priuilegia ad fauorem Congregationis Sanctæ Iustinæ concessa, & ab Eugenio Papa IV. concessa, & confirmata respectiuè, numerat, & confirmat.*

2 *Exemptiones eiusdem Congregationis à iurisdictione Legatorum, Nunciorum, Ordinariorum, & aliorum quorumcumque Iudicum, & confirmationem eiusdem Congregationis sub immediatà Romanæ Sedis protectione, approbat.*

3 *Priuilegijs dictæ Congregationis, & eorum singulis particulis derogari non posse, nisi cum specialitatibus ab Eugenio IV. appositis, statuit, ac cōfirmat.*

4 *Monachos dictæ Congregationis, quamuis diuersorum Monasteriorum professi, vnum Corpus, & vnam Congregationem constituere, eamque sub Regulà S. Benedicti existere, confirmat.*

5 *Capitulum Generale singulis annis celebrandum, locumque ipsius electum non immutandum, decernit.*

6 *Definitores nouem ab eodem Capitulo eligendos, qui totum Capitulum repræsentantes, Constitutiones, & decreta pro eiusdem Congregationis spirituali, ac temporali administratione, ac diuini Officij directione iuxtà Sancti Benedicti Regulam, statuere, ac statuta alterare posse; eiusdemque Regulæ interpretationem committit, & confirmat.*

7 *Definitorum eorundem Decreta, ab omnibus dictæ Congregationis obseruanda.*

8 *Definitores eosdem de præfatis Monasterijs, locis, & bonis, liberè disponere posse.*

9 *Abbates, & Priores vacantium Monasteriorum, & Prioratuum ab ipsis Definitoribus eligendos, electosque absque aliquà causæ cognitione deponendos.*

10 *Visitatorum deputationem ab eisdem Definitoribus faciendam.*

11 *Præsidentem de Visitatorum numero eligendum, qui per annum, vsque ad futurum Capitulum, vnà cum Visitatoribus eiusdem Congregationis administrationem, iuxtà ipsius Congregationis Decręta suscipiat.*

12 *Capituli futuri locum, postquam electus, & acceptatus fuerit, non licere immutare, absque Præsidentis, & maioris partis Visitatorum assensu.*

13 *Præsidentis, & Visitatorum decreta ab Abbatibus, & Monachis obseruanda. Ipsisque Abbatibus à Monachis, & singulis suis subditis, obediendum.*

14 *Nouitios ad professionem non admittendos, nisi duarum partium Monachorum eiusdem Monasterij assensus accedat.*

15 *Monachos ab vno, ad aliud Monasterium dictæ Congregationis mutatos, seu deputatos, in actis, & negotijs etiam Capitularibus, & obedientijs, tamquam eiusdem loci professos esse censendos.*

16 *Monasteria eiusdem Congregationis sibi inuicem subiecta non esse.*

17 *Monasteriorum de nouo venientium vniones à Congregatione prædictà receptas, & dispositas, ac in formam publicam redactas, Apostolicæ confirmationis robore, eo ipso absque alià declaratione esse suffultas.*

*Martini Papæ V. decreta, circa Abbatum electionem, & redditaum, seu Mensæ Abbatialis diuisionem ab Eugenio Quarto abrogata, iterum abrogat.*

19 *Abbatum, & Priorum electiones, à Capitulo generali, aut à Præsidente, & Visitatoribus factas, à Sede Apostolicà confirmatas esse censeri. Ipsisque Abbatibus, vel Prioribus sua Monasteria, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus regere, & gubernare licere, confirmat.*

20 *Alexandri Papæ VI. confirmationes Priuilegiorum ad fauorem dictæ Congregationis concessorum, approbat.*

21 *Dubia in Priuilegijs dictæ Congregationis, & Monasteriorum emergentia, ad fauorem dictæ Congregationis, & Monasteriorum esse interpretanda, confirmat.*

22 *Priuilegia singulorum Monasteriorum ad totam Congregationem, & singula Monasteria extendi, confirmat.*

23 *Pacta quæcunque, etiam exorbitantia, & à iure prohibita, tàm pro Monasteriorum, & Beneficiorum vnione, quam etiam super eorumdem fructibus à Congregatione prædictà contracta, seu contrahenda, licita, & valida fore, ac etiam Apostolicà confirmatione vallata censeri. Quascumque vero concessiones, & collationes de dictis Monasterijs, & Beneficijs per Summos Pontifices, vigore huiusmodi pactorum, tamquam Simoniacorum factas, & faciendas, reuocatas, & nullas esse, confirmat.*

24 *Defectus omnes, & singulos in Constitutionibus, & Priuilegijs, Eugenij IV. & Alexandri VI. aliorumque Summorum Pontificum, ad fauorem dictæ Congregationis factos, supplet.*

25 *Priuilegia dictæ Congregationis à Summis Pontificibus, & Principibus concessa, non comprehendi in limitatione per Concilium Lateranensem factà Priuilegijs Ordinum Mendicantium, & per eumdem Leonem ad alios Ordines extensa; Sed ea in suo robore illibata permanere declarat, iterumque confirmat, Sublatà cuicumque aliàs interpretandi facultate. Eademque Priuilegia innouat, approbat, & confirmat.*

26 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padol, Arm. I. Caps. I. nu. 60.*

LEo Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum Sacræ Religionis specimen, vitæ mundiciam, & exemplares mores, seruens quoque, & assiduum in hijs, quæ ad Diuini cultus ornatum, & augmentum pertinent Dilectorum filiorum Monachorum Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduà, Ordinis Sancti Benedicti ante oculos ponimus mentis nostræ; ad ea libenter intendimus, quæ ipsorum quieti, & felici regimini, ac vitæ tranquilitati, commodo, & honori profutura conspicimus; & quæ propterea tàm à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, quàm Imperatoribus, Regibus, & alijs Principibus, & personis prouidà consideratione emanarunt, Nostræ approbationis, & confirmationis munimine roboramus, vt eò firmiùs inconcussa permaneant, quo fuerint crebriùs Apostolico præ-
1 sidio circumfulta. 1 Dudum siquidem, postquam felicis recordationis, Martinus Papa Quintus Prædecessor Noster, nonnulla dictis Congregationi, & illius Monachis, Monasterijs, & locis concesserat Priuilegia, quæ non vsque adeo ad pleniorem eiusdem Congregationis soliditatem, augumentumue
2 sufficiebant, piæ memoriæ Eugenius Papa Quartus, etiam Prædecessor Noster, propter dictorum Monachorum laudabilem vitam, & exemplares mores, sibi, etiam antequam ad Summi Apostolatus apicem assumeretur cognitos, Motu proprio, Congregationem ipsam, ac illius Præsidentem, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, Conuersos, Commissos, Nouitios, & Personas, ac eorum Cappellanos, qui pro tempore forent, etiam curam animarum habentes animarum, necnon Familiares, ac Seruitores ipsorum in præfatà Congregatione pro tempore existētes, ac Monasteria, Prioratus, & loca eidem Congregationi pro tempore vnita, & incorporata, omniaque & singula Monasteriorum, Prioratuum, & locorum pro tempore vnitorum, & incorporatorum, huiusmodi Ecclesias, Cappellas etiam curatas, Oratoria, manualia, membra, & bona quæcunque dictæ Congregationis pro tempore existentia, à quorumcumque Legatorum, Nunciorum Apostolicæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumuis Officialium Romanæ Ecclesiæ, ac etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumlibet Iudicum Ordinariorum, & Delegatorum, quibusuis nomine, & potestate fungentium ditione, authoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione, etiam in pluribus ibi expressis casibus, cum irritanti decreto, de Apostolicæ potestatis plenitudine, per quasdam prorsus exemit, & in Ius, ac protectionē Beati Petri, & Sedis prædictæ, ac sub illorum protectione specialiter
3 suscepit. 3 Et per alias, quod quæcunque litteræ Apostolicæ, etiam Motu proprio, sub quibusuis verborum expressione, & etiam derogatoriarum derogatorij clausulis pro tempore confectæ, quæ

Pri-

Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, gratijs, & indultis dictæ Congregationi, tunc concessis, & in futurum concedendis in toto, vel in parte obuiarent, nisi apertissimè, & euidentissimè appareret, quod Summus Pontifex, qui pro tempore esset, Priuilegijs, exemptionibus, gratijs, & indultis prædictis ex certâ eius scientiâ derogare intenderet, & in ipsis derogatorijs litteris, de singulis Priuilegijs, & Congregatione huiusmodi, & quod ea de Obseruantiâ Sanctæ Iustinæ nuncupabatur, & singulorum Congregationis eiusdem Monasteriorum nominum expressa, & specialis mentio fieret, nullius essent roboris, vel momenti statuit, atque
4 decreuit. 4 Et per reliquas suas litteras sanxit, voluit, & ordinauit, quod omnes, & singuli dictæ Congregationis Monachi Ordinem ipsum professi, tunc præsentes, & futuri, quamuis in diuersis Monasterijs, seu locis pro tempore morarentur, vnumtantum corpus, & vna Congregatio existerent. Ipsam quidem Congregationem Motu, & scientiâ similibus approbando, & sub Ordine, & Regulâ Bea-
5 ti Benedicti consistere declarando. 5 Quodque pro eorundem Monachorum salubriori statu, in loco ad id congruo, Generale, iuxtà laudabilem, quæ desuper dudum antea viguerat consuetudinem, Capitulum per eos singulis annis celebraretur, nec illud, postquam inchoatum foret, donec pro alio futuro celebrando Capitulo similis locus electus, & acceptatus existeret, quomodolibet dissolueretur.
6 6 In quo Capitulo Nouem ex illis, qui in illo vocem habere possent eligerentur Definitores: Qui sic electi totum Capitulum præfatum repræsentantes, pro salubri dictæ Congregationis successu, statuta, constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis, ac præfatæ Regulæ statum, obseruantiam, & indemnitatem, & circa Diuini Officij directionem, & ordinationem absque tamen ipsius Regulæ mutatione substantiæ, vel effectus, interpretationem, seu declarationem quomodolibet concernere poterant, authoritate Apostolicâ instituendi, ordinandi, interpretandi, & declarandi; Necnon ea, quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata forent in toto, vel in parte, prout rerum, vel temporum qualitates exigerent amouendi, alterandi, & in meliùs commutandi plenam,
7 & liberam in omnibus haberent facultatem. 7 Quorum Definitorum statutis, constitutionibus, & ordinationibus, definitionibus, & correctionibus singuli de Congregatione huiusmodi, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, siue conditionis existerent in
8 omnibus efficacitèr parère tenerentur. 8 Volens, ac statuens, quod huiusmodi Definitores de præfatis Monasterijs, & locis, ac eorum bonis, prout dictæ Congregationi expedire eis videretur, liberè
9 disponere. 9 Necnon ex ipsis Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos iudicarent in Abbates, & Priores vacantium pro tempore Monasteriorum, & Prioratuũ huiusmodi aliàs iuxtà dictæ Congregationis Constitutiones, ordinationes, & statuta eligere, seu nominare, & ad beneplacitum eorum talitèr electos, seu nominatos, absque aliquâ causæ cognitione à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præessent, & quæ tunc propterea vacare censerentur, absoluere, & amouere, ac etiam omnia, & singula, quæ in præmissis omnibus, & circa ea quomodolibet necessaria, vel oportuna forent, fa-
10 cere, & exequi liberè, & licitè possent. 10 Et nè post dissolutionẽ huiusmodi Capituli Congregatio ipsa regiminis solatio destituta remaneret; Quinque vel plures, prout Definitoribus ipsis visum fo-
11 ret, Visitatores deputarentur. 11 Quorum vnus iuxta dictorum Definitorum dispositionẽ Præsidẽtis vicem, nomenque susciperet, & ad eum, secundum huiusmodi decreta Capituli, singula præfatæ Congregationis negotia defferrentur. Ipsique Præsidens, & Visitatores omnia, & singula facerent, disponerent, & exequerentur, super quibus ab huiusmodi Capitulo muniti potestate forent; vel quæ ab eo reciperent in commissis, aut aliàs iuxtà eorum constitutiones, & statuta; Quorum officia vsque ad
12 ex tunc sequens Capitulum durarent. 12 Locus autem Capituli præfati, postquam electus, & acceptatus foret, absque rationabili causâ, de Præsidentis quoque, necnon maioris partis Visitatorum eorundem assensu, nullatenùs mutaretur. 13 Ac quod omnes, & singuli tunc præsentes, & futuri dictæ Congregationis Prælati, Monachi Conuersi, & Commissi sub præfatorum, Visitatorum, & consequenter illorum Prælatorum, in quorum Monasterijs, siue locis ipsi Monachi, Conuersi, & Commissi morarentur obedientijs sisterent, eas
14 hinc inde, prout decens foret, impensuri. 14 Et insuper, nè facilitate præcipiti Religionis iugum quis acceptaret, nullus ex Monasteriorum, siue locorum huiusmodi Prælatis, absque deliberatione maturâ, & duarum partium sui Conuentus assensu, quempiam in Monachum, siue Conuersum Monasterij, siue loci, cui præesset, quomodolibet ad Professionẽ reciperet; alitèr verò inibi recepto, nisi posteà prædictus accederet assensus, stare vel morari ibidem
15 esset penitùs interdictum. 15 Et, vt cuiuslibet materiâ turbationis ademptâ, personæ Congregationis huiusmodi quietiùs possent Altissimo famulari, omnes, & singuli, quos de proprijs in quibus professi forent Monasterijs, & locis, ad alia tunc præsentia, & futura dictæ Congregationis Monasteria, siue loca, iuxtà ordinationem Capituli huiusmodi transferri contingeret, aut aliàs pro Conuentualibus quomodolibet deputari, ex tunc ab ipsis prioribus Monasterijs, atque locis realitèr absoluti essent, & aliorum Monasteriorum, locorumque prædictorum, quamdiu starent ibidem, Monachi, & suppositi reputarentur, & pro Conuentualibus eorum haberentur in actibus, & negotijs capitularibus, ac
16 si ibidem professi forent. 16 Et nè præmissorum occasione Monasterijs, & locis Congregationis huiusmodi, vel eorum alicui detractum fore quomodolibet extimaretur, omnia Monasteria, & loca prędicta, necnon illorum Prælati, atque personæ, quibuslibet eis à Sede Apostolicâ, vel aliàs qualitercunque concessis de iure, seu consuetudine quomodolibet debitis iuribus, præeminentijs, ac dignitatibus inconcussè gauderent, & vterentur; dummodo illa præmissis, & alijs huiusmodi Congregationis ordinationibus, & institutis non obsisterent. Nec propterea ex Monasterijs ipsis vnum reputaretur alteri subiectum, sed eis in suâ libertate remanentibus, illa vicissitudinis adminiculo coniuncta, sub felicis dictæ Congregationis regimine, conformi regularis obseruantiæ gressu, sibi inuicem suffragerentur.
17 17 Adiecit etiam idem Eugenius Prædecessor, quod quotiescumque Prælatus aliquis, Monasterium, cui præesset, ad eiusdem Congregationis obseruantiam reducere, & sub illâ reformare eligeret; iuxtà statuta, decreta, necnon ordinationes Congregationis huiusmodi, prout congruentiùs posset, ipsam reformationem faceret; eiusque desuper acta, conuentiones, & modi, quæ de consensu Congregationis

nis eiusdem, vel illorum, quos ad id deputarent, in formam publicam redacta forent, eo ipso confir-
18 mationis Apostolicæ essent robore suffulta. 18 Et quia dictus Martinus Prædecessor præfatæ Congregationi concesserat, quod vacantibus Monasterijs, quæ tunc erant dictæ Congregationis, electiones ritè, & canonicè celebratæ à duabus partibus eligentium, authoritate Apostolicâ confirmatæ ipso facto censerentur; Quodque de omnibus redditibus Monasteriorum præfatorum quinta pars pro decenti sustentatione Prælatorum deputaretur; aliæ verò quatuor partes per Cellerarios, absque contradictione Prælatorum in Monachorum, & Conuentuum vtilitates dispensarentur; Idemque Eugenius Prædecessor attendens, quod huiusmodi ordinationes, & decreta; non ad conseruationem, & augmentum dictæ Congregationis, sed ad eius dispendium maximum cedebant; omnia, & singula statuta, ordinationes, & decreta electionum, ac redditiuum diuisiones huiusmodi reuocauit, & annul-
19 lauit. 19 Volens iterum, ac statuens, quod electiones Abbatuum, & Priorum, ad dictæ Congregationis Capitulum Generale, aut Præsidentem, & Visitatores, iuxtà concessam eis, vt præmittitur facultatem, ac eorum constitutiones, & statuta, pertinerent; quibus taliter electis iuxtà Regulam Beati Benedicti, & eorum Constitutiones Monasteria ipsa, siue loca, & bona, tàm in spiritualibus, quàm in tẽporalibus regendi, & gubernandi libera, & licita es-
20 set facultas. 20 Et deinde recolendæ memoriæ Alexander Papa VI. similiter Prædecessor Noster similibus motu, & scientiâ, ac potestatis plenitudine, literas Eugenij Prædecessoris huiusmodi, ac prædicta & cætera in eis contenta quæcunque; necnon ordinationes, & consuetudines; quibus ipsa Congregatio regebatur, & gubernabatur, ac omnia & singula alia Priuilegia, Indulta, exemptiones, & immunitates, tàm eidem Congregationi, quàm quibusuis illius particularibus Monasterijs, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, tunc suos, & Sedem prædictam, aut aliàs quomodolibet concessa, per suas litteras approbauit, & perpetuæ
21 firmitatis robur obtinere debere decreuit. 21 Ac voluit, & declarauit quicquid dubij in dictis Priuilegijs, seu aliquo eorum pro tempore emersisset, data verborum ambiguitate, & variâ interpretatione, in fauorem dictæ Congregationis, & locorum par-
22 ticularium eius interpretari debere. 22 Ac cuiusuis particularis Monasterij Priuilegia toti Congregationi, & eius particularibus Monasterijs esse communia, eaque ad illa extendi, quando ipsa Priuilegia alijs Monasterijs, & locis dictæ Congregationis
23 adaptari, & conuenire possent. 23 Ac etiam Præsidentem, Definitores, & Congregationem prædictos, quæcunque Monasteria, & alia Beneficia, quæ vigore dictarum literarum Eugenij Prædecessoris eatenus receperint, seu quouis alio modo, vel formâ, etiam cum conuentionibus, & pactis super retentione bonorum, seu fructuum concessorum, aut partis eorum dictorum Monasteriorum, seu bonorũ eidem Cõgregationi, seu alicui Monasterio particulari eiusdem Congregationis cum dictis cedentibus factis, & habitis, licitè retinuisse, & retinere, & huiusmodi conuentiones, & pacta obseruare potuisse, & debere. Et non solùm huiusmodi, sed omnia alia pacta cuiuscunque conditionis, qualitatis, & modi, tàm exorbitantia, quàm à iure prohibita, & insolita, & quæ necessaria, ac speciali approbatione Apostolicâ indigerent, quæ aliàs tamen, robore Apostolicæ confirmationis munita, licita, & honesta forent, approbauit, & confirmauit, & sub Priuilegio Eugenij Prædecessoris huiusmodi contineri declarauit.
24 24 Supplens omnes, & singulos defectus, si qui ex quâcunque causâ interuenissent in eisdem, prout in Eugenij, & Alexandri Prædecessorum litteris hu-
25 iusmodi pleniùs continetur. 25 Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum, Præsidentis, & Visitatorum dictæ Congregationis exhibita petitio continebat, pro eo, quod nos dudum Sacro Lateranense approbante Concilio, inter alia, concessiones, & gratias Fratribus Ordinum Mendicantium per quoscunque Romanos Pontifices, & Sedem prædictam eatenus factas, ex causis, ac sub certis modo, & formâ ibi expressis Moderati sumus, & Moderationem huiusmodi ad reliquos quorumcumq; Ordinum professores, & Religiosos extendi, & per eos seruari debere voluimus, atque decreuimus; ab aliquibus reuocari posset in dubium, an Priuilegia, immunitates, exemptiones, gratiæ, & indulta ipsa, Congregationi, & illius personis, & locis, vt præfertur, concessa, sub Moderatione, & extensione prędictis comprehensæ fuerint. Pro parte eorumdem modernorum Præsidentis, & Visitatorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt prædictis, ac omnibus alijs, & singulis, tàm per dictos, quàm Sanctæ commemorationis Nicolaum etiam V. & Calixtum III. ac Pium II. Paulum etiam II. ac Sixtum similiter IV. & Innocentium VIII. ac Iulium etiam II. & quoscunque alios Romanos Pontifices, similiter Prædecessores Nostros, & alios Ecclesiarum Antistites, necnon Imperatores, & Reges, Principes, cæterosq; Potentatus, & terrarum Dominos concessis eidem Congregationi Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, gratijs, fauoribus, & indultis spiritualibus, & temporalibus, etiam si sæpius fuerint per Sedem Apostolicam approbata, pro eorum subsistentia firmiori, robur Nostræ innouationis, & confirmationis adijcere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Modernos Præsidentem, & Visitatores præfatos, & singulas personas Congregationis huiusmodi, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; Ac singulorum Priuilegiorum, immunitatum, exemptionum, libertatum, gratiarum, fauorum, & indultorum, ac super eis confectarum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes; Ex certâ Nostra scientiâ, authoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, fauores, & indulta spiritualia, & temporalia dictæ Congregationi, & illius personis Monasterijs, & locis, & eorum membris præsentibus, & futuris, vt præfertur, concessa, sub Moderatione, & extensione, ac voluntate, & decreto Nostris huiusmodi nequaquam comprehensa, sed ab illis fuisse, & esse prorsus excepta; & sic per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis aliter faciendi omnimodâ potestate, iudicari, & definiri debere. Necnon irritum, & inane, si secùs super ijs à quoquam, quâuis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Ipsaque omnia, & singula Priuilegia, exemptiones, immunita-

tes, gratias, fauores, & indulta spiritualia, & temporalia innouamus, approbamus, & confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obseruari debere decernimus. Supplentes omnes, & singulos, tàm Iuris, quàm facti defectus, si qui in Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, indultis fauoribus, & gratiis per Antistites, Imperatores, Reges, ac alios Romanos Pontifices, & inferiores concessis huiusmodi quomodolibet interuenerint. Et nihilominus potiori pro cautelà illa, omnia, & singula, prout per dictos prædecessores Antistites, Imperatores, Reges, & Principes, ac alios supradictos sunt concessa eisdem Congregationi, & illius personis, Monasteriis, & aliis locis, ac membris, authoritate Apostolicâ, & scientiâ similibus de nouo conce-
26 dimus. 26 Non obstantibus dicti Concilii, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, Monasteriorum, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, & omnibus illis, quæ Prædecessores præfati in singulis eorum litteris prædictis, voluerunt non obstare, cœterisque contrariis quibuscunque. Et quoniam difficile foret præsentes litteras ad singula queque loca in quibus exhibendæ essent deferri; Volumus, & eadem Apostolica authoritate decernimus, quod præsentium transumptis manu publici Notarii subscriptis, & dictæ Congregationis, vel alicuius personæ indignitate Ecclesiastica constitutæ, sigilli impressione munitis, ea vbique fides adhibeatur indubia, quę eisdem pręsentibus adhiberetur vbicunque essent exhibitę, vel ostensæ, cœterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrę absolutionis, declarationis, innouationis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, concessionis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo quingentesimo decimo nono, quarto nonas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO CXXX.

*SVMMARIVM.*

*1519. Maij 7.*

LEO PAPA X.

*Congregationi Casinensi, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, quòd ad Officium Præsidentis, Visitator qui aliàs non fuerit Præsidens assumi possit, non peracto biennio vacationis, indulget.*

LEo Papa X. Dilecto filio Præsidenti Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti. Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum aliàs pro bono Regimine Congregationis Casinensis, cuius ad præsens Præsidés existis, inter alia statuerimus, quòd ex nunc de cœtero in perpetuũ nullus dictæ Congregationis, qui Visitationis officium in eàdem Congregatione exercuisset, ad idem officium de nouo assumi posset, nisi per biennium ab huiusmodi officio vacasset, & qui dictæ Congregationis Præsidens fuisset, denuò ad Officium Præsidentis assumi non posset; nisi postquam à dicto Præsidentis officio quadriennio abstinuisset. Et quia Præsidens pro tempore, quam primum creatus est Præsidens, est, & esse censetur, vnus ex Visitatoribus, & cum alijs Visitatoribus substinet vices Præsidentis, & vnius ex Visitatoribus; & propterea dubitatur, quod si vnus ex Visitatoribus, qui biennio ab officio Visitationis abstinere debet eligitur in Præsidentem, cum etiam censeatur Visitator, an Præsidens esse possit. Nos (quorum mentis fuit, vt ille qui simplex Visitator nonnisi post biennium, qui verò Pręsidens fuit non nisi post quadriennium Præsidens esse possit, & ad quos spectat declarare dubia, quæ ex literis nostris oriri possint,) ad omnem ambiguitatem tollendam, per præsentes declaramus, Quòd, licet simplex Visitator ad officium Visitationis nonniũ post biennium assumi valeat, ad officium tamen Præsidentis, qui cum primum Præsidens creatur etiam Visitator esse censetur, assumi possit. Cum id quod per Nos in simplici Visitatore statutum fuit, ad casum mixtum, videlicet ad Præsidentem, qui etiam Visitator cum alijs simplicibus Visitatoribus esse censetur, minimè trahi debere intendamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Maij 1519. Pontificatus Nostri Anno 7. Euangelista.

## CONSTITVTIO CXXXI.

*SVMMARIVM.*

*1520. Ianuarij 23.*

LEO PAPA X.

*Facultates ingrediendi claustra Monialium, etiam à Sede Apostolicà concessas, vel concedendas quibuscumque personis, præterquam Regiæ dignitatis, nisi accedat assensus Præsidentis per annum, vel Diffinitorum, tempore Capituli generalis, abrogat. Pœnamque Excommunicationis latæ sententiæ in contrafacientes promulgat.*

*Ex Arch. S. Euphemiæ Brixiensis. Armar. 11. lib. 54. f. l. 51.*

LEo Papa X. Dilectis filijs Præsidenti & Visitatoribus, pro tempore existentibus Congregationis Casinensis. Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Licet per aliàs Nostras ad remouẽdum à Monialibus curæ vestræ commissis conuersationes, & colloquia sæcularium, quibus ab institutis regularibus, & oratione, cœterisque spiritualibus actibus, & contemplatione, facilè distrahuntur; Et vt paci, & quieti vestræ, quæ ex importunis multorum petitionibus fatigantur consuleremus; in formâ Breuis, litteras; Nè aliqua mulier sub excommunicationis pœna, dictarum Monialium claustra ingrederetur, & vobis nè eis huiusmodi licentiam concedere possetis prohibuissemus, & mandauissemus. Considerantes nihilominus plures honestas causas de facili exoriri posse, quæ si talis facultas vobis adempta esset, vestram in Domino quiete perturbare, ac vos diuersis, conscientiæ scrupulis vexare, & implicare possent. Iccirco cupientes, quantum cum Deo possumus, quieti, & tranquillitati conscientiarum vestrarum simul & dictarum Monialium in præmissis opportunè prouidere. Motu proprio, & ex certâ

certâ nostrâ scientiâ, omnes, & singulas litteras super his hactenus emanatas, harum serie, reuocantes: Volumus, & ordinamus, vt liceat tibi fili Præsidenti infra annum: & dilectis filijs Definitoribus vestri Capituli generalis, dicto capitulo dumtaxat durãte, quibuscumque Mulieribus pro honestis & licitis causis, vt dictorum Monasteriorum claustra licitè & liberè ingredi possint, licentiam impartiri. Prohibentes nihilominus Motu, & scientiâ similibus, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ; Nè quâ mulier cuiuscumque sit gradus, vel dignitatis, præterquam Regiæ, dictorum Monasteriorũ claustra, etiam quorumcumque indultorum, & facultatum à Nobis vel sede Apostolicâ concessorum, vel in posterum concedendorum, etiam quantumlibet graues censuras, & pœnas continentiũ pretextu, absque tuâ, aut dictorum Definitorum, vt dictum est, expressâ licentiâ, quouis modo intrare præsumant. Ipsisq; Monialibus, dictarum Mulierum receptionem sine dictâ licentiâ, sub eâdem excommunicationis sententiâ penitus interdicimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac litteris, priuilegijs, indultis, & facultatibus prædictis: Quibus, etiamsi in eis caueatur expresè, quod illis nequeat in aliquo derogari, & si derogari contingat, derogatio huiusmodi nullam obtineat firmitatem, Motu & scientia similibus specialiter derogamus: cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die 23. Ianuarij 1522. Pôtificatus Nostri Anno septimo. . . Euangelista.

## CONSTITVTIO CXXXII.

### *SVMMARIVM.*

*1520. Maij 16.*

## LEO PAPA X.

*Lites, & Causas inter Cameram Apostolicam, & Congregationem Casinensem, seu S. Iustinæ pro Annatis, seu Quindennijs, Communibus, & minutis seruitijs, ad se auocat. Congregationemq; prædictam à solutione prædictarum Annatarum, Communiũ, & minutorum liberam, & immunem, decernit.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padolyrone.*

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex debito pastoralis officij, quo Iustitiæ zelũ præ oculis semper habemus, prouidere Nos conuenit, vt personæ Ecclesiasticæ, præsertim sub Religionis iugo, piæ vitæ studio vacantes, à quibusuis indebitis molestijs liberentur, & aliâs nostræ operationis ministerio, illarum paci & quieti taliter consulatur, quod personæ ipsæ curis impertinentibus vacuæ, in sinceritatis spiritu & animorum tranquillitate, gratum Domino reddere valeant famulatum. Accepimus siquidem quod felicis recordationis Eugenius IV. & post ipsum, vel forsan ante, diuersi alij Romani Pontifices prædecessores Nostri, vsq; ad tempora piæ memoriæ Pauli Papæ II. etiã prædecessoris Nostri diuersa S. Benedicti, & forsan aliorum Ordinum Monasteria, ac alia, etiam Sæcularia Beneficia, Congregationi dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantia Casinensis, tunc S. Iustinæ nuncupatæ, eiusdem Ordinis S. Benedicti, ex certis tunc expressis causis perpetuò concesserunt, vniuerunt, & applicauerunt. Et postquam idem Paulus Prædecessor, inter alia, statuerat, ordinauerat, decreuerat, & declarauerat, quod omnia, & singula Monasteria, videlicet illa, quorum fructus, redditus, & prouentus ad summam centum ducatorũ auri de Camerâ, secundum communem existimationem, valorem annuum ascẽderent annuatim, vel in libris eiusdem Cameræ taxati reperirentur, Communia minuta seruitia, & alia iura debita, & consueta, tàm dictæ Cameræ, & S. R. E. Cardinalium Collegio, quam Officialibus Romanæ Curiæ; reliqua verò Monasteria eidẽ Congregationi vnita, vt præfertur, pro quibus Cameræ Apostolicæ Annatas, siue alia iura solui consueuerant temporibus retroactis, de soluendo singulis certis temporibus futuris, obligatio in eadem Camerâ facta non fuerat Annatam, seu medios fructus vnius anni in posterum singulis quindecim annis perpetuò futuris, eidem Cameræ omninò soluere tenerentur. Et ad hoc hij, quorum intererat, infra vnius anni spacium se in eâdem Camerâ efficacitèr obligare deberent; alioquin si à solutione, seu obligatione præmissis cessare præsumerent, vniones, applicationes, & concessiones prædictæ haberentur pro infectis; ipsaq; Monasteria, tamquam verè vacantia possent liberè impetrari, & canonice obtineri. Et recolendæ memoriæ Innocentij VIII. eiusdem Pauli prædecessoris litteras innouauerat, & vlteriores, ac grauiores pœnas in præmissis adiecerat, ac etiam censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra non soluentes, obligationemq; huiusmodi non facientes promulgauerat; Demumq; Iulius II. Romani Pôtifices, similiter prædecessores Nostri, litteras Pauli, & Innocentij prædecessorum huiusmodi, per eum forsan innouatis; Monasteria prædicta sic vnita, vt præfertur obtinentes, ad integram dictorum iurium solutionẽm eidem Cameræ faciendam infra annum tunc expressum teneri decreuerat; prout in diuersis Pauli Innocentij, & Iulij predecessorum etiam in formâ Breuis desuper cõfectis litteris dicitur plenius contineri. Litigato primum inter tunc Procuratorem Fisci nostri, ac alios pro dictâ Camerâ Agentes, seu ab eâ causam habentes ex vnâ, & tunc Presidentem, & Visitatores dictæ Congregationis super solutione Annatarum, Communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium prædictorum obligationemq; de infuturum soluendo, iuxtà litteras Pauli, Innocentij, & Iulij, aliorumq; Romanorũ Pontificum desuper editas, faciendis, & illorum occasione, partibus ex altera, coram tunc eiusdem Cameræ Præsidentibus, & Clericis, Præsidens, & Visitatores, ac aliæ Congregationis huiusmodi personæ tunc expressę, ipsaq; Congregatio censuras, & pœnas prædictas, ob non solutionem, & obligationis non confectionem huiusmodi incurrisse, in dictâ Camerâ declarati fuerunt. Et deinde, tàm super appellatione, ac declaratione huiusmodi interposita, quàm alijs præmissis coram diuersis Causarum Palatij Apostolici Auditoribus, plurium annorum spacio litigatum fuerunt, prout de præsenti litigant, non sine magnâ dictæ Congregationis personarum conturbatione, ipsiusq; Congregationis in spiritualibus, & temporalibus detrimento. Nos igitur volentes litibus huiusmodi finem imponere, & prout tenemur paci, & quieti Congregationis, ac illius personarum prædictarum opportunè consulere. Congregationem eamdem, & illius singulares personas, a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure,

iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet, & quâcumq; ex causâ; etiam ob non paritionem rei (contra eos super præmissis, vel eorum aliquo) iudicatæ innodati existant; etiam si in eis per quantumlibet tempus insorduerint, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Motu proprio, non ad ipsorum Congregationis, vel aliorum pro eis super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra merâ deliberatione, & certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas prædictas, & alias Causas, præmissorum occasione, inter Procuratorem Fisci, & gentes Cameræ, ac quoscumq; alios, etiã ab eâdem Camerâ causã habentes, contra Congregationem huiusmodi, vel illius Prælatos, & personas, seu eorum aliquos coram dictis, vel alijs quibuscunq; Iudicibus motas, illorum status pro sufficienter expressis habentes, ad Nos aduocamus, & lites desuper, etiam per appellationem pendentes, prorsus extinguimus, & ipsos Congregationem, & illius Monasteria, & loca, Abbatesq; & Conuentus, ac alias personas ad solutionem Annatarum, Communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium dictis Cameræ, Collegio, aut Officialibus, ratione, tam prædictorum, quam aliorum quorumcunq; Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum vsq; in præsentem diem eidem Congregationi, & illius Monasterijs, siue locis perpetuò vnitorum, concessorum, vel applicatorum, super quibus nulla per dictam Congregationem, vel pro eâ agentes Obligatio in dictâ Camerâ reperitur, ad Obligationem de eis soluendis faciendam minimè obligatos fuisse, neq; ad illas, vel earum aliquam condemnari, aut constringi potuisse, sed à talibus solutione, & obligatione semper liberos, & exẽptos extitisse; & Pauli, Innocẽtij, ac Iulij, aliorũq; prædecess. literas huiusmodi, ac super illis, & illorũ prætextu, monitoria, & mandata, etiã quascunq; cẽsuras, & dissolutionum, ac priuationum, & inhabilitatis pœnas in se continentia; decreta, etiam executioni demandata, quo ad præfatam Congregationem, & illius Monasteria, & personas locum vendicare nequiuisse; omnesq; & singulas de Monasterijs, & locis Congregationis huiusmodi, tamquam per dissolutionem, aut cessationem vnionum, annexionum, & incorporationum prædictarum, aut priuationum de illis, vel aliàs, ob non solutionem Annatarum, Communium, & aliorum iurium prædictorum, vel non factam Obligationem huiusmodi, vacantibus, etiam apud Sedem Apostolicam, Prouisiones, Commendas, Vniones, & alias dispositiones, si quæ à Nobis etiam Motu, & scientiâ similibus pro aliquibus dictorum Cardinalium, & ex quibusuis vrgentissimis, & necessarijs, ac vtilibus causis, & cum quorumuis decretorum, & declarationum adiectionum, hactenus emanatis, quorum omniũ, & litterarum inde forsan confectarum tenores pro sufficienter expressis haberi volumus; & quæcumq; inde secuta, nulla, irrita, & inania, & per importunitatem, & circumuentionem, ac contra mentem Nostram edita, & gesta fuisse, & esse; Monasteriaq; & loca Congregationis huiusmodi ob non solutionem Annatarum, Communium, & Iurium, ac non factam Obligationem prædictas, vel alios defectus, seu causas, nullatenùs vacasse, neq; in futurum vacare, & eorum fructuum annuum valorem, vltra id, ad quod de præsenti in libris dictæ Cameræ taxatus respectiuè reperitur, augeri, vel aliàs in dictæ Congregationis præiudicium alterari nullo vnquam tempore posse attestamur, interpretamur, decernimus, & declaramus; necnon Procuratoris Fisci, ac gentibus Cameræ, & Cardinalibus, ac Officialibus, & alijs personis quibuscumq;; ac auctoritate, & potestate similibus, Monasteria, & Beneficia hactenus vnita, etiam si ex quâuis causâ Vniones huiusmodi nullæ, aut inualidæ forent, & quouismodo vacarent; etiã si Curata, Electiua, Dignitates, etiã Conuentuales, & ad nutum amouibilia, aliasq; vtcunq; qualificata; etiam si deuoluta, affecta, & litigiosa forent, habendo pro expressis; quoscunq; defectus, etiam intentionis, ac fructus, si qui indebitè, & malè per ipsam Congregationem, seu illius personas fuerint, dictæ Congregationi Vnimus, & Incorporamus, derogando Constitutioni Nostræ de fructibus exprimendis, tàm Beneficij vniti, quàm cui fit vnio, suæ in præmissis interesse putantibus, silentium desuper imponimus. Et nè alicui Congregationem præfatam, vel eorum personas, præmissorum occasionem, directè, vel indirectè, vlteriùs molestandi causa subsit, præsentes litteras, ad plenè probandum omnia, & singula prædicta in iudicio, & extrà sufficere, nec ad id vlterius probationis adminiculum quoquomodo requiri; & de intentionis nostræ defectu, aut alio quouis vitio impugnari nullo modo posse. Et sic per quoscunq; Iudices, & Commissarios, etiam Auditores, & Cardinales præfatos in quâuis instantiâ iudicari, sententiari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr faciendi omnimodâ potestate; ac irritum, & inane si secùs super hijs à quoquam quâuis, etiã Nostrâ auctoritate, etiã per Nos ipsos scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari. Quocirca vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & alijs personis in dignitate Ecclesiasticâ, vbilibet cõstitutis, Motu simili mandamus, quatinus ipsi, vel eorum aliquis, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando expedierit, ac quotiens pro parte dictorum Congregationis, vel alicuius ex illius Prælatis fuerint requisiti solemniter publicantes, ipsiq; in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ eos, vel eorum quemlibet litteras Nostras huiusmodi in omnibus, & singulis in eis contentis, vti, & gaudere; non permittentes eos, aut eorum aliquem per quoscunque desuper indebitè molestari; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si erit opus auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac quæ dudum decreuimus, & declarauimus Nostræ intentionis fore, quod deinceps per quamcumq; signaturam, siue concessionem gratias, siue litteras, etiam si Motu, & scientiâ similibus à Nobis emanarent, nulli ius sibi quæsitum quomodolibet tolleretur, & contra insordescentes per quam, & propter causas ibi expressas in censuris per Nos editis, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunq;; aut si aliquibus communitèr, vel diuisim à dictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari nõ possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret præsentes litteras ad quæcunq; loca, in quibus de eis forsan fides fienda foret, deferri. Volumus etiam, & præfata auctoritate decernimus, quod earundem præsentium transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, ea vbiq; fides adhibeatur indubia, quæ adhiberetur præsentibus vbicunq;, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum

certâ nostrâ scientiâ, omnes, & singulas litteras super his hactenus emanatas, harum serie, reuocantes: Volumus, & ordinamus, vt liceat tibi fili Præsidens infra annum: & dilectis filijs Definitoribus vestri Capituli generalis, dicto capitulo dumtaxat durãte, quibuscumque Mulieribus pro honestis & licitis causis, vt dictorum Monasteriorum claustra licitè & liberè ingredi possint, licentiam impartiri. Prohibentes nihilominus Motu, & scientiã similibus, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœnã; Nè quã mulier cuiuscumque sit gradus, vel dignitatis, præterquam Regiæ, dictorum Monasteriorũ claustra, etiam quorumcumque indultorum, & facultatum à Nobis vel sede Apostolicã concessorum, vel in posterum concedendorum, etiam quantumlibet granes censuras, & pœnas continentiũ pretextu, absque tuâ, aut dictorum Definitorum, vt dictum est, expressã licentiã, quouis modo intrare præsumant. Ipsisq; Monialibus, dictarum Mulierum receptionem sine dictã licentiã, sub eàdem excommunicationis sententiã penitùs interdicimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac litteris, priuilegijs, indultis, & facultatibus prædictis. Quibus, etiamsi in eis caueatur expressè, quod illis nequeat in aliquo derogari, & si derogari contingat, derogatio huiusmodi nullam obtineat firmitatem, Motu & Scientiã similibus specialitèr derogamus: cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die 23. Ianuarij 1522. Põtificatus Nostri Anno septimo. . . Euangelista.

## CONSTITVTIO CXXXII.

### SVMMARIVM.

1520. *Maij 16.*

### LEO PAPA X.

*Lites, & Causas inter Cameram Apostolicam, & Congregationem Casinensem, seu S. Iustinæ pro Annatis, seu Quindennijs, Communibus, & minutis seruitijs, ad se auocat. Congregationemq; prædictam à solutione prædictarum Annatarum, Communiũ, & minutorum liberam, & immunem, decernit.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padolyrone.*

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex debito pastoralis officij, quo Iustitiæ zelũ præ oculis semper habemus, prouidere Nos conuenit, vt personæ Ecclesiasticæ, præsertim sub Religionis iugo; piæ vitæ studio vacantes, à quibusuis indebitis molestijs, liberentur, & aliàs nostræ operationis ministerio, illarum paci & quieti taliter consulatur, quod personæ ipsæ curis impertinentibus vacuæ, in sinceritatis spiritu & animorum tranquillitate, gratum Domino reddere valeant famulatum. Accepimus siquidem quod felicis recordationis Eugenius IV. & post ipsum, vel forsan ante, diuersi alij Romani Pontifices prædecessores Nostri, vsq; ad tempora piæ memoriæ Pauli Papa II. etiã prædecessoris Nostri diuersa S. Benedicti, & forsan aliorum Ordinum Monasteria, ac alia, etiam Sæcularia Beneficia, Congregationi dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiã Casinensis, tunc S. Iustinæ nuncupatæ, eiusdem Ordinis S. Benedicti, ex certis tunc expressis causis perpetuò concesserunt, vniuerunt, & applicauerunt. Et postquam idem Paulus Prædecessor, inter alia, statuerat, ordinauerat, decreuerat, & declarauerat, quod omnia, & singula Monasteria, videlicet illa, quorum fructus, redditus, & prouentus ad summam centum ducatorũ auri de Camerâ, secundum communem existimationem, valorem annuum ascẽderent annuatim, vel in libris eiusdem Cameræ taxari reperirentur, Communia minuta seruitia, & alia iura debita, & consueta, tàm dictæ Cameræ, & S. R. E. Cardinalium Collegio, quam Officialibus Romanæ Curiæ; reliqua verò Monasteria eidẽ Congregationi vnita, vt præfertur, pro quibus Cameræ Apostolicæ Annatas, siue alia iura solui consueuerant temporibus retroactis, de soluendo singulis certis temporibus futuris, obligatio in eàdem Camerã facta non fuerat Annatam, seu medios fructus vnius anni in posterum singulis quindecim annis perpetuò futuris, eidem Cameræ omninò soluere tenerentur. Et ad hoc hij, quorum intererat, infra vnius anni spacium se in eàdem Camerã efficacitèr obligare deberent; alioquin si à solutione, seu obligatione præmissis cessare præsumerent, vniones, applicationes, & concessiones prædictæ haberentur pro infectis, ipsaq; Monasteria, tamquam verè vacantia possent liberè impetrari, & canonicè obtineri. Et recolendæ memoriæ Innocentij VIII. eiusdem Pauli prædecessoris litteras innouauerat, & vlteriores, ac grauiores pœnas in præmissis adiecerat, ac etiam censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra non soluentes, obligationesq; huiusmodi non facientes promulgauerat; Demumq; Iulius II. Romani Põtifices, similiter prædecessores Nostri, litteras Pauli, & Innocentij prædecessorum huiusmodi, per eum forsan innouatis; Monasteria prædicta sic vnita, vt præfertur obtinentes, ad integrum dictorum iurium solutionem eidem Cameræ faciendam infra annum tunc expressum teneri decreuerat; prout in diuersis Pauli Innocentij, & Iulij prædecessorum etiam in formã Breuis desuper cõfectis litteris dicitur plenius contineri. Litigato primum inter tunc Procuratorem Fisci nostri, ac alios pro dictã Camerã Agentes, seu ab eã causam habentes ex vnã, & tunc Præsidentem, & Visitatores dictæ Congregationis super solutione Annatarum, Communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium prædictorum obligationemq; de infuturum soluendo, iuxtà litteras Pauli, Innocentij, & Iulij, aliorumq; Romanorũ Pontificum desuper editas, faciendis, & illorum occasione, partibus ex altera, coram tunc eiusdem Cameræ Præsidentibus, & Clericis, Præsidens, & Visitatores, ac aliæ Congregationis huiusmodi personæ tunc expressę, ipsaq; Congregatio censuras, & pœnas prædictas, ob non solutionem, & obligationis non confectionem huiusmodi incurrisse, in dictã Camerã declarati fuerunt. Et deinde, tàm super appellatione, ac declaratione huiusmodi interposita, quàm alijs præmissis coram diuersis Causarum Palatij Apostolici Auditoribus, plurium annorum spacio litigatum fuit, prout de præsenti litigant, non sine magnã dictæ Congregationis personarum conturbatione, ipsiusq; Congregationis in spiritualibus, & temporalibus detrimento. Nos igitur volentes litibus huiusmodi finem imponere, & prout tenemur paci, & quieti Congregationis, ac illius personarum prædictarum opportunè consulere. Congregationem eamdem, & illius singulares personas, a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure,

iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet, & quâcumq; ex causâ; etiam ob non paritionem rei (contra eos super præmissis, vel eorum aliquo) iudicatæ innodati existant; etiam si in eis per quantumlibet tempus insorduerint, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Motu proprio, non ad ipsorum Congregationis, vel aliorum pro eis super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra merâ deliberatione, & certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas prædictas, & alias Causas, præmissorum occasione, inter Procuratorem Fisci, & gentes Cameræ, ac quoscumq; alios, etiã ab eàdem Camerâ causã habentes, contra Congregationem huiusmodi, vel illius Prælatos, & personas, seu eorum aliquos coram dictis, vel alijs quibuscunq; Iudicibus motas, illorum statu pro sufficienter expressis habentes, ad Nos aduocamus, & lites desuper, etiam per appellationem pendentes, prorsus extinguimus, & ipsos Congregationem, & illius Monasteria, & loca, Abbatesq; & Conuentus, ac alias personas ad solutionem Annatarum, Communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium dictis Cameræ, Collegio, aut Officialibus, ratione, tàm prædictorum, quam aliorum quorumcunq; Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum vsq; in præsentem diem eidem Congregationi, & illius Monasterijs, siue locis perpetuò vnitorum, concessorum, vel applicatorum, super quibus nulla per dictam Congregationem, vel pro eâ agentes Obligatio in dictâ Camerâ reperitur, ad Obligationem de eis soluendis faciendam minimè obligatos fuisse, neq; ad illas, vel earum aliquam condemnari, aut constringi potuisse, sed à talibus solutione, & obligatione semper liberos, & exẽptos extitisse; & Pauli, Innocẽtij, ac Iulij, aliorũq; prædecess. literas huiusmodi, ac super illis, & illorũ prætextu, monitoria, & mandata, etiã quascunq; cẽsuras, & dissolutionum, ac priuationum, & inhabilitatis pœnas in se continentia; decreta, etiam executioni demandata, quo ad præfatam Congregationem, & illius Monasteria, & personas locum vendicare nequiuisse; omnesq; & singulas de Monasteriis, & locis Congregationis huiusmodi, tamquam per dissolutionem, aut cessationem vnionum, annexionum, & incorporationum prædictarum, aut priuationum de illis, vel aliàs, ob non solutionem Annatarum, Communium, & aliorum iurium prædictorum, vel non factam Obligationem huiusmodi, vacantibus, etiam apud Sedem Apostolicam, Prouisiones, Commendas, Vniones, & alias dispositiones, si quæ à Nobis etiam Motu, & scientiâ similibus pro aliquibus dictorum Cardinalium, & ex quibusuis vrgentissimis, & necessarijs, ac vtilibus causis, & cum quorumuis decretorum, & declarationum adiectionum, hactenus emanatis, quorum omniũ, & litterarum inde forsan confectarum tenores pro sufficienter expressis haberi volumus; & quæcumq; inde secuta, nulla, irrita, & inania, & per importunitatem, & circumuentionem, ac contra mentem Nostram edita, & gesta fuisse, & esse; Monasteriaq; & loca Congregationis huiusmodi ob non solutionem Annatarum, Communium, & Iurium, ac non factam Obligationem prædictas, vel alios defectus, seu causas, nullatenùs vacasse, neq; in futurum vacare, & eorum fructuum annuum valorem, vltra id, ad quod de præsenti in libris dictæ Cameræ taxatus respectiuè reperitur, augeri, vel aliàs in dictæ Congregationis præiudicium alterari nullo vnquam tempore posse attestamur, interpretamur, decernimus, & declaramus; necnon Procuratoris Fisci, ac gentibus Cameræ, & Cardinalibus, ac Officialibus, & alijs personis quibuscumq; ; ac auctoritate, & potestate similibus, Monasteria, & Beneficia hactenus vnita, etiam si ex quâuis causâ Vniones huiusmodi nullæ, aut inualidę forent, & quouismodo vacarent; etiã si Curata, Electiua, Dignitates, etiã Conuentuales, & ad nutum amouibilia, aliasq; vtcumq; qualificata; etiam si deuoluta, affecta, & litigiosa forent, habendo pro expressis; quoscunq; defectus, etiam intentionis, ac fructus, si qui indebitè, & malè per ipsam Congregationem, seu illius personas fuerint, dictæ Congregationi Vnimus, & Incorporamus, derogando Constitutioni Nostræ de fructibus exprimendis, tàm Beneficij vniti, quâm cui fit vnio, sua in præmissis interesse putantibus, silentium desuper imponimus. Et nè alicui Congregationem præfatam, vel eorum personas, præmissorum occasionem, directè, vel indirectè, vlteriùs molestandi causa subsit, pręsentes litteras, ad plenè probandum omnia, & singula prædicta in iudicio, & extrà sufficere, nec ad id vlterius probationis adminiculum quoquomodo requiri; & de intentionis nostræ defectu, aut alio quouis vitio impugnari nullo modo posse. Et sic per quoscunq; Iudices, & Commissarios, etiam Auditores, & Cardinales præfatos in quâuis instantiâ iudicari, sententiari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr faciendi omnimodâ potestate; ac irritum, & inane si secùs super hijs à quoquam quâuis, etiã Nostrâ auctoritate, etiã per Nos ipsos scienter, vel ignorantèr contigerit attemptari. Quocirca vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & alijs personis in dignitate Ecclesiasticâ, vbilibet cõstitutis, Motu simili mandamus, quatinus ipsi, vel eorum aliquis, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando expedierit, ac quotiens pro parte dictorum Congregationis, vel alicuius ex illius Prælatis fuerint requisiti solemniter publicantes, ipsiq; in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ eos, vel eorum quemlibet litteras Nostras huiusmodi in omnibus, & singulis in eis contentis, vti, & gaudere; non permittentes eos, aut eorum aliquem per quoscunque desuper indebitè molestari; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si erit opus auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac quæ dudum decreuimus, & declarauimus Nostræ intentionis fore, quod deinceps per quamcunq; signaturam, siue concessionem gratias, siue litteras, etiam si Motu, & scientiâ similibus à Nobis emanarent, nulli ius sibi quæsitum quomodolibet tolleretur, & contra insordescentes per quam, & propter causas ibi expressas in censuris per Nos editis, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunq; ; aut si aliquibus communitèr, vel diuisim à dictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari nõ possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret præsentes litteras ad quæcunq; loca, in quibus de eis forsan fides fienda foret, deferri. Volumus etiam, & præfata auctoritate decernimus, quod earundem præsentium transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticę munitis, ea vbiq; fides adhibeatur indubia, quæ adhiberetur præsentibus vbicunq; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum

num liceat hanc paginam nostræ absolutionis, auocationis, extinctionis, voluntatis, attestationis, interpretationis, declarationis, vnionis, incorporationis, derogationis, impositionis, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo vigesimo, decimo septimo Cal. Iunij, Pontificatus Nostri Anno octauo Grat. de Mandato S. D. N. PP. R. Millanesius. F. Sander. G. Gratianus. Iulius Cecius Compu. E. Scuta-us.

## CONSTITVTIO CXXXIII.

### SVMMARIVM.

*1520. Maij 16.*

### LEO PAPA X.

*Lites, & Causas inter Cameram Apostolicam, & Congregationem S. Iustinæ, seu Casinensem pro Annatis, seu Quindennijs, communibus, & minutis seruitijs ad se auocat; Congregationemque prædictam à solutione prædictarum Annatarum, & communium minutorum liberam, & immunem decernit. Censurasque, & pœnas, huiusmodi de causa, contra prædictam Congregationem latas, absoluendas à Confessarijs remittit.*

*Ex Arhiu. S. Benedicti de Padol. Arm. III. lib. 21. fol. 149.*

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Solet Sedis Apostolicæ consueta Clementiâ, recurrentium ad eam, post excessum, cum humilitate, personarum, præsertim Sacræ Religioni adstrictarum, statui benignè consulere, eique Apostolicos fauores liberaliter impartiri. Hodie siquidem per Nos, accepto quod litigato, primum inter tūc procuratorem Fisci Nostri, vel alios pro Camerâ Apostolicâ agentes, seu ab eâ causam habentes ex vnâ, & tunc Præsidentem, ac Visitatores Congregationis dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiâ Casinensi, tunc S. Iustinę Ordinis S. Benedicti super solutione Annatarum communium minutorum seruitiorum, & aliorum iurium consuetorum, occasione diuersorum eiusdem S. Benedicti, & forsan aliorum Ordinum Monasteriorum, ac aliorum etiam secularium Beneficiorum Congregationi huiusmodi concessorum, & vnitorum, tam eidem Cameræ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quam certis Romanæ Curiæ officialibus iuxtà quasdam felicis recordationis Pauli Secundi, Innocentij Octaui, & Iulij etiam Secundi Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum desuper confectas litteras, vt prætendebatur debitorum, necnon cassatione ab obligatione de illâ in futurum soluendorum, iuxtâ dictas litteras facienda, & illorum occasione partibus ex alterâ coram tunc eiusdem Cameræ Præsidentibus, & Clericis, Præsidens & Visitatores, ac aliæ Congregationis huiusmodi personæ; tunc expressæ, dictaq; Congregatio censuras, & pœnas in dictis litteris contentas, ob iurium huiusmodi non solutionem, & ab obligatione cessationem huiusmodi, incurisse, in dictâ Camerâ declarati fuissent. Et deinde tam super appellatione â declaratione huiusmodi pro parte dictæ Congregationis interposita, quam alijs præmissis coram diuersis Causarum Palatij Apostolici Auditoribus pluribus annis, non sine magnâ dictæ Congregationis, ac personarum conturbatione, ipsiusque Congregationis in spiritualibus, & temporalibus detrimento denuò litigatum esset, & litigaretur. Nos litibus huiusmodi finem imponere, ac quieti, & paci Congregationis, & illius personarum huiusmodi opportunè consulere volentes, Motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per alias nostras litteras omnes, & singulas prædictas, & aliàs causas præmissorum occasione inter procuratorem Fisci, & agentes Cameræ, ac Congregationem huiusmodi, ac illius Prælatos, & personas, seu illorum aliquos coram dictis, vel alijs quibuscumque Iudicibus, & Auditoribus motas ad Nos auocando, & lites desuper, etiam per appellationem pendentes, prorsus extinguendo; Congregationem huiusmodi; ac illius Monasteria, loca, Abbates, Conuentus, & aliàs personas ad solutionem Annatarum communium minutorum seruitiorum, & aliorum iurium dictis Cameræ, Collegio, aut officialibus, ratione tam prædictorum, quam aliorum quorumcumque Monasteriorum Prioratuum, & Beneficiorum illuc vsque eidem Congregationi, & illius Monasterijs, siuè locis perpetuò vnitorum, concessorum, vel applicatorum, super quibus nulla per dictam Congregationem, vel pro eâ agētes Obligatio in dictâ Camerâ facta reperiebatur, ad obligationem de eis soluendis faciendam minimè obligatos fuisse, nec ad solutionem, aut obligationem huiusmodi, vel earum aliquam condemnari, aut constringi potuisse, sed ab eis faciendis semper liberos, & exemptos extitisse, ac Pauli, Innocentij, & Iulij prædecessorum litteras, & super illis, ac illorum prætextù monitoria, & mandata, etiam quascumque censuras, & dissolutiones, & priuationes, & inhabilitatis pœnas, ac decreta in se continentes, & continentia, etiam executioni demandata, quo ad præfatam Congregationem, ac illius Monasteria, & personas locum vendicare nequiuisse, attestati, & interpretati fuimus, & decreuimus, & declarauimus, pro vt in eisdem litteris Nostris plenius continetur. Nos statui, & indemnitatibus Congregationis, & Monasteriorum huiusmodi, ac illorum animarum saluti consulere cupientes, Motù, & sciētiâ similibus, eosdem Congregationem, ac Congregationis huiusmodi singulares personas viuentes, & defunctas à quibusuis excommunicationis, ac alijs censuris, & etiam priuationis pœnis, in quas incidisse forsan declarati fuerunt, vt præfertur, & quas præmissorum occasione incurrisse censeri, aut dubitari quoquomodo possent, etiam si in illis per plures annos insorduerint, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, pro eorum animi quiete, & pace, absoluimus, & absolutos fore nunciamus. Non obstantibus præmissis, & nostrâ, quâ dudum, inter alia, statuimus, & ordinauimus generalem absolutionem â censuris Ecclesiasticis non suffragari illis, qui censuris huiusmodi ligati in illis per annum continuum insorduissent, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon illis omnibus, quę in dictis Nostris litteris voluimus non obstare, cęterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem quod pœnitentiam per Confessorem, quem quilibet ex Abbatibus, & Monachis Congregationis huiusmodi duxerit eligendum, iniungendam, adimplere omninò teneantur; alioquin præsentes litteræ, quoad absolutionem

tionem huiusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, enũciationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Vigesimo, Decimo Septimo Calendas Iunij, Pontificatus nostri Anno Octauo.

## CONSTITVTIO CXXXIV.

### SVMMARIVM.

1520. *Maij.* 16.

### LEO PAPA X.

1 *Litem seu Causam inter Cameram Apostolicam, & Congregationem S. Iustinæ seu Casinensem pro Annatis, seu Quindennijs, Comunibus, & minutis seruitijs à se terminatam, & dictam Congregationem liberam, & immunem ab Annatis, Comunibus, & minutis seruitijs persoluendis declaratam, enunciat.*

2 *Oblationem gratuitam dictæ Congregationis pro dictis Annatis, Comunibus, & minutis seruitijs persoluendis, ac obligationibus pro eisdem in Camerâ Apostolicâ faciendis, aliàs à se reiectam, recipit; ac in posterum à datâ præsentium ad Obligationes faciendas teneri, & Quindennia persoluenda inchoare constituit.*

3 *Annatas hactenus elapsas, & persoluendas, eidem Congregationi condonat, & remittit; Præcipitque pro earumdem elapsarum Annatarum solutione à ministris Cameræ Apostolicæ minimè vexari posse, sub pœnâ perpetuæ exemptionis dictæ Congregationis à prædictâ solutione.*

4 *Obligationes, & solutiones dictarum Annatarum, Comunium, & minutorum, iuxta antiquas taxas Cameræ predictæ faciendas, easdemque immutari vel augeri non licere, decernit.*

5 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Benedicti de Padolyr. Arm. III. lib. 21. fol. 146.*

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, ex Commissi sibi pastoralis Officij debito, ad ea libenter intendens, per quæ finis litibus imponitur, nonnulla sæpe numero statuit, decernit, & declarat, prout rerum, personarum, & temporum, qualitate pensatâ id in Domino conspicit salubriter expedire.

1 1 Nuper si quidem lite, & causâ, quæ iamdiu inter tunc Procuratorem fisci Nostri, vel alios pro Camerâ Apostolicâ agentes, seu ab eâ causam habentes ex vnâ, ac tunc Præsidentem, & Visitatores Congregationis. Dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiâ Casinensis, tunc Sanctæ Iustinæ nuncupatæ, Ordinis Sancti Benedicti, occasione solutionis Annatarum, Communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium eidem Cameræ, ac Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio, & certis Romanæ Curiæ Officialibus, occasione vnionum, annexionum, & incorporationum, & applicationum diuersorum Monasteriorum eiusdem, & aliorum Ordinum eidem Congregationi eatenus factarum, iuxtà quasdam litteras fe: re: Eugenij Quarti, Pauli Secũdi Innocentij Octaui, & Iulij etiam Secundi Romanorum Põtificum prædecessorum nostrorum desuper editas, & per dictum Procuratorem Fisci, & alios asserebatur debitorum, rebusque alijs tunc expressis coram Dilectis filijs Præsidentibus, & Clericis eiusdem Cameræ, ac diuersis causarum Palatij Apostolici Auditoribus agitata, inchoata fuerat, adhuc indecisâ pendente. Nos volentes Præsidentis pro tempore, ac Abbatum, & Monachorum Congregationis huiusmodi quieti, & perpetuæ paci consulere, potissimum, cum tunc Præsidens, Abbates, & Congregatio præfati videlicet se ad eamdem solutionem non teneri apertè cognoscerent, ob eorum tamen erga Nos, & hanc Sedem Apostolicam, & Collegium Cardinalium deuotionem, & reuerentiam, se pro Annatis, communibus minutis seruitijs, & alijs iuribus singulorum Monasteriorum Congregationi vnitorum, & applicatorum huiusmodi, pro quibus in dictâ Camerâ obligationes factæ non fuerãt, singulis futuris Quindennijs Cameræ Collegio, & Officialibus prædictis persoluendis efficaciter obligare velle, seu suâ sponte certo modo obtulissent per alias Nostras litteras, Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Causam huiusmodi ad Nos aduocantes, & litem prædictam penitùs extinguentes, Congregationem huiusmodi, ac illius Monasteria, loca, Abbates, Conuentus, & alias personas ad solutionem Annatarũ, Communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium Cameræ Collegio, & Officialibus huiusmodi, tam ratione prædictorum, quam aliorum quorumcunque Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum, vsque in eum diem eidem Congregationi, & illius Monasterijs, siue locis perpetuò vnitorum concessorum, vel applicatorum, pro quibus nulla per dictam Congregationem, vel pro eâ agentes obligatio in dictâ Camerâ facta reperiebatur, ad obligationem de eis soluendis facienã: minimè teneri, nec desuper condemnari, aut constringi potuisse, sed à talibus solutionibus, & obligationibus semper liberos, & exemptos extitisse, ac Pauli, Innocentij, & Iulij prædecessorum litteras huiusmodi, nec non super illis, & illarum prætextu, monitoria, mandata, & decreta, etiam quascunque censuras, & dissolutiones dictarum vnionum, & inhabilitatis, ac priuationis pœnas in se continentia, etiam executioni demãdata, quoad præfatam Congregationem, ac illius Monasteria, & personas locum vendicare nequisse decreuimus, & declarauimus, ac attestati, & sic interpretati fuimus, aliasque fecimus prout in eisdem Nostris litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus pro expressis, & insertis haberi volumus plenius continetur.
2 2 Nos igitur, cupientes indemnitati, commodo, & vtilitati Cameræ Collegij, & Officialium huiusmodi, quantum cum Deo possumus, consulere, Obligationem prædictam acceptantes, ac ratam, & gratam haben. Motu, & scientiâ similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, Congregationem, ac illius Præsidentem, Abbates, & Monachos huiusmodi ad se infra semestre à tempore expeditionis primi celebrandi eorum Generalis Capituli computan: pro Annatis, commu-

communibus, minutis seruitijs, & alijs iuribus singulorum Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum eidem Congregationi hactenus vnitorum, & applicatorum huiusmodi, de quibus obligatio in dictà Camerà facta non reperitur, singulis futuris quindennijs, aut præmittitur persoluen, in dictà Camerà efficaciter obligan, & obligationes desuper expresse faciendas teneri, & obligatos fore, dictasq; obligationes sic faciendas, admittendas esse, ac Congregationem, Præsidentem, Abbates, & Monachos huiusmodi ad hoc iuris vinculo ligari posse, & debere, ipsasque obligationes, cum factæ fuerint vt præfertur, etiam ex nunc, prout ex tunc, & e contra admittimus, & validas esse nunciamus. Ne tamen ipsorum Congregationis, Præsidentis, Abbatum, & Monachorum deuotus animus nimium grauari videatur, eisdem auctoritate, potestate, & tenore declaramus, tempus dictorum Quindenniorum non debere censeri aduenisse, nisi peractis primo quindecim annis post diem datæ præsentium litterarum; neque priùs Congregationem huiusmodi desuper à quoquam, quàuis auctoritate directè, vel indirectè, quouis quæsito colore molestari, vel inquietari pos-
3 se. 3 Et nihilominus volumus, & decernimus quod de præteritis temporibus Congregationis Præsidens, Abbates, & Monachi huiusmodi à solutione Annatarum, communium, minutorum seruitiorum, & iurium similium liberi, & immunes existant, ac pro illis occasione Annatarum, communium, minutorum, & aliorum iurium prædictorum à Camerà, Collegio, & Officialibus prædictis, seu pro eis agentibus nullo vnquam tempore infestari, perturbarique non possint; et si secus fiat, ex nunc prout ex tunc, & e contra eos ab huiusmodi obligationibus, ac solutione Annatarum, communium, minutorum seruitiorum, & iurium huiusmodi perpetuò liberamus, & dictas obligationes quandocumque, tunc factas cassamus, & annullamus; ac cassas, &
4 nullas nunciamus, & etiam declaramus. 4 Decernentes ipsas obligationes, & illarum vigore solutiones faciendas iuxtà antiquas taxas in libris eiusdem Cameræ nunc descriptas fieri; Ipsasque taxas nullo vnquam tempore augeri, vel mutari debere, præsentesque vim validi, & efficacis contractus inter vos, & Cameram præfatam, & eamdem Congregationem initi habere; nec non irritum, & inane quicquid secùs super his à quoquã etiam per Nos quãuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attem-
5 ptari. 5 Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in dictis litteris Nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam Nostræ admissionis, nunciationis, declarationis, voluntatis, cassationis, annullationis, liberationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ. Millesimo Quingentesimo Vigesimo, Decimo Septimo Calendas Iunii.

Pontificatus Nostri Anno Octauo.

E. Secretarius. Registrata in Camerà Apostolicà.

Albergatus.



## CONSTITVTIO CXXXV.

### SVMMARIVM.

1520. Maij 16.

### LEO PAPA X.

*Pensiones à Sede Apostolicà super Ecclesiis, Beneficiis, & Bonis Congregationis Casinensis, vel eius Monasteriorum impositas, vel imponendas, nullius esse valoris, nisi eiusdem Congregationis expressus accedat assensus. Easdemque, etiam cum dictæ Congregationis assensu impositas, in alios transferre non licere, nec tenere, absque nouo eiusdem Congregationis assensu, constituit.*

*Ex Archiu. S. Bened. de Padolyr. Arm. III. lib. 21. fol. 152.*

LEo Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Pro Christifidelium quo- 1
rumlibet, præsertim Religiosorum, sub Regulari Obseruantiâ, piæ vitæ studio, vacantium, statu salubriter dirigendo, sicuti ex debito Nobis iniuncti Pastoralis tenemur officij, solicitè considerationis extendentes intuitum, illis, per quæ eorum indemnitatibus, & profectui consulitur, vigilantiæ Nostræ partes libentèr adhibemus, eosque fauoribus pro-
sequimur opportunis. Sanè multorum fide dignâ 2
relatione didicimus, quod nonnullæ Pensiones annuæ super fructibus, redditibus, & prouentibus Congregationis dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiâ Casinensis, alias, S. Iustinæ nuncupatæ, Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectæ Ordinis Sancti Benedicti, aliquibus tàm Nobis, dũ in minoribus agebamus, quàm alijs personis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quoad vi-
uerent, Apostolicâ auctoritate, de consensu dictæ 3
Congregationis pro tempore reseruatæ, constitutæ, & assignatæ, in diuersas postmodum personas, etiam dictæ Ecclesiæ Cardinales pro tempore, sine expresso dictæ Congregationis consensu per Nos, vel alios dictâ auctoritate, fuerunt interdum translatæ, non sine maximis Congregationis huiusmodi incom-
modo, atque damno. Nos igitur Monachorum 4
Congregationis huiusmodi indemnitati prouidere, eosque amplioribus fauoribus, ac gratijs prosequi volentes; Motu proprio, non ad ipsorum Congregationis, aut alicuius alterius pro eis super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostrà merâ deliberatione, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; statuimus, & ordinamus; quod de cætero nulla Pensio super fructibus, redditibus, & prouentibus Monasteriorum, vel aliorum locorum Congregationis huiusmodi pro tempore, absque expresso consensu, & voluntate dictæ Congregationis in fauorem quarumcumque Personarum, & eorumdem Cardinalium pro tempore existentium, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus reseruati, & hactenus reseruata, in quasuis alias personas, etiam eosdem Cardinales, sine simili Congregationis huiusmodi expresso consensu transferri possit, sed reseruationes, & assignationes, & translationes alitèr factæ, nullius sint roboris vel momenti; ipsique ad illarum solutionem nullatenùs cogi possint; sicque per quoscumque Iudices, Commissarios, etiam dictos pro tempore Cardinales, & Causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet alterius, & alitèr in-

interpretandi, & iudicandi potestate interpretari, iudicari, sententiari, & definiri debere, ac præsentibus Nostris litteris nullatenùs, etiam per Nos quâuis ex causâ quantumcumque importanti, etiam paupertatis, vel honoris, aut diuini cultus, seù fauoris Reipublicæ, aut sedationis scandalorum, aut alio quocumque intuitu derogari, ac earum alterationem fieri, aut constitutionem Nostram de non tollendo ius quæsitum allegari validè non posse; irritum, & inane quidquid secùs super his per quoscumque, quâuis auctoritate, etiam scienter, vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam Nostrâ constitutione prædictâ, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, statuti, ordinationis, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo vigesimo, Decimo septimo Calendas Iunij, Pontificatus Nostri Anno octauo.

## CONSTITVTIO CXXXVI.

### SVMMARIVM.

### LEO PAPA X.

1 *Causam præcedentiæ inter Monachos Casinenses, & Canonicos Regulares Lateranenses diù agitatas, seriatim explicat.*

2 *Constitutiones à se factas, & sententiam latam à Vicario Episcopi Rauennatensis ad fauorem dictorum Canonicorum recenset.*

3 *Iuxtà antiquum Ordinem procedendi descriptum in tabulâ antiquâ Ecclesiæ Rauennatis, videlicet quod Monachi digniorem locum habeant in Processionibus, & actibus publicis etiã super quoscunq; aliarum Religionum Abbates, vsque ad decisionem dictarum causarum procedi debere.*

4 *Idque sub Censuris, & alijs pœnis seruari mandat.*

5 *Accessum ad Processiones quascunque, iuxtà Eugenij IV. constitutiones eidem Congregationi concessas, liberum fore, neque ad id compelli posse decernit, sub pœnâ excommunicationis.*

6 *Derogari huic Constitutioni non posse, nisi seruato Ordine in eàdem descripto.*

7 *Appellare non posse Canonicos prædictos à præsenti Constitutione sub Censuris, & alijs pœnis, constituit.*

*Ex Arch. Monasterii S. Vitalis de Rauennâ.*

LEo Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filijs Abbati, & Monachis Sancti Vitalis Rauennatensis, Ordinis Sancti Benedicti de Obseruantiâ, Congregationis Cassinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectis, salutem, & Apo-
1 stolicam benedictionem. Cum diù aures Nostræ præcibus fatigarentur super Præcedentiâ, siue iure præcedendi inter vos, & dilectos filios Canonicos Regulares Ordinis Sancti Augustini, Congregationis Lateranensis in Processionibus, Exequijs, seu Funeralibus, & alijs actibus, & locis publicis in hac Ciuitate Nostrâ Rauennatensi, nè si inter vos interim de huiusmodi Præcedentiâ disceptari contingeret, & ad verba altercatoria, & impudentes contentiones, in perniciosum Laycorum exemplũ deueniretur occurrere, ac scandalis, & rixis, præsertim inter vos Religiosos, quos cum Diuino sitis mancipati obsequio, non clamoribus, aut altercationibus intendere, sed Deo iugitèr inseruire conuenit; quantum in Nobis fuit, & est, obuiare cupientes, superiori anno, die videlicet quintadecima, Mensis Martij, & præsenti, videlicet quintadecima Mensis Maij Venerabili Fratri Nostro Archiepiscopo Rauennatensi, siue eius in spiritualibus Vicario Generali cõmisserimus, & mandauerimus, quatenus in Ciuitate istâ deberet omninò efficere, quod tu Abbas, & Monachi, ac Canonici Regulares prædicti, in huiusmodi Processionibus, Exequijs, alijsque solemnitatibus, & locis publicis, alternis vicibus præcedere, & subsequeremini, donec causa huiusmodi, fine debito terminaretur; Quod si de hoc vestrũ consensum nequiret obtinere, qui vestrum primâ vice præcedere haberent, id fortè expediretur. Cumque acceperimus quod iactâ forte per Vicariũ Archiepiscopi prædicti, postmodum in solemni Processione, quę celebrata extitit in Ciuitate præfatâ, anno proximo elapso in Festo Sacratissimi Corporis Christi, tu Abbas, & Monachi prædicti digniorem locum obtinueritis, iuxtà ritum, & consuetudinem vestram, tandem ad importunas preces præfatorum Canonicorum Regularium, siue pro eis agentium, præfato Archiepiscopo, vel eius Vicario Generali in spiritualibus commisserimus, & mandauerimus, quatenus, vt qui anno elapso forte emissâ, vt præfertur, præcessistis, hoc anno iuxtà Ordinem prædictum subsequi haberetis; ordinemque ipsum alternis vicibus præcedendi, & subsequendi, iuxtà dictarum litterarum formam, & tenorem in posterum, & vsque ad finalem dictæ causæ decisionem firmitèr, & inconcussè obseruari mandaret, & faceret, Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, & alia oportuna iuris remedia, appellatione postpositâ compescendo; quibus etiam Nos sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ districtè præcipiendo mandauimus, quatenus in præmissis & circa ea, ordinationi suæ firmitèr pareretis, & obediretis; declarantes literas, quas aliàs ipsi Vicario, & Canonicis, ac Capitulo Ecclesiæ Rauennatensis scripsimus, circa Ordinem seruandum in Processionibus, & Exequijs prædictis ad vos Abbatem, & Monachos, ac Canonicos Regulares præfatos, nullatenùs extendi, prout in dictis litteris desuper editis pleniùs continetur. Quum autem tu Abbas, & Monachi prædicti asserentes magnum vobis, & Cõgregationi vestræ præiudicium in præmissis, ob dictas litteras à Nobis, vt præmittitur, emanatas inferri; vobis de benignitate Apostolicâ desuper oportunè prouidere volentes, præfato Archiepiscopo, vel eius in spiritualibus Vicario Generali, præsenti anno, binâ vice rescripserimus, tàm ad præces dilectorum filiorum Canonicorum, & Capituli Rauennatis Ecclesiæ, quàm ad vestras videlicet Abbatis, & Monachorum, decreuimus, & declarauimus, quod in præmissis Processionibus, & Funeralibus, idem ordo seruetur, qui retrotractis temporibus seruari consueuit, atque in istâ Ecclesiâ descriptus est; mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœnâ latæ sententiæ, quibuscunque Religiosis, quatenus ordinem prædictum inuiolabiliter obseruarent. Nos autem atten-

attendentes,quod stante consuetudine, & ordine in dictæ nostræ Ecclesiæ tabulâ descripto, & obseruato diutissimè,nolentes tibi Abbati, & Monachis tuis præiudicium aliquod inferre,præsertim etiam,quod lite pendente inter vos quicquam innouari non debet; voluimus, ac præfato Archiepiscopo, siue eius in spiritualibus Vicario Generali commisimus, & mandauimus per litteras Nostras,sub datum die vigesimo nono mensis Aprilis, præsentis Anni, reuocantes litteras Nostras Anno præterito emanatas, sub datum die quintadecima, mensis Martij, super nouo mandato, & ordine procedendi alternis vicibus, in Processionibus, Funeralibus,& Actibus publicis;decernentes diuturnam consuetudinem,iuxtà Ordinem dictæ tabulæ antiquæ, retroactis temporibus, vt præmittitur obseruatam, & ad vnguem inuiolabilitèr obseruari faceret, donec in dicto Rotæ Auditorio lis,& controuersia prædicta decisa, & determinata fuerit,Contradictores,& renitentes excommunicationem latæ sententiæ, ex nunc, prout ex tunc incurrisse decernentes. Idem vero Archiepiscopus, vel eius in Spiritualibus Vicarius Generalis per pœnam pecuniariam, & alia oportuna iuris remedia, auctoritate Nostrâ, appellatione postpositâ compescere studeret, inuocato etiam ad hoc si opus fuisset auxilio brachij sæcularis,præmissis, ac quibuscunq; alijs literis, à Nobis sub quibusuis verborum formis, & tenoribus, etiam Motu proprio, & ex certa scientiâ nostrâ emanatis, de quibus de verbo ad verbum opporteret fieri specialem mentionem pro expressis habentes. Cum de dictâ consuetudine, quæ est in viridi obseruantiâ,tunc Nobis nulla mentio facta fuit, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque; Et prout in dictis literis Nostris reuocatorijs desuper confectis, pleniùs continetur. Cumque acceperimus quod in executione literarum Nostrarum, sub Generali formâ prædicto Archiepiscopo,vel eius in spiritualibus Vicario Generali rescriptarum, sub datâ die quintadecimâ mensis Maij instantis anni, tu Abbas, & Monachi Sancti Vitalis postpositi fueritis Canonicis Regularibus Portuensibus eiusdem Ciuitatis,vigore cuiusdam sententiæ interlocutoriç, per Vicarium prędicti Archiepiscopi promulgatæ in Festo Sacratissimi Corporis Christi, præsentis anni, in fauorem prædictorum Canonicorum Regularium, & contra te, & Monachos tuos, ac decernentem, & declarantem locum digniorem hâc vice prçstari præfatis Canonicis Regularibus Portuẽsibus, ordinemque ipsum præcedendi,& subsequendi alternis vicibus, vsque ad finalem dictæ causæ decisionem in posterum obseruandum, ac vobis sub pœnis, & censuris in prædictis litteris Nostris contentis obseruari mandauerit, & fecerit,omni appellatione per eundem Vicarium postpositâ,ac reiectâ, pro parte tuâ, ac tuorum Monachorum interposita, ac sic de facto spoliati estis possessione vestrâ antiquâ,& consuetudine prçcedendi dictos Canoni-
2 cos Regulares in Ciuitate istâ. 2 Quare attendentes quod nunquam de mente Nostrâ fuit,aut est tollere ius tuum, & tuorum Monachorum & spoliatos de facto restituere cupientes in ius pristinum. Statuimus, decernimus, & declaramus, visâ oculatâ fide, ac lectâ prædictâ Tabulâ antiquâ,& corrosâ,ac visis depositionibus, & attestationibus dilectorum filiorum Nostrorum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Rauennæ, ac eorum mandato ad supplicandum Nobis super ordine,& obseruãtiâ dictæ Tabulç,diutissimè, & retroactis temporibus obseruatæ, ac visis alijs Scripturis, & testibus super huiusmodi consuetudine; visis etiã Breuibus Nostris subreptitiè,& obreptitiè impetratis pro parte dictorum Canonicorum Regularium, licet tacitis,& minimè expressis eorum nominibus, nullamque mentionem facientibus, de ordine descripto in prędictâ Tabulâ diutissimè, vt præmittitur obseruatâ, visisque vi-
3 dendis,& consideratis considerandis. 3 Motu proprio, non ad tui Abbatis, aut Monachorum tuorum, vel alicuius eorũ Nobis super hoc oblatç petitionis instantiam,sed de nostrâ merâ liberalitate,auctoritate Apostolicâ. Volumus, ac districtè prçcipimus, & mandamus in virtute Sanctæ Obedientiç, & sub pœnâ excommunicationis latç sententiç quàm contra quoscunque contrafacientes ferimus in his scriptis,quod tu Abbas,& Monachi,ac Canonici Regulares prędicti procedatis iuxtà ordinem descriptum in prędictâ antiquâ tabulâ, vsque ad decisionem supradictç causç; & attendentes, quod lite pendente inter Congregationes huiuscemodi, tu Abbas, & Monachi prædicti in possessione existentes talis præcedentiç, non debetis interim sic de facto spoliari, nec in vos quicquam debet innouari,præfatas litteras Nostras, seu Breuia in euidentem præiudicium vestrum concernentia reuocamus,irritamus,& annullamus, ac nullius valoris,roboris, effectus, & momenti esse volumus. Præfatumq; Archiepiscopum, vel eius in spiritualibus Vicarium Generalem auctoritatem, & iurisdictionem vllam ordinariam,siue extraordinariam in te,& Monachos tuos, habere harum serie decernimus,& declaramus;ac volumus quod tu Abbas, & Monachi,ac Canonici Regulares prædicti inuiolabiliter obseruetis ordines antiquos in Tabula Rauennatis Ecclesiæ descriptos, ac procedatis publicè vocati ad Processiones consuetas,iuxta Tabulam,& morem præfatæ Cathedralis Ecclesiæ, hac tamen limitatione, quod tu Abbas, & Monachi tui non prçcedatis Presbyteros, & Conuentum Presbyterorum; ac Chorum maioris Ecclesiæ, digniorem tamen,& supremum locum habentes, sicut hactenus habuistis, supra quoscunq; Abbates aliarum Religionum;Cum cõstiterit Nobis,omnes ferè Abbatias huius nostræ Ciuitatis,antiquitùs extitisse deOrdine
4 Monachorum Nigrorum S. Benedicti. 4 Et hoc sub pœnis,& censuris de quibus supra, & de quibus in præfatis litteris reuocatorijs sub datum die 29. Aprilis præsentis anni pleniùs continetur,in quibus ipso facto incurrant contrafacientes, tàm præfati Canonici Regulares,quàm qui eis præstabunt auxilium, consilium, & fauorem,contrafaciendo, contradicendo,& contraueniendo,tacitè, vel expressè præsenti statuto,ordinationi,& voluntati Nostrç; & hoc donec, & quousq; dicta lis, & controuersia inter præfatas Congregationes fine debito terminetur. Non obstantibus quibuscunq;constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ac Priuilegijs, Breuibus,gratijs,immunitatibus, & exemptionibus quibuscunq; tàm impetratis, quàm impetrandis pro parte dictorum Canonicorum Regularium in contrarium facientibus, ac cæteris quibuscunq; de quibus hic si oporteret fieri expressa mentio de verbo ad verbum,harum serie expressè, & specialitèr derogamus. In hâc dumtaxat parte, ad hoc, vt dicta consuetudo,& ordo descriptus in Tabulâ, in posterũ non confundatur. Eidemq; Archiepiscopo,& eius in spiritualibus Vicario Generali in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis pœnâ latæ sententiæ,quam ferimus in his scriptis, ac sub pœnâ priuationis omnium, & singulorum beneficiorum suorum mandamus, vt ordinem prædictæ tabulæ obseruari

obſeruari mandent, & faciant inuiolabilitèr, & ad
5 vnguem. 5 Quatenus ſi tu Abbas, & Monachi prædicti nolueritis (vt profeſſioni veſtræ conuenit) ad Rogationes, Proceſſiones, Litanias, Funeralia, ſeu Obſequia, Sepulturas, aut alios actus publicos, ſeu priuatos in hac Ciuitate Noſtra, & alibi vbicunq; locorum ex quacunq; cauſâ faciendas intereſſe nullatenus teneamini, nec ad id per præfatũ Archiepiſcopum, vel eius Vicarium in ſpiritualibus, ſiuè quaſuis alias perſonas, tàm Eccleſiaſticas, quàm Sæculares, quouis modo compelli poſſis tu, & Monachi tui, aut quicunque alius Prælatus, ſiue quicunque alij Abbates, & Prælati, ac Monachi præfatæ Congregationis Caſinenſis, aliàs S. Iuſtinæ; Sicut olim fel. rec. Eugenius IV. ſtatuit, decreuit, & declarauit; & nihilominus ipſi Archiepiſcopo, & in ſpiritualibus eius Vicario Generali, ac alijs quibuſcunq; perſonis, cuiuſcunq; dignitatis, officij, gradus, vel conditionis exiſtant, & eorum cuilibet ſub excommunicationis pœna, quam ex nunc, prout ex tunc, ſi, & in quantum de præmiſſis notitiâ factâ fuerit, ac ſecùs exegerint, incurrere volumus ipſo facto, à quâ nullus abſolui poſſit, niſi à Nobis, vel in articulo
6 mortis conſtitutus 6 Nulli ergo omninò hominum liceat huic decreto, ordinationi, & voluntati Noſtræ, quouis modo, arte, vel ingenio contraire, vel contrauenire, & hanc paginam quouis modo infringere, quia integram, & inuiolabilem ſemper eſſe volumus, & decernimus, nec per aliud Breue Noſtrum ſuperueniens, ac per alias litteras à Nobis ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus, etiam Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ Noſtra forſan emanatis, vel in poſterum forſitan emanandis, præſentes has Noſtras infringi; niſi ſpecialiter, & expreſsè de hijs Noſtris litteris fiat mentio de verbo ad verbum effectualitèr, & ſpecificè, & non in genere, ac etiam fiat ſpecialis mentio de Congregatione Caſinenſi, aliàs S. Iuſtinæ, ac de nomine, & cognomine Præſidentis, & Viſitatorum omnium, ac Abbatum, præfatæ Congregationis, & ſpecialiter de nomine Abbatis S. Vitalis Rauennæ, & de nomine, & cognomine Monachorũ dicti Monaſterij; aliter enim litteræ huiuſmodi, ſic vt permittitur per Sedem Apoſtolicã forſan concedendę habeantur pro
7 non conceſſis, & pro ſubreptitijs, & infectis. 7 Nec præfati Canonici Regulares, aut aliæ quæuis perſonæ eorum nominibus, & vice, ſiue per ſe, ſiue per alios cuiuſcunq; ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, ab huiuſmodi decreto, ordinatione, conceſſione, & voluntate Noſtra, queant appellare, prouocare, contradicere, & contrauenire, ſub pœnis, & cenſuris prædictis; ſed has Noſtras publicè publicatas, in Eccleſiâ Cathedrali Rauennæ, omnes pareant, & obediant. Si quis autem contra hoc decretum, ſiue contra hanc declarationem, ordinationem, conceſſionem, & voluntatem Noſtram attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ &c.

## CONSTITVTIO CXXXVII.

### *SVMMARIVM.*

*1521. Apr. 3.*

### LEO PAPA X.

1 *Definitores Congregationis Caſinenſis, ex Abbatibus, ſeu Monachis diuerſorum Monaſteriorum diſtæ Congregationis, non autem duo, vel plures ex eodem Monaſterio eſſe eligendos, decernit.*

2 *Præſidente infra annum de mortuo, antiquiorem Viſitatorum in adminiſtratione Præſidentiæ, abſq; aliâ declaratione ſuccedere. Qui ſi ante Feſtum Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti munus Præſidentis ſuſceperit, completa tali adminiſtratione, quadriennij vacationem à Præſidentatu indicit; ſecùs ſi poſt dictum feſtum inceperit.*

LEo Papa X. Dilectis filijs Præſidenti, Viſitatoribus, & Prælatis Congregationis Caſinenſis, aliàs S. Iuſtinæ, Ordinis S. Benedicti, Regularis Obſeruantiæ. Dilecti filij Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper feciſtis, quòd, licet aliàs Nos pro felici Regiminis Congregationis veſtræ per alias Noſtras ſub plumbo litteras, Motu proprio ſtatuerimus, & ordinauerimus, quòd ex tunc de cætero in perpetuum Præſidens, Definitores, ac Viſitatores ipſius Congregationis, nonniſi ad certum tempus ad Præſidentis, Definitoris, & Viſitatoris officia aſſumi, ac quod certo tempore ab eiſdem officijs vacare deberent, prout in eiſdem litteris pleniùs continetur. Cum autem iuxtà antiquã ipſius Congregationis ſtatuta, Priuilegia, & conſuetudines, nullum Congregationis eiuſdem Monaſterium alteri illius Monaſterio ſubijciatur; aut aliquã ex parte obligatum exiſtat, & in paritate vocum Capitulum celebrantium, Monaſteria ipſa æqualia ſemper fuerint, & in præcedentiâ non attendatur, quòd vnum ſit digniùs, aut vberiùs alio, nec quantum ad directionem, & Regimen ipſius Congregationis attinet, alterum alteri præiudicet; ita in eligendis quoq; ex quolibet Monaſterio Definitoribus æquum eſt, vt in vno conueniant, & alterum alteri
1 non præiudicet. 1 Vos hac conſideratione moti, vt plenè bono regimini Congregationis huiuſmodi conſuleretur, ſtatuiſtis, & ordinaſtis quòd ex vnoquoq; Monaſterio Congregationis huiuſmodi non poſſet eligi in Definitorem, niſi vnus tantum quolibet anno ex ijs, qui in Monaſterio ipſo profeſſionem emiſerint, ita quod Nouem Definitores, qui iuxtà Priuilegia Veſtra, eligi debet ſinguli, profeſſi de ſingulis Monaſteriis, aliàs iuxta litterarum prædicta-
2 rum formam, & tenorem eligi debeant. 2 Etſi quando contingeret Præſidentem infra annum decedere, aut aliàs Præſidentiam ipſam vacare, antiquior in profeſſione Congregationis huiuſmodi Viſitator, eo ipſo Præſidens eſſe deberet, & cenſeretur. Etſi ante Feſtum Natiuitatis D N. Ieſu Chriſti Præſidens eſſe cœperit, finito Officio, quadriennio vacare debeat, iuxta dictarum litterarum formam, ac ſi in Capitulo Generali Pręſidens creatus fuiſſet; ſi verò poſt Feſtum Natiuitatis huiuſmodi Præſidens eſſe cœperit, non propterea quadriennio vacare debeat, ſed liberè in tunc proximè celebrando Capitulo ad Officium Præſidentis aſſumi poſſit. Quæ tamen in Viſitatoribus Regni Siciliæ, quo ad ſucceſsionem huiuſmodi Præſidentiæ propter locorum diſtantiam minimè locum ſibi vendicare voluiſtis. Quare Nobis humilitèr ſupplicari feciſtis, vt præmiſsis pro illorum ſubſiſtentię firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, ac aliàs ſuper ijs opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur attendentes ordinationes huiuſmodi rationi conſonas eſſe, & ad laudem Omnipotentis Dei, ac ſtatum tranquillum veſtræ Congregationis prædictæ plurimum cedere; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi,

huiusmodi, quę per Pręsidentem, & omnes Definitores vnanimi consensu, & nemine discrepante, ad quos id spectabat primò; & deinde, licet non requireretur aliorum approbatio, tamen per maiorem partem Prælatorum Abbatum dictæ Congregationis ex superabundanti, & ad cautelam conclusa, & approbata fuerunt; authoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplentes omnes, & singulos defectus iuris, & facti, si qui forsan interuenerint in eisdem, ac illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, illaq; in nullâ sui parte dictis litteris directè, vel indirectè contraria fuisse, vel esse, sed ea, etiam si dictus antiquior Visitator, nondum elapso quadriennio Præsidens extitisset, per vos, & pro tempore existentes dictę Congregationis Pręsidentes, Definitores, Visitatores, & Pręlatos, tàm in proximè celebrando Capitulo, quàm deinceps perpetuis futuris temporibus firmitèr obseruari debere, ac pręsentibus per quascumq; litteras Apostolicas, etiam motu simili, & ex certâ scientiâ ac de Apostolicę potestatis plenitudine, sub quibuscumq; tenoribus, & formis, etiam per Nos, & Sedem Apostolicam quomodolibet pro tempore concessas, etiam quascumq; clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias; & insolitas in se continentes, derogari non posse, atq; derogatum censeri; & si derogetur, derogationes huiusmodi nemini suffragari, neq; obseruationem eorundem statutorum, & ordinationum impediri posse; & sic in premissis omnibus per quoscunq; Iudices, & Commissarios etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores in quâuis causâ, & instantiâ; sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, sententiari, & definiri debere; ac quicquid secùs super his à quoquam, etiam per vos, absq; vestro, & maioris partis Abbatum, & Prelatorum Congregationis huiusmodi consensu, quâuis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irritum, & inane fore decernimus. Non obstantibus pręmissis, ac dictis Congregationis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, & confirmatione Apostolicâ roboratis, cœterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud S. Petrum; sub Annulo Piscatoris die 3. Aprilis 1521. Pontificatus Nostri Anno nono. Euangelista.

## CONSTITVTIO CXXXVIII.

### SVMMARIVM.

1522. Ianuarij 12.

## CAROLVS V. IMPERATOR.

*Maximiliani Imperatoris, cœterorumque Imperatorum, ac etiam Summorum Pontificum Priuilegia ad fauorem Congregationis Casinensis, seu S. Iustinæ concessa, confirmat.*

*Ex Archiu. S. Benedicti de Padolyrone Arm. 1. Caps. 1.*

CAROLVS, Diuinâ fauente clementiâ, electus Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germaniæ, Hispaniarum, Aragonum, Nauarræ, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Gheldriæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tiroli, Arthesiæ, Burgundia Palatinus, & Hannoniæ, Lantgrauius Alsatiæ, Princeps Sueuiæ, Marchio Burgoniæ, & Sacri Romani Imperij, Holandiæ, Zelandiæ, Ferretis, kiburgi, Namurci, Zutphaniæ Comes, Dominus Frisiæ, Marchiæ Sclauoniæ, Portus Naonis, Salinarum, & Mecliniæ. Ad perpetuam rei memoriam. Et si ea potissimum ratione ad Imperialis dignitatis apicem, à Deo Optimo Maximo euecti sumus, vt prædecessorum nostrorum Diuorum Romanorum Imperatorum vestigia imitantes quoslibet in iuribus suis conseruemus, & ab omnibus passim iniuriam, violentiamq; propellamus; eorum tamen iurium conseruationis, & quietis maiorem curam suscipere par est, qui omne studium suum, imò omnem vitam Diuino cultui, & Religioni dicarunt, quo tranquiliori animo, & quietiori mente sacris vacare, & pro vniuersæ Reipublicæ Christianę salute pias præces Domino Deo effundere possint. Cum itaque Nobis pro parte honorabilium deuotorum Nobis dilectorum Præsiden. Abbatum, Priorum, & Monachorum Congregationis Casinensis aliàs S. Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti expositum fuerit quoddam Priuilegium, & indultum à Serenissimo Cæsare Maximiliano Imperatore Romanorum, Domino, & prædecessore Nostro colendissimo eidem Congregationi fuisse concessum, cuius quidem Priuilegij tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis, Maximilianus, Diuinâ fauente Clementiâ, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lothoringiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Gheldriæ, Lantgrauius Alsatiæ, Princeps Sueuiæ, Palatinus in Habsburg, & Hannoniæ, Princeps, & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goriciæ, Artesiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, kiburgi, Namurci, & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperij super Anasum, & Burgonij Dominus, Phrisiæ, Marchiæ Sclauoniæ, Mecliniæ, Portus Naonis, & Salinarũ &c. Ad perpetuã rei memoriam. Arbitramur Nos ea potissimum ratione ad Imperialia sceptra euectos, ac tantę potestatis culmine à Deo Optimo Maximo decoratos, vt circa diuinum cultum soliciti, & Ecclesiarum, Monasteriorum, Piorumq; locorum, vniones, pacificum statum, custodiam, defensionem, protectionem, atque augumentum semper simus peruigiles & intenti. Nosq; propterea Diuinę retributionis subsidia, & indeficientis beatitudinis pręmia Nos recepturos confidimus; vnde cum Religione, integerrimisq; moribus, ac antiquâ deuotione, fide, summâq; beneuolentiâ, & amore erga Sacrum Roman. Imperium Vener. Congregationis Montis Casini, olim S. Iustinæ nuncupatę, locupletissimum testimonium habuerimus, Nosq; non lateat, quam vberes fructus deuotissimis Monachis in vinea Domini operantibus omnis Christiana Religio percipiat; summo cũ desiderio inducimur præfatã Congregationem iusto, ac conuenienti fauore prosequi. Motu igitur proprio, animo deliberato, ex certâ scientiâ Nostrâ, & de plenitudine potestatis Nostrę; necnon accedente Principum, Comitum, Baronum, ac procerum Nostrorum, & Sacri Imperij fidelium dilectorum consensu. Nos prefatam Congregationem, eiusq; Monasteria, Ecclesias, Abbatias, Prioratus, & quocunq; nomine censeantur, personas cuiuscunq; qualitatis in eisdem degentes membra, loca, domos, castra, possessiones, iura, & bona, tàm mobilia, quàm immobilia, & se mouentia, nemora, pa-

scua,

feua, iurisdictiones, tàm in montibus, quàm in paludibus, & quàm in Mari, aquis, & paludibus, piscarijs qualitercunq; & quomodocunque consistant ad dictam Congregationem spectantia, & pertinentia, seu spectantes, & pertinentes, & quę, & quas nunç habent, vel in posterum iusto titulo acquirent, in specialem, & specificam protectionem defensionis Nostræ suscipimus. Et insuper tenore præsentium confirmamus omnia alia Priuilegia dictæ Congregationis concessa, tàm per Nos, quàm per prædecessores Nostros, imò, & per Sanctam Sedem Apostolicam in his, quæ ad Nos spectant pertinere possunt. Quorumquidem Priuilegiorum tenores hic pro expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum expressa essent, ac exprimenda forent; declarantes expresse Nostræ esse summæ mentis, & intentionis, ac confirmationem Nostram in specie id præcipuè operari, vt Vnio facta, & celebrata per Sanctam Sedem Apostolicam, de Monasterijs, & Ecclesijs Sacri Specus, & Sublacen. dictę Congregationi Montis Casini, effectum sortiatur, & locum habeat. Imponentes præsenti Nostro edicto Cæsareo perpetuum silentium Fratri Mauro, & consortibus suis, ac omnibus Monachis Nationis Germanicæ, & quibuscunque aliis, qui de tali vnione aliquo modo prætendant interesse, ita vt de cœtero sub pœnâ infrascriptâ non audeant, nec præsumant aliquo ingenio, modo, iure, vel causâ, aut quouis quæsito colore dictam Congregationem, eius Monasteria, Ecclesias, loca, personas, vtsup. præsertim suprascripta Monasteria vnita molestare, & inquietare, sed potius permittant, & ab alijs permitti faciant, quod dicta Congregatio perpetuâ pace, & quiete gaudeat, & fruatur, amouentes, & amotum esse, ac intelligi volentes, & decernentes omnem molestiam, omneq; impedimentum, quæ, vel quod aliquo modo quis excogitari potest, fuissent illata, vel illatum, facta, seu factum per quoscumq; in dictis Monasterijs vnitis, & præcipuè etiã in Monasterio S. Nazarij Veronæ, ac generaliter quibusuis Monasterijs, Ecclesijs, membris, locis, personis, & bonis dictæ Congregationis vbicunq; sint, & esse reperiantur. Mandantes idcircò, & præcipientes vniuersis, & singulis Principibus, tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Locumtenentibus, Gubernatoribus, Magistratibus, Officialibus, ac quibuscunque Iusdicentibus quocunq; nomine censeantur, & Capitaneis armorum, ductoribus militum, alijsque quibuscunque personis, & subditis Nostris, ac Sacri Imperij fidelibus dilectis, vt dictam Congregationem Montis Casini, eiusq; Monasteria, Ecclesias, loca, personas vtsup. in quocunque loco existentes, & existentia defendant, & manuteneant, & ab omni damno, præiudicio, & interesse præseruent, & conseruent in suo pacifico statu, & quiete, Monasteria, Ecclesias, loca, personas vtsup. à Nobis peculiari affectione, & Nostrâ Cæsareâ Clementiâ, maxime dilectâ, & charâ, ac dilectos, & charos, in specie iniūgentes, & districtè mandantes Gubernatori Nostro Veronæ, seu eius Locumtenen. & Consilio Nostro, tàm diuisim, quàm coniunctim, vt ipsi, vel alteri eorum prædictum Fratrem Maurum, aliosq; consocios qui videntur positi, & missi in prætensam possessionem prædicti Monasterij Sancti Nazarij, iurium &c. à dicto Monasterio remoueant, vel remouent, cassentq; & annullent omnia facta, & actitata contra dictum Monasterium, Abbates, & Monachos Sancti Nazarij, & eorum præiudicium in assertum fauorem, & commodum dictorum Fratris Mauri, & sociorum, seu Monachorum Nationis Germanicæ: Ita quod omnia in pristinum statum reducant, vel reducat, cum integratione omnium iurium dicti Monasterij, prout, & Nos ex nunc, prout ex tunc per hoc præsens Nostrum decretum cassamus, & annullamus, ac in pristinum statum reducimus in omnibus, & per omnia, prout ante dictam molestiam illata erant. Volumus tamen, & astringimus præsenti decreto, quod ipsa Congregatio, eiusq; Præsidens, & Prælati, qui pro tunc sunt, & pro tempore erunt, prout confidimus ipsos facturos, præcipuè Nostro intuitu vt præf. Fratrem Maurum, aliosq; dictæ Nationis Germanicæ Confratres, seu Monachos, qui in prædictis Monasterijs vnitis Sacri Specus, & Sublacen. erunt tempore vnionis, acceptare, & recipere debeant in eorum Monasterijs, & Congregatione, eosque benè tractare, tanquam bonos Patres, Fratres, & Filios in victu, & vestitu, ac etiam Dignitatibus, & Officijs, iuxta eorum merita, & laudabilem, & Monasticam vitam; ita, & prout obseruant erga alios Monachos professos prædictæ eorum Congregationis, dummodò Monasticè, & secundum Regulam Beati Benedicti, ac Constitutiones, & consuetudines laudabiles ipsius Ven. Congregationis, sub obedientiâ suorum Prælatorum viuant, & prout alij Monachi viuunt, & obseruant; nihilq; contra dictam Congregationem, & eorum loca, Monasteria, Ecclesias, personas vtsup. machinati fuerint. Non obstantibus in contrarium quibuscunque præsentium effectum impedire valentibus, etiãsi talia essent, quæ hic deberent exprimi in specie; quibus omnibus, & singulis, ac si inserta forent, motu, scientiâ, animo, & potestate, quibus supra derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. Nulli ergo omninò hominum, siue personæ humili, siue altæ, siue Ecclesiasticæ, vel Sæculari quâcunq; persulgeant dignitate, hanc Nostræ protectionis, confirmationis, decreti, derogationis, voluntatis, & gratiæ paginam, siue Priuilegium violare præsumat, & contrauenire in toto, vel in aliquâ sui parte in quantum euitare voluerit pœnam indignationis Nostræ grauissimæ, ac centum Marcharum auri puri, quarum medietatem Fisco, siue Ærario Nostro Cæsareo, reliquam verò iniuriam passorum vsibus, decernimus ipso facto esse applicandam. Harum testimonio litterarum sigilli Nostri appensione munitarum Dat. in Ciuitate Tridentinâ die duodecimâ mensis Maij Anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto. Et eadem Congregatio Nobis supplicari fecerit, & per insertum Priuilegium, omniaque in eo contenta, & præsertim vnionem factam, & celebratam per Sanctam Sedem Apostolicam de Monasterijs, & Ecclesijs Sacri Specus, & Sublacen. cum dictâ Congregatione Casinensi confirmare, ratificare, & approbare, ac etiam de nouo, in quantum opus fuerit, concedere dignaremur, litterasq; & alias prouisiones dictæ vnioni contrarias, quas nonnulli Germani Monachi ob importunitatem suam, & erroneam suggestionem, ac sinistram informationem in præiudicium prædicti Priuilegij, & vnionis nuper à Nobis dum Vuormatiæ essemus obtinuerint, cassare, reuocare, & annullare. Tandemq; præfatam Congregationem, & in specie præfata Sacri Specus, & Sublacen. eidem vnita, necnon quæcunque Monasteria quæ dicta Congregatio sub ditione Nostrâ habet, & possidet, & generalitèr omnia eiusdem Congregationis Monasteria, Abbatias, Prioratus, & quocunque nomine censeantur Ecclesias, personas cuiuscunque conditionis, in easdem degentes membra, loca, do-

mos, castra, possessiones, & reliqua in præinserto Priuilegio contenta, in specialem Nostram, & Sacri Imperij tuitionem, Saluaguardiam, & protectionem ex gratiâ Dei, clementiâ Nostrâ suscipere voluimus. Nos itaq; præmissis attentis, & consideratis; præcipuè quantâ fide, deuotionis affectu, ac obseruantiâ ipsa Congregatio Casinensis Nobis, & Sacro Imperio semper affecta fuerit, de qua etiam Congregatione, quam vberes fructus, & præsertim Eleemosinarum, & Hospitalitatum, quâ nihil Deo gratiùs, erga omnes Christi pauperes in Christianâ Religione afferat, pręclarum accepimus testimonium. Considerantes præterea Nos eadem ratione ad Imperiale culmen fuisse assumptos, ac tanto dignitatis fastigio à Deo Optimo Maximo decoratos, vt erga personarum, & rerum Ecclesiasticarum custodiam, defensionem, protectionem, securitatem, quietem, & augumentum, præsertimq; Monasteriorum, Ecclesiarum, Piorumq; locorum, vniones semper simus fauorabiles, & intenti, quandoquidem talibus hostijs, & operibus promeretur Deus. His igitur, & alijs causis, & cõsiderationis dictorum supplicantium pręcibus inclinati, & desuper habitâ maturâ deliberatione Consilij Nostri, quod Nostro mandato quemdam Religiosum D. Bessarionem dictæ Congregationis Casinensis Monachum, & nuncium, pro negotijs eiusdem Congregationis in Curiâ Nostrâ tractandis à Pręsidente, & parte prædictæ Congregationis missum, & quemdam alium Sæcularem, affirmantem se etiam à prædictis Monachis Germanis missum, qui nomine dictorum Monachorum apud Nos, & à Nobis super negotio deputatos comparuit, munimenta quædam pro præfatis Monachis cum informationibus, & motiuis exhibuit, ac negotium ipsum pro dictis Monachis solicitauit, cum instrumentis, munimentis, priuilegijs, informationibus hinc inde exhibitis audiuit, & munimenta præfata diligenti cum examinatione extraiudicialitèr inspexit, & discussit, motu proprio, ex certâ sciẽtiâ, & de plenitudine potestatis Nostræ, Imperialique auctoritate, & de gratiâ speciali, pręinsertas Priuilegij, & gratiæ litteras per dictum D. Maximilianum Auum, & prędecessorem Nostrum præf. Congregationi Cassinen. benignè, vt præmittitur concessis, omniaq; & singula in singulis suis articulis, & punctis, & præsertim dictam vnionem iam factam, & celebratam per sanctam Sedem Apostolicam, & per dictum D. Maximilianum Auum Nostrum confirmatam de Monasterijs, & Ecclesiis Sacri Specus, & Sublacen. cum dictâ Congregatione Cassinensi, & etiam omnia alia priuilegia per prædecessores Nostros, immò & per sanctam Sedem Apostolicam in his quæ ad Nos spectant, & pertinere possunt dictæ Congregationi Casinensi concessa. Quorumquidem Priuilegiorum tenores hic pro expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum præsentibus expressa essent, vel exprimenda forent, tenore præsentium, confirmamus, ratificamus, & approbamus, ac in quantum opus est de nouo concedimus, Nostræque confirmationis, ratificationis, approbationis, & nouæ concessionis muniminè roboramus, & stabilimus, declarantes etiam expresśè Nostræ esse firmæ mentis, & intentionis hanc confirmationem, & concessionem Nostram in specie id pręcipuè operari, vt prædicta vnio locum habeat, & in perpetuâ stabilitate perduret. Iniungentes, quantum ad Nos spectat, & pertinere potest Fratri Mauro, & consortibus, siuè adhærentibus suis, ac omnibus Monachis Nationis Germanicæ, necnon quibuscunque personis, qui de huiusmodi Sublacen. vnione aliquo modo prætedant interesse, vt de cœtero sub pœnâ infrascriptâ non audeant, nec præsumant aliquo ingenio, modo, siuè causâ, aut quouis quæsito colore dictam Congregationem, eiusque Monasteria, & præsertim supraścripta Sublacen. & Sacri Specus eidem Congregationi, vt præfertur vnita, necnon Abbatias, Prioratus, Ecclesias, loca &c. vt sup. molestare, vexare, aut aliquo modo inquietare, sed potiùs permittant, & ab alijs permitti faciant, quod dicta Congregatio de præfatâ vnione perpetuâ pace gaudeat, & fruatur. Expresśè, declarantes nunquam fuisse Nostræ mẽtis propositi in toto, vel in parte decreto, seù voluntati, vel intentioni dicti Aui, & Domini Nostri Maximiliani Imperatoris, vnde in præinsertis Priuilegij litteris fit mentio contrauenire, vel eidem vnioni derogare, vel derogatum esse, sed motu proprio, & certâ scientiâ, ac Imperiali auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassamus, & annullamus, ac irrita, nulliusque momenti, vel firmitatis, declaramus omnia priuilegia, & quascunque litteras, reuocationes, cõfirmationes, seù alias prouisiones à Nobis, vel à Nostrâ Imperali Curiâ Vormariæ, aut aliàs prædictis Monachis Germanis, & quibuscumque alijs cõtra presatam vnionem Sacri Specus, & Sublacen. cum dictâ Congregatione concessas, & omnia inde subsequuta, quarumquidem tenorem hic pro expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & ad maioris gratiæ cumulum Nos præf. Congregationem Cassinen. eiusque Monasteria, Ecclesias, & specialitrè Sacri Specus, & Subblacen. eidem Congregationi, vt præfertur vnita, necnon omnia, & omnes, quæ, & quas dicta Congregatio sub Regnorum Nostrorum ditione habet, & possidet, & generalitèr omnia, & quæcunq; Monasteria, Abbatias, Prioratus, & quocunque nomine censeantur eiusdem Congregationis Casinensis, Ecclesias personas cuiuscunque qualitatis in eis degentes, membra, loca, domos, castra, pagos, oppida, seù villas, possessiones, nemora, pascua, piscarias, iurisdictiones tàm in montibus, quàm in paludibus, quàm etiam mari, iura, bona tàm mobilia, quàm immobilia, & per se mouentia qualitercunque, & quomodocunque consistant ad dictam Congregationem spectantia, & pertinentia, spectantes, & pertinentes, & quæ, & quas nunc habent, in posterum iusto titulo acquirent, tenore præsentium, in specialem Nostrâ, & Sacri Romani Imperij, & protectionẽ, Saluaguardiam, & tuitionem suscipimus, & assumimus; Mandates idcircò, & præcipientes vniuersis, & singulis Principibus, tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Locumtenentibus, Gubernatoribus, Magistratibus, Officialibus, & quibuscumque Iusdicentibus quocunque nomine censeantur, ac Capitaneis armorum, ductoribus militum, alijsque quibuscunque personis, & subditis Nostris, ac Sacri Imperij fidelibus dilectis, vt præfatam Congregationem Cassinen. & præsertim Monasteria, & Ecclesias Sacri Specus, Sublacen. eidem Congregationis Monasteria, Abbatias, Prioratus, & quocunque nomine censeantur, Ecclesias, personas cuiuscunque qualitatis in eis degentes, membra, loca, domos, & bona quæcunque, vt sup. specificata, in quocunque loco existentes, & existentia, defendant, manuteneant, & ab omni damno, præiudicio, & interesse præseruent, & conseruent in suo pacifico statu, & quiete. Volumus tamen, & astringimus præsenti decreto, quod ipsa Congregatio, eiusdemq; Præsidens, & Prælati, qui pro nunc sunt, aut pro tem-

tempore fuerunt, prout confidimus ipsos facturos, vt prædictum Fratrem Maurum, aliosque dictę Nationis Germanicæ Confratres, seù Monachos, qui in præfatis Monasterijs vnitis Sacri Specus Sublacen. erant tempore vnionis, & alios quoscunque Monachos Ordinis Sancti Benedicti de Natione Germanicâ, qui ad præsens sunt, vel futuris temporibus erunt, acceptare, & recipere debeant in præfatis, & alijs dictæ Congregationis Monasterijs, eosque benè tractare, tanquam bonos Fratres, Patres, & Filios in victu, & vestitu, ac etiam dignitatibus, & officijs, iuxta eorum merita, & laudabilem, & Monasticam vitam, ita, & prout obseruatur erga alios Monachos Professos præf. eorum Congregationis; dummodò Monasticè, & secundum Regulam Sancti Benedicti, ac Constitutiones, & consuetudines laudabiles ipsius Vener. Congregationis sub Obedientiâ suorum Prælatorum viuant, & prout alii Monachi viuunt, & obseruant; nihilque contra dictam Congregationem, & contra eorum loca, Monasteria, Ecclesias, personas vt sup. machinati fuerint in posterum. Volumus etiam quod prędicta Monasteria Sacri Specus, & Sublacen. antiquas suas denominationes, seù titulos, non obstante dictâ vnione retinere debeant. Non obstantibus in contrarium quibuscúque, præsentium effectum impedire valentibus, etiam si talia essent, quæ hic deberent exprimi in specie; quibus omnibus, & singulis, ac si inserta essent, vel inserenda forent, motu, scientiâ, & potestate, quibus sup. derogamus, & per præsentes derogatum esse volumus. Nullus ergò hominum hanc Nostræ confirmationis, concessionis, protectionis, decreti derogationis, reuocationis voluntatis, & gratiæ paginam, siuè priuilegium violare præsumat, & contrauenire in toto, vel in aliquâ sui parte in quantum euitare voluerit pœnam indignationis Nostræ grauissimæ, ac centum marcharum auri puri; quarum medietaté Fisco, siuè Ærario Nostro Cæsareo, reliquam verò iniuriam passorum vsibus decernimus ipso facto esse applicandum. Harum testimonio litterarum sigilli nostri appensione munitarum. Dat. in opido Nostro Säden. Tornacen. Diœc. die duodecimâ mensis Ianuarij Anno Dómini millesimo quingentesimo vigesimo secundo à Natinitate sumpto, Regnorũ Nostrorũ Roman. videlicet Germaniæ &c. Tertio, Hispaniarum verò, & cæterorũ sexto. Carolus. Collatio facta est, & ad mandatum Cæsareæ, & Catholicę Maiestatis proprium.

## CONSTITVTIO CXXXIX.

### SVMMARIVM.

1523. Apr. 17.

### ADRIANVS PAPA VI.

*Abrogat Constitutiones Leonis X. quoad modum eligendi Præsidens Definitores, & Visitatores & restituit Congregationi facultatem faciendi dictas electiones, iuxtà ritum pristinum.*

ADRIANVS Papa VI. Dilectis filijs Pręsidenti, Visitatoribus, & Prælatis Congregationis Casinensis, alias Sanctæ Iustinæ de Padua, Ordinis Sancti Benedicti, Regularis Obseruantiæ. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, licet iuxtà antiquam, & approbatam, & per multa tempora obseruatam consuetudinem Congregationis vestræ, in electione Præsidentis, & Definitorum, ac Visitatorum ipsius Congregationis, vnicuique eligendi, ex eâdem Congregatione quos magis idoneos iudicauerit, eorum prioribus annis electos, ac in eodem Monasterio professos, libera noscatur facultas: Tamen felicis recordationis Leo Papa Decimus predecessor Noster, nonnulla circa huiusmodi Præsidentis, & Definitorum, ac Visitatorum electionem, & vota in ipsa electione danda, per quasdam sub plumbo, sub Dat. Florent: X. Kal. Martij, tertio: ac postmodum succedentibus certis vestris ordinationibus, ac statutis, per alias in formâ Breuis confirmatorias litteras Die III. Aprilis, nono Pontificatus sui anno confectas, nonnulla statuta, & ordinationes fecit, quæ, experientiâ rerum magistrâ docente, in ipsius Congregationis detrimentum, siue perturbationem cedere, ac liberam pro cuiusque arbitrio eligendi facultatem adimere, seu diminuere comperta sunt; quo fit, vt electio ipsa nimium vaga, homines sæpe nouos, & inexpertos præficiat, & auctoritas Superiorum minuatur, & delinquendi licentia crescat, & minus quam par est, in spiritualibus, & temporalibus necessarijs intendi possit. Nos igitur felicem successum dictæ Congregationis sincero affectu desiderantes, ac vos aduersus litteras, Leonis prædecessoris huiusmodi, quo ad hoc dumtaxat, in pristinum, ac eum, in quo antequam illæ emanassent, eratis statum, restituentes, reponentes, & plenariè reintegrantes; Motu proprio, & ex certâ scientiâ, vobis vt (si maioris partis vocem in vestro generali Capitulo habentium, expressus accesserit assensus) electionem Præsidentis, Definitorum, & Visitatorum huiusmodi, iuxtà pristinam ipsius electionis, & votorum in illa dandorum formam celebrare, & ad illam procedere, ac omnibus, & singulis in ipsâ electione vocem habentibus, vt quos ex vestrâ Congregatione idoneos iudicauerint (super quo conscientiam cuiuslibet ipsorum oneramus) in Præsidentem, Definitores, & Visitatores, nullâ habitâ ratione, quod vno, vel duobus successiuè annis præcedentibus electi, pro vt in primo, seu quod plures in eodem Monasterio professi fuerint, vt in secundo, dictis litteris inhibitum dicitur reperiri, eligere. Ipsique sic electi, Præsidentis, Definitorum, & Visitatorum Officia, absque alicuius inhabilitatis incursu acceptare, illaque cum Dei timore exercere liberè, & licitè valeatis, iuxta antiquum morem huiusmodi, seu alium, qui eidem maiori parti magis expedire videbitur, plenam, & liberam, omnimodãq; licentiam, & facultatem, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & pariter indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac litteris prædecessoris, & ordinationibus vestris huiusmodi, quibus, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa dumtaxat, illis quoad alia in eis contenta, in suo robore permanentibus, harum serie specialitèr, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, & decernimus; cœterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romę apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris. Die Vigesima Septima Aprilis, 1523. Pontificatus Nostri Anno Primo.

## CONSTITVTIO CXL.

### SVMMARIVM.

1523. Sept. 5.

### ADRIANVS PAPA VI.

*Duas Decimas pro subsidio Reipublicæ Venetæ in bello contra Turchas, Monachis Casinensibus, cæterisque Regularibus; & Clero in Statu Veneto imponit.*

ADRIANVS Papa Sextus. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper exponi nobis fecistis, per dilectum Filium Marcum Foscarum, apud Nos Oratorem quod cum Vos quamplures Ciuitates, & Terras, in locis maritimis habeatis, & diuersos Piratas, & Infideles per maria, quibus ipsę Ciuitates, & Terræ vicinæ, & quasi contiguæ sunt discurrentes, sæpènumero eas aggredi, & tam personas, quàm earum bona abducere, & depredari contingat; cogimini pro ipsarum Ciuitatum, ac Terrarum, ac personarum in eis habitantium tutela, & defensione classem & quidem notabilem in dictis maribus paratam semper habere. Verum cum id non sine maximo dispendio facere valeatis, & licet aliàs Vestrâ Respublica, Altissimi beneficio satis considerabiles redditus habeat; quia tamen à nonnullis annis citra ob plurima bella, quæ in Italiâ præsertim viguerunt Ærarium Vestrum ita exhaustum est, quod nisi vobis de aliquo subuentionis auxilio succurratur, classem huiusmodi substentare, aliasque necessarias prouisiones ad dictarum Ciuitatum, & Terrarum, ac ipsarum agrorum conseruationem facere minimè valeatis; Nobis humiliter supplicari fecistis, vt quod personæ Ecclesiasticæ vestri Dominij, quorum non minus, quàm Laycorum interest, vt dicta Vestra Respublica, Ciuitates, & Terras prædictas conseruetur; aliquod vobis ad præmissa subsidium porrigant, prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur attendentes in his inter alia de hoc agi, quod animæ, quæ vt plurimum, corporibus in Infidelium seruitutem redactis, non valentes tormenta eis in dies illata sufferre, Deum abnegare coguntur, Christo Saluatori Nostro conseruentur; Considerantesque tàm pia opera nullos magis, quàm personas Ecclesiasticas decere; de Venerabilium Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac dilectorum filiorum electorum Administratorum Abbatum, Priorum, Præpositorum, Prælatorum Capitulorum, Conuentuum, ac Cleri Ciuitatum, & Diœcesum, Terrarum, Castrorum, Villarum, & locorum eidem Vestræ Reipublicæ, mediatè, vel immediatè subiectorum, & sub ipsius Dominio, & ditione consistentium; in Domino fiduciam specialem sumentes, duas veras, & integras Decimas ex omnibus, & singulis fructibus, prouentibus, & redditibus Ecclesiasticis, quarumcumque Cathedraliũ, etiam Metropolitanarũ, aliarumque Ecclesiarum, Prioratuum, Monasteriorũ, & bonorum Ecclesiasticorum Sæcularium, & Ordinum quorumcumque Regularium, etiam Militiarum, non tamen Sancti Ioannis Hierosolymitani, in Dominio, & ditione prædictę Reipublicæ ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatarijs, & Abbatibus, cæterisque personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus, Ordinum, & Militiarum quorumcumque, exemptis, & non exemptis, in prædicto Dominio, beneficia, Ecclesiastica obtinenda, & fructus bonorum huiusmodi, etiam ex reseruatione aliquarum annuarum pensionum habendarum, & infra vnum annum dumtaxat percepturis, & habituris cuiuscumque præeminentiæ, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, quibus, aut alicui eorum nulla priuilegia, aut indulgentias, sub quâcumque verborum formâ, vel expressione concessa, quoad hoc, volumus suffragari; personis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ R.E. Cardinalium, & militibus Hierosolymitanis, dumtaxat exceptis, in terminis, & locis congruis, per infrascriptos Collectores, aut ab eis facultatem habentes statuendis, & declarandis, exoluendas, & in huiusmodi Classis conseruationem necessarijs exponendo, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, imponimus. Vtque ipsarum duarum Decimarum exactio faciliùs fieri possit, duas personas in dignitate Ecclesiastica constitutas per Vos in Dominio vestro ad hoc nominandas; super quo vobis per præsentes licentiam cõcedimus, & facultatem huiusmodi Subsidij Collectores, & Exactores dictâ auctoritate facimus, creamus, constituimus, & deputamus, eisque subsidium huiusmodi ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatarijs, & personis alijs ad illud soluendum astrictis petendi, colligendi, exigendi, ac eis tàm in genere, quàm nominatim, & in specie, vt illud soluant, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis bonorum Ecclesiasticorum, per eos tunc obtentorum, & alijs de quibus sibi videbitur pœnis, etiam pecuniarijs, auctoritate Nostrâ mandandi, ac terminum ad id præfigendi, & præfixum semel, & pluries, totiens, quotiès sibi videbitur, Subcollectores, qui pari, quàm ipsi, per vos, vt præfertur deputandi, per præsentes vtuntur facultate; fungantur, deputandi, tàm generaliter, quàm nominatim, & deputatos amouendi, ac alios eorum loco totiens, quotiens sibi videbitur subrogandi. Nec non Subsidium huiusmodi soluere recusantes, vel differentes, & generaliter contradictores quoslibet, & ne soluatur persuadentes directè, vel indirectè, per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendi, inuocato etiam si opus fuerit ad hoc, auxilio brachij sęcularis. Soluentes verò de solutis quietandi, liberandi, & ab excommunicationis sententiâ, alijsque censuris, & pœnis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrissent absoluendi, ac generaliter omnia, & singula in præmissis, & circa ea, necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi, & exequendi plenam, & liberam, tenore pręsentium, concedimus facultatem. Non obstante si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatarijs, Abbatibus, Prioribus, Militibus, & alijs personis Ecclesiasticis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius impositionis minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca, ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi, eiusque toto tenore, ac proprijs ipsorum locorum, Ordinum, & personarum nominibus, & cognominibus, & quibuscunque priuilegijs, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris Apostolicis, quibusuis dignitatibus, seu Ordinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, & pręcipuè S. Benedi-

nedicti, & S. Augustini, Cluniacen. Cistercien. Camaldulen., & Vallis Vmbrosę, Cruciferorũ, & Humiliatorum, ac ipsorum vniuersitatibus generalitèr, vel specialitèr, sub quâcumque formâ, & expressione verborum ab eâdem Sede concessis, mentionem; etiam si de eis, eorumque totis tenoribus de verbo, ad verbum, quoad opportunam eorum, & clausularum in eis contentarum, derogatoriarum derogationem præsentibus habenda esset mentio specialis; eisque quoad præmissa, illis aliàs in suo robore permãsuris, nolumus quomodolibet suffragari. Volumus autem, vt iuxtà ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, Calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum bonorum ac piorum locorum huiusmodi Diuino cultui dedicata, ex causa pignorum, vel aliàs, occasione solutionis Subsidij huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; quodque præsentium litterarum transumptis, manu alicuius, ex deputatis per vos Collectoribus, vel Prælati in dignitate Ecclesiasticâ constituti Sigillo, & publici Notarij subscriptione munito eadem prorsus fides adhibeatur in Iudicio, & extra, quæ adhiberetur ipsis originalibus litteris, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris: Die quinta Septembris 1523. Pontificatus Nostri Anno secundo. Hezius.

## CONSTITVTIO CXLI.

### SVMMARIVM.

*1523. Decembris. 12.*

### CLEMENS PAPA VII.

***Impositionem duarum Decimarum pro bello contra Turcas ab Adriano VI. indictam in Statu Veneto, confirmat.***

CLEMENS Papa VII. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliàs per fel. rec. Adrianũ Papa VI. Prædecessorem Nostrum, accepto Rempublicam vestrã, pro tutela, & defensione Ciuitatũ, & Terrarum Vestrarum, in locis maritimis consistentium classem satis notabilem, in maribus Vestris cogi tenere; Idque non minus personis Ecclesiasticis, quàm Laycis vtile esse, & propterea per ipsas personas Ecclesiasticas, aliquod Subsidium vobis porrigendum esse; Idem Adrianus Prædecessor duas veras, & integras decimas ex omnibus, & singulis fructibus quarumcunque Cathedralium, etiã Metropolitan. aliarumque Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, & Ordinum quorumcumque Regularium, etiam Militiarum, non tamen Sancti Ioannis Hierosolymitani, in Dominio, & ditione Reipublicæ Vestræ ab omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, cœterisque personis Ecclesiasticis, exemptis, & non exemptis in dicto Dominio Vestro Beneficia obtinentibus, in terminis, & locis congruis, per Collectores, per vos sic nominandos; super quo vobis, ac illis nominatis, Subsidium huiusmodi ab eisdem Archiepiscopis, & alijs personis præfatis exigendi, & personam ad illud soluendi, cogendi licentiam, & facultatem concessit, statuendis, exoluendas, & in dictæ classis cõseruatione, ac alijs ad ipsarum Ciuitatum, & Terrarum defensionem necessarijs exponendas imposuit; prout in litteris in forma Breuis desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis, dubitetis Decimarum huiusmodi impositionem per prædictum Adrianum Prędecessorem factam per Constitutiones in crastinũ Assumptionis Nostræ per Nos editas, & in Cancellariâ Apostolicâ publicatas, renouatam fuisse; desideretisque Decimas ipsas pro tam vtili, & necessariâ causâ impositas, iuxtà litteras Adriani Prædecessoris huiusmodi exigi, & in dictos vsus conuerti facere posse. Nos, qui pijs desiderijs vestris, quantum cum Domino Nobis licebit, libentèr annuere parati sumus; Litteras impositionis huiusmodi, cum facultate deputandi Collectores, & Decimas ipsas in terminis statuendis exigendi, cum alijs in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, præsentisque scripti patrocinio communimus, præmissis, ac alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, 12. Decẽbris 1523. Pontificatus Nostri, Anno primo.

## CONSTITVTIO CXLII.

### SVMMARIVM.

*1524. Martij 22.*

### CLEMENS PAPA VII.

***Definitores omnes Congregationis Casinensis ex numero Prælatorum in posterum eligendos, sublatâ Conuentualibus voce actiuâ, & passiuâ in huiusmodi electione, decernit.***

*Ex Arch. S. Mariæ Flor. Arm. I. Caps. Z. nu. 34.*

CLEMENS Papa VII. Dilectis filijs Præsidenti, Visitatoribus, & Prælatis, Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ Ordinis S. Benedicti Regularis Obseruantiæ. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Accepimus, quod licet fel. rec. Eugenius Papa IV. prædecessor Noster per suas litteras vobis concesserit, quod ex Monachis professis, vestræ Congregationis singulis annis possetis Nouem Definitores pro celebrãdo Capitulo Generali, & expediendis negotijs eiusdem Congregationis; tamen per illius tunc Patres ordinatum fuit, quod ex dictis Definitoribus, sex ex Prælatis, & tres ex Conuentualibus essent, & in electione dictorum Definitorum omnes Conuentuales interesse, & vocem habere deberent, prout in litteris Eugenij prædecessoris, & ordine dicitur plenius contineri. Nos ex his, quæ dum in minoribus constituti eramus intelleximus, & cognouimus ex interesẽtiâ dictorum Conuentualium plura scandala orta fuisse. Ad obuiandum huiusmodi scandalis, & pro pace, & quiete vestrâ duximus statuendum, prout præsentium tenore statuimus, & ordinamus; quod de cœtero, (si in hoc maior pars Pręlatorum ad præsens existentium consenserit) tàm in proximo, quàm in alijs Capitulis, perpetuis futuris temporibus celebrandis, ipsi Nouem Definitores de numero Prælatorum dumtaxat esse debeant, dictis Conuentualibus ab ipsorum Definitorum electione, voce actiuâ, & passiuâ penitùs exclusis, & alijs in contrarium facien-

cientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Martij 1524. Pontificatus Nostri Anno primo. Be:El:Cremon.

## CONSTITVTIO CXLIII.

### SVMMARIVM.

1525. *Martij 6.*

### CLEMENS PAPA VII.

*In litteris Apostolicis contra Exemptos directis, non comprehendi Congregationem Casinensem, vigore priuilegiorum eiusdem Congregationis, declarat.*

*Ex Arch. Abb. Flor.*

CLEMENS Papa VII. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterii S. Mariæ Abbatiæ Florentinæ, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecistis, quod licet per priuilegia per Sedem Apostolicam Congregationi vestræ concessa, Monasteria eiusdem Congregationis, & illorum Abbates, & Monachi à quorumcunq; Ordinariorum iurisdictione, visitatione, reformatione & correctione sint penitùs exempta; ita quod Ordinarij locorum, & eorum Vicarij, & Officiales nullam in ipsos Abbates, Monachos, & eorum Monasteria iurisdictionem exercere valeant, cum fortissimis clausulis, quod eisdem priuilegijs nullatenus derogatum censeatur per quascunque litteras eisdem Ordinarijs concessas, quascunq; clausulas etiam derogatoriarum derogatorias in se continẽtes; tamẽ dubitatis exemptioni, & priuilegijs prædictis vobis concessis, per quasdam Nostras in formâ Breuis litteras Dilecto filio Nostro Nicolao S. Viti in Macello Martyrum Diacono Cardinali de Ridolphis nuncupato, qui Ecclesiam Florentinam, ex concessione, & dispensatione Apostolicâ in administrationẽ obtinet concessas, per quas sibi, vt tàm ipse, quàm eius Vicarius contra quoscunq; Exemptos in suis Ciuitate, & Diœcesi existentes iurisdictionem ordinariam, exemptione eis concessâ non obstante, exercere possit, facultatem, & potestatem concessimus, præiudicatum fuisse. Quod profectò in dedecus eiusdem vestræ Congregationis cederet; & cui priuilegia à Sede Apostolicâ concessa, illæsa semper conseruata fuerunt. Quarè pro parte vestrâ Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos itaq; huiusmodi supplicationibus inclinati, Monasteria Congregationis vestræ, & illorum Monachos, sub litteris Nicolao Cardinali concessis huiusmodi minimè comprænhensos esse; vosq; vestris, Priuilegijs, Gratijs, & Exemptionibus liberè vti posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si in dictis litteris vos expresśè excepti fuissetis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, decernimus; sicq; per quoscunq; Iudices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores; sublatâ eis alitèr iudicandi, & sententiandi facultate, & potestate iudicari, & sententiari debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, etiam decernimus; præmissis litteris Nicolao Cardinali præfato concessis, cæterisq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Martij 1525. Pontificatus Nostri Anno secundo. Euangelista.

## CONSTITVTIO CXLIV.

### SVMMARIVM.

1527. *Apr. 30.*

### CLEMENS PAPA VII.

*Ab Annatis, communibus, minutis, seruitijs, & obligationibus pro eisdem in Camerà Apostolicà faciendis, per Leonis X. declarationem, & per præsentem exempta fuisse, & fore Congregationis Casinensis, Monasteria, & Beneficia, decernit.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. I. Capsz. n. 35.*

CLEMENS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis consuetâ clementia Prædecessorum suorum gesta, quæ præcipuè pro personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, & præsertim sub Regularis Obseruantiæ disciplinâ, studio piæ vitæ, Altissimo famulantium quieti, & indemnitati emanarunt, etiam firmiora persistant, libentèr approbat, & innouat, eisque Apostolici muniminis robur adijcit, ac personarum earumdem dispendijs obuiat, & aliâs earumdem statui prouidet, prout in Domino conspicit, salubritèr expedire. Dudum siquidem per felicis recordationis Leonem Papam X. Prædecessorem Nostrum, accepto, quod piæ memoriæ Eugenius IV. & post ipsum, vel forsan ante, diuersi alij Romani Pontifices Prædecessores sui, vsque ad tempora recolendæ memoriæ Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris sui, diuersa S. Benedicti, & forsan aliorum Ordinum Monasteria, & alia etiam sæcularia Beneficia Congregationi dilectorum filiorum Monachorum de Obseruantiâ Casinensium, tunc S. Iustinæ nuncupatæ eiusdem Ordinis S. Benedicti ex certis tunc expressis causis perpetuò concesserant, vniuerant, & applicauerant; & postquam idem Paulus Prædecessor inter alia statuerat, ordinauerat, decreuerat, & declarauerat, quod omnia, ac singula Monasteria, videlicet illa, quorum fructus, redditus, & prouentus, ad summã centũ Ducatorũ auri de Camerâ, secundum communem extimationem valorem annuum ascenderent, annuatim vel in libris eiusdem Cameræ taxati reperiantur communia, minuta seruitia, & alia iura debita, & consueta, tàm dictæ Cameræ, quàm S. R. E. Cardinalium Collegio, quàm Officialibus Romanæ Curiæ, reliqua verò Monasteria eidem Congregationi vnita, vt præfertur, pro quibus Cameræ Apostolicæ Annata, siue alia iura solui consueuerant, temporibus retroactis, de soluendo singulis certis temporibus retroractis de soluendo singulis certis temporibus futuris obligatio in eâdem Camerâ facta nõ fuerat, Annatam, seu medios fructus vnius anni imposterum singulis quindecim annis, perpetuò futuris eidem Cameræ omninò soluere tenerentur, & ad hoc hij, quorum intererat, infra vnius anni spacium se in eâdem Camerâ efficacitèr obligare deberent, alioquin si à solutione, seu obligatione præmissis, cessare præsumerent, vniones, applicationes, & concessiones

nes prædictæ haberentur pro infectis, ipsaque Monasteria, tamquam verè vacantia possent liberè impetrari, & canonicè obtineri. Et recolendæ memoriæ Innocentius VIII. eiusdem Pauli Prædecessoris litteras innouauerat, & ad vlteriores, ac grauiores pœnas in præmissis adiecerat, ac etiam censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra non soluentes, & obligationes huiusmodi non facientes promulgauerat. Et demùm Iulius etiam Papa II. similitèr Prædecessor, suis litteris, Pauli, & Innocentij huiusmodi per eum forsan innouatis, Monasteria prędicta, sic vnita, vt præfertur, obtinentes ad integram dictorum iurium solutionem eidem Cameræ faciendam infra annum tunc expressum, teneri decreuerat, prout in diuersis Pauli, Innocentij, & Iulij Prædecessorum prædictorum, etiam in formâ Breuis desuper confectis litteris dicebatur pleniùs contineri. Litigato primum inter tunc Procuratorem Fisci ipsius Leonis Prædecessoris, & alios pro dictâ Camerâ agentes, seu ab eâ causam habentes ex vna, & tunc Præsidentem, & Visitatores dictæ Congregationis super solutione Annatarum, communium minutorum, seruitiorum, & aliorum iurium prædictorũ; ac obligatione de in futurum soluendo, iuxtà litteras Pauli, Innocentij, & Iulij, aliorumque prædecessorum Romanorum Pontificum huiusmodi desuper editas faciendis, & illorum occasione partibus ex alterâ quorumdam, tunc eiusdem Cameræ Præsidentibus, & Clericis, Præsidens, & Visitatores, ac aliæ Congregationis huiusmodi tunc expressæ, ipsaque Congregatio censuras, & pœnas prædictas, ob non solutionis, & obligationis huiusmodi non confectionem incurrisse in dictâ Camerâ declarati fuerant; & deinde, tàm super appellatione, à declaratione huiusmodi interpositâ, quàm alijs præmissis coram diuersis Causarum Palatij Apostolici Auditoribus, plurium annorum spacio litigauerant, prout tunc litigabant, non sine magnâ dictæ Congregationis personarum perturbatione, ipsiusque Congregationis in spiritualibus, & temporalibus detrimento; dictus Leo Prædecessor Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas prædictas, & alias causas, præmissorum occasione, inter Procuratorem Fisci, & Agentes Cameræ, ac quoscunque alios, etiam ab eàdem Camerâ causam habentes, contra Congregationem huiusmodi, vel illius Prælatos, & personas, seu aliquos eorum coram dictis, vel alijs quibuscumque Iudicibus motas ad se per suas litteras aduocauit, & lites desuper etiam per appellationem pendentes prorsus extinxit, & ipsos Congregationi, & illius Monasteria, & loca, Abbatesque, & Conuentus, ac alias personas ad solutionem Annatarum, communium, minutorum, seruitiorum, & aliorum iurium dictæ Cameræ, Collegio, aut Officialibus; tàm ratione prædictorum, quàm aliorum quorumcumque Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum eatenùs eidem Congregationi, & illius Monasterijs siue locis perpetuò vnitorum, concessorum, & applicatorum, super quibus nulla per dictam Congregationem, vel pro eâ agentes obligatio in dictâ Camerâ reperiebatur, ad obligationem de eis soluendis faciendam minimè obligatos fuisse, nec ad illas, aut eorum aliquam condemnari aut astringi potuisse; sed à talibus solutione, & obligatione semper liberos, & exemptos extitisse, & Pauli, Innocentij, ac Iulij, aliorumque Prædecessorum litteras huiusmodi, ac super illis, & illarum prætextu monitoria, & mandata, & quascunque censuras, & dissolutionum, ac priuationum, & inhabilitatum pœnas in se continentia decreta, & executioni demandata, quoad præfatam Congregationem, & illius Monasteria, & personas, locum vendicare nequiuisse; omnesque & singulas de Monasterijs, & locis Congregationis huiusmodi, tamquam per dissolutionem, aut cessationem vnionum, annexionum, & incorporationum prædictarum, aut priuationem de illis, vel aliàs, ob non solutionem Annatarum, communium, & aliorum iurium prædictorum, vel non factam obligationem huiusmodi vacari, etiam apud Sedem Apostolicam, prouisiones, commendas, vniones, & alias dispositiones, si quæ ab eodem Prædecessore, etiam Motu proprio, & scientiâ similibus, etiam pro aliquibus dictorum Cardinalium, etiam ex quibusuis vrgentissimis, & necessarijs, ac vtilibus causis, & cum quorumuis decretorum, & declarationum adiectione, eatenùs emanauerant, & quæcumque inde secuta, nulla, irrita, & inania, & per importunitatem, & circumuentionem, ac contra mentem suam edita, & gesta fuisse, & esse; Monasteriaque & loca Congregationis huiusmodi ob nõsolutionem Annatarum, communium, & iurium, ac non factam obligationem prædictam, vel alios defectus, seu causas, nullatenùs vacasse, neque in futurum vacare, & eorum fructuum annuũ valorem, vltra ad id, quod tunc in libris Cameræ prædictæ taxatus respectiuè reperiebatur augeri, vel aliàs in dictæ Congregationis præiudicium alterari, nullo vnquam tempore posse attestatus, & interpretatus fuit; decernens, & declarans; necnon Procuratori Fisci, & Agentibus Cameræ, & Cardinalibus, ac Officialibus, & alijs personis quibuscunque sua in præmissis interesse putantibus perpetuum silentium imposuit; ac auctoritate, & potestate similibus, Monasteria, & Beneficia eatenùs vnita, etiam si ex quauis causa vniones huiusmodi nullæ, aut inualidæ forent, & quouis modo vacarent, etiamsi Curata electiua, dignitates, etiam Conuentuales, & ad nutum amouibilia, aliasque vtcumque qualificata, ac deuoluta, affecta, & litigiosa forent, habẽdo pro expressis, quoscunque defectus, etiam intentionis, ac fructus, si qui indebitè, malè per ipsam Cõgregationem, siue illius personas percepti forent, dictæ Congregationi vniuit, & incorporauit. Et nè alicui Congregationẽ ipsam, & personas, præmissorum, occasione, directè, vel indirectè vlteriùs molestandi causa subesset, litteras suas prædictas ad plenè probandum omnia, & singula prædicta in iudicio, vel extrà sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum quoquo modo requiri, & de intentionis suæ defectu, aut alio quouis vitio impugnari nullo modo posse. Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiã Auditores, & Cardinales præfatos in quâuis instantiâ iudicari, sententiari, & definiri deberet; sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis aliter faciendi omnimodâ potestate, ac irritum, & inane, si secùs super hijs à quoquam, quâuis, etiam suâ auctoritate, ac etiam per ipsum Prædecessorem scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari; prout in eisdem litteris Leonis Prædecessoris huiusmodi, pleniùs continetur. Cum autem, sicut accepimus, postmodum dicto Leone, & successiuè recolendæ memoriæ Adriano VI. etiam Nostro, Prædecessoribus, sicut Domino placuit, de medio sublatis, & Nobis Diuinâ fauente Clementiâ ad Apostolatus Apicem assumptis, ad instantiam Fisci Nostri Procuratoris, seu eiusdem Cameræ Clericorum, asserentium Congregationem prædictam de faciendâ quâdam obligatione, de imposterum soluendis Annatis, & iuribus

bus prædictis, vt dicitur certo modo se obtulisse, & obligationẽ huiusmodi per dictum Prędecessorem acceptatã fuisse, & illius vigore Congregationem huiusmodi ad dictam obligationem faciendam teneri, forsan contra eamdem Congregationem in dictâ Camerâ, seu aliàs certo modo etiam forsan executiuè ad certos actus, & seu aliquarum Censurarum fulminationem processum fuerit. Nos igitur dictæ Congregationis, cuius Monachi præfati tãquàm mortui mundo soli Christo, qui est vita viuentis, pro vniuersali Ecclesia ad Deum preces fundentes in militanti Ecclesiâ vberes fructus in dies producunt, tranquillum, & prosperum statum Paterno zelantes affectu, ipsamque Congregationem, quàm in visceribus gerimus charitatis, non minori præsidio, quam dictus Leo fecerit confouere intendentes, ac illius singulares personas à prædictis & alijs quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; ac omnia & singula, post concessionem litterarum. Leonis prædecessoris huiusmodi, & illis stantibus, nulla, prout existunt, & inualida reputantes, ac oblationem huiusmodi, quatenus ab aliquo eiusdem Congregationis facta comperiatur, pro potiori cautelâ reijcientes, & abijcientes; illamque ac omnia, & singula post, & contra concessionem litterarum Leonis huiusmodi, vt præfertur, gesta, quatenùs de facto processerint cassantes, annullantes, & irritantes, ac pro cassis, nullis, infectis, & irritis haberi debere decernentes, & declarantes; necnon litteras Leonis prædecessoris huiusmodi, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, ad infrascripta, ampliantes, & extendentes. Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostrâ merâ deliberatione, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, litteras Leonis prædecessoris huiusmodi, cum aduocationis, extinctionis, voluntatis, attestationis, interpretationis, declarationis, vnionis, incorporationis, derogationis, impositionis, mandati, & decreti, ac alijs in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac futuris temporibus perpetuâ roboris firmitate subsistere, & inuiolabilitèr obseruari debere; Ac Congregationem, & illius Prælatos, & personas præfatos, contra tenorem litterarum huiusmodi, nullitèr, ac iniustè, & indebitè molestatos, & perturbatos fuisse, nec vllo vmquam tempore præmissarum, vel aliquarum ex ipsis, & præsertim fiendarum obligationum huiusmodi molestari, perturbari, seu inquietari posse. Et sic per eiusdem Cameræ Clericos, & Præsidente sin eâdem Camerâ, & extra eam, etiam per quoscumque Iudices, sublata eis, quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, etiam in quocumque iudicio executiuo iudicari, & diffiniri debere; irritum quoque & inane si secus super hijs à quoquam, quâuis auctoritate, etiã per Nos, & successores Nostros, aut alios scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari. Et nihilominus, pro potiori cautelâ litteras Leonis prædecessoris huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, ac per ipsum Leonem prædecessorem, vt præfertur, gesta, & decreta, & iam quoad omnia, & singula, supradictâ auctoritate, & tenore prædictis, Ad rei memoriam perpetuam de nouo facimus, statuimus, & decernimus. Quo circa m vniuersis, singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis personis in dignitate Ecclesiasticâ, & vbilibet constitutis, Motu simili mandamus, quatenùs ipsi, vel eorum aliqui per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte Congregationis, ac illius Prælatorum, & personarum prædictorum, vel alicuius eorum desuper fueritis requisiti solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficaci præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ, Leonis prædecessoris, & præsentes litteras, ac in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari; ipsosque Congregationem, Prælatos, & personas, illis omnibus, & singulis pacificè vti, & gaudere: non permittentes eos, aut eorum aliquem desuper, per agentes dictæ Cameræ, seu quoscumque alios quomodolibet indebitè molestari; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Cameræ iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac quibusuis litteris Apostolicis etiam per dictum Leonem, aut quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros, etiam super obligationibus pro Annatis, communibus, minutis seruitijs, ac alijs iuribus prædictis singulis quindennijs soluendis, etiam per Prælatos, & personas Congregationis huiusmodi in dictâ Camerâ faciendis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam Motu & scientiâ, ac potestatis plenitudine similibus, ac cum omnibus, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; decretis; ac quod litterę ipsę vim validi, & efficacis cõtractus inter ipsos prędecessores, & Camerã præfatam, ac eamdem Congregationem irriti habeant, & alijs decretis, etiam sub pari vel posteriori datâ quomodolibet forsan editis, & concessis, quibus omnibus, etiam si de illis specialem, & expressam oporteret fieri mentionem, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs ommisso inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, quoad præmissa specialitèr, & expressè derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus; Nec non omnibus, quæ in prioribus litteris Leonis prædecessoris huiusmodi concessum fuit non obstare, & quæ præsentibus pro repetitis haberi volumus contrarijs quibuscumque. Aut si agentibus præfatis, vel quibusuis alijs communitèr vel diuisim ab eâdem, sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, refutationis, reiectionis, abiectionis, cassationis, annullationis, irritationis decreti, declarationis, approbationis, innouationis, statuti, mandati, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Vigesimo Septimo, Pridie Calendas Maij, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CON-

## CONSTITVTIO CXLV.

### SVMMARIVM.

*1529. Decemb. 23.*

### CLEMENS PAPA VII.

*Facultatem alienandi bona Congregationis Casinensis pro solutione impositionum seu Subsidiorum Sedis Apostolicæ, concedit.*

*Ex Arch. S. Ben. de Padolyr. Arm. I. Caps. I. n. 29.*

CLEMENS Papa VII. Dilectis filijs Præsidenti, Visitatoribus, & Prælatis Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinę de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, Regularis Obseruantiæ. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Postquam fel. rec. Leo Papa X. prædecessor Noster vobis, ex certis causis tunc expressis, bona immobilia Monasteriorum Ordinis S. Benedicti vestræ Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ, vsq; ad valorem tunc expressum vendendi, & alienandi. Ita tamen, quod infra certum tempus similitèr tunc expressum alia bona immobilia, pro eisdem Monasterijs emere teneremini per suas in formâ Breuis litteras licentiam concesserat. Vosq; licentiæ huiusmodi vigore, bona ipsa ad dictum valorem vendideratis. Nobis etiam summam viginti millium ducatorum pro Castro Riani, & Casale, Draconcelli, quæ Monasterij Sancti Pauli de Vrbe, dictæ Congregationis fuerant, eidem Monasterio concessimus, persoluere promisistis, & pecunias ipsas mutuo recipere coacti fuistis, quas, sine alienatione bonorum immobilium Monasteriorum eiusdem Congregationis restituere non potestis, & causantibus succedentium temporum calamitatibus, & sinistris euentibus, loco bonorum, vigore licentię Leonis prædecessoris, alia bona, pro eisdem Monasterijs emere hactenus non potuistis, nec infra dictum tempus, cuius fines de proximo instar, emere posse speretis; sed etiam pro solutione dictorum vigintimillium ducatorum alia bona ipsorum Monasteriorum vestrorum vendere, & alienare cogamini. Quarè pro parte vestrâ Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt vobis alia bona dictorum Monasteriorum pro summâ vigintiquinque millium ducatorum liberè pro iusto, & rationabili prætio vendendi, aut ad longius tempus vni, vel pluribus personis locandi, licentiam concedere, aliasq; in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos, huiusmodi vestris supplicationibus inclinati, tempus ad emendum alia bona, per litteras Leonis prædecessoris huiusmoni præfixum, & nondum elapsum, ad duodecim annos proximè futuros, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium extendimus, & prorogamus; vobisq; pro restitutione vigintimillium ducatorum Nobis soluendorum, & pro parte solutorum, alia bona immobilia ipsorum Monasteriorum, de quibus vobis videbitur, & placuerit, vsq; ad valorem vigintiquinque millium ducatorum auri de Camerâ vendendi, & alienandi; Itaut alia bona immobilia, pro ipsis Monasterijs infra dictos duodecim annos reemere omninò teneamini, ac bonorum prædictorum temporibus instrumenta, cum omnibus clausulis in alienationibus huiusmodi necessarijs, & fieri solitis ad sensum sapientium suorum dandi, & conficiendi, aut ad longum tempus illa, vt præfertur, locãdi, auctoritate, & tenore prædictis plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus; ac huiusmodi venditiones, & alienationes per vos, vigore præsentium faciendas, validas, & efficaces existere, & obseruari debere decernimus. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ II. prædecessoris Nostri, & quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon Monasteriorum, Ordinis, & Congregationis prædictorum iuramento confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisq; contrarijs quibuscumque. Decernentes autem, quod præsentium transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & alicuius personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutę munitis, eâdem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Bononiæ sub Annulo Piscatoris die xxiij. Decemb. M.D.XXIX. Pontificatus Nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO CXLVI.

### SVMMARIVM.

*1531. Apr. 8.*

*Decretum Sacræ Pœnitentiariæ Vrbis. Quod Moniales Congregationis Casinensis pro receptione Monialium supra numerum assignatum, possint ex pacto conuenire, & exigere à consanguineis receptarum, pro earumdem substentatione, quidquid concorditèr contraxerint cum eisdem consanguineis.*

*Ex Regist. Pœnitentiariæ Vrbis.*

ANTONIVS, Miseratione Diuinâ, Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis. Dilectis in Christo Abbatissis, Priorissis, & Monialibus Monasteriorum sub curâ Abbatum, Priorum, & Monachorum, cœterorumq; Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis degentium, Salutem in Domino. Iniunctum Nobis ab Apostolicâ Sede seruitutis officium, nos admonet, & inducit, vt prudentum Virginum votis, quæ spræto mortalis viri thoro, & qui Speciosus est præ filijs hominum desponsari desiderantes, Virginitatem suam Deo consecrarunt, promptos nos, & fauorabiles exhibeamus; ac ad ea libentèr intendamus, per quę Monasteriorum, & in illis Regulari Castimoniâ deditarum personarum feminei sexus commoditatibus, & indemnitatibus valeat salubritèr prouideri. Sanè, ex parte vestrâ nobis oblata petitio continebat; Quod cum ad vestra Monasteria, quamplurimæ mulieres, etiam nobiles Deo Optimo duce, superioribus annis accesserint, in diesq; magis accedant, vt sprætis sæculi vanitatibus ibi per Religionis habitum soli Deo vacare possint; quas non recepisse, & in futurum etiam non recipere, non modo impium, & eorum saluti contrarium, sed, & apud Populos scandalum, & tunc fuisset, & in futurum foret. Vos, cum Dei honori, tum animabus, consulentes, aliquas hactenus in vestris Monasterijs ad professionem vobis adiunxistis, fortè vltra numerum à Iure statutum, & plusquam ex redditibus Monasteriorum vestrorum substentari possent. Pa-

ciscentes insuper, & aliquod temporale exigentes ab eorum parentibus,affinibus, & cognatis;cum huiusmodi receptæ,ad hoc,vt & recipientes haberent, vnde sustinere onera Religionis commodè possent, & receptæ absq; penuriâ honestè, & religiosè viuere possent. Cum autem sicut eadem subiungebat petitio,ex huiusmodi receptæ pactione, & exactione dubitetur aliquas censuras Ecclesiasticas incurrisse, illasq; sic receptas non canonicè profesas; cupiatisq; in futurum super præmissis vobis, acceptisq; & recipiendis Monialibus consulere, supplicari fecistis humilitèr,vobis super his,per Sedis Apostolicę benignitatem, de opportuno remedio prouideri. Nos igitur, qui Diuinum cultum vbiq; vigere, & Christi fidelium deuotionem augeri, & animarum salutem intensis desiderijs affectamus; vestris in hâc parte deuotionibus inclinati; auctoritate Domini Papæ,cuius Pœnitētiarię curam gerimus, & de eius speciali mandato super hoc viuę vocis oraculo nobis facto, vos à quibusuis excommunicationis, & alijs Ecclesiasticis cēsuris,sententijs & pœnis,si quas ob pręmissa incurristis, tenore pręsentium,hâc vice absoluendo, & absolutas fore censendo, Vobis, cum ex mutatione loci maximum detrimentum, & Monasterij scandalum generare posset, in animarum non modicum periculum; Vt non mutato loco in vestris Monasterijs perseuerare;ac exacta,vt supra liberè retinere possitis. Deinde, vt professio per dictas Moniales receptas, post statutum à iure numerum, vt prefertur,emissa,teneat,validaq; existat,ipseq; habeantur,sint, & esse censeantur pro professis;omnibusq;& singulis priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus, gratijs, fauoribus, concessionibus,& indultis,tàm spiritualibus, quàm temporalibus,vtantur,potiantur, & gaudeant, non secùs,quam cœtere Moniales antea legitimè, & canonicè professę. Cœterum,in fauorem Religionis, præsertim, cum spiritualia, sine temporalibus esse non possint. Volumus, & mandamus, quod Vos in futurum, nullas in capitulum, aut ad professionē recipiatis, nisi ab earum parentibus, consanguineis, vel affinibus,aut cognatis, seu quibusuis alijs personis,ita illis iuxtà dispositiones canonicas prouideatur,vt,& vos commodè sustinere onera Religionis, piâ intentione, valeatis, & recipiendæ habeant, vnde ex parentum, aut aliorum prędictorum bonis, honestè viuere,iuxtà consuetudinem possint; illasq; legitimè, & canonicè receptas tenore præsentium declaramus,ac etiam super præmissis plenam licentiam indulgemus,& liberam concedimus facultatē, vobiscumque, & cum illis desuper misericorditèr dispensamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac tàm Prouincialibus, quàm Synodalibus dictorum Monasteriorum, Ordinis,& Congregationis,etiam iuramento,cōfirmatione Apostolicâ,vel quâuis auctoritate aliâ roboratis statutis,& cōsuetudinibus,cœterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autē,quod pœnitētia, quàm confessor, quem super hoc duxeritis eligendum,pro receptione, pactione, & exactione hactenus factis præmissis, vobis iniunget, adimplere teneamini. Dat. Romæ apud S. Petrum sub sigillo officij Pœnitentiariæ vj. Idus Aprilis, Pontificatus Domini Clementis Papę VII. Anno nono. F. Barachius. G. Amodeis.

## CONSTITVTIO CXLVII.

### SVMMARIVM.

1531. *Nouembris 27.*

### CLEMENS PAPA VII.

*Facultates eligendi Confessores vigore Bullæ Cruciatæ impetratas à Monachis Casinensibus, intelligi de suorum superiorum licentiâ, non aliàs, declarat; dummodo præsentes litteræ illis fuerint intimatæ.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyrone Arm. I. Caps. I. n. 81.*

Clemens Papa VII. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis fecisti,quod,licet facultates eligendi Confessores per quosuis religiosos à Sede Apostolicâ impetrari solitas,non nisi cum clausulâ de licentiâ Superiorum illis concedi consueuerint. Nihilominus tamen proximè ad tuam notitiam deductum fuisse multos vestræ Congregationis Monachos, Conuersos, & Commissos, ac Moniales Vestro regimini subiectas impetrasse à dictâ Sede,seu Commissarijs bullarum Cruciatæ ab eâdem Sede facultatem se habere iactantibus, Confessionalia, seu facultates huiusmodi absque dictâ clausulâ de licentiâ Superiorum: quod non solum in diminutionem vestram in illos superioritatis, & illorum erga vos obedientiam manifestè redundat; verum etiam ipsi talia impetrantibus incentiuum,& licentiam liberiorem ad peccandum præbet. Quamobrem Nobis humilitèr supplicari fecisti, vt super hoc opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur quorum intentionis non fuit dictas facultates,sine solitâ clausula de licentiâ superiorum concedi, honestis precibus tuis inclinati,omnes, & singulas facultates eligendi Confessores huiusmodi à Sede Apostolicâ, & Commissarijs dictæ Cruciatæ,& alijs ab eâdem Sede facultatem habentibus absque clausulâ prædictâ de licentiâ Superiorum, vestris Monachis,Conuersis, & Commissis, ac Monialibus vestro regimini subiectis concessas, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, limitamus, & moderamur, vt illæ de licentiâ suorum superiorum eis concessæ censeantur, nec alitèr eis suffragentur,si tamen, & postquam præsentes Nostræ litteræ in Monasterijs, in quibus illi,vel ille,qui dicta confessionalia impetrauerint,degunt,fuerint intimatę. Volentes propterea præsentium transumptis,manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, plenam fidem in iudicio, & extra adhiberi,perinde, ac si litteræ originales exhiberentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die 27. Nouembris 1531. Pontificatus nostri Anno Nono.

## CONSTITVTIO CXLVIII.

### SVMMARIVM.

1531. *Octobris 15.*

### CLEMENS PAPA VII.

1 *Priuilegia, Exemptiones, & immunitates Congrega-*

*tioni*

*tioni Casinensi aliàs S. Iustinæ concessa, & confirmata per quoscunque Summos Pontifices, vel Principes pro exemptione à iurisdictione Legatorum, & Ordinariorum, etiam ab Impositionibus, Subsidijs, & Gabellis, ac etiam statuta pro celebratione Capituli approbat.*

2 *Confirmata per Alexandrum VI. circa dubia Priuilegiorum dictæ Congregationis ad eiusdem fauorem interpretanda, Et priuilegia singulorum Monasteriorum ad cætera extendenda, renouat.*

3 *Ab Annatis, communibus, minutis seruitijs, & obligationibus pro eisdem Cameræ Apostolicæ faciendis, per Leonis X. declarationem, exempta fuisse, & fore dictæ Congregationis Monasteria, & Beneficia decernit, & proprias, super huiusmodi confirmatione, litteras aliàs emanatas approbat; sublatà cuicunque alias interpretandi facultate. Iterumque Priuilegia, & exemptiones confirmat.*

*Ex Archiu. S. Benedicti de Padolyrone Arm. 1. Caps. 1. n. 82.*

CLEMENS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex Clementi Apostolicæ Sedis prouisione, necnon personarum Deo deuotarum, presertim sub Regulari castimonià Domino militantium pià deuotione, prouenire dignoscitur, vt Romanus Pontifex quandoque per prædecessores suos Romanos Pontifices pro Religionis conseruatione, & augumento, ac personarum earumdem quiete, & commodo concessa, approbet, & innouet; ac innouata, Apostolicà Auctoritate communiat; vt eo firmiora persistant, quò sępius fuerint, dictę Sedis auctoritate, & protectione circumfulta.
1 Sanè pro parte dilectorum filiorũ modernorum Præsidentis, & Definitorum Capituli Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, ac ipsius Congregationis Casinensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet dudum eidem Congregationi, ac illius Pręsidenti, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus Rectoribus, Monachis, & Conuersis, eorumque Cappellanis, Familiaribus, & Seruitoribus, necnon Monasterijs, Prioratibus, & locis, etiã vnitis, ac Ecclesiis, Cappellis, Oratorijs, membris, & bonis pro tempore existentibus, quamplura, & diuersa Priuilegia, immunitates, exemptiones etiam, tam ab Ordinariorum locorum, ac Legatorum, etiam de latere, iurisdictione, quam etiam ab omni impositione, exactione, collecta, decimâ, subsidio, & alio quocumque grauamine quocumque nomine censerentur, per Romanos Pontifices pro tempore existentes, pro tẽpore imponẽdis, necnõ à quâcumque occasione Legatorum, etiam de Latere, Subdelegatorum, Nũciorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diocœsanorum, seu alterius cuiuscumque, etiam Apostolicâ auctoritate, pro tempore imponendorum; necnon à Charitatiui, & alteruis cuiuscumque subsidij, impositionis, collectæ, vel alteruis cuiuscumque exactionis, & oneris, realis, & personalis, vel mixti solutione, & ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, aut subiectionis, quibuscumque Ordinarijs, & personis, quocumque nomine debendis; necnon libertates, prærogatiuæ, fauores, conseruatoriæ, declarationes, facultates, gratiæ, concessiones, indulgentiæ, indulta spiritualia, & temporalia, tam per felicis recordationis Martinum Quintum, & potissimè per Eugenium Quartum, ac Alexandrum Quintum, Nicolaum etiam Quintum, Calixtum Tertium, Pium Secundum, Paulum etiam Secundum, Innocentium Octauum, Alexãdrum Sextum, Iulium similitèr Secundum, Leonem Decimum, & alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac per Nos; necnõ Imperatores, & Romanos Reges, ac alios Sæculares Principes, pro ipsius Congregationis, ac illius personarum salubri statu, & directione, & augumento etiam circa celebrationem Capituli, & electionem Prælatorũ, ac conseruationem eiusdem Congregationis concessa, & per nonnullos ex ipsis Prædecessoribus, ac demum per eosdem Iulium, & Leonem prædecessores, non solum approbata, sed etiam, cum irritantis appositione decreti eius, quod in contrarium scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari, innouata fuerint.
2 2 Et inter alia dictus Alexander VI. prędecessor, Motu proprio, & ex certâ eius scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declarauerit, ac voluerit, quidquid dubii in huiusmodi Priuilegiis, seu aliquo eorum pro tempore emergeret, data verborum ambiguitate, & variâ peritorum interpretatione in fauorem dictæ Congregationis, & locorum particularium eius interpretari debere; ac cuiusuis particularis Monasterii Priuilegia, toti Congregationi, & eius particularibus Monasteriis esse communia, & ad illa extendi, prout etiam extendit.
3 3 Nosque, postquam per dictum Leonem prædecessorem, accepto, quod Eugenius, ac post ipsum, vel antea diuersi alii Romani Pontifices prædecessores sui, vsq; ad tempora dicti Pauli prædecessoris, diuersa S. Benedicti, & forsan aliorum ordinum Monasteria, & alia etiam sæcularia Beneficia Ecclesiastica dictæ Congregationi, ex certis tunc expressis causis perpetuò concesserant, vniuerant, & applicauerant. Et postquam idem Paulus prædecessor inter aliâ statuerat, ordinauerat, decreuerat, & declarauerat, quod omnia, & singula Monasteria, videlicet illa quorum fructus, redditus, & prouentus, ad summam centum ducatorum de Camerâ, secundum communem existimationem, valorem annuum ascenderent annuatim; vel in libris eiusdem Cameræ taxari reperirentur, Annatam, communia, minuta seruitia, & alia iura debita, & consueta, tam Cameræ Apostolicę, quàm S. R. E. Cardinalium Collegio, & Officialibus Romanæ Curiæ, reliqua vero Monasteria eidem Congregationi vnita, vt præfertur, pro quibus dictæ Cameræ Annata, seu alia iura solui consueuerant temporibus retroactis, de soluendo singulis certis temporibus futuris obligatio in eâdem Camerâ facta non fuerat, Annatam, seu medios fructus vnius anni in posterum singulis quindecim annis, perpetuis futuris temporibus eidẽ Cameræ omninò soluere tenerentur; & ad hoc hij, quorum intererat, infra vnius anni spacium se in eâdem Camerâ efficacitèr obligare deberent; alioquin, si à solutione, seu obligatione præmissorum cessare præsumerent, vniones, applicationes, & concessiones prædictę haberentur pro infectis; ipsaq; Monasteria, tamquam verè vacantia, possent liberè impetrari, & canonicè obtineri. Et Innocentius Pauli prædecessoris litteras huiusmodi per suas litteras innouauerat, ac vlteriores, & grauiores pœnas, in præmissis adiecerat; ac etiam censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra non soluentes, & obligationes huiusmodi non facientes promulgauerat. Et demum

mum Iulius II. Prædecessores præfati, litteris Pauli, & Innocentii huiusmodi per eum forsan innouatis, Monasteria prædicta sic vnita, vt præfertur, obtinentes, ad integram dictorum iurium solutionem eidem Cameræ faciendam intra annum tunc expressum teneri, similitèr per suas litteras decreuerat. Litigato priùs inter tunc procuratorem Fisci ipsius Leonis prædecessoris, & alios pro dicta Camerâ agentes, seu ab eâ causam habentes ex vna, & tunc Præsidentem, & Visitatores dictæ Congregationis super solutione Annatarum, communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium prædictorum, ac obligatione de infuturum soluendo, iuxtà litteras Pauli, Innocentij, & Iulii, aliorumq; prædecessorum huiusmodi desuper editas faciendis, & illorum occasione, partibus ex alterâ, coram tunc eisdem Cameræ Præsidentibus, & Clericis, Præsidentes, & Visitatores, ac alię Congregationis huiusmodi personę tunc expressæ, ipsaq; Congregatio censuras, & pœnas prædictas, ob non solutionem, & obligationis huiusmodi, non confectionem, incurrisse in dicta Camerâ declarati fuerant. Et deinde, tàm super appellatione, & deliberatione huiusmodi interposita, quàm alijs præmissis, coram diuersis Causarum Palatij Apostolici Auditoribus, plurium annorum spacio litigauerant, prout tunc litigabant; idem Leo prædecessor motu, & scientià, ac potestatis plenitudine similibus, omnes, & singulas prædictas, & aliàs causas, præmissorum occasione, inter Procuratorem Fisci, & agentes Cameræ, ac quoscumq; alios, etiam ab eâdem Camerâ causam habentes, contra Congregationem huiusmodi, vel illius Prælatos, & personas, seu aliquos eorum coram dictis, vel alijs quibuscumque Iudicibus motas, ad se per suas litteras aduocauerat, & lites desuper, etiam per appellationem pendentes, prorsus extinxerat, & ipsos Congregationem, ac illius Monasteria, & loca, Abbatesq; & Conuentus, ac aliàs personas, ad solutionem Annatarum, communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iurium dictis Cameræ, Collegio, aut Officialibus, tàm ratione prædictorum, quàm aliorum quorumcunque Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum eatenùs eidem Congregationi, & illius Monasterijs, siue locis perpetuò vnitorum, concessorum, & applicatorum, super quibus nulla per dictam Congregationem, vel pro eâ agentes, obligatio in dictâ Camerâ reperiebatur, ad obligationem de eis soluendis faciendam minimè obligatos fuisse, nec ad id illas, aut earum aliqua condemnari, aut astringi potuisse, sed à talium solutione, & obligatione, semper liberos, & exemptos extitisse, & Pauli, Innocentij, & Iulij, aliorumq; prędecessorum litteras huiusmodi, ac super illis, & illarũ prætextu monitoria, & mandata, etiã quascumq; censuras, ac dissolutionum, & priuationum, ac inhabilitatum pœnas in se continentia decreta, etiam executioni demandata, quoad præfatam Congregationem, ac illius Monasteria, & personas locum vendicare nequiuisse; omnesq; & singulas de Monasterijs, & locis Congregationis huiusmodi tamquam per dissolutioné, aut cessationem, vnionum, annexionum, & incorporationum prædictarum, ac priuationem de illis, vel aliàs ob non solutionem Annatarum, communium, seruitiorum, vel aliorum iurium prædictorum, vel non factam obligationem huiusmodi, vacantibus, etiam apud Sedem Apostolicam, prouisiones, commendas, vniones, & aliàs dispositiones, si quæ ab eodem Leone prædecessore, etiam motu, & scientiâ similibus, etiam pro aliquibus dictorum Cardinalium, etiam ex quibusuis vrgentissimis, & necessarijs, ac vtilibus causis, & cum quorumuis decretorum, & declarationũ adiectione eatenùs emanauerant, & quæcumq; inde sequuta, nulla, irrita, & inania, ac per importunitatem, & circumuentionem, necnon contra mentem suam edita, & gesta fuisse, & esse; Monasteriaque, & loca Congregationis huiusmodi, ob non solutionem Annatarum, communium, & iurium, ac ob non factam obligationem prædictam, vel alios defectus, seu causas, nullatenùs vacauisse, neq; in futurum vacare; & eorum fructuũ annuum valorem vltra id, ad quod tunc in libris dictę Cameræ taxatum respectiuè reperiebantur, augeri, vel alias in dictæ Congregationis præiudicium alterari, nullo vnquam tempore posse attestatus, & interpretatus fuerat, ac decreuerat, & declarauerat; necnon Procuratori Fisci, ac agentibus Cameræ, & Cardinalibus, ac Officialibus, & alijs personis quibuscumq; sua in pręmissis interesse putantibus, perpetuum silentium imposuerat. Cùm accepissemus, quod dicto Leone, & successiuè recolendæ memoriæ Adriano Papâ, etiam Sexto, similiter Nostro prædecessoribus, sicut Domino placuit, de medio sublatis, & Nobis Diuinâ fauente Clementiâ ad Summum Apostolatus apicem assumptis, ad instantiam Fisci Nostri Procuratoris, seu eiusdem Cameræ Clericorum, asserentium Congregationem prædictam, de faciendâ quadam obligatione de in posterùm soluendis Annatis, & iuribus prædictis, vt dicebatur certo modo se obtulisse, & oblationem huiusmodi per dictum Leonem prædecessorem acceptatam fuisse, & illius vigore Congregationé huiusmodi ad dictam obligationem faciendam teneri, forsan contra eamdem Congregationem, & in dictà Camerâ, seu aliàs certo modo, etiam forsan executiuè ad certos actus, & seu aliquarum censurarum fulminationem processum fuerat. Nos omnia, & singula post concessionem litterarum Leonis huiusmodi, & illis stantibus, nulla, prout existebant, & inualida reputantes, ac oblationem huiusmodi, quatenùs ab aliquo eiusdem Congregationis facta reperiretur, pro potiori cautelâ reijcientes, & abijcientes, illamq;, ac omnia, & singula post, & contra concessionem litterarum Leonis huiusmodi, vt præfertur gesta, quatenùs de facto processissent, cassantes, annullantes, & irritantes, ac pro cassis, nullis, infectis, & irritis haberi debere decernentes, & declarantes; necnon litteras Leonis prædecessoris huiusmodi ad infrascripta ampliãtes, & extẽdẽtes; Motu, sciẽtia, & potestatis plenitudine prędictis, litteras Leonis prędecessoris huiusmodi, cum aduocationis, extinctionis, voluntatis, attestationis, interpretationis, declarationis, & decreti, ac alijs in eis contentis clausulis, per alias Nostras litteras approbauerimus, & innouauerimus, ac futuris temporibus perpetuà roboris firmitate subsistere, & inuiolabilitèr obseruari debere. Necnon Congregationem & illius Prælatos, ac personas præfatos contra tenorem litterarum huiusmodi, nullitèr, ac iniustè, & indebitè molestatos, & perturbatos fuisse, nec vllo vmquam tẽpore præmissarum, vel aliquarum ex ipsis, & præsertim faciendarum obligationum huiusmodi occasione molestari, perturbari, seu inquietari posse. Et sic per eosdem Cameræ Clericos, & Præsidentes in eâdem Camerâ, & extra eam, etiam per quoscumque Iudices, sublatâ eis quâuis alitèr iudicandi, & interpretãdi facultate, & auctoritate, etiam in quocumque iudicio executiuo iudicari, & diffiniri debere; irritum quoque, & inane, si secùs super hijs, à quoquam, etiam per Nos, & successores Nostros, ac alios, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr cõtingeret

tingeret attemptari decreuerimus; prout in singulis prædictis, ac alijs etiam singulorum prædecessorum prædictorum desuper respectiuè confectis litteris pleniùs continetur. Tamen, vt illa maiorem obtineant roboris firmitatem, quò sæpiùs fuerint Apostolicâ auctoritate munita; moderni Præsidens, & Definitores, & Congregatio præfati cupiunt ea, etiam per Nos approbari, & innouari. Quarè pro parte Præsidentis Definitorum, & Congregationis prædictorum Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt eisdem Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, fauoribus, conseruatorijs, declarationibus, facultatibus, gratijs, concessionibus, indulgentijs, indultis, & litteris, robur Nostræ approbationis adijcere, ac alias in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsius Cõgregationis, cuius professores tãquã mortui mundo, soli Christo qui est vita viuentium, pro vniuersali Ecclesiâ ad Deum præces effundentes, vberes fructus in militanti Ecclesiâ in dies producũt, prosperum, & tranquillum statum paterno zelantes affectu; & vt Priuilegia huiusmodi, eò firmius obseruentur, quò clariùs constiterit ea deliberatione approbata, quâ fuerunt concessa, prouidere volentes. Ac Præsidentem, & Definitores, nec non Congregationem huiusmodi, & eorum singulos à quibusuis excõmunicationis, suspẽsionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. Omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, gratias, concessiones indulgentias, indulta, spiritualia, & temporalia Congregationis; & illius Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Nouitijs, Conuersis, Personis, Cappellanis, Familiaribus, Seruitoribus, Monasterijs, Prioratibus, & locis etiam vnitis, necnon Ecclesijs, Cappellis, membris, & bonis, pro tempore existentibus in genere, & in specie, tàm per prædictos, & alios, quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & per Nos & Sedem prædictam, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes, sub quâcunque formâ, & verborum expressione concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata; ac cum omnibus, & singulis decretis, & clausulis in eis cõtentis, singulas desuper, & in eis contenta, & inde sequta quæcumque, quorũ omnium tenores, & formas, datas, effectus, ac decreta, in illis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs ommisso, exprimerentur, præsentibus pro sufficiẽtèr expressis, & insertis haberi volumus; ex certâ scientiâ Nostrâ, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, ac perpetuâ roboris firmitate, subsistere, & firmiter obseruari; ac Congregationi, illiusque Monasterijs, & locis huiusmodi suffragari debere decernimus. Supplentes omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan in Imperatorum, Regum, & Principum concessionibus huiusmodi, interuenerint. Et nihilominus pro potiori cautelâ, ea omnia, & singula prout per dictos Prædecessores, ac Imperatores, Reges, & Principes concessa, statuta, & decreta fuerunt de nouo in omnibus, & per omnia, itaut Congregatio Præsidens, Definitores, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachi, Conuersi, Personæ, Cappellani, Familiares, & Seruitores supradicti, ac Monasteria, Prioratus, & loca prædicta, illis omnibus, tàm in genere, quàm in specie concessis, vti, potiri, & gaudere possint, & debeant. Et ab impositionibus, decimis, collectis subsidijs, grauaminibus, oneribusque, & alijs omnibus, ac singulis supradicti, etiam ratione dictæ Sedis Legatorum etiam de Latere, etiam Apostolicâ auctoritate prædictâ pro tempore imponendis, liberi, immunes, & exempti existant, nec ad eorum solutionem, & contributionem cogi, & desuper molestari, vel inquietari possint, seu debeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus, statuimus, ac ordinamus; necnon ex nunc quiquid secùs, super hijs à quoquam quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus, Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in omnibus litteris Prædecessorum huiusmodi concessum fuit, non obstare, & quę præsentibus pro expressis, & repetitis haberi volumus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Cœterum, quia difficile foret præsentes litteras ad loca, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit deferre, volumus, & dictâ auctoritate decernimus, quod transũptis earũ manu Notarij publici subscriptis, & Sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & alibi vbi opus fuerit adhibeatur, quę adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, confirmationis, decreti, suppletionis, concessionis, indulti, statuti, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo Trigesimo primo, Decimo octauo Calendas Ianuarij, Pontificatus Nostri, Anno nono.

## CONSTITVTIO CXLIX.

### *SVMMARIVM.*

*1531. Dec. 15.*

## CLEMENS PAPA VII.

*Executionem superioris Constitutionis Episcopis Casertano, Vigornien. & Castelli maris demandat.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyr. Arm. I. Capsf. I. n. 27.*

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Casertano, & Vigornien. ac Castelli maris Episcopis salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie à Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis, Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex Clementi Apostolicæ Sedis prouisione, *Et cætera, prout in superiori Constitutione.* Quo circa Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel alium, seu alios litteras prædictas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quotiens pro parte modernorum, & pro tempore existentium Præsidentis, Definitorum, Visitatorum, & Congregationis prædictorum, seu ali-

alicuius eorum desuper fueritis requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate Nostrâ, litteras, & in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari; ipsosque Præsidentes, Definitores, Visitatores, & Congregationem illis pacificè gaudere, non permittentes eos desuper per quoscúque, quomodolibet indebitè molestari, impediri, seu perturbari; contradictores, molestatores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo. Ac legitimis super hijs habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus similis memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, quâ cauetur, nè quis extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad Iudicium euocetur, seu nè Iudices à Sede prædictâ deputati, extra Ciuitatem, vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ac alij, vel alijs vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo non vltra tres dietas aliquis, auctoritate præsentium, non trahatur, & alijs Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus supradictis, aut si aliquibus communitèr, vel diuisim à dictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extrà, vel vltra certa loca, ad iudicium euocari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentioné. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo trigesimo primo, xviij. Kalēdas Ianuarij, Pōtificatus Nostri Anno nono. B. de Ballantibus. Io. de la Casa.

## CONSTITVTIO CL.

### SVMMARIVM.

1532. Febr. 12.

### CLEMENS PAPA VII.

*Alienationem bonorum Congregationis Casinensis vsque ad summam triginta milliũ ducatorũ auri concedit, pro solutione Subsidij, medietatis fructuum impositi à Sede Apostolicà pro bello contra Turcas.*

*Ex Archiu. SS. Floræ, et Lucillæ de Aretio. Arm. I. Cap. G. num. 11.*

CLEMENS Papa VII. Dilectis filijs Præsidenti, & Visitatoribus Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduã, Monachorum Ordinis S. Benedicti regularis obseruantiæ, & eorum singulis. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum Nos nuper, vrgente Redemptoris Nostri Iesu Christi, & Saluatoris Nostri contumeliâ Orthodoxæ fidei, Christianorum iniuria, communi periculo, irreparabilique ruinâ, quam omnibus credentibus, ex eo potissimum die, quo de ingenti, & horribili Turcarum aduersus Nos apparatu certiores effecti fuimus, imminere conspeximus, contra morem, & desiderium Nostrum, pro instantiâ calamitatis, & pressuræ remedio, ac Sacris Dei Templis, Sacerdotio, & Christianis Populis à tantis periculis liberandis compulsi, vnum Subsidium, medietatis veri annui valoris omnium fructuum, reddituum, & prouentuum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum In Italiâ, ac Siciliæ, Corsicæ, & Sardiniæ Insulis vbilibet existentium, per alias Nostras litteras imposuerimus, & pro faciliori ipsius solutione, facultatem arrendandi fructus anticipatâ solutione, ac alienandi bona, & liberandi census inter alia, seruatâ tamen formâ tunc expressâ concesserimus, prout in eisdem pleniùs continetur. Et sicut relatum Nobis extitit, licet vos, vt expeditiùs imminenti excidio huiusmodi occurreretur, pro parte medietatis fructuum Monasteriorum vestrorum, non modicam pecuniarum summam mutuo, etiam sub graui forsan fœnore, accepta, Nobis, seu Cameræ Apostolicæ iam persolueritis, & residuum medietatis huiusmodi infrà tempus ad hoc vobis præfixum soluere cupiatis; nihilominus, cum ob temporum malitiam, & sinistros euentus, emptores non ita facilè reperiantur, plurimum formidetis, si forma litterarum Nostrarum prædictarum seruari debeat, & aliàs vobis de aliquo celeri, & faciliori remedio non consulatur, id nisi maximâ cũ difficultate, & dispendio, ac mediante longi temporis interuallo, efficere non posse. Nos igitur rerum vestrarum statui, quantum possumus, prospicere, ac vos à laboribus, & dispendijs subleuare volentes. Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, vobis, & vestrum cuilibet, ac à vobis, & quolibet vestrum pro tempore deputando, seu deputandis, vt quæcunque bona mobilia pretiosa, & immobilia, etiam commodiora, & vtiliora, ac etiam à vobis alienari quoquo modo prohibita, seu cùm prohibitione, quod alienari nequeant relicta, & quibuscumque conditionibus subiaceant, vbicumque consistentia, necnon quoscumque census, ac responsiones perpetuas, etiam loca Campararum S. Georgij Ianuensis in cartularijs, & sub columnis quibuslibet descripta, ad singula Congregationis vestræ Monasteria quomodolibet spectantia, vsque ad summam triginta millium ducatorum auri de Camerâ quibusuis personis, etiam laycis pro se, suisque hæredibus, & successoribus in perpetuum; etiam dilectorum filiorum Conuentuum, Monasteriorum eorumdem consensu ad hoc minimè requisito, aut interueniente, in vnâ, seu pluribus vicibus, aut successiuè, vendendi, alienandi, affrancandi, & obligandi, necnon pretium exinde proueniens in solutioné residui huiusmodi Subsidii, & pecuniarum mutuo, cum fœnore forsan acceptarum, restitutionem conuertendi, ac summam triginta millium ducatorum huiusmodi de nouo, per anticipationem reddituum, & prouẽtuum, aut mutuo, vel ad censum, seu responsionem annuam, sex, aut octo, vel decem ducatos pro quolibet centenario ducatorum huiusmodi recipiendi, & pro securitate illorum, qui vobis dictam summam dederunt, & satisfactione præstationis annuę huiusmodi, eis tot bona immobilia, vel loca Campararum prædictarum dictorum Monasteriorum vestrorum, quot sufficiant, donec, & quousque eis de summâ per eos vobis præstitâ, & præstatione annuâ huiusmodi satisfeceritis, tradendi, & assignandi, & pro satisfactione huiusmodi, venditionem, & alienationem prædictas faciendi; ipsisq; laycis, & aliis summam prædictam vobis sub modis, & præstatione annuâ prædictis mutuandi, & dandi, ac bona prædicta à vobis emendi; reseruatâ tamen vobis, & successoribus vestris restitutâ forte principali intra quindecim, seu viginti quinque annos à die alic-

alienationis computandos, bona alienata huiusmodi pro eodem prætio, iuxta earumdem litterarum tenorem redimendi facultate, absq; conscientiæ scrupulo, liberè, licitè, & impunè plenam, & liberam, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, facultatem concedimus. Ac vobis, necnon Laycis, & alijs præfatis paritèr indulgemus. Decernentes venditiones ex nunc, alienationes, assignationes, affrancationes, obligationes, & alia huiusmodi, ac omnia, & singula in instrumentis desuper conficiendis quomodolibet contenta, valida, & efficacia fore, & perpetuâ roboris firmitate subsistere, ac suos effectus sortiri, & inuiolabilitèr obseruari debere; vosq; ad alia bona, loco bonorum venditorum, & alienatorum huiusmodi nullatenùs teneri. Nec propter alienationes, & alia prædicta in aliquam pœnam priuationis, caducitatis, seu ad alios deuolutionis, vel translationis, aut aliàs ex quâcunq; dispositione testatorum, donantium, seu aliorum quorumcumq; forsan impositam, vel imponendam incurrere posse, aut debere, & sic in præmissis omnibus ab omnibus censeri, & deputari, ac per quoscumq; tàm ordinaria, quàm delegata, & mixta auctoritate fungentes Iudices, & personas, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi, interpretandi, & decidendi facultate, vbiq; iudicari, sententiari, & definiri debere; necnon irritum, & inane quicquid secùs super hijs à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari. Ac supplentes omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti, ac quarumcumq; solemnitatum forsan ommissarum defectus, etiam si tales fuerint, de quibus præsentibus specialis, ac specifica mentio habenda esset, si qui forsan in venditionibus, alienationibus, assignationibus, & alijs præmissis interuenerint. Non obstantibus fel. rec. Paulij Papæ II. prædecessoris Nostri de rebus Ecclesiasticis non alienandis, & quibusuis alijs Apostolicis; necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac testatorum, donantium, & aliorum quorumlibet prohibitionibus; necnon quibusuis, etiâ locorum municipalibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam quamcumq; solemnitatem exigentibus; etiam si de illis seruandis iuramentum, quod vobis, quoad hæc, harum serie relaxamus, forsan præstaueritis; necnon Priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis quomodolibet concessis, & approbatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac bonorum huiusmodi situs, confines, qualitates, quantitates, denominationes, & veros, etiam annuos valores præsentibus pro sufficientèr expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruandos pro indiuiduo seruatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus; cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Volumus autem quod à tergo præsentium res vendita, & illius precium, & dies, manu Notarij rogati annotentur. Decernentes præsentium transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ cõstitutę munitis, eamdem prorsus fidem indubiam vbiq; in iudicio, & extra, quæ eisdem pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ, adhibendam. Datum in Ciuitate Nostrâ Bononiæ sub Annulo Piscatoris die duodecimâ Februarij Millesimo quingentesimo trigesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno decimo.

## CONSTITVTIO CLI.

### SVMMARIVM.

*1533. Febr. 25.*

### CLEMENS PAPA VII.

*Impositiones Subsidiorum Sedis Apostolicæ pro ratâ Pensionum impositarum super Monasterijs, Beneficijs, & bonis Congregationis Casinensis, non ab ipsa Congregatione, sed à Pensionarijs soluendas fore decernit.*

*Ex Arch. S. Mariæ de Florentiâ, Arm. I. Capsi. 2. nu. 32.*

CLEMENS Papa VII. Motu proprio, &c. Cum Nos nuper pro necessariâ expeditiône contra Christiani nominis hostes quoddam Subsidium, medietatis fructuum, redditũum, & prouentuum Patriarchalium, Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum; necnon Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraram, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum in Italiâ, etiam in Siciliæ Regno, & Sardiniæ, ac Corsicæ Insulis constitutorum imposuerimus; necnon dilecti filij Præsidens, Abbates, Priores, & Monachi Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, ad soluendum Subsidium huiusmodi promptos sese exhibuerint, ac Nobis pro eorum portione super omnibus fructibus redditibus, & prouentibus Monasteriorum, Dignitatum, Prioratuum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum eiusdem Congregationis, aut Pensiones annuæ super fructibus redditibus, & prouentibus huiusmodi reseruatæ fuerint, Pensiones annuas sibi reseruatas integræ extorquere conentur. Nos eorum indemnitati paternè prouidere volentes, attendentes, quod Pensionarij, & illi quibus fructus redditus, & prouentus prædicti reseruati fuerint, non minus, quàm ipsi titulares ad medietatem, si Pensio, seu fructus, redditus, & prouentus huiusmodi viginti quatuor ducatos auri de Camerâ excedebât, ac duas decimas, si ad duodecim ducatos huiusmodi, vsque ad viginti quatuor ducatos similes ascendebant, ratione Subsidij prædicti erant adstricti. Et proptereà indemnitati dictæ Congregationis prouidere volentes, medietatem Pensionum, ac fructuum, redditũum, & prouentuum huiusmodi ipsi Congregationi pro summâ per eos, occasione prædictâ, solutâ compensamus. Vobisque Venerabili Fratri Hieronymo Episcopo Vvigorniensi Cameræ Nostræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Almæ Vrbis, ac aliarum Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum in Italiâ, ac Regno, & Insulis prędictis constitutis Gubernatoribus, ac Iudicibus quibuscumque vbilibet constitutis, tenore præsentium mandamus, quatinus vos, vel vestrum cuilibet Cõgregattioni prædictæ efficacis defensionis præsidio assistentes, non patiamini à Gubernatoribus, & Iudicibus quibuscumque vbilibet constitutis, vltra medietatem Pensionum, seu fructuum, redditũum, ac prouentuum reseruatorum huiusmodi per Pensionarios, seu alios, quibus fructus, redditus, & prouentus huiusmodi reseruati fuerunt, ab eâdem Congregatione exigi, seu extorqueri, aut aliàs eos con-

contra tenorem dictarum litterarum indebitè molestari; contradictores quoscunque per censuras ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aut quibusuis clausulis, & decretis in litteris Pensionum, seu reseruationum fructuum, reddituum, & prouentuum huiusmodi quomodolibet appositis, & alijs, quæ in dictis litteris voluimus non obstare; cæterisque contrarijs quibuscumque Volentes præsentium solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere in Curiâ, regulâ contrariâ non obstante. Fiat, vt petitur. A. Et per Breue S.V. Fiat A. Datum Bononię Quinto Calend. Martij, Anno decimo.

## CONSTITVTIO CLII.

### SVMMARIVM.

1533. *Iunij* 23.

### CLEMENS PAPA VII.

*Extendit Indulgentias pro Ecclesiis, seu Altaribus Montis Casini, Sanctæ Iustinæ de Paduâ, & S. Seuerini de Neapoli ad fauorem totius Congregationis Casinensis.*

*Ex Archiu. S. Bened. de Padolyr. Arm. I. Caps. I. n. 85.*

NOs Laurentius Campegius Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Præsbyter Cardinalis. Vniuersis, & singulis has patentes litteras inspecturis, notum facimus, & attestamur, qualitèr Sanctissimus Dominus Noster Dominus Clemens diuinâ prouidentiâ Papa Septimus, Viuæ vocis oraculo, ad Nostri instantiam, concessit Congregationi Casinensi, quod quæcunque Indulgentiæ, & peccatorum remissiones concessæ per quoscunque Sũmos Pontifices, Monasterijs, Ecclesijs, siue Altaribus, præcipuè Montis Casini, Sanctæ Iustinæ, siue Sancti Seuerini de Neapoli, intelligantur concessæ omnibus, alijs Ecclesijs, & Altaribus cæterorum Monasteriorum dictæ Congregationis, quoad dictæ Congregationis Monachos, & Religiosos. In quorum fidem præsentes manu nostrâ subscripras, & Sigillo, quo in talibus vtimur, munitas, & roboratas fieri iussimus. Datum Romæ in Palatio Nostræ solitæ residentiæ, Anno Natiuitatis Domini Millesimo quingentesimo trigesimo tertio, die vigesimâ octauâ Iunij, Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ Septimi, anno decimo. Laurentius Cardinalis Campegius manu propriâ DD.

## CONSTITVTIO CLIII.

### SVMMARIVM.

1535. *Apr.* 7.

### PAVLVS PAPA III.

*Monachos Congregationis Casinensis, prætextu litterarum Confessionalium, sibi Confessores eligentes, seu ad sæculum etiam retento habitu, sub prætextu infirmitatis, vel subuentionis parentum, vel studiorum causâ remeantes, vel Beneficia sæcularia aucupantes, vel ad alios Ordines, & in specie S. Spiritus in Saxia de Vrbe accedentes, vel alium, quam proprium habitum, & tonsuram Congregationis prædictæ deferentes, absque suorum Superiorum assensu ab eisdem Superioribus puniendos fore, decernit.*

*Ex Arch. S. Io. Euang. Parmen. Caps. 24. nu. 34.*

PAVLVS Papa III. Ad futuram rei memoriam. Sedis Apostolicæ prouidentia circumspecta, indulta, & aliàs gratias Religiosis personis inaduertentèr, vel per importunitatem concessa, quæ plerumq; vagandi occasionem prębuisse noscuntur, secundum varietatem temporũ reformare, moderari, restringere, & limitare consueuit, prout animarum saluti, & Religionis honori conspexit in Domino salubriter expedire. Cum itaq; sicut accepimus, nonnullis Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Monachis, indultorum, Apostolic orũ, ac litterarum Confessionalium particularitèr concessarum vigore, aliasq; per Superiores eorum ad id pro tempore deputatos, absq; licentiâ eorumdem Superiorum, sibi in Confessores eligere audeant, & alij quibus plus expediret viam Domini non agnouisse, ad sæculum retento habitu remeare cupientes, se ægros, aut corporis, & animi languoribus vexari simulantes; alij parentum suorum inopiæ subueniendi quæsito colore; alij sapientiæ auidos se fingentes, & ad studiorum Vniuersitates citrà eorumdem Superiorum licentiam, seu illâ eis expresse reuocatâ, accedentes, ac Priuilegijs, & exemptionibus Scholarium abutentes, Beneficia Ecclesiastica per Clericos Sæculares obtineri solita assequi, siue se Acholitos, Notarios Palatii, & Aulæ Lateranensis, Comites, & Cappellanos Nostros creari, & in Nostros, vel alicuius ex Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, seu Principis, vel alterius Domini temporalis, aut Archiepiscoporum, Patriarcharum, Episcoporum, vel aliorum inferiorum Prælatorum, ac personarum familiares recipi, & admitti, vel ad seruiendum in Diuinis Beneficiis sæcularibus deputari obtinuerint; alii vero, qui habitum dictæ Congregationis in totum dimiserunt, seu dimittere intenderunt; quorum aliqui, vel simulantes se Regularia instituta seruare, & sub iugo eiusdem Congregationis vlteriùs viuere non posse, vel se in dictâ Congregatione professionem nunquam, aut per vim, & metum, seu ignorantèr, aut renitentèr nullitèr emisisse; seque ad dictam Congregationem, & illius Regularem Obseruantiam in genere, vel in specie minimè teneri, Apostolicâ auctoritate declarari; aut ad alios Ordines se transferri, aut numero, & consortio Fratrum Hospitalis Nostri S. Spiritus in Saxiâ de Vrbe aggregari obtinuerint, & aliàs diuersimodè libertatum, & exemptionum litteras Apostolicas per veri suppressionem, & falsi suggestionem inaduertentèr, aut per importunitatem concessas à Sede Apostolicâ impetrasse noscantur, & illarum prætextu Religionis laxatis habenis, in parentum, & consanguineorum, ac aliorum domibus per sæculum vagari non verentur, in animarum suarum periculum, Religionis opprobrium, perniciosum quoq; exemplum, & scandalum plurimorum. Nos, qui Pastoris æterni vices, licet immeriti, in terris gerimus, cupientes gregem Nobis Diuinâ dispositione creditum, secundum cuiuscumq; vocationẽ ad ouile reduci. Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis

ritionis instantiam,sed de merâ deliberatione, ac ex certâ scientiâ Nostris, dilectis Filijs Præsidenti, & Visitatoribus dictæ Congregationis nunc, & pro tempore existentibus, & eorum cuilibet per præsentes committimus, & mandamus,quatenus ij, si, & quilibet eorum per se, ac singulos Monasteriorum dictæ Congregationis Abbates,& Priores,si, & postquam aliquæ litteræ Apostolicæ ad ipsorum Monachorum instantiam, siue sub Annulo Piscatoris,vel per Pœnitentiariam,vel aliàs super præmissorum aliquo,singula præmissa concernentes, aut aliqua alia eiusdem Congregationis,Regularibus institutis quomodolibet derogantia, seu repugnantia in se continentes,nisi in illis clausula(de licentiâ sui Superioris petitâ, & obtentâ) apposita reperiretur, à Nobis,vel à Sede prædictâ,aut pro tempore Maiori illius Pœnitentiario, etiam motu proprio,cuiusuis etiam Imperatoris,Regum, Ducum, Marchionum, ac Comitum, & vtriusq; sexus personarum intuitu, vel contemplatione,sub quâcunq;verborum formâ, etiam sub quibusuis supplicationibus, à Romano Pontifice quomodocunq; pro tempore emanatis, seu impetratis ipsis præsentatę fuerint, easdem litteris,ac in eis contenta quæcunq;summariè simplicitèr,& de plano, solâ facti veritate inspectâ diligentèr examinent,& illis minus veris, aut insufficientibus compertis,litteras prædictas, cum falsò impetratæ fuerint, ac etiam si benè, rectèq; impetratæ essent, in foro conscientiæ dumtaxat, non in foro contentioso, nec contra Religionis consuetudinem valere,sed eas tamquam subreptitias, & obreptitias, ac intentionis defectui subiacentes, cum omnibus inde secutis,nullas,& inualidas fuisse, & esse, illasq; eisdē impetrātibus,nullatenùs suffragari debere,auctoritate, & tenore prædictis declarent ipsosq; Monachos, quod falsò impetrasse, aut litteris sibi,vt præfertur,concessis, contra tenorem præsentium,vti repererint, ablatis ab eis etiam violentèr dictis,litteris,capi, & ad Monasteria propria redire omninò, manu executiuâ,cogant; alioquin causis huiusmodi veris,& comprobatis existētibus,illarum impetratores,cum eisdem litteris suis à gremio Congregationis prædictæ eiciāt;& quatenùs ipsi Monachi retento habitu,extrà obedientiam eorum viuere mallent, vt alium prorsus à dicta Congregatione distinctum habitum, diuersorum colorum, cæsuræ, longitudinis, vel latitudinis, arbitrio ipsorum Abbatum, & Priorum,sub excommunicationis maioris latæ sensententiæ pœnâ,quam Nos ex nunc, prout ex tunc, & è contra in eos, & ipsorum singulos, tamquam in Apostatas ab habitu,si contrafecerint,auctoritate,& tenore præmissis ferimus,& promulgamus, tàm extrà,quàm intrà Monasteria,& publicè deferant, eàdem auctoritate Nostrâ,statuant, & ordinent. Decernentes præsentes litteras sub quibusuis reuocationibus,suspensionibus,limitationibus,restitutionibus, & modificationibus gratiarum eisdem Monachis hactenùs concessarum, & in posterum concedendarum nullatenùs comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quotiès emanauerint, totiès in pristinum statum restitutas, & plenariè reintegratas fuisse,& esse,& in dictis gratijs,prætèrquam,quo ad forum conscientiæ, saluis præsentibus, & de licentiâ Superiorum petitâ, & obtentâ,etiam si expresse non apponantur,clausulas subintelligi; inhibentes districtiùs locorum Ordinarijs sub interdicti ingressus Ecclesiæ,& suspensione a regimine, & administratione, suarum Ecclesiarum; Inferioribus, etiam Vniuersitatum Rectoribus, & illarum Conseruatoribus, & alijs quibuscumq; sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, pœnis eò ipsò per contrafacientes incurrendis, nè Præsidentem, Visitatores,Abbates,& Priores prædictos, quò minùs Monachos dictæ Congregationis sub indultorum,exemptionū,gratiarum, ac litterarum Apostolicarum prædictarum spe, extrà Monasteria, & obedientiam eorum vagantes, iuxtà tenorem præsentium capere, & apprehendere, etiam violentèr, illosq;ad dictæ Congregationis gremium,ac ad eius Monasteria,& loca reducere, & carceribus mancipare,volentes,& mandantes,quouis modo per se,vel alium,seu alios directè, vel indirectè impedire præsumant;nec quemcunq;talium ad exercitium curæ animarum Parochianorum suorum, & administrationem Sacramentorum, solis Curatis spectantibus, absq;eo, quod illis de licentiâ prædictâ legitimè constiterit admittant; nec eosdem Monachos exemptos,de cœtero in districtu Parochiarum suarum superpellicium super habitu ipsorum gestare permittant. Necnon mandantes pro tempore existenti Almæ vrbis Nostræ in spiritualibus Vicario,& quibusuis alijs Curię prędictæ,Ordinarijs, ac omnibus, & singulis vbiq; existentibus respectiuè Iudicibus,necnon vniuersis, & singulis in dignitate Ecclesiasticâ constitutis,aut Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, ac Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt quotiès pro parte Præsidentis,Abbatum,Visitatorum, seu Priorum prædictorum, seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint, nemini deferentes,seu indulgentes, præsentes litteras vbi, & quando opus fuerit publicantes, & eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes,faciant easdem præsentes, & in eis contenta sub prædictis sententijs,censuris,& pœnis, non obstantibus litteris contra tenorem præsentium impetratis, firmitèr ab omnibus, & inuiolabilitèr obseruari, contradictores quoslibet, & rebelles per similes censuras, & pœnas ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia, de quibus eisdem Præsidenti, Abbatibus,Visitatoribus,aut Prioribus videbitur, appellatione postpositâ, compescendo; inuocato etiam ad hoc,si opus fuerit,auxilio brachij sæcularis; sicq;per quoscumq;Iudices etiam Palatij Nostri Apostolici, causarum Auditores iudicari,definiri, & interpretari debere, sublata eis,& eorū cuilibet,qualibet alitèr iudicandi,definiendi,& interpretandi facultate; Irritū quoq;& inane quicquid secùs super hiis à quoquam,etiam per Nos, & Sedem prædictam,quâuis auctoritate contigerit attentari. Non obstantibus præmissis,ac Apostolicis,necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis,necnon Generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, Litteris quoq; Confessionalibus à Fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel Sanctæ Cruciatæ, aut Sancti Spiritus in Saxiâ de Vrbe Commissarijs,seu aliàs obtentis, & obtinendis; quæ impetrantibus etiam Monachis in eâ Congregatione existentibus,nisi de eiusdem Congregationis Præsidentis, & Visitatorum expressâ licentiâ, minimè suffragentur,necnō quibusuis indultis,& litteris etiā sub plumbo,aut in formâ Breuis, aut per Pœnitentiariam,vel aliàs,præfatis Monachis, tàm,vt præfertur,Apostatantibus,quàm in eâdem Congregatione degentibus concessis,aut in posterum concedendis etiam si expresse in eis caueatur, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint, etiam Scholarium,autOppidorum,quam Vniuersitatibus, Hos-

Hospitalibus, Capitulis, Collegiis, necnon Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis, cæterisq; vtriusq; sexus personis, & dominis temporalibus, libertates, immunitates, & exemptiones ipsorum Religiosorum quomodolibet concernentes, cum quibusuis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisq; fortioribus, & efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusq; decretis, sub quacunq; verborum formâ, etiam motu proprio concessis, quibus, etiam si de illis eorumq; totis tenoribus, ac datis expressa indiuidua, ac de verbo ad verbum, & non per clausulas generales idem importantes mentio fieri deberet illorum omnium tenores, & formas pro expressis habentes illis in suo robore permansuris deliberatione, & scientiâ similibus, hac vice dumtaxat specialitèr, & expresè harum serie, derogamus, nulliq; in præiuditium præmissorum suffragari volumus, cæterisq; contrariis quibuscunq; volentes, & decernentes, quod huiusmodi statuto, & voluntati nullatenus derogari possit, præterquam si præsentes de verbo ad verbum insertę fuerint, processusq; si qui facti sint, vel fient in posterum super litteris à Monachis huiusmodi obtentis, & obtinendis, in quibus eisdem Præsidenti, & Visitatoribus, aut aliis quibuscunq; sub quibusuis excommunicationis latæ sententiæ pœnis præciperetur, nè contra eorum tenorem Monachos ipsos inquietare præsumerent, si contra tenorem præsentium fuerint, nullius esse, & fore roboris, vel momenti; & eos, qui iuxtà earumdem præsentium tenorem Monachos ipsos ad Ordinis disciplinam reuocarent, & reuocare curarent, huiusmodi sententiis, censuris, & pœnis non ligari. Harum autem litterarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ sigillo munitis eamdem prorsus fidem indubiam vbiq; adhiberi volumus, quæ originalibus si essent exhibitæ, vel ostensæ adhiberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septimâ Aprilis M.D.XXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo. Fabius Vigil.

## CONSTITVTIO CLIV.

### SVMMARIVM.

1535. *Iunij* 21.

## PAVLI PAPAE III.

*Mulieres sæculares quascumque, cæterasque personas à iure, vel à Regulâ, & Constitutionibus Casinensibus non permissas, clausuram Monasterij Monialium S. Iuliæ Brixiensis ingredientes, & eas, admittentes, vel ianuas dicti Monasterij aperientes ad hunc finem, etiam cum facultatibus, & licentijs præsenti indulto expresè, & ad verbum non derogantibus; excomunicationē latæ sententiæ incurrisse, declarat.*

*Ex Arch. S. Euphemiæ Brixien. Arm. I. Caps. H. n. 5.*

PAVLVS Papa III. Dilectis filijs Abbatissæ, & Monialibus Monasterij S. Iuliæ Brixien. Ordinis S. Benedicti. Dilectæ in Christo filiæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut, non sine animi Nostri perturbatione, accepimus, quamplures Nobiles, & aliæ mulieres partium istarum, prætextu indultorum eis per Superiores Vestros, ac alias concessorum cum plurium aliarum mulierum comitiua Monasterium vestrum Sanctæ Iuliæ Brixiensis, Ordinis Sancti Benedicti, sæpe numero ingrediantur, inibique nullam rationem officiorum in dicto Monasterio celebrari solitorum, & ad quæ tenemini, habentes, pro libito permaneant, ex quo Moniales eiusdem vestri Monasterij à Diuini officij recitatione, & alijs incumbentibus plurimum retrahuntur. Nos attendentes quam honestum, & decens existat, personas religiosas, præsertim feminei sexus, à sæcularium consortio vacare, præmissis etiam pro status vestri securitate prouidere volentes. Motu proprio vobis, & pro tempore existentibus Abbatissæ, & Monialibus dicti Monasterij vestri sub excommunicationis sententiæ pœna, per vos, & ingredientes eo ipso incurrēda, Nè Mulieres, aut alias personas quascunque, cuiuscunque, dignitatis, nobilitatis, excellentiæ, præeminentiæ, & quibuscunque priuilegijs concessionibus, dispensationibus indultis, & litteris, aut aliàs quomodolibet, & cum quibusuis sententijs, censuris, & pœnis ac clausulis etiam insolitis pro tempore munitis, nisi in priuilegijs, concessionibus, dispensationibus, indultis, & litteris huiusmodi præsentes de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, aut per æquipollens insertę fuerint, præter personas à iure, & iuxtà regularia instituta dicti Ordinis expressas in dicto Monasterio admittere, aut illius fores eis aperire quomodolibet præsumatis. Decernētes vos ad id per quosuis, etiam executores in eisdem litteris deputatos, aut aliàs quomodolibet cogi, seu compelli, aut propter resistentiam eis iuxtà tenorem præsentium faciendam, aliquibus censuris seu pœnis innodari non posse. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterij, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 21. Iunij. 1535. Pontificatus Nostri Anno Primo. Blosius.

## CONSTITVTIO CLV.

### SVMMARIVM.

1536. *Maij* 16.

## PAVLI PAPAE III.

*Commissio pro exemptione Monasterij S. Io. Euangelistæ de Parmà ab Hospitio Militum.*

*Ex Arch. S. Io. Euangelistæ Parmen. Caps. 24. n. 38.*

PAVLVS Papa III. Dilecto filio Moderno, & pro tempore existenti nostræ Ciuitatis Parmæ Gubernatori. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex bonis respectibus animum Nostrum mouentibus volumus, ac tibi mandamus, vt si qui, aut equites, aut pedites in Monasterio S. Ioannis Euangelistæ istius Ciuitatis Congregationis Casinensis hospitati sint, eos statim inde discedere facias, & in futurum non permittas quod aliqui milites in dicto Monasterio hospitia habeant; contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Maij 1536. Pōtificatus nostri Anno secūdo.

CON-

## CONSTITVTIO CLVI.

### SVMMARIVM.

1537. *Nouembris* 5.

### PAVLVS PAPA III.

1 *Summorum Pontificum antecessorum precipua Priuilegia, exemptiones, & immunitates Congregationi Sanctæ Iustinæ, seu Casinensi concessa, enumerat.*

2 *Vrbani Papæ II. concessiones pro Cauensi Monasterio circa facultatem Abbatis dicti Monasterij Ecclesias construendi, cum Cruce signandi, cæteraque Pontificalia exercendi, Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, Altarium, & Chrismatis consecratione tantummodò exceptis. Oblationes, & legata fidelium recipiendi, ac de eisdem quartam, vel tertiam Diœcesanis non soluendi. Præscriptionem longi temporis non obstare ad bona dicti Monasterij recuperanda, Excommunicationem contra quoscumque turbantes bona eiusdem, & iura, ab Abbate infligendam, recenset, & confirmat.*

3 *Eugenij Papæ IV. Confirmationes pro Monasterio, & Abbate S. Pauli de Vrbe. Quod scilicet vti possit Mitrâ, Annulo, Sandalijs, Tunicâ, Dalmaticâ, Benedictionem populo adstanti inter diuina Officia elargiri. Monachos ad quemcumque maluerit Antistitem ordinandos dirigere. Minores Ordines suis Monachis conferre. Altarium indumenta, & Sacras Vestes benedicere. Præscriptionem nisi centenariam, eidem Monasterio non obstare, recenset, & approbat.*

4 *Alexandri Papæ VI. eidē Cōgregationi concessiones circa Priuilegiorum ambiguitates ad fauorem dictæ Congregationis interpretandas, & eorumdem Priuilegiorum communicationes, & extensiones, enunciat.*

5 *Priuilegia supradicta, & alia quæcunque hactenus eidem Congregationi per quoscunque Pontifices, seu Principes concessa confirmat, eorum defectus supplet, eademque de nouo concedit.*

6 *Exemptiones ab oneribus quibuscunque tam realibus quàm personalibus, etiam à Sede Apostolicâ impositis, & imponendis, confirmat, & concedit.*

7 *Priuilegia, & personas in eisdem Constitutionibus comprehensas, immunia, & illibata ab omnibus conseruari, eisque pacificè frui dictæ Congregationis personis licere, declarat.*

8 *Derogari eisdem Priuilegijs, & præsenti indulto non posse per quacumque litteras Apostolicas solitas, vel etiam insolitas in se continentes clausulas, nisi de illorum, ac huiusmodi tenoribus ac datis de verbo ad verbum specialis, & expressa mentio fiat, ac tribus vicibus eidem Congregationi derogationes faciendæ legitimè intimatæ & ab eadem Congregatione totidem acceptatæ fuerint, constituit, additâ clausulâ Sublatâ &c.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyron: Arm. I. Caps. I. num.* 83

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Sedis Apostolicæ consueta, ea, quæ per Romanos Pontifices Pro Religionis cōseruatione, & augmento, ac Monasteriorum, & aliorum Piorum locorum, nec non personarum deuotarum in eis sub Regularis Disciplinæ obseruantiâ Domino militantium, prospero, & tranquillo statu, & salubri directione prouidè concessa, ac etiam approbata, & innouata comperit, vt eo firmiùs illibata persistant, quò frequentiori suo fuerint præsidio pro tempore stabilita, libentèr approbat, & innouat, eisque vberioris Apostolici muniminis robur adijci t, ac de nouo concedit, & aliàs pro eorum obseruatione, prouidet, prout in Domino
1 conspicit salubritèr expedire. 1 Sanè pro parte dilectorum filiorum modernorum Præsidentis, & Definitorum Capituli Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ Monachorum Ordinis S. Benedicti, Regularis Obseruantiæ, nec non ipsius Congregationis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum pro Diuini cultus augmento, & Religionis propagatione, ac Regularis Obseruantiæ conseruatione Congregationi prædictæ, ac illius Præsidentibus, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Conuersis, Nouitijs eorumque Cappellanis, Familiaribus, & Seruitoribus, nec non Monasterijs, Prioratibus, ac Locis etiā vnitis, Ecclesiis, Cappellis, Oratorijs, Membris, & Bonis pro tempore existentibus, quamplura, & diuersa Priuilegia immunitates, exemptiones, tā ab Ordinariorum iurisdictione, quam etiam ab omni impositione, exactione, collectâ, decimâ, subsidio, & alio quocumque grauamine, quocumq; nomine censeretur, per Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam pro tempore imponendis; nec non a quocunq; onere, occasione, Legatorum, Subdelegatorum, Nunciorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diocesanorum, seu alterius cuiuscumq; etiam Apostolicâ authoritate imponendorum, ac Charitatiui, & alterius cuiuscumque Subsidij, impositionis, collectæ, vel alterius cuiuscunque exactionis, ac oneris, personalis, realis, vel mixti, Annatarum, quæ etiam ratione Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum, etiam vnitorum solutione, & ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, vel subiectionis, quocumque iure debendis quibuscunque Ordinariis, & personis; libertates, prærogatiuę, fauores, conseruatoriæ, declarationes, facultates, gratiæ, indulta spiritualia, & temporalia, tam per felicis recordationis Vrbanum Secundum, Eugenium Quartum, Alexandrum Quintum, Martinū etiam Quintum, Nicolaum similitèr Quintum, Calixtum, Tertium, Pium Secundum, Innocentium Octauum, Alexandrū Sextum, Iulium Secundum, Leonem Decimum, & alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, necnon Imperatores, & Romanorū Reges, ac alios Sæculares Principes, etiam circa celebrationem Capituli, & electionem Prælatorum, ac conseruationem eiusdem Congregationis, ac illius personarum salubrem directionem concessa, ac per nonullos ex ipsis predecessoribus, ac demum per similis memoriæ Clementem Papam Septimum etiam prædecessorē Nostrum approbata, &
2 innouata extiterint. 2 Et inter alia secundus Vrbanus tunc, & pro tempore existenti Abbati ac dilectis filijs Conuentui Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cauensis Ordinis, & Congregationis eorundem, vt tunc, & pro tempore existens Abbas per Terras sui

Monasterij habitas, & habendas, Ecclesias construe-
re, & cum Cruce signare, & alia Pontificalia, & spi-
ritualia, Sacrorum Ordinum collatione, Basilica-
rum, & Altarium ac Chrismatis cõsecratione, dum-
taxat exceptis, exercere posset. Necnon vt de hijs, quę
à Catholicis Christianis eidem Monasterio Sanctis-
simæ Trinitatis, tam inter viuos, quam in vltima vo-
luntate, vbicunq; donata vel legata forent, nulli Epi-
scoporum Diocesanorum licitum esset quartam, vel
tertiam partem in ipsis legatis, seu donatis, tã in sta-
bilibus, quam in mobilibus, etiam prætextu cuius-
cunq; consuetudinis, exigere concessit. Et si proces-
su temporis per quoscumque contra prædictorum,
& aliorum Priuilegiorum per ipsum Vrbanum di-
cto Monasterio Sanctissimæ Trinitatis concessorum
tenorem per aliquos attemptatum foret, illud ex
tunc viribus vacuatum, ac Præscriptionem longi
temporis non currere decreuit. Ac quod, quicunque
dictum Monasterium Sanctissimæ Trinitatis in suis
Iuribus, possessionibus, & libertatibus læderent, aut
etiam perturbarent, liceret dicto Abbati, & successo-
ribus suis illos, cuiuscumque præeminentiæ, siue sta-
tus forent, authoritate Apostolicâ, canonicâ moni-
tione præmissâ, excommunicare, & excommunica-
tos fore denunciare, à quâ excommunicatione ab-
solui non possent, nisi dignè satisfacerent, etiam quo-
cumque priuilegio illis quod excommunicari, vel in-
terdici non possint forsan concesso, non obstante, ni-
si de indulto huiusmodi plenã, & expressam facerent
3 mentionem indulxit. Nec non Eugenius, Abbati pro
tempore existenti Monasterij S. Pauli extra Muros
Vrbis eorumdem Ordinis, & Congregationis, vt cũ
Mitrâ, & Annulo, Sãdalijs, Tunicâ, Dalmaticâ Missa-
rum solemnia celebrare, ac adstanti Clero, & Populo
benedicere. Ac idem Abbas, & dilecti filij Conuen-
tus ipsius Monasterij S. Pauli, consecrationes Alta-
rium, & Ordinationes Monachorum, qui ad Sacros
Ordines forent promouendi à quocunque mallent
Catholico Antistite, Apostolicâ authoritate freti, su-
scipere, quas sine difficultate, & prauitate exhiberi
præcepit. Ipseque Abbas, dummodo Presbyter esset,
Minores Ordines huiusmodi Monachis suis, ex Apo-
stolicâ indulgentiâ, cum necessè foret exhibere pos-
set. Necnon eidem Abbati etiam Indumenta, quæ ad
vsum Altaris in eodem Monasterio forent neces-
saria, benedicendi facultatem concessit. Ac statuit, &
sanciuit, vt sicut contra Romanam Ecclesiam non,
nisi Centenaria, secundum constitutiones canoni-
cas, & legitimas sanctiones currebat Præscriptio; ita
præfato Monasterio S. Pauli minoris temporis Præ-
4 scriptio non obsisteret. Et demum Alexander, præde-
cessores præfati, Motu proprio, voluit, & declarauit
quicquid Dubij in huiusmodi Priuilegijs, seu aliquo
eorum, pro tempore, emergeret, datâ verborum am-
biguitate, & variâ peritorum interpretatione, in fa-
uorem dictæ Congregationis, ac locorum particula-
rium eius interpretari. Nec non cuiusuis particularis
Monasterij ipsius Congregationis Priuilegia, toti
Congregationi prædictę, & illius particularibus Mo-
nasterijs communia esse, & ad illa extensa, ac ex-
5 tendi debere decreuit, prout etiam extendit. 5 Cum
autem, sicut eadem petitio subiungebat, Præsidens
& Definitores, ac Congregatio præfati cupiant sin-
gula Priuilegia, & indulta prædicta, vt vberiorem
obtineant roboris firmitatem, etiam Nostri muni-
minis præsidio fulciri; pro parte eorumdem
Præsidentis, & Definitorum, ac Congregationis
Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt Priuilegijs, &
Indultis prædictis robur Nostræ approbationis adij-
cere, ac aliàs in præmissis opportunè prouidere de
benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur at-
tendentes vberes fructus, quos dictæ Congregatio-
nis Monachi, qui tamquam mortui mundo, soli
Christo, qui est vita viuentis, pro vniuersali Ecclesiâ
ad Deum preces in militanti Ecclesiâ in dies pro-
ducunt, ac Præsidentem, & Definitores, necnon
Congregationem præfatos, & eorum singulos à
quibusuis excommunicationis, suspensionis, & in-
terdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris,
& pœnis, à iure, vel ab homine quâuis occasione,
vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati
existunt, ad effectum præsentium dumtaxat conse-
quendum, harum serie absoluentes, & absolutos
fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclina-
ti, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exem-
ptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conser-
uatorias, declarationes, facultates, gratias, conces-
siones, indulgentias, & indulta spiritualia, & tem-
poralia Congregationi, & illius Præsidentibus, Vi-
sitatoribus, Abbatibusque, Prioribus, Rectoribus,
Monachis, Nouitijs, Conuersis, Personis, Cappella-
nis, Familiaribus, Seruitoribus, & locis etiam vni-
tis, necnon Ecclesijs, Cappellis, membris, & bonis
pro tempore existentibus in genere, & in specie, tàm
per prædictos, & quoscunque alios Romanos Pon-
tifices Prædecessores Nostros, & Sedem prædictam,
quàm per Imperatores, Reges, & Principes, etiam
particularibus Monasterijs, etiam ampliatiuè, vel
extensiuè, aut aliàs, sub quâcunque formâ, & ver-
borum expressione communitèr, vel diuisim con-
cessa, & approbata, ac cum omnibus, & singulis de-
cretis, ac clausulis in eis contentis, desuper confe-
ctas litteras, & in eis contenta, & inde secuta quæ-
cunque, quorum omnes tenores, formas, datas, &
effectus, ac decreta in illis apposita, ac si de verbo,
ad verbum, nihil penitùs ommisso insererentur, prę-
sentibus pro sufficientèr expressis haberi volumus,
ex certâ nostrâ scientiâ, authoritate Apostolicâ, te-
nore præsentium, approbamus, & confirmamus, ac
perpetuâ roboris firmitate subsistere, & firmitèr ob-
seruari; necnon Congregationi huiusmodi, & illius
personis suffragari debere decernimus; supplentes
omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus,
si qui forsan in Imperatorum, Regum, & Principũ,
concessionibus huiusmodi interuenerint. Et nihilo-
minus pro potiori cautelâ, ea omnia, & singula, pro
vt per prædictos Prædecessores, ac Imperatores,
Reges, & Principes etiam, vt præfertur, concessa
fuerunt, denouo in omnibus, & per omnia, ita quod
Congregatio, ac Præsidentes, Definitores, Visita-
tores, Abbates, Priores, Rectores, Monachi, & alij
supradicti, ac Monasteria, & loca prædicta, omni-
bus illis, tàm in genere, quàm in specie cõcessis, vti,
6 potiri, & gaudere possint, & debeant. 6 Et ab imposi-
tionibus, decimis, collectis, subsidijs, & oneribus, ac
omnib. alijs, & singulis supradictis, etiã ratione Apo-
stolicæ Sedis, Legatorum etiam de latere, etiam
dictâ authoritate Apostolicâ pro tempore imponẽ-
dis, liberi, immunes, & exempti existant, nec ad il-
lorum solutionem, seu contributionem cogi, aut
desuper molestari, vel inquietari possint, seu debeat,
authoritate, & tenore prædictis de nouo concedi-
mus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus.
7 7 Districtiùs inhibentes quibusuis personis cuiuscũ-
que Ecclesiasticæ, etiam Pontificalis, vel sæcularis
dignitatis, præeminentiæ, vel authoritatis existen-
tibus, ne Congregationem, ac illius Præsidentes,
Definitores, Visitatores, Abbates, Priores, Recto-
res, Monachos, & alios præfatos super huiusmodi
Priuilegijs, & indultis, aut illorum vsu, possessione,
seu

seu quasi, per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio impedire, molestare, vel perturbare quoquo modo præsumant; ac eis præcipiendo mandantes, vt Congregationem, Præsidentes, Definitores, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, & alios prędictos illis omnibus pacificè, & quietè frui, vti,
8 potiri, & gaudere permittant. 8 Necnon decernentes eisdem Priuilegijs, indultis, ac præsentibus litteris, & in eis contentis clausulis quibuscunque, etiam per quascunque litteras Apostolicas, etiam quasuis generales, vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaces, & insolitas clausulas, ac irritantia decreta, sub quâcunque verborum concessione in se continentiâ, nullatenùs derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de illarum, ac præsentium litterarum tenoribus de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, ac specificâ datâ, specialis, & expressa mentio facta fuerit, ac huiusmodi derogationes per tres distinctas litteras, eumdem tenorem continentes, tribus similitèr distinctis vicibus, pro tẽpore existentibus Præsidenti, Definitoribus, & Visitatoribus prædictis, legitimè intimatę, & insinuatæ fuerint, ac ipsorũ Presidẽtis, Definitorũ, & Visitatorum ad id expressus accedat assensus, & alitèr factæ derogationes nemini suffragari. Et sic in præmissis omnibus per quoscunq; Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super hijs à quoquam, quâuis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ per singulos Prædecessores prædictos in singulis litteris prędictis concessum fuit, non obstare; cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, concessionis, indulti, statuti, ordinationis, inhibitionis, mandati, & decreti, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Trigesimo septimo, Nonis Nouembris, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

## CONSTITVTIO CLVII.

*SVMMARIVM.*

1537. *Nouemb.* 5.

PAVLVS PAPA III.

*Executionem Superioris Bullæ Episcopis Neapolitano, & Mantuano, ac Vicario Vrbis committit.*

*Ex Arch. S. Bened. de Padolyr. Arm. III. Caps. 21. fol.* 178.

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Neapolitano, & Episcopo Mantuano, ac Dilecto filio in Vrbe Nostrâ in spiritualibus Generali Vicario salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie à Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Sedis Apostolicæ consueta, ea, quę per Romanos Pontifices, *Et cætera, vt in superiori Constitutione.* Quocirca discretioni vestræ per Apostolicà scripta mandamus, quatenùs vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios litteras prædictas, & in eis contenta quæcunque, vbi & quando opus fuerit, ac quotièns pro parte Præsidentis, Definitorum, necnon Visitatorum, & Congregationis prædictorum, seu alicuius eorum desuper fueritis requisiti solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis, auctoritate Nostrâ, litteras, & in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari, ac singulos quos dictæ litteræ concernunt illis pacificè gaudere. Non permittentes eos per quoscunque contrà earumdem litterarum tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstante fel. record. Bonifacij Papæ VIII. similitèr Prædecessoris Nostri, quâ cauetur, ne quis extrà suam Ciuitatem, vel Diœcesim, nisi in cæteris exceptis casibus, & in illis vltrà vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad Iudicium euocetur, seu nè Iudices à Sede præfatâ deputati extrà Ciuitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, vel alijs vices suas committere præsumant; ac de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo vltra tres dietas, aliquis auctoritate præsentium non trahatur; & alijs Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus supradictis, aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo trigesimo septimo, Nonis Nouembris, Pontificatus Nostri Anno Quarto P. de Fulgineo pro Magistris F. Bernardus R. Raditius.

## CONSTITVTIO CLVIII.

*SVMMARIVM.*

1532. *Nouemb.*.

PAVLVS PAPA III.

1 *Innocentij VIII. & Leonis X. Constitutiones pro Casinensis Cœnobij Monasteriorum, præterquam Consistorialium, Præposituarum, & Beneficiorum in Comendam, vel Censum concessorum, post obitum detinentium liberà recuperatione, & applicatione eidem Cœnobio confirmat: Necnon Pensiones super parte, vel totis fructibus dictorum Monasteriorum, Beneficiorum, &c. ac etiam super dicti Casinensis Cœnobij fructibus imponi posse ab eodem Monasterio, absque Simoniæ, seu aliquo conscientiæ scrupulo ad fauorem cedentium dicta Beneficia, absque Sedis Apostolicæ nouâ facultate, approbat.*

2 *Prædictas facultates toti Congregationi Casinensi spe-*

*si specialitèr communicat.*

3 *Neapolitanum, & Capuanum Archiepiscopos, & Casertanum Episcopum pro tempore, Commissarios pro executione prædictorum, quando opus fuerit, constituit.*

4 *Derogatorijs derogat.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusio lib. E. fol. 8.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Sedis Apostolicæ consueta, ea, quæ per Romanos Pontifices pro Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, ac personarum in illis sub regulari castimoniâ Domino famulantium commodâ subuentione prouidè concessa reperit, libentèr approbat, innouat, ac de nouo concedit; & aliàs circa statum prouidet, prout in Domino conspicit salubritèr expedire. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Innocentio Papa VIII. Prædecessore Nostro, pro parte tunc Abbatis, & dilectorum filiorum Conuentus, & Monasterij Casinensis, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœcesis; exposito quod nonnulli ex tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac quidam Ecclesiastici Prælati, ac aliæ personæ Ecclesiasticæ, nonnullas Abbatias, Præpositatus, Ecclesias, aliaque Beneficia Ecclesiastica, & membra dicti Monasterij, & ab ipso Monasterio dependentia ex concessione, & dispensatione Sedis Apostolicæ tenebant in Commendam, & quod ipsi Abbas, & Conuentus ante Comendam huiusmodi, iusto titulo, in vsus eorumdem, & dicti Monasterij tenuerant, ac etiam possederant, & ex quorum nonnulli, ipsi Abbas, & Conuentus, antequam in Comendam, seu Titulum eisdem Cardinalibus, Prælatis, & personis concessa fuerant, certas annuas Pensiones pro tempore percipere consueuerat, ac quod Abbas, & Cõuentus præfati multa habebant subire pro tempore onera expensarum. Idem Innocentius Prædecessor, cupiens eisdem Abbati, & Conuentui super his consulere; ipsis, quod cedentibus, aut decedentibus ipsis Cardinalibus, Prælatis, ac personis sæcularibus, vel regularibus, Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, & membra, necnon alia Beneficia huiusmodi inComendam, aut alio quouis Titulo obtinentibus, aut alias Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, Beneficia, ac membra huiusmodi quomodolibet dimittentibus, ea liberè apprehendere, & perpetuò licitè retinere, fructusque, redditus, & prouentus Abbatiarum, Præposituarum, Beneficiorum, & membrorũ huiusmodi in vsus proprios conuertere, & etiam deputare valerent in omnibus, & per omnia, prout antequam Abbatiæ, Præpositurae, Prioratus, Ecclesiæ, & alia Beneficia supradicta, Cardinalibus, Prælatis, ac personis eisdem in Comendam, aut alium Titulum huiusmodi concessa fuerant, facere consueuerant, seu etiam debuerant, alicuius licentiâ, aut consensu super eo minimè requisitis, per suas litteras indulserat; ac voluerat, & Apostolicâ authoritate decreuerat, quod inferiores à præfatis Cardinalibus Prælati, ac Personæ prædicti, ratione Abbatiarum, Præpositurarum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorũ suprascriptorum, consuetum annuum censum eisdem Abbati, & Conuentui annis singulis ex tunc efficacitèr persoluere tenerentur; quodque illi ex eisdem Prælatis, & personis, qui Abbatias, Præposituras, Prioratus, Ecclesias, & alia Beneficia huiusmodi obtinerent, vt præfertur, à iuribus ipsis competentibus ratione Comendarum, & aliorum Titulorum huiusmodi caderent, nisi easdem Pensiones soluere annis singulis, prout ad quemlibet eorum pertinebat Abbati, & Conuentui antedictis. Ac piæ memoriæ Leoni Papæ Decimo Prædedessori Nostro, pro parte similitèr tunc Abbatis, & Conuentus Monasterij huiusmodi, tunc Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ asserentium à nonnullis dubitari litteras, & indultum Innocentij Prędecessoris huiusmodi, ad illas cessiones, in quibus aliqua Pensio à partibus constituenda, & soluenda foret, minimè extendi; ipsumque Monasterium propter bella, quæ in Regno Neapolitano proximis annis viguerunt valdè desolatum, & in ædificijs collapsum existeret, ac non modicâ reparatione indigerè, humilitèr supplicato; vt litteris, & indultis Innocentij Prædecessoris huiusmodi robur Apostolicæ confirmationis adijcere, ac quod cedentibus prædictis, ab agentibus pro dicto Monasterio, licitè, & sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut simoniæ vitio aliqua Pensio annua, seu fructuum in totum, vel in partem reseruatio, tàm super fructibus Beneficij sic assignati, quàm ipsius Monasterij Casinensis assignari possit, concedere, aut aliàs in pręmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaretur. Prefatus Leo Pręcedessor, tunc Abbatis, & Conuentus prefatorum supplicationibus huiusmodi inclinatus, litteras Innocentij Prędecessoris huiusmodi, preterquam quoad Monasteria Consistorialia, per suas litteras, approbauit, & innouauit, illasque perpetuę firmitatis robur obtinere decreuit; & nihilominus pro potiori cautelâ etiam in litteris prædictis contenta innouauit, & de nouo concessit; vt quotiescunque contingeret Cardinales, Prælatos, & personas antedictas, quæ pro tempore forent alitèr nolle cedere, ne ipsi cedentes nimium dispendium paterentur, & præfati Abbas, & Conuentus in præmissis facilius desideratum consequerentur effectum, quod cedentibus ipsis, per Monasterium ipsum, & agentes pro eo licitè, & sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut simoniæ vitio aliqua Pensio annua, seu fructuum in totum, vel in partem reseruatio, tàm super fructibus illius Beneficij sic resignati, quàm dicti Monasterij Casinensis, aliâ eiusdem Sedis licentiâ super hoc minimè requisitâ, assignari posse; ipsoque modernum Abbatem, & Conuentum ad integram solutionem Pẽsionum huiusmodi per eos, vt præfertur, assignandarum, etiam sub sententijs, censuris, & pœnis, ac si litteræ Apostolicæ desuper confectæ fuissent teneri decreuit, prout in singulis litteris prædictis pleniùs continetur. Cùm autem sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilect. fil. modernorum, Præsidentis, & Definitorum Congregationis huiusmodi petitio continebat, ipsi Præsidens, Definitores, ac Congregatio cupiat Indultum, concessionem, ac litteras, Innocentij, ac Leonis Prædecessorum huiusmodi pro eorum subsistentiâ firmiori, Nostræ approbationis munimine roborari. Pro parte eorumdem Præsidentis, & Definitorum, ac Congregationis Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt indulto, cõcessioni, & singulis litteris prædictis Nostræ approbationis robur adijcere, ac aliàs in præmissis, oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur.
1 1 Nos igitur, qui Monasteriorum, & aliorum Religiosorum locorum, ac personarum eorumdem profectibus, & quieti, sinceribus exoptamus affectibus, Præsidentem, Definitores, ac Congregationem præfatos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque

que Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quāuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie, absoluentes, & absolutos fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, Indultum, & concessionem, ac cum omnibus, & singulis in eis decretis, & clausulis singulis, litteras Innocentij, & Leonis Prædecessorum huiusmodi; necnon in eis contenta, & inde secuta quæcunque, ex certâ Nostrâ scientiâ, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, approbamus, & innouamus, ac perpetuâ roboris firmitate subsistere, & firmitèr obseruari.
2 2 Necnon Congregationi huiusmodi, & illius personis suffragari debere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautelâ, præmissa omnia, & singula, prout per dictos Innocentium, & Leonem, vt præfertur, indulta, & concessa fuerunt, de nouo in omnibus, & per omnia; itaut Congregatio, ac illius personæ præfatæ, illis vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & debeant, auctoritate, & tenore præsentium concedimus paritèr, & indulgemus.
3 3 Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Neapolitano, & Capuano Archiepiscopis, ac Episcopo Casertano per Apostolicâ scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quotièns pro parte modernorum, & pro tempore existentium Præsidentis, ac Definitorum Congregationis huiusmodi, ac eiusdem Congregationis, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ præsentes, & in eis contenta firmitèr obseruari; Ipsosque Præsidentem, Definitores, ac Congregationem illis pacificè gaudere; non permittentes eos desuper per quoscunque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato ad hoc, etiam si opus
4 fuerit auxilio brachij sæcularis. 4 Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterij Casinensis, ac Ordinis, & Congregationis prædictis iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quāuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac omnibus illis, quę dicti Prędecessores in prefatis eorum litteris voluerunt non obstare. Non obstantibus contrarijs quibuscumque; aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostrę absolutionis, approbationis, innouationis, decreti, concessionis, indulti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo Quingentesimo Trigesimo Septimo, Nonis Nouembris, Pontificatus Nostri, Anno quarto.

## CONSTITVTIO CLIX.

### SVMMARIVM.

1537. *Decembris.* 1.

### PAVLVS PAPA III.

*Abbati S. Mariæ Florentinæ Sacramenti Confirmationis administrationem, pro suis subditis tantum, in proprijs Ecclesijs, seu Parochijs, vigore Priuilegiorum Congregationis Casinensis confirmat.*

*Ex Archiu. Abbatiæ Florentinæ.*

LAVRENTIVS, Miseratione diuinâ, Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Campegius, Venerabili Abbati Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Florentiâ, Salutem in Domino sempiternam. Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Paulus Diuinâ Prouidentiâ Papa Tertius, cum ex nostrâ relatione accepisset, Quod licèt tibi, ac reliqui Abbates Congregationis vestræ Casinensis aliàs S. Iustinæ vigore Priuilegiorum â suis Prædecessoribus eidem Congregationi concessorum, & innouatorum in fronte Chrismare, & Confirmationis Sacramentum administrare possitis. Tibi tamen pro tuâ maiori satisfactione, vt in Ecclesijs Abbatiæ S. Angeli de Tedaldis, S. Mariæ de Buggiano, ac Plebis S. Cassiani de Capræsio eidem Abbatiæ S. Mariæ de Florentiâ perpetuò iunctis, & annexis, curæque regimini, visitationi, & correctioni tuæ subiectis, atque suppositis, omnes, & singulas personas tantum curæ dictorum locorum subiectas, & ad Curam dictarum Ecclesiarum spectantes, in fronte Chrismare, & Confirmare, prout & quemadmodum alij Ordinarij in Ecclesijs quibus præsūt, liberè possis, & valeas, concessit, & indulsit, facultatemque gratiosè impertiuit. Id quæ viuæ vocis Oraculo super hoc nobis facto. In quorū fidem præsentes litteras fieri iussimus, manuque nostrâ subscriptas nostri Sigilli impressione muniri fecimus. Datum Romæ Anno à Natiuitate Domini 1537. Die vero primâ Decembris. Pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ Tertij, Anno Quarto. Ita est L. Episcopus Sabinensis Card. Campegius Manu propriâ.

## CONSTITVTIO CLX.

### SVMMARIVM.

1538. *Feb.* 1.

### PAVLVS PAPA III.

*Pensionarios Congregationis Casinensis ad ratam Impositionum Sedis Apostolicæ soluendam adstringendos, eamdemque ratam eidem Congregationi diminuendam fore decernit.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusio lib. A. fol. 62.*

PAVLVS Papa III. Motu proprio. Cum Nos nuper pro necessariâ expeditione contra Christiani nominis hostes, primo duas integras Decimas, & postea Subsidium vnius ducati pro quolibet cètenario fructuum redditiuum, & prouentuum Monasteriorum,

rum,& Prioratuum,Præpositurarum,Præceptoriarum,Domorum,Conuentuum,& aliorum locorum in Italiâ,etiam in Siciliæ Regno,& Sardiniæ,& Corsicæ Insulis constitutis,dando,& concedendo facultatem soluere debenti,& de immobilibus bonis Monasteriorum,Prioratuum, & aliorum Beneficiorum prædictorum alienandi, & distrahendi, ac cum certis alijs qualitatibus, modis, & formis tunc expressis imposuissemus; & successiuè Subsidium medietatis fructuum loco vnius pro centenario huiusmodi solui,ac si in litteris impositionis vnius pro centenario, medietatem huiusmodi fructuum imposuissemus intelligi debere, ac fore, & esse declarauimus, prout indiuersis Nostris, tam sub plumbo quam in formâ Breuis desuper expeditis litteris plenius continetur. Nuper autem dilecti filij Præsidens, Abbates, Priores, & Monachi Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ Ordinis S. Benedicti, dictis duabus decimis tamen solutis, ad soluendum medietatem fructuum, loco vnius ducati huiusmodi promptos se se exhibuerint,& iuxtà sibi concessam facultatem ad alienationem processerint, & seu dietim processuri sint,& procedant;& nihilominus iam Nobis pro eorum portione, occasione medietatis fructuum huiusmodi,eiusdem Congregationis nomine satisfecerint;timeantque,nè personæ, quibus fructus, redditus,& prouentus Monasteriorum,Prioratuum, & aliarum Dignitatum,Officiorum, & Beneficiorum, Ecclesiasticorũ eiusdemCõgregationis,loco Pensionem,vel aliàs,aut Pensiones annuæ,seu census super fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi reseruatæ fuerint, fructus, seu Pensiones annuas, seu census sibi reseruatas huiusmodi integrè extorquere conentur,& soluere cogantur. Nos eorum indemnitati paternè prouidere volentes, attendentes quod Pensionarij,& illi, quibus fructus etiam prædicti reseruati fuerunt non minus, quam ipsi titulares duas decimas, ac medietatem fructuum ratione impositionis, & Subsidij huiusmodi, respectiuè soluere debent, & quod etiam ex alienationibus huiusmodi, tam forsan factis,& fiendis fructus &c. Monasteriorũ, Prioratuum,Dignitatum,& aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum prædictorum omnino minuantur, quodque etiam conueniens, & rationabile videtur, quod huiusmodi diminutio etiam damno ipsis Pensionarijs, & alijs prædictis pariformitèr cedat; & propterea indemnitati dictæ Congregationis prouidere volentes; omnes,& singulas Nostras litteras,tam sub plumbo, quam in formâ Breuis desuper expeditas pro expressis, & insertis habentes, ratam duarum Decimarum,& medietatem Pensionum,ac fructuum &c. huiusmodi ipsi Congregationi in summâ per eos occasionibus prædictis Nobis respectiuè solutâ,compensamus;ipsamque Congregationem,ac illius Præsidẽtem Definitores,Abbates Priores, & etiam alios Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum prædictorum Conuentus, ad solutionẽ fructuum &c. seu Pensionũ reseruationũ,& reseruatorum,occasione dictarum duarumDecimarum, & medietatis fructuum &c. huiusmodi Pensionarijs,& alijs prædictis non teneri,nec ad illas respectiuè compelli,cogi,vel astringi posse;nec ob illorum, vel illarum non solutionem aliquas censuras, vel pœnas, etiam forsan in litteris Apostolicis, desuper expeditis contentas temerè incurrere posse, nec debere concedimus,& indulgemus;ac etiam irritum decernimus. Et Insuper Cameræ Nostræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Almæ Vrbis, & aliarum Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum, in Italiâ,ac Regno, & Insulis prædictis constitutis Gubernatoribus, & Iudicibus, & quarumcunque litterarum Apostolicarum super præmissis expeditarum Executoribus quibuscumque, vbilibet constitutis,tenore præsentium mandamus, quatenùs Congregationi prædictæ efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant ab ipsis Pensiones, seu fructus, occasione dictarum duarum Decimarum, & vltra medietatem Pensionum, seu fructuum reseruatorum huiusmodi per Pensionarios,seu alios,quibus fructus huiusmodi reseruati fuissent, ab eâdem Congregatione exigi, seu extorqueri, aut aliàs eos molestari; contradictores quoscunque per censuras ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo. Non obstantibus constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,ac quibusuis clausulis,contentis in litteris reseruationum Pensionum, seu fructuum huiusmodi quomodolibet appositis, & alijs, quæ in dictis litteris non obstare volumus, cœterisque contrarijs quibuscumque Volentes præsentium solam signaturam sufficere,& vbique tam in Iudicio,quam extra fidem facere;regulâ cõtrariâ nõ obstãte. Placet A

## CONSTITVTIO CLXI.

*SVMMARIVM.*

1540. *Ian.* 25.

PAVLVS PAPA III.

*Eximit Monasterium S. Ioannis Euangelistæ de Parmâ ab Hospitio Militum.*

*Ex Arch. S. Io. Euang. Parmen. Caps.* 24. *n.* 39.

PAVLVS Papa III. Dilectis filijs modernis, & pro tempore existentibus Abbati, & Conuentui Monasterij S. Io. Euangelistæ Parmensis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis. Dilecti filij Salutem,& Apostolicam benedictionem. Cupientes vestrę quieti,vt liberiùs Diuinis incumbere possitis,paternè prouidere,præcibusq,vestris Nobis super hoc humilitèr porrectis inclinati, vobis quod in futurum aliquos vel pedites, vel equites ad S.R.E. stipendia militantes,ad Hospitandum in Monasterio vestro recipere non teneamini,nec ad id à quocunq; etiam eiusdem Ecclesiæ Legatis,Vicelegatis,Gubernatoribus, & Officialibus quibuscunq; aut Capitaneis Generalibus inuiti compelli, aut cogi possitis, concedimus, & indulgemus per præsentes. Mandantes in virtute S. Obedientiæ eisdem Legatis, Vicelegatis,Gubernatoribus, Officialibus, & Capitaneis, vt non solum vos contra præsentium Nostrarum litterarum tenorem molestare non audeant, aut præsumant, sed quantum in eis fuerit,eas vobis obseruent,& obseruari faciant cum effectu; constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisq; contrarijs non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 25. Ianuarij 1540. Pontificatus Nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO CLXII.

*SVMMARIVM.*

1541. *Ianuarij* 15.

PAVLVS PAPA III.

*Pensionarios Cõgregationis Casinensis ad ratam Impositionum*

*tionum Sedis Apostolicæ soluendum compellendos, eamdemq; ratam eidem Congregatione minuendam fore, constituit.*

*Ex Arch. S. Mariæ Flor. Arm. III. lib. 66. fol. 810.*

PAVLVS Papa III. Motu proprio. Cum Nos nuper pro necessariâ expeditione contra Christiani nominis hostes primo quatuor integras decimas in Regno Neapolitano tantum, & postea imposuissemus subsidium medietatis fructuum redditutum, & prouentuum Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarũ Preceptoriarum, Domorum, Conuentuum, & aliorum locorum in Italiâ, etiam in Siciliæ Regno, & Sardiniæ, ac Corsicæ Insulis constitutarum; dando, & concedendo facultatẽ soluere debentibus tot de immobilibus bonis Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum prædictorum alienandi, & distrahendi, & certis alijs qualitatibus, modis, & formis tunc expressis, imposuissemus, prout in diuersis Nostris, tàm sub plumbo, quàm in formâ Breuis desuper expeditis litteris pleniùs continetur. Et successiuè dilecti filij Præsidentes, Abbates, Priores, & Monachi Congregationis Casinensis, aliàs Sanctę Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, dictis quatuor decimis iam solutis, ad soluendam medietatem fructuum, iuxtà huiusmodi impositionẽ, pręcedenti vigore sibi concessarum facultatum certa immobilia bona alienauerint, & Nobis pro eorum portione, occasione dictæ medietatis fructuum eidem Congregationi tangentium, satisfecerint; timeantque, nè personæ, quibus fructus, redditus, & prouentus Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum dictę Congregationis loco Pensionum, vel aliàs quomodocunque, aut Pensiones, seu census super fructibus redditibus, & prouentibus huiusmodi reseruati, & reseruatæ sunt, seu aliàs quomodolibet debentur, fructus, seu Pensiones annuas, seu census huiusmodi sibi reseruatas, & debitas integrè, extorquere conentur, & soluere cogantur. Nos eorum indemnitati paternæ prouidere volentes; attendentes, quod Pensionarij, & omnes illi, quibus fructibus, huiusmodi vt præfertur concessi, vel reseruati fuerint, non minùs, quam ipsi titulares, etiam quatuor decimas in dicto Regno Neapolitano, ac medietatem fructuũ, ratione impositionis, & Subsidij huiusmodi respectiuè soluere tenentur, & debent, ac quod etiam, tàm ex alienationibus, quàm concessionibus, & assignationibus huiusmodi forsan factis, quàm faciendis, fructus Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum prædictorum omninò minuuntur; conueniensque, & rationabile etiam videtur, quod huiusmodi diminutio, & Subsidii solutio, etiam damno ipsis Pensionariis, & aliis prædictis pariformitèr cedat; & propterea indemnitati dictæ Congregationis prouidere volentes; omnes, & singulas Nostras litteras, tàm sub plumbo, quàm in formâ Breuis desuper expeditis pro expressis, & his de verbo ad verbum insertis habentes, quatuor decimas in Regno Neapolitano prædicto tantam ratam, & partem, ac medietatem Pẽsionum, & fructuum ex huiusmodi, defalcatâ tamen quartâ parte medietatis fructuum huiusmodi per Nos eidem Congregationi dimissâ, & Nobis non solutâ, eidem Congregationi, ac eiusdem Congregationis Præsidentibus, Abbatibus, & Prioribus, in summis per eos, occasionibus prædictis Nobis respectiuè solutis, compensamus; ipsamque Congregationem, & illius Præsidentes, Definitores, Abbates, Priores, & Monachos, ac Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum prædictorum Conuentus ad solutionem fructuum, seu Pensionum huiusmodi Pensionarijs, & quibuscunque aliis prædictis non teneri, nec ad illos, vel illas, etiam litterarum Apostolicarum, vel quarumcumque obligationum, etiam in ampliori formà Cameræ, vel aliàs quomodolibet adiectarum soluenda respectiuè cogi, & compelli, vel adstringi posse, nec ob illorum, nec illarum non solutionem aliquas censuras, vel pœnas, etiam forsan in litteris Apostolicis reseruationis desuper expeditis, vel obligationibus huiusmodi contentas, minimè incurrere posse, nec debere concedimus, & indulgemus; sicque à principio Nostræ intentionis, vel incommutabilis voluntatis fuisse, & fore attestamur, & fidem facimus; sicque iudicari &c. sublata &c. ac etiam irritum &c. decernimus. Et insuper Cameræ Nostræ Apostolicæ generali Auditori, & Almæ Vrbis, & aliarum Ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum in Italiâ, ac Regno, & Insulis prædictis constitutis Gubernatoribus, & Iudicibus, coram quibus quascunque causas, & lites desuper introduci contigerit, seu forsan in quâcunque instantiâ introductis pendent, & pendere reperientur, & quarumcumque etiam litterarum Apostolicarum supèr permissis expeditarum, executoribus quibuscumque vbilibet constitutis, tenore præsentium, mandamus, quatenùs Congregationi prædictæ efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant ab ipsis Pẽsiones, fructus, census, seu annuas responsiones, & onera huiusmodi, occasione dictarum quatuor decimarum in dicto Regno Neapolitano tantum, & vltrà medietatem Pensionum, seu fructus reseruati, & aliàs quomodolibet debiti huiusmodi, defalcatâ tamen dictâ quartâ parte dictæ medietatis fructuum per Nos, vt præfertur, dimissâ per Pensionarios, & omnes alios prædictos ab eâdem Congregatione exigi, seu extorqueri, aut aliàs eos desuper molestari; contradictores quoscumque per censuras Ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis clausulis, & decretis etiam habentibus, quod licet, Pẽsionarij exempti in huiusmodi impositione grauati sint, nihilominus contribuere non tenerentur, in litteris reseruationis Pensionis, seu fructuum, huiusmodi etiam contentis, & etiam in obligationibus prædictis quomodolibet appositis, & alijs, quæ in dictis litteris volumus non obstare; cœterisque contrarijs quibuscumque. Volentes, præsentium solam signaturam sufficere, & vbique, tàm in iudicio, quàm extrà fidem facere, clausulâ contrariâ non obstante. Placet, & ita motu proprio mandamus A.

## CONSTITVTIO CLXIII.

*SVMMARIVM.*

*1542. Febr. 25.*

### PAVLVS PAPA III.

*Facultatem alienandi bona Cõgregationis Casinensis pro solutione impositionis Subsidij vigintimilliũ Ducatorũ auri cõfirmat, & alienationes factas, cõualidat.*

*Ex Arch. S. Georgij Maioris Venetiarum.*

PAVLVS Papa III. Dilectis Filijs Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Bene-

Benedicti. Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum nuper Nos pro S.R.E. status conseruatione, ac fidei Orthodoxæ tuitione, ineuitabili necessitate exigente, inter alia vnum Subsidium medietatis veri annui valoris, secundum communem existimationem arbitrãdi, omnium, & singulorum fructuum, redditnum, & prouentuum, quorumcumq; Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, Congregationum, & Ordinum quorumcumq; in Italiâ vbilibet, etiam in Regno Siciliæ vltrà Pharum consistentium, infrà certos tunc expressos terminos soluendum imposuerimus; & pro faciliori illius solutione, fructus, redditus, & prouentus bonorum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, & Beneficiorum huiusmodi in totum, vel in partem, ad vnum, vel duos, aut tres annos locandi, seu in affictum, & arrendamentum quibusuis personis, etiam Laycis, etiam cum anticipatâ solutione illius summæ, quam illorum impositio importaret concedendi, vel bona ipsa censuaria illi, vel illis, à quo, vel quibus pecuniam pro satisfactione impositionis huiusmodi accepissent, ad aliquam honestam rationem, seu aliquod honestum precium constituendi. Et deniq; si vno, vel alio ex præmissis modis pecuniæ pro necessariâ impositionis huiusmodi satisfactione reperiri non possent, tunc, tot ex bonis immobilibus, non tamen Castris, Oppidis, & Locis, in quibus Subditos Vassallos haberent singulorum Monasteriorũ, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, & Beneficiorum prædictorum, quoad quantitatem portionis, impositionis huiusmodi singula Monasteria, Prioratus, Præposituras, Domos, & Beneficia huiusmodi, tangentem ascenderent pro precio, & cum conditionibus, & pactis conuenientibus, sub certis tunc expressis solemnitatibus, vendendi licentiam per alias Nostras litteras sub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno octauo, concesserimus. Et vos pro vestrâ erga Nos, & Sedem Apostolicam fide, & deuotione, satisfactionem Subsidij huiusmodi satagentes, vt solutioni huiusmodi promptiùs satisfeceritis, pro summâ decem millium scutorum certa immobilia bona ad Monasterium Sancti Pauli extrà muros Almæ Vrbis Nostræ, eiusdem Congregationis, spectantia, cum pacto de reemendo, certæ personæ laycæ alienaueritis, seu pignoraueritis. Et postquam alienationem huiusmodi de medietate fructuum Monasteriorum vestrorum, ac quorumcunque locorum Congregationis vestræ, cum dilecto filio Bernardino Eluino Thesaurario Nostro generali, seu forsan verbo tantum, vel in scriptis concordando, Congregationem vestram, ac Monasteria, & loca vestra ad soluendum in certis terminis summam, & quantitatem viginti millium ducatorum auri in auro de Camerâ nouorum pro omni, & toto eo, quod ob dictum subsidium à Nobis exigi possit, obligaueritis, summamq; decem millium ducatorum ad bonum computum solueritis, prout in singulis, tâm sub plumbo, quàm in formâ Breuis litteris Nostris, & instrumentis, vel aliis, tàm publicis, quàm etiam priuatis scripturis desuper confectis pleniùs continetur, & contineri dicitur Nos indemnitati, & commoditati Vestræ, & Monasteriorum, ac locorum Congregationis vestræ prouidere volentes, summamq; per vos, solutam, ac etiam tempus, & residuum soluendi, necnon etiam, tâm singulas litteras, quàm Instrumenta, & aliàs, tàm publicas, quàm priuatas scripturas prædictas pro insertis, & expressis habentes, Concordiam prædictam, ac omnia, & singula in eis contenta, & inde secuta quæcunque, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, omnesq; & singulos, tàm quarumcunq; solemnitatum, & tàm accidentalium, quàm substantialium forsan ommissarum, ac quoscunq; alios, etiam inexcogitabiles, si qui forsan iuris, vel facti interuenerint defectus, supplemus; nec non easdem, ac prout illas respectiuè concernunt, omnia, & singula, forsan verbo tantum, vt præfertur facta, seu in instrumentis, & scripturis desuper confectis, contenta inuiolabilitèr obseruari debere volumus, & mandamus. Et insuper, cum sicut fide dignâ relatione accepimus, vos dubitetis, quod licet forsan per aliquos Abbates, vel alios Prælatos Congregationis prædictæ, particularitèr de locando, seu affictando, arrendando, vel censuando bona immobilia pro solutione taxæ impositionis huiusmodi debitâ diligentiâ factâ, & minimè aliquo ex modis prædictis necessitati solutionis huiusmodi prouideri possit; & nihilominus ipsa Monasteria, & loca in eo statu constituta sint, vt dictam summam viginti millium ducatorum auri ex redditibus ipsorum Monasteriorum soluere, nec dicta bona ad ipsum Monasterium S. Pauli spectantia cum pacto de retroemendo alienata, seu pignorata retinere, nisi nimis incommodè non possint, cogiminiq; ad hoc, vt dictam reemptionem facere, & residuum summæ Subsidij huiusmodi soluere valeatis omninò ad venditionem bonorum stabilium ipsorum Monasteriorum, & aliorum locorum huiusmodi deuenire. Et vlterius etiam vereamini, nè ipsos emptores, cum forsan aliàs, quàm ex assertione vestrâ, de diligentiâ huiusmodi de arrendando, & censuando vt præfertur, facta non constet, etiam difficiliùs bona huiusmodi emerè cessent, & ab emendo se retrahant; & propterea, sicut Nobis exponi fecistis, de opportuno remedio desuper prouideri desideratis. Nos, nè reemptio, & restitutio dictorum decem millium ducatorum auri, vt præfertur solutorum, & restitui promissorum, pro reemptione huiusmodi fienda procuratorum, & forsan mutuò receptorum restitutio, & dicti residui solutio, tã necessaria retardentur; vobis, & vestrum cuilibet de per se, cum interuentu tamen, & consensu Abbatis, seu Prælati illius Monasterii, cuius bona alienari contigerit, vt tot bona immobilia, Castris tamẽ, Oppidis, & Locis, vt præfertur, necnon censibus exceptis, ad vnum, seu duo, vel plura Monasteria, illiusq; , seu illorum mensam, seu mensas, Prioratusq; & alia loca quæcunq; eiusdem Congregationis quomodolibet spectantia, in vno, vel pluribus locis, quod summam viginti millium ducatorum huiusmodi, & vltra illos, occasione interesse propterea currentium, & passorum summam, quam propterea passi fueritis, ascendant, quibusuis personis, tàm Laycis, quàm Ecclesiasticis pro precio, seu precijs reperibilibus pro se, illisq; hæredibus, & successoribus in perpetuum, vel ad tempus, sub quibuscunque licitis pactis, formis, & conditionibus, etiam canonis, seu census anticipatâ solutione, locare, in emphiteusim, seu censum dare, seu pro quâcunque summâ pecuniarum reperibili, ad effectum dictæ solutionis, & reemptionis, ac interesse necessaria, mutuò accipere, & bona prædicta pignorare, vel hypothecare, aut inperpetuum vendere, aut alienare, vel aliàs etiam, alienationis vocabulo latissimè sumpto, de eis disponere, præciumque exindè prouenienes in solutionem, & reemptionem bonorum prædictorum, ac restitutionem, & solutionem etiam pro interesse forsan decursis prædictis

respe-

respectiuè conuertere; nec non bona immobilia huiusmodi, in censum, & emphiteusim, etiam perpetuam, seu pro hypothecâ pignorare, vel quâcunque aliâ obligatione accipere, vel aliàs emere volentibus, quod illa, vt præfertur, emere, & accipere, & precium, seu precia huiusmodi soluere, & de talibus bonis immobilibus huiusmodi, prout de alijs ipsorum bonis liberis franchis, & allodialibus, seu censuarijs, & emphiteuticis disponere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis licentiam, & facultatem concedimus, & indulgemus: Proptereàque vos, & quemlibet vestrum insolidum ad omnes, & singulas alienationes, pignorationes, seu hypothecas, locationesque emphiteusis præmissa exequendi, & exequi faciendi, Nostros, & præfatę Sedis Apostolicæ, cum amplissimâ facultate, & potestate Commissarios constituimus, & deputamus per præsentes; decernentes, venditionum, & pignorationum, ac aliorum quoruncunque præmissorum contractus, & obligationes, præsentium vigore faciendos, etiam aliquibus solemnitatibus, tam substantialibus, quàm accidentalibus, etiam de iure, vel aliàs quomodolibet requisitis, omnissis, & illis non interuenientibus, vsque ad summam prædictam, validos, & efficaces fore, ac perpetuâ roboris firmitate subsistere, & suos effectus sortiri, & inuiolabilitèr obseruari debere. Quodque assertioni vestræ, quod pecuniæ huiusmodi, etiam ex causâ affictus, vel arrendamenti, aut emphitheusis, vel impositionis, census, vel aliàs, quam per venditionem, & alienationem bonorum prædictorum, vt præfertur, reperiri, & haberi non potuerunt, & quod etiã solemnitates huiusmodi interuenerint, & summæ, quæ in interesse conuersæ fuerint, necnon præsentes de obreptionis subreptionis, & intétionis, defectu, vel quâcunq; aliâ inualiditate impugnari; ac etiam ad omnia, & singula prædicta in iudicio, & extrà probandum sufficere, & illis absque aliâ probatione desuper fiendâ stari, & credi debère, nec de viribus probationis huiusmodi hæsitari, vel quoquomodo in dubium reuocari posse; & sic per quoscunque, tam ordinariâ, quam delegatâ, & mixtâ auctoritate fungentes Iudices, & personas, ac etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Palatij Apostolici causarum Auditores, & alios, quoscunque Iudices, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis aliter iudicandi, diffiniendi, & interpretandi facultate, vbique iudicari, diffiniri, & interpretari debere; nec non quicquid secùs super hijs à quoquam quâuis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari, irritum, & inane esse. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papę II. prędecessoris Nostri de rebus ecclesiasticis non alienandis, & alijs Apostolicis, & Prouincialibus, & Synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non Monasteriorum, & Ordinum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs, quoque Indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis concessis, quibus illorum, ac instrumentorum tenores, & bonorum huiusmodi qualitates, quantitates, confines, vocabula, & valores annuos, pro sufficientèr expressis. Nec non modos, & formas ad id seruandos, pro indiuiduo seruatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialitèr, & expresè derogamus, nec non volumus, & mandamus, quod præsentium transumptis manu publici Notarij inde rogati, subscriptis eamdem prorsùs fidem in iudicio, & extrà adhiberi debere; quæ adhiberetur præsentibus, vbicunque exhibitæ, vel ostensæ forent, regulâ contrariâ, nec non omnibus illis, quæ in singulis litteris prædictis voluimus non obstare, cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die 25. Februarij 1542. Pontificatus Nostri Anno octauo. C. L. de Torres.





## CONSTITVTIO CLXIV.

### SVMMARIVM.

*1542. Maij 13.*

### PAVLVS PAPA III.

*Monialibus Casinensibus, facultates exeundi claustra Monasteriorum, etiã ex legitimâ causâ à Sac. Pœnitentiariâ Romanâ obtentas, non, nisi Superiorum dictæ Congregationis accedente consensu, vult suffragari.*

*Ex Arch. S. Euphemiæ Brixien. Arm. I. Caps. M. n. 26.*

PAVLVS Papa III. Ad futuram rei memoriam. Accepimus quod nonnullæ Moniales Ordinis S. Benedicti, sub curâ Monachorum eiusdem Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ degentes, sub prætextu litterarum Sacræ Pœnitentiariæ Nostræ, quas diuersis confictis coloribus extorserunt, & quotidie extorquère conantur, de earum Monasterijs, & clausuris ad earum parentum, seu consanguineorum, vel aliarum sæcularium personarum domos, villas, & habitacula, nullâ ab earum Superioribus licentiâ obtentâ, sed potiùs illis inuitis, contra Regularia instituta dicti Ordinis, eas sub clausurâ manere præcipientia, etiam voluptatis, & vagandi causâ, accedere, & per sęculum cum sæcularibus personis conuersari audeant, in earum animarum perniciem, ac Religionis dedecus, & Monasteriorum, ac illarum Monialium confusionem, & perturbationem, Fideliumque scandalum, ac murmurationem non modicam. Nos igitur pernicioso huic abusui occurrere, aliàsque desuper oportunè prouidere volentes; volumus, & Apostolicâ auctoritate statuimus, atque decernimus, Moniales prædictas litteris huiusmodi, per quas eis vagandi datur occasio, etiam si ipsę Moniales legitimã allegarent causam, etiam si talis esset, propterquam licentia exeundi sibi negari non deberet; non nisi accedente consensu Superiorum dictæ Congregationis sub quibus sunt, contra Regularia instituta huiusmodi vti posse, & litteras ipsas eis, absque licentiâ huiusmodi, minimè suffragari. Dantes Dilectis filijs Præsidenti, Visitatoribus, & Prælatis eiusdem Congregations, prædictas Moniales, quas licentiarum huiusmodi prętextu extrà sua claustra manere repererint, ad redeundum ad ipsorum Monasteria omnibus oportunis remedijs cogendi, & compellendi auctoritate Apostolicâ, facultatem. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon litteris ab Officio Pœnitentiariæ ipsis Monialibus concessis, & innouatis, ac Ordinis, & Congregationis eiusdem iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem quod in casibus, in quibus de iurę licentia prædicta derogari non debet, Superiores præfati licentiam huiusmodi impartiri omninò teneantur;

 alio-

alioquin litteræ Pœnitentiariæ prędictæ eisdem Monialibus dictâ licentiâ petitâ, licet non obtentâ, suffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die 13. Maij 1542. Pontificatus Nostri Anno octauo. Blo. El. Fulgin.

## CONSTITVTIO CLXV.

### SVMMARIVM.

1543. *Martij* 10.

### PAVLVS PAPA III.

*Subsidium Triennale Decimæ partis fructuum Beneficiorum sæcularium, & Quartæ partis fructuum Beneficiorum, & Monasteriorum Congregationis Casinensis, cæterorumque Regularium pro bello contra Turcas imponit.*

*Ex Bullario Roman. Pauli III. Constit. 37.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex debito pastoralis officij, Nobis, licet indignis, ex alto commissi, ad ea, vt debemus aciem nostræ mentis extendimus, per quæ Dominici gregis conseruationi valeat salubritèr prouideri; nec indignum ducimus subditos Nostros pro illorum tutelà quandoque grauare, nam optimi patris familias est potius parte vtendo, totum conseruare, quam partem conseruando totum in discrimine ponere. Dudum, si quidem, vt communibus vtilitatibus, prout Nostra interest prouideremus, & ad sustinendum expēsarum molem pro Orthodoxæ fidei, & status S. R. E. ac eius subditorum conseruatione, & defēsione, Nobis omnino necessaria, Subsidium trecentorum millium scutorum auri in auro Cameræ Apostolicæ per dictos subditos sæculares annis singulis, per trienniū à Cal. Maij proximè præteriti inceptum integrè persoluendum (augumenti salis, ac alijs extraordinarijs exactionibus pro dicto triennio sublatis) imposuimus. Cum autem dictis propter incommoda, & iacturas quæ malę temporum conditiones attulerunt, hoc nimis onerosum videretur, illis ex Nostrâ benignitate compatientes, Subsidium ipsum ad summam ducētorum quadraginta millium scutorum similium, vel circà reducentes, ac ad releuandum vtilitates, & necessitates communes huiusmodi, quas tantas esse hoc tempore, quò potentem Turcarum Tyranni classem in visceribus Christianitatis habemus, ac vndique bella inter Principes Christianos parantur prospicimus, cum laycorum, vt præfertur non suppetant facultates, Subsidium huiusmodi per Ecclesias conferendū duximus. Idcirco de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, ac Motu proprio, & ex certâ Nostra scientiâ, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, tenore presentium, Vnum Subsidiū vnius decimæ iuxta verum annuum valorem, omnium, & singulorum fructuum, redditumm, & prouentuum, quarumcumque Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & Collegiatarum, Parochialiumque, & aliarum Ecclesiarum, ac Hospitalium, & piorum locorum, nec non quorumcumque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ, & sine curâ sæcularium, vtcunque qualificatorum, & nuncupatorum, nec non aliud Subsidium quartę partis veri annui valoris secundū communem extimationem arbitrandi omnium, & singulorum fructuum, redditTuum, & prouentuum quorumcunque Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, domorum, & Beneficiorum Casinensis aliàs S. Iustinę, & Mōtis Oliueti, necnō Camaldulensis S. Benedicti, ac Thusciæ & Lombardię, Cistercienfis, Lateranensis, & S. Saluatoris, aliarumque Congregationum S. Augustini, & Vallis Vmbrosæ Carthusiēsis, & Humiliatorum, ac S. Hieronymi, & aliorum Ordinum quorumcunq;, etiā Mendicantium in Italiâ vbilibet, etiam in Regno Siciliæ vltrà Pharum; Ac omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchis, Capitulis, Collegijs, Massis, Communibus, Vniuersitatibus, Rectoribus, Administratoribus alijsque personis Ecclesiasticis, nec non Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Commendatarijs, Conuentibus, & personis Congregationum, & Ordinum prædictorum, etiam quomodolibet exēmptis (ipsius S. R. E. Cardinalibus, ac Fratribus Hospitalis Hierosolymit. quoad Beneficia dicti Hospitalis, dumtaxat exceptis) fructus redditus, & prouentus huiusmodi in Italiâ, & Regno Siciliæ prædictis respectiuè habentibus, & habituris cuiuscumque præminentiæ, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, annis singulis in Festo Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum (durante triennio tantùm, in Romana Curiâ in manibus dilecti filij Depositarij Nostri Generalis integrè, omni exceptione cessante, persoluenda tenore præsentium imponimus; ipsosque Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Vniuersitates, Collegia, & personas Ecclesiasticas, nec non Abbates, Priores, Prępositos, Prælatos, Commendatarios, & Conuentus ad dictorum Subsidiorum, videlicet vnius decimę, & quartæ partis fructuum solutionem respectiuè iuxtà illorum impositionem huiusmodi efficacitèr obligatos fore; & ad illorum solutionem censuris, & pœnis Ecclesiasticis, etiam interdicti Ecclesiastici appositione, & omnibus alijs iuris, & facti remedijs cogi, & compelli posse, & dicto triennio durante, decimarum onere minimè grauari posse decernimus. Declarantes propterea quòd omnes, & singuli pensionarij, seu ij quibus loco pensionum fructus in totum, vel in partem reseruati sunt, cuiuscunque conditionis, vel dignitatis existant (eisdem S. R. E. Cardinalibus exceptis) ad huiusmodi Subsidiorum præstationem in omnibus, & per omnia, perinde ac si illud eis nominatim, & expressè per præsentes impositum fuisset, clausulis, & decretis in litteris Apostolicis reseruationum pensionum, & fructuum huiusmodi appositis, etiam quod dictæ pensiones ab omni decimâ, subsidio charitatiuo, & quouis alio onere, tam ordinario, quam extraordinario, quàuis auctoritate, etiam Apostolicà pro expeditione Turcarum tam defensiua, quam offensiua, & alios Infideles, aut Reipublicæ Christianæ ab illorum conatibus quàuis defensione, ac etiam motu proprio & ex certa scientia imposito, vel imponendo, exemptæ sint, disponentibus, nequaquam obstantibus, pro ratâ teneātur, & efficacitèr adstricti sint. Quodque Prelati, seu titulares Monasteriorum, Prioratuum, Prepositurarum, & Beneficiorum super quorum fructibus sic reseruatæ, seu reseruari existunt, possint satisfacere ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus sunt reseruati, ac liberè postmodum suâ propriâ auctoritate penès, seu pro se retinere totum illud, quod pro ipsis pensionarijs, seu pro eis quibus fructus huiusmodi sunt reseruati persoluerint, & nihilominus pensionarios, ac eos, quibus fructus huiusmodi reseruati sunt per agen-

tes

tes Cameræ Apostolicæ ad solutionẽ Subsidij quartæ partis pensionum, ac fructuum reseruatorum huiusmodi respectiuè, dicto triennio durante, iuris, & facti remedijs opportunis cogi, & compelli posse volumus. Quocirca Dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiæ Sancti Eustachij Diacono Cardinali de S. Florà Camerario Nostro, quem vltra ordinariam sui Camerariatus offici j auctoritatem Subsidiorum huiusmodi Collectorem generalem, cum facultate tempora solutionis prorogandi, ac super summis dictorum subsidiorum componendi, & concordandi, facimus, & deputamus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs per se, vel alium, seu alios faciat præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque plenum effectum sortiri, & inuiolabiliter obseruari, contradictores renitentes, ac rebelles per prædictas, & alias de quibus ei videbitur censuras, & pœnas, ac dicti interdicti appositionem, & alia iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, & Congregationum, ac Beneficiorum huiusmodi, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon quibusuis priuilegijs, indultis, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, immunitatibus, ac litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus, ac illorum locis, & personis generalitèr, vel specialitèr, sub quibuscunque verborum formis, & expressionibus ab eàdem Sede concessis, quibus omnibus, nec non litteris reseruationum, pensionum, & fructuum huiusmodi, nec non quibusuis obligationibus, etiam in formâ Cameræ, cum iuramento, & censurarum, & mandati executiui susceptione, vel alijs desuper factis, etiam si de verbo ad verbum mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, & in eis caueatur expresè, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes, eis non derogatum censeretur, aut derogari videretur, nisi sub certis modo, & formâ in eis expressis, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hàc vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, contrarijs quibuscunque, aut si Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Conuentibus, Collegijs, Vniuersitatibus, & personis præfatis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim ab eàdem sit Sede indultum, quod ad solutionem, vel præstationem alicuius Subsidij, seu Decimæ minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu propterea grauari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgẽtijs, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totalitèr non inserta, effectus earum impedire valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis, quæ quoad præmissa, volumus nullatenùs suffragari. Vt autem præsentes ad communem omnium notitiam deducantur, eas in valuis Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis de Vrbe affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio publicabũt, vt ij, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut ea ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus extiterit publicatum. Cæterum quia difficile foret præsentes ad singula loca, in quibus expediens fuerit deferre, Volumus, & auctoritate Apostolicâ prædictâ decernimus, quod earumdem præsentium transumptis, manu alicuius ex Cameræ Apostolicæ Notarijs subscriptis, & Sigillo Camerarij Nostri munitis, ea prorsus fides in iudicio, & extra in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ impositionis, declarationis, factionis, deputationis, commissionis, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, sexto Idus Martij, Pontificatus Nostri Anno decimo.

## CONSTITVTIO CLXVI.

### SVMMARIVM.

1543. *Iunij* 15.

### PAVLVS PAPA III.

*Congregationem Casinensem à solutione Decimarum impositarum, & imponendarum, vsque ad totum annum 1545. eximit.*

PAVLVS Papa III. Dilectis filij Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, cæterisq; Prælatis, & Monachis Cõgregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ. Dilectis filijs Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum vos nuper, vltra cætera Subsidia, quæ pro Nostris, & Sedis Apostolicæ necessitatibus annis præteritis persoluistis summam sexdecim millium Ducatorum auri de Camerâ ratione Subsidij medietatis fructuum Ecclesiasticorum per Nos ex causis tunc expressis vestræ, ac alijs Congregationibus Regularibus, Italiæ impositi, soluere promiseritis, & iam forsan persolueritis. Nos vestram in hoc promptitudinem, ac erga Nos, & dictam Sedem obseruantiam, & deuotionẽ aliquâ gratitudine compensare, & in futurum subleuare cupientes Vos, & Monasteria, ac loca vestra in totâ Italiâ, etiam in Regno Siciliæ vltra Farum existentia, à solutione Decimarum per Nos, & Sedem Apostolicam à Calen. Ianuarij proximè præteriti citrà impositarum, & vsq; ad, & per totum annum M.D.XLV. imponendarum, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium eximimus, & liberamus, exemptosq; ac liberatos, & ad illarum solutionem per quosuis Commissarios, vel Exactores, etiam si ex nouâ, & magis vrgenti causâ, & necessitate impositæ fuerint, & in litteris dictæ impositionis virtualitèr, vel specificè præsentibus litteris derogatum sit, cogi, vel compelli minimè posse decernimus, & declaramus. Mandantes dilecto filio Guidoni Ascanio Sancti Eustachij Diacono Cardinali Nostro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, in virtute S. Obedientiæ, vt præsentes Nostras litteras vobis obseruet, & inuiolabilitèr obseruari faciat,

con-

Contradictores per censuras ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictis litteris impositionis, illarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, caeterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ea fides in Iudicio, & extrà adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datũ Parmae sub Annulo Piscatoris, Die xv. Iunij M D X L I I I. Pontificatus Nostri Anno Nono. Blo. Fl. Fulgin.

## CONSTITVTIO CLXVII.

### SVMMARIVM.

1545. *Febr.* 1.

### PAVLI PAPAE III.

*Abbati Monasterij SS. Florae, & Lucillae de Arretio Congregationis Casinensis facultatem concedit iudicandi, puniendi, excommunicandi Cappellanos Beneficiorum in suà Ecclesià erectorum, circa institutionem, confirmationem, & exercitium dictarum Cappellaniarum, seu Beneficiorum delinquentes.*

*Ex Archiu. SS. Florae, & Lucillae de Arretio Arm. I. Capsf. E. num. 92.*

PAVLVS Papa III. Dilecto filio Abbati Monasterij SS. Florae, & Lucillae de Arretio, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, aliàs Sanctae Iustinae de Paduâ. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nuper Nobis fecisti, quod licet in Ecclesiâ Monasterij SS. Virginum, Florae, & Lucillę, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, aliàs Sanctae Iustinae de Paduâ, vbi ad praesens praees, nonnullae Cappellaniae, seu Beneficia Ecclesiastica Sacerdotalia ad praesentationem, seu electionem, & nominationem diuersorum Ciuium Arretinorum, aut aliarum personarum, & tuam, ac pro tempore existentis istius Monasterij Abbatis confirmationem, & institutionem spectantia, & pertinentia existant; & illa pro tempore obtinentes presentatione, seu electione, ac confirmatione, seu institutione praedictis praecedentibus, ex fundatione, seu aliàs, Missas celebrare, & in eis deseruire teneantur. Nonnulli tamen moderni dictarum Cappellaniarum Cappellani, absque confirmatione, seu institutione huiusmodi, fructus illarum percipere, & inibi minimè celebrare, & aliàs, vt tenentur, minùs inseruire non erubescunt, in ipsius Monasterij, & illius Abbatis praeiudicium, & Diuini cultus detrimentum, ac hominum eiusdem Ciuitatis scandalum, & animarum praeiudicium. Quamobrem Nos volentes, vt par est, eiusdem Monasterij iuribus, ac diuino cultui prouidere, fundatorumque animarum saluti, quantum in Nobis est, succurrere; tuis in hâc parte supplicationibus inclinati, tibi, & pro tempore existenti eiusdem Monasterij Abbati, praefatos Cappellanos, qui absque cõfirmatione, seu institutione huiusmodi, aut alio canonico titulo, in praedictis se ingerere, & iuxta fundationem, ac alias, vt tenentur per se, vel alios celebrare, & inseruire, neglexerint, per censuras ecclesiasticas, ac etiam priuationis dictarum Cappellaniarum, & pecuniarias, tuo, & illorum respectiuè arbitrio imponendas, & applicandas poenas, ad infra aliquem competentem tuo arbitrio perentoriũ illis statuendum terminum, ad confirmationem, vel institutionem huiusmodi accipiendam, seu alium canonicum titulum ostendendum, vel legitimas causas quare ad id non teneantur allegandum, monendi, necnon eos ad seruitium dictarum Cappellaniarum, prout ex illarum fundatione, vel alias tenentur, cogendi, & compellendi, ac Cappellanos praedictos, omnesque quorum interest citandi, & illis etiam sub censuris, & poenis praedictis inhibendi, ac in euentum non paritionis, eos dictas censuras, & poenas incidisse declarandi; illasque etiam iteratis vicibus, legitimis super his habendis seruatis processibus aggrauandi, inter dictum Ecclesiasticum apponendi, & si opus fuerit auxilium brachij saecularis inuocandi, omniaque alia in praemissis opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam per praesentes concedimus facultatem. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papae VIII. Praedecessoris Nostri de vnâ, ac Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres quis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, ac alijs cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & prouincialibus, priuilegijs, indultis, statutis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis, caeterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die 1. Februarij 1545. Pontificatus Nostri Anno vndecimo.

## CONSTITVTIO CLXVIII.

### SVMMARIVM.

1546. *Aug.* 12.

### PAVLVS PAPA III.

*Imponit duas decimas super fructibus Beneficiorum, & Monasteriorum, praecipuè Congregationis Casinensis, caeterorumque Regularium, pro bello contra Haereticos.*

*Ex Bullario Roman. Pauli III. Constit. 49.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ad intolerabiles impensas, & onera, quas vsque ab ipso Pontificatus Nostri initio, tùm pro resistendo conatibus Turcarum Tyranni, qui Christianos omnes suo impio dominatui subijcere moliebatur, tum pro Christi Fidei, & Romanae Ecclesiae vnitate, & auctoritate, ab impiorum morsibus eas scindere, & lacerare nitentium, defendendis, & ad pristinam integritatem, & dignitatem restituendis, subire coacti fuimus, & cogimur; hoc amplius oneris in praesentiarum accessit, quod cum haereses, quae in Germaniâ iam diu pullularunt, & ex quibus tot, & tanta mala, & ruinae euenerunt, quot, & quanta animus meminisse perhorrescit; non Oecumenici Cõcilij, à Nobis indicti auctoritate, per quam eas omninò extingui putabamus, non innumeris alijs remedijs, quibus aduersus illas, frustra, propter ipsorum Haereticorum obstinationem, & duri-

duritiem, vsi sumus sedari posse cognosceremus, & hoc vnum superesset remedium, vt res armis ageretur, remedium ipsum, ne quid medicinæ à Nobis ad hunc morbum curandũ ommissum esse videretur, adhibendum, & pia arma sumenda esse duximus. Iamque ad hoc Dilectum Filium Nostrum Alexandrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium Cardinalem Farnesium de Latere Legatum, cum non medioeri exercitù, in ipsam Germaniam ad Charissimum in Christo Filium Nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, qui sanctissimam prouinciam debellandi eos, per quos ipsæ hæreses nutriuntur, & coalescunt, non minus pio, quam forti animo suscepit, destinauimus, vt finis quandoque tantis malis imponatur; quod diuinâ confisi bonitate, quæ gregem suum diutiùs hoc morbo afflictari non finet, feliciter euenturum speramus. Cùm autem non solùm difficile, sed impossibile sit, vt impensæ, quæ pro tãto exercitu substentando necessariæ sunt, ex Apostolicæ Sedis facultatibus, quæ, supra quam credi possit, imminutæ sunt, & exhaustæ, perferantur. Considerantesque, ex debellatione ipsorum Hæreticorum, pacem, tranquillitatem, & commoda cunctis Christianis, præsertim Ecclesiastici ordinis parari, æquum iudicamus, & necessarium, vt Ecclesiasticæ personæ in supportatione tanti oneris, eorũ Ecclesiasticis prouentibus contribuant, & hoc pium opus adiuuent, quod eas libentèr facturas, pro earum pietate, & rei necessitate, firmitèr tenemus. Hâc igitur ratione, & necessitate ducti, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, duas integras Decimas, omnium, & singulorum fructuum, redditLuum, & prouentuum Ecclesiasticorum, distributionumque quotidianarum in fructibus certis consistentium, veri annui valoris, secundum communem æstimationem arbitrandi, quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, ac Patriarchalium, aliarumque Ecclesiasticarũ, necnon Monasteriorũ, Prioratuum, Præceptoriarum, Præposituratum, Præpositatuum Dignitatum, Personatuum, Administrationũ, & Officiorum, ac Canonicatuum, & Præbendarum, Massarum communium, cœterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac Hospitalium bona, pro vsu hospitalitatis minimè applicata, aliorumq; piorum locorum cum curâ, & sine curâ, sæcularium, ac etiam Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cistercien. Cluniacen. Cartusien. Camaldulen. Vallis vmbrosæ, Humiliatorum, Præmonstraten. Cruciferorum, S. Hieronymi, & aliorum quorumuis Ordinum, necnon Casinensis, aliàs S. Iustinæ, Montis Oliueti, S. Saluatoris, & Lateranen. aliarumque Congregationum Regularium, necnon Beatæ Mariæ Theutonicorum, & Sancti Lazari, & aliarum quarumuis militiarum, tàm virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, ex priuilegio, vel aliàs bona immobilia, seu certos redditus habentium in vniuersâ Italiâ vbilibèt, & in Regno Siciliæ vltrà Pharum, ac Insulis Sardinię, & Corsicę consistentium ac singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs Electis Administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Prelatis, Capitulis, Conuentibus, Clero, & personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Regularibus, ex priuilegio, vel aliàs bona stabilia possidentibus, aut certos redditus percipientibus, pro bonis, & redditibus eisdem, exemptis, & non exemptis (S.R.E. Cardinalibus, qui assiduè pro his, & alijs grauibus causis vniuersam Christianitatem tangentibus, Nobiscum laborant, ac Prioribus, & Fratribus domorum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui se, & sua, contra hostes Christianę Fidei iugitèr exponunt, quoad Pręceptorias, & loca dicti Hospitalis, necnon Hospitalibus hospitalitatem seruantibus, dumtaxat exceptis) fructus redditus, & prouentus huiusmodi in Italiâ, & in Regno, & Insulis predictis habentibus, & percipientibus, etiam quantumcumque priuilegiatis in terminis, ac locis, ac modis, & formis, per Dilectum Filium Guidonem Ascanium S. Eustachij, Diaconum Cardinalem de Sanctà Florà nuncupatum Camerarium Nostrum, quem dictarum Decimarum, cum plenâ, liberà, & omnimodà facultate, Subcollectores, Commissarios, quotquot sibi necessarij videbuntur, pro celeriori illarum exactione constituendi, & deputandi, eosque totiès, quotiès opus fuerit, amouendi, ac cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Capitulis, Conuentibus, Clero, & personis prefatis desuper concordandi, & componendi, soluentesque quietandi, & liberandi; & generalitèr omnia, & singula alia in premissis necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, Commissarium, & Collectorem Nostrum generalem, facimus, constituimus, deputamus statuendis, & declarandis, & persoluendis, ac per subcollectores, & Commissarios, per ipsum Guidonem Ascanium Cardinalem, & Camerarium, deputandos huiusmodi exigendas, & leuandas imponimus, & impositas esse; ipsosque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Electos, Administratores, Abbates, Priores, Præceptores, Præpositos, Prælatos, Capitula, Conuẽtus, Clerum, & personas Ecclesiasticas ad decimarum earundẽ solutionem, iuxtà illarum impositionem huiusmodi efficacitèr obligatos fore; & ad illarum solutionem censuris, & pœnis Ecclesiasticis, etiam interdicti appositione, ac omnibus alijs iuris, & facti remedijs cogi, & compelli posse; ac omnes, & singulos Pensionarios, seu eos quibus, loco pensionum fructus Ecclesiastici in totum, vel in partem, reseruati sint, cuiuscunque conditionis existãt (Cardinalibus præfatis, ac alijs quibus super fructibus, redditibus, & prouentibus Præceptoriarum, vel aliorum locorum dicti Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani pensiones huiusmodi seruatæ fuerint, exceptis) ad huiusmodi duarum decimarum solutionem in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illæ eis nominatim, specialitèr, & expresè impositæ fuissent, clausulis, ac decretis in litteris Apostolicis reseruationum pensionum huiusmodi appositis, etiam quod dictæ pensiones ab omni decimâ, subsidio, etiam charitatiuo, & quouis alio onere, tã ordinario quam extraordinario, quàuis auctoritate, etiam Apostolicâ, etiam pro expeditione contra Turcas, & Infideles alios, aut Reipublicæ Christianæ ab illorum conatibus, quâuis defensione, ac etiam pro recuperatione Terræ Sanctæ, seu Fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel pro aliâ necessitate, etiam sæculari instantiâ, etiam, seu quâcunque aliâ causâ à Romano Pontifice pro tempore existente, etiam Motù simili, & ex certâ scientiâ, etiam super pensionibus ipsis imposito, & imponendo exemptæ sint, disponentibus, nequaquam obstantibus, etiam si pensiones huiusmodi soluere debentes, ad solutionem ipsarum pensionum, etiam in formâ Cameræ Apostolicæ, etiam cum iuramento, susceptione censurarum, & alijs vinculis obligati fuerint, pro ratâ pensionum, & fructuum reseruatorum huiusmodi teneri, & adstrictos esse, & si pensiones, seu fructus reseruati huiusmodi, exemptæ, seu exempti fuerint, Prælatos

latos

latos, seu Rectores Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Beneficiorum, super quorum fructibus pensiones reseruatæ fuerint, nisi pro ratà pensionum, & fructuum reseruatorum huiusmodi teneri, & adstrictos esse, & si pensiones, seu fructus reseruati huiusmodi, exemptæ, seu exempti fuerint, Prælatos, seu Rectores Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Beneficiorum, super quorum fructibus pensiones reseruatæ, seu quorum fructus reseruati fuerint, nisi pro ratà, seu parte fructuum, quibus potiuntur, & gaudent grauari non posse. Pro pensionibus verò, seu fructuum reseruationibus nõ exemptis, ipsos Titulares pro Pensionarijs, seu quibus fructus sunt reseruati, si forsan ipsi essent in morà, satisfacere posse, & debere ac liberè postmodum, sua proprià auctoritate, penès, seu pro se, totum illud, quod pro ipsis Pensionarijs, seu pro eis, quibus fructus huiusmodi sunt reseruati, retinere posse decernimus, & declaramus. Dantes plenam, & omnimodam facultatem Collectoribus, & Subcollectoribus per dictum Guidonem Ascanium Cardinalem, & Camerarium, vt præfertur, deputandis, qui si in dignitate Ecclesiasticà constituti fuerint illos, quos ex defectù non factæ solutionis huiusmodi dumtaxat, suspensionis, aut interdicti sententias, vel pœnas incurrere fortasse contigerit, ab eisdem, post satisfactionem factam, absoluendi, & cum eis super irregularitate, si quam sic ligati Missas, & alia Diuina Officia, nõ tamen in contemptum clauium, celebrando, seu illis se immiscendo, contraxerint, dispensandi. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, & Militiarum, ac Capitulorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicà, vel quàuis firmitate alià roboratis, statutis stabilimentis, vsibus, & naturis; necnõ quibusuis priuilegijs, indultis, exemptionibus, immunitatibus, & litteris Apostolicis, quibusuis (non tamen Prælatis in Concilio Tridentino residentibus) etiam dignitatibus Capitulis, & Conuentibus, ac singulis supradictis Ordinibus, & Congregationibus generalitèr, vel specialitèr sub quâcunque formâ, & verborum expressione, etiam à Nobis, & dictà Sede concessis; quibus omnibus, ac litteris reseruationum pensionum, & fructuum huiusmodi, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, & in eis caueatur expressè quod per huiusmodi generales clausulas, etiam specialem mentionem importantes, eis derogatum non censeretur, nec derogari videretur, nisi sub certis modo, & formà in eis expressis, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, hâc vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communitèr vel diuisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad similium decimarum solutionem non teneantur, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus, & Apostolicà auctoritate præfatà decernimus, quod illarũ trãsumptis; manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo dicti Guidoni Ascanij Cardinalis, & Camerarij, aut alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate ecclesiasticà constitutæ munitis, ea prorsus fides in iudicio, & extra in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ factionis, constitutionis, deputationis, impositionis, decreti, declarationis, dationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Sexto, Pridie Idus Augusti, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo: A. Nunnez.

## CONSTITVTIO CLXIX.

### SVMMARIVM.

1546. Octob. 23.

### PAVLVS PAPA III.

*Pensionarios Congregationis Casinensis, aliorumq; Regularium, quantumuis priuilegiatos, & per speciales clausulas exẽptos (S.R.E. Cardinalibus, & Militibus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani exceptis) ad ratã Impositionum Sedis Apostolicæ soluendarum, compellendos; eamdemq; ratam prædictæ Congregationi, ac Regularibus minuendam fore, constituit.*

*Ex impresso.*

PAVLVS Papa III. Ad futuram rei memoriam. Æquum esse censemus, vt ij, qui in vno grauantur, in alio releuentur, & onera, quæ omnes tangunt, ab omnibus æquis portionibus supportentur. Dudum siquidem, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; necnon Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, pro nonnullis Nostris, & Orthodoxę Fidei, vrgentissimis necessitatibus, vnum vnius decimæ, iuxta verum annuum valorem omnium, & singulorum fructuum, redditũum, & prouentuum, quarumcumq; Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium, ac Collegiatarum, necnon Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, ac Hospitalium, & piorum locorum, necnon quorumcunq; aliorum Beneficiorum, Ecclesiasticorum, cum curâ, & sine curâ, sæcularium, vtcunq; qualificatorum, & nuncupatorum, ac aliud, Subsidia quartæ partis veri annui valoris, secundum communem existimationem arbitrandi, omnium, & singulorum fructuum, redditũum, & prouentuum quorumcunq; Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, & Beneficiorum Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, & Montis Oliueti, ac Camaldulensis S. Benedicti, necnon Tusciæ, & Lombardiæ Cisterciensis, Lateranensis, & S. Saluatoris, aliarumq; Congregationum S. Augustini, & Vallis Vmbrosæ, & Carthusiensis, & Humiliatorum, necnon S. Hieronymi, ac aliorum Ordinum quorumcunq; etiam Mendicantium, in Italiâ vbilibet, etiam in Regno Siciliæ vltra Pharum existeñ. ab omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchis, Capitulis, Collegijs, Massis, Communibus, Vniuersitatibus, Rectoribus, & Administratoribus, alijsq; personis Ecclesiasticis, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Commendatarijs, Conuentibus, & personis Congregationum, & Ordinum prædictorum, etiam quomodolibet

bet exempti, ( Cardinalibus, præfatis, & Fratribus Hospitalis Hierosolymitañ. dumtaxat exceptis, fructus, redditus, & prouentus huiusmodi, in Italiâ, & Regno prædictis respectiuè, habentibus, & habituris, cuiuscumq; præminentiæ, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existerent, annis singulis, in Festo Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, durante triennio tantum, in Romanâ Curiâ, in manibus tunc Depositarij Nostri, generalis integrè, omni exceptione cessante, persoluenda, per aliàs Nostras, sub dat. sexto Idus Martij, Pontificatus Nostri Anno decimo, confectas litteras imposuimus. Ipsosq; Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Vniuersitates, Collegia, & personas Ecclesiasticas, necnon Abbates, Priores, Præpositos, Prælatos, Commendatarios, & Conuentus, ad dictorum Subsidiorum, videlicet vnius decimæ, & quartæ partis fructuum solutionem respectiuè, iuxta illorum impositionem huiusmodi, efficacitèr obligatos fore, & ad illorum solutionem, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, etiam interdicti Ecclesiastici appositione, ac omnibus aliis iuris, & facti remedijs, cogi, & compelli posse, & dicto triennio durante, aliarum decimarum onere minimè grauari posse decreuimus, prout in eisdem litteris, quarum tenorê, ac si insereretur, præsentibus haberi volumus pro expresso, pleniùs continetur. Cum autem Nos postmodum, vrgentibus in dies maioribus necessitatibus, Subsidium quartæ partis annui valoris fructuum, redditiuum, prouentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, ac Beneficiorum, Congregationum, & Ordinum huiusmodi, in Italiâ, & Regno prædictis, vt præfertur, persoluendum, ad aliud triennium, à fine primòdicti triennij computandum, prorogauerimus, & dilecti filij Casinen. & Lateranen. ac Sancti Saluatoris Cógregationes, & Ordo Carthusien. huiusmodi, cum Thesaurario Nostro generali, super Subsidio, vt præfertur, prorogato concordauerint. Nos eosdem Casinen. & Lateranen. ac Sancti Saluatoris Congregationes, & Ordinem Carthusien. in aliquo releuare, ac eorum indemnitati consulere volentes, Motu, & scientiâ, ac de potestatis plenitudine similibus, eisdem Casinen. aliàs S. Iustinæ, & Lateranen. ac S. Saluatoris Congregationibus, & Ordini Carthusien. quod hinc ad Calendas mensis Octobris, anni Millesimi quingentesimi quadragesimi noni proximè futuri inclusiuè, aliarum decimarum onere grauari non possint, Apostolicâ auctoritate, per præsentes concedimus, & indulgemus, & vt onus Subsidij quartæ huiusmodi, vt præfertur, prorogati, per omnes, quos illud tangit, æqualitèr supportetur, quod omnes, & singuli Pensionarij, seu percipientes fructus, redditus, & prouentuus Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, & Beneficiorum huiusmodi, seu eorum partem aliquam, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, dignitatis, vel conditionis existant ( Cardinalibus præfatis, dumtaxat exceptis) etiam si ex tenore litterarũ Apostolicarum super reseruationibus pensionum, & fructuum huiusmodi, confectarum, pensiones eis assignatæ, & fructus, redditus, & prouentus, per vos percipiendi, ab omni decimâ, Subsidio, etiam charitatiuo, & quouis alio, tàm ordinario, quàm extraordinario onere, quâuis, etiam dictâ Apostolicâ auctoritate, etiam pro expeditione, tàm defensiuâ, quàm offensiuâ, contra Turcas, & alios Infideles, aut defensione Reipublicæ Christianæ, ab illorum conatibus, vel recuperatione Terræ Sanctæ, aut Fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel aliâ quâuis necessitate, seu quantumuis iusta, & inexcogitabili causâ, à Romano Pontifice pro tempore existente, etiam Motu, & scientiâ similibus, impositis, & imponendis, liberæ, immunes & exemptæ, seu liberi, immunes, & exempti sint, & esse debeant ad præstationem, & solutionem Subsidij quartæ huiusmodi, pro ratâ pensionum, seu fructuum, quas, seu quos, dicto prorogato, triennio durante, percipient omninò teneantur, & efficacitèr astricti sint, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illud eis nominatim, & expresse impositum fuisset; quodq; Prælati, seu Titulares, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, & Beneficiorum, super quorum fructibus, pensiones reseruatæ, seu quorum fructus prædicti reseruati existunt, de ratâ Pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus ipsi reseruati sunt, satisfacere, & postmodum totum illud, quod pro ipsis Pensionarijs, seu fructus, ipsos percipientibus, re ipsâ, & actu persoluerint, suâ propriâ auctoritate, ex pensionibus, seu fructibus prædictis, deducere, & defalcare, ac pro se retinere, liberè, & licitè valeant, & nihilominus Pensionarij, ac alij, fructus huiusmodi percipientes, per agentes Cameræ Apostolicæ, ad solutionem Subsidij quartæ partis pensionum, ac fructuum, quas, & quos, ipsi percipiunt respectiuè, dicto triennio durante, iuris, & facti remedijs opportunis, cogi, & compelli possint, volumus, decernimus, & declaramus. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, etiam conciliaribus constitutionibus, & ordinationibus, ac litteris Apostolicis, super reseruationibus pensionum, ac fructuum, redditiuum, & prouentuum huiusmodi, sub quibuscunq; verborum formis, & expressionibus, ac libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, ab Apostolicâ Sede concessis, & emanatis. Quibus omnibus, necnon quibusuis obligationibus, etiam in formâ eiusdem Cameræ Apostolicæ, etiam cum iuramento, & censurarum, ac mandati executiui susceptione, vel aliàs desuper factis, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda sit; etiam si in eis caueatur expresse, quod eis nullatenùs, aut nonnisi sub certis in eis expressis, modo, & formâ derogari possit, tenores huiusmodi, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxat specialitèr, & expresse derogamus; ac iuramenta, per easdem Cógregationes, & Ordinem, & illorum Prelatos, & singulares personas, seu Conuentus, in præmissis præstita, eis ad effectum premissorum tantum, relaxamus, contrarijs quibuscunque. Aut si Pensionarijs, seu fructus huiusmodi percipientibus, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad solutionem, vel præstatioñ. alicuius Subsidij, aut decimę, minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu propterea grauari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs Priuilegijs, Indulgentijs, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus, non expressa, vel totalitèr non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumq; totis tenoribus, habenda sit in Nostris litteris mentio specialis, & quę, quoad premissa, nolumus eis aliquatenùs suffragari. Cœterum, quia difficilè foret præsentes, ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferri. Volumus, &

& Apostolicâ auctoritate prædictâ decernimus, quod earumdem præsentium transumptis, manu alicuius ex dictæ Cameræ Notarijs, subscriptis, & sigillo Camerarij Nostri, vel Auditoris eiusdem Cameræ munitis, ea prorsus fides, in iudicio, & extrà, in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die 23. Octobris 1546 Pontificatus Nostri Anno duodecimo. Blo. el. Fulgin. Hie. de Tarano.

## CONSTITVTIO CLXX.

### SVMMARIVM.

*1548. Iunij 14.*

### PAVLVS PAPA III.

*Prorogat Subsidium triennale trecentorum millium scutorum, & vnius decimæ fructuum Beneficiorum sæcularium, & quartæ partis Beneficiorum Congregationis Casinensis, cæterorumque Regularium.*

*Ex Bullario Roman. Pauli III. Constit. 55.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Nouit ille qui nihil ignorat, quod à Nostrâ mente semper alienum fuit Nostros, & S.R.E. subditos, tã Ecclesiasticos, quam Sæculares oneribus extraordinarijs prægrauare; tamen vrgenti necessitate coacti fuimus pro eiusdem S.R.E. status conseruatione, & Orthodoxæ Fidei defensione illorum auxiljs vti, à quibus etiam nunc abstineremus, nisi eadem necessitas adhuc duraret. Et quia notorium esse credimus, Nos eo in statu esse, quod onera Nobis incumbentia perferre nõ possumus, absque subditorum eorundem subsidijs; speramus quod ipsi ea, quæ pro eorum, ac dictæ S. R. E. tutelâ imposuerimus, libenti animo substinebunt. Sanè cum Nos aliàs de Anno Millesimo Quingẽtesimo Quadragesimo Tertio, Pontificatus Nostri anno decimo, animaduertentes ex varijs, & extraordinarijs onerum impositionibus tunc vigentibus, nihil aliud magis euenire quã Commissariorum, & aliarum personarum cum Camerâ Apostolicâ contrahentium lucra, ac subditis ipsis innumerabiles expẽsas, ipsis forsan principalibus oneribus grauiores. Volentes in præmissis opportunè prouidere, de Venerabilium Fratrum Nostrorum dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, cum laudabili rei directione, cũctis impositionibus extraordinarijs sublatis, vnum, vnicumque Subsidium trecentorum millium scutorum per totam ditionem Ecclesiasticam pro triennio soluendum, & exigendum imposuerimus; cumque Subsidium huiusmodi spontaneâ voluntate acceptatum fuisset, & in effectu summa trecentorum millium scutorum huiusmodi ad Cameram præfatam annuatim exinde prouideri non posset, ad supplendum summæ deficienti, aliud quartæ partis fructuum à Congregationibus Regularibus Italiæ, & aliud vnius decimæ, à Sæcularibus, ac aliud etiam quartæ partis fructuum à Beneficijs Regularibus, à Congregationibus Regularibus prædictis separatis, per totam Italiam existentibus, nec non reliquum vnius vigesimæ ab Hebræis ditionis Ecclesiasticæ exigenda Subsidia, & per eos, & alios omnes ad quos spectaret, triennio durante, Cameræ Apostolicæ prædictæ, annis singulis integrè persoluendà imposuerimus; quæ quidem Subsidia quietè, & sine aliquo Commissariorum, & expensarum grauamine, maximèque subditorum, & personarum, quæ illa soluerunt cum satisfactione exacta fuerunt; & cum necessitatibus Nostris, & Apostolicæ Sedis ne dum vigentibus, quin potiùs latè crescentibus ad aliud triennium prorogata fuerint, & finis secundi triennij non longè absit; Nos necessariâ causâ cogente non possumus Subsidia prædicta ad aliud triennium non extendere, firmâ spe, fiduciâque conceptis, quod subditi, & alij, ad quos spectat, onera huiusmodi non minùs, pro eorum commoditate, quàm pro subueniendis necessitatibus prædictis, libenti animo, vt hactenus fecerunt, substinebunt. Idcirco de eorundem Cardinalium consilio, & assensu, ac Motu proprio, & ex certâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, Impositiones singulorum Subsidiorum prædictorum, necnon conuentiones cum subditis, ac Regularibus Congregationibus, nec non personis Ecclesiasticis, ac Hebræis præfatis per agentes Nostros desuper respectiuè factas, ac exactiones subsecutas, de ordine, & mandato Nostris processisse attestantes; Volumus, & mandamus, quod singula Subsidia prædictâ per aliud triennium à fine secundi dicti triennij computandum soluantur; ac per tempus huiusmodi prorogata, & extensa esse intelligantur, ac exigi, & ad dictam Cameram pro necessitatibus huiusmodi prouenire debeant, & quatenùs opus sit singularia Subsidia huiusmodi in locis, & terminis, ac sub modis, & formis, quibus in primo, ac secundo triennijs imposita, & exacta fuerunt, singulis annis exigenda, de nouo pro dicto tertio triennio imponimus, & imposita esse nunciamus. Quocirca Dilecto Filio Nostro Guidoni Ascanio Sancti Eustachij Diacono Cardinali de Sanctâ Florâ nuncupato, eiusdem Romanæ Ecclesiæ Camerario, quem vltra ordinariam sui Camerariatus officij auctoritatem, Collectorem Generalem, cum facultate tot, quot sibi necessarij videbuntur, Commissarios ad singula Subsidia prædicta exigendum deputandi, nec non quæcunque dubia declarandi, & quascunque compositiones, & concordias cum subditis, Congregationibus, personis Ecclesiasticis, ac Hebræis suprādictis, etiam de nouo si sibi videbitur faciendi, ac ordinandi, facimus, creamus, constituimus, ac deputamus per præsentes; committimus, & mandamus, quatenùs Subsidium huiusmodi iuxtà eius prouidam ordinationem exigi, & ad dictam Cameram Apostolicam peruenire faciat; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras ecclesiasticas, & pœnas, etiã pecuniarias eius arbitrio infligendas, ac interdicti, & alia opportuna iuris, & facti respectiuè remedia, appellatione postpositâ compescendo; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis; ac decernentes subditos ditionis Ecclesiasticæ, ac Congregationes, & Hebræos, ac alios prædictos ad Subsidia prædicta singulis annis, ac modis, & formis, quibus duobus in triennijs antecedentibus soluerunt, dicto tertio triennio durante integrè soluendum, omni contradictione cessante, teneri; Nec non omnes, & singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos Episcopos, Patriarchas, non tamen pro Concilij celebratione Congregatos, nec non Capitula, Collegia, Massas, Cõmunes, Vniuersitates, Rectores, & Administratores, aliasque personas Ecclesiasticas; nec nõ Abbates, Prepositos, Prælatos, Commendatarios, Conuentus, & personas Ecclesiasticas, quomodolibet qualificatas ad vnius decimæ iuxtà verum annuũ valorem omnium, & singulorum fru-

ctuum

ctuum, redditûum, & prouentuum quarumcumque Cathedralium, & Metropolitanarū,ac Patriarchalium,& Collegiatarum, Parochialiumque, & aliarum Ecclesiarum, ac Hospitalium pro bonis hospitalitati minimè applicatis,& piorum locorum, necnon quorumcunq; aliorum Beneficiorum, cum curâ,& sine curâ, sæcularium, vtcunque qualificatorum per totam Italiam huiusmodi, etiam in Regno Siciliæ, vltrà Pharum consistentium. Necnon quartæ partis veri annui valoris omnium, & singulorum fructuum, redditûum, & prouentuum quorumcunque Monasteriorum,Prioratuum, Præpositurarum,Domorum, & Beneficiorum S. Benedicti, Cistercien.S.Augustini, & quorumuis aliorum Ordinum Regularium, etiam Mendicantium à Congregationibus Regularibus supradictis separatorū, etiam in dictâ Italiâ vbilibet, vt præfertur existentium iuxta impositionem huiusmodi efficacitèr obligatos fore, & ad decimæ, & quartæ partis fructuum huiusmodi solutionem omnes, & singulos supradictos (dictæ Romanę Ecclesiæ Cardinalibus, qui ad sustinendum onera vniuersalis Ecclesiæ Nobiscum laborant,ac Fratribus Hospitalis Hierosolymitani; quo ad Beneficia dicti Hospitalis tantum, dumtaxat exceptis) censuris, & pœnis Ecclesiasticis,ac interdicti,& alijs remedijs prædictis,cogi, & compelli posse. Ac declarantes propterea, quod omnes, & singuli Pensionarij, seu ij, quibus loco pensionum fructus in totum,vel in partem reseruati sunt, cuiuscunque conditionis, vel dignitatis existant (dictis Cardinalibus exceptis) ad decimæ, & quartæ partis fructuum, tàm Congregationibus Regularibus, quàm Beneficijs Regularibus à dictis Congregationibus separatis impositarum præstationem,in omnibus,& per omnia, perinde, ac si illa eis nominatim, & expresè per præsentes imposita fuissent; clausulis, & decretis in litteris Apostolicis conseruationem pensionum,& fructuum huiusmodi appositis, etiā quod dictæ pensiones ab omni decimâ, Subsidio charitatiuo,& quouis alio onere,tā ordinario,quàm extraordinario quâuis auctoritate, etiam Apostolicâ pro expeditione, tàm defensiuâ, quàm offensiuâ contra Turcas, & alios Infideles, aut Reipublicæ Christianæ ab illorum conatibus quâuis defensione, etiam pro recuperatione Terræ Sanctæ,seu Fabricę Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,vel pro aliâ necessitate, seu inexcogitabili causâ à Romano Pontifice pro tempore existente, etiam motu proprio, & ex certâ scientia similibus imposito,vel imponendo exemptæ sint, disponentibus,nequaquam obstantibus, pro ratâ teneantur, & efficacitèr astricti sint. Quodque Prælati,seu Titulares Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum,& Beneficiorum,super quibus Pensiones, seu fructus sic reseruatæ,seu reseruati existunt, possint satisfacere ratam Pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus sunt reseruati, ac liberè postmodum sua propriâ auctoritate penès se, seu pro se retinere totum illud,quod pro ipsis Pensionarijs,seu pro eis quibus fructus huiusmodi sunt reseruati, re ipsâ,& cum effectum persoluerint, & nihilominus Pensionarios, ac eos quibus fructus huiusmodi reseruati sunt, per agentes dictæ Cameræ Apostolicæ ad solutionem Subsidij vnius,seu quartæ partis pensionum, ac fructuum reseruatorum huiusmodi respectiuè dicto tertio triennio durante, iuris, & facti remedijs opportunis cogi, & compelli posse volumus. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum,Monasteriorum,Prioratuum,Preposituratum, ac Congregationum, & Beneficiorum huiusmodi, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis,statutis, & consuetudinibus; necnon quibusuis priuilegijs, indultis, exemptionibus,etiam in corpore iuris clausis, immunitatibus, ac litteris Apostolicis eisdem Ordinibus,& Congregationibus,ac illorum locis, & personis generalitèr, vel specialitèr sub quibuscunque verborum formis, & expressionibus ab eâdem Sede concessis; quibus litteris omnibus reseruationum, pensionum, & fructuum huiusmodi, necnon quibusuis obligationibus,etiam in formâ Cameræ, cum iuramento, & censurarum,& mandati executiui susceptione, vel aliàs desuper factis, etiam si de illis,eorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quæuis aliâ expressio habenda foret, & in eis caueatur expresè, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes his non derogatum censeretur,aut derogari videretur, nisi sub certis modo, & formâ in eis expressis, tenores huiusmodi pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris,hâc vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, cœterisque contrarijs quibuscunque; Aut si Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis,Abbatibus,Prioribus, Præpositis, Prælatis, Conuentibus,Collegijs,Vniuersitatibus, & personis præfatis,vel quibusuis alijs communitèr,vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad solutionem, vel præstationem alicuius Subsidij, seu decimæ minimè teneantur,& ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu propterea grauari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibusuis alijs priuilegiis, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant,per quæ præsentibus non expressa, vel totalitèr non inserta,effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus,quorumcunq; totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis; quæ, quo ad præmissa, volumus nullatenus suffragari. Vt autem præsentes ad omnium notitiam deducantur, eas in valuis Basilicarū Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis de dictâ Vrbe affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio publicabunt, vt ij,quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut ea ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere,seu ignorantiam allegare;cum non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus extiterit publicatum. Cœterum quia difficile foret præsentes ad singula loca,in quibus expediens fuerit, deferre. Volumus, & auctoritate Apostolicâ prædictâ decernimus, quod earundem præsentium transumptis,manu alicuius ex dictæ Cameræ Apostolicæ Notarijs subscriptis,& sigillo Camerarii Nostri munitis,ea prorsus fides in iudicio,& extra in omnibus, & per omnia adhibeatur,quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ attestationis,mandati,impositionis,nunciationis, creationis, constitutionis,deputationis,voluntati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quadragesimo octauo,decimo Cal.Iulij Pontif. Nostri Anno 14.

Ego PAVLVS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

*Signum Pauli Papæ III.*

CONFIRMA HOC DEVS, QVOD OPERATVS ES IN NOBIS.

Ego Joannes Dom. Episc. Ostien. Card. Tran. subscripsi. Ego Io. Cardinalis Bellaius. Ego R. Cardinalis de Carpo. Ego R. Cardinalis de Lenoncourt. Ego G. Cardinalis Cortesius. Ego Georgius Cardinalis Armigniacus. Ego Fed. Cardinalis Cæsius. Ego B. Cardinalis de la Cueua. Ego Iac. Cardinalis Danebault. Ego M. Cardinalis de Sancta Cruce. Ego V. Cardinalis de Gambara. Ego A. Cardinalis de Mendoza. Ego B. Cardinalis Guidiccionus. Ego M. Cardinalis de Sylua. Ego M. Cardinalis Crescentius. Ego A. Cardinalis de Farnesio Vicecancell. Ego G. Ascanius Sfortia Card. Camerarius. Ego A Cardinalis Cornelius. Ego Hier. Cardinalis S. Georgii. Julius de Grandis. A. Lalata.

## CONSTITVTIO CLXXI.

### SVMMARIVM.

*1551. Martij 16.*

### IVLIVS PAPA III.

*Prorogat Subsidium triennale trecentum millium scutorum, & quartæ partis fructuum Beneficiorum, & Monasteriorum, etiam Congregationis Casinensis, cæterorumque Regularium, ad aliud triennium, computandum a fine vltimi triennij.*

*Ex Bullario Roman. Iulij III. Constit. 22.*

IVLIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ab initio Nostri huius Pontificatus, Nobis, licet immeritis, Diuinâ prouidentiâ commissi, nihil æque optauimus, quam vt per temporis conditionem liceret Nobis subditos Nostros extraordinarijs oneribus eis catenùs impositis leuare, idemque clarè ostendimus, diuersa ex oneribus huiusmodi, præsertim in hâc Almâ Vrbe Nostrâ tollendo, & abrogando. Verum cum omnibus ferè ordinarijs Cameræ Nostræ Apostolicæ prouentibus per prædecessores Nostros alienatis, & ærario ipsius Cameræ, propter malas temporum condictiones nõ solum attrito, sed penitùs exhausto, non habeamus vnde molem expensarum, quæ pro Orthodoxę Fidei defensione, & status S. R. E. conseruatione Nobis in dies ineuitabilitèr subeunda sunt, sufferre possimus, votum, consiliumque Nostrum mutare, & impositionem Subsidij triennalis, dudum ad certum tunc expressum tempus factam, & deinde vsque ad Calmensis Maij proximè futuri prorogatam, in aliud tempus prorogare, & extendere cogimur ne impositione prædictâ per lapsum temporis extinctâ cogamur omnia onera extraordinaria pro ea sublata, de nouo imponere, cum maximâ subditorum Nostrorum iacturâ, & perturbatione. Cum itaque aliàs, de anno videlicet millesimo quingentesimo quadragemo tertio proximè præterito Fe. re. Paulus Papa III. prædecessor Noster animaduertens ex varijs, & extraordinarijs onerum impositionibus tunc vigentibus, nihil aliud magis euenire, quam Commissariorum, & aliarum personarum cum Camerâ Apostolicâ contrahentium lucra, ac subditis ipsis innumerabiles expensas, ipsis forsan principalibus oneribus grauiores; volens in premissis opportunè prouidere, de Fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, cum laudabili rei directione, cunctis impositionibus extraordinarijs sublatis, vnum, vnicumque Subsidium trecentorum millium scutorum per totam ditionem Ecclesiasticam pro triennio soluendum, & exigendum imposuerit, & cum Subsidium huiusmodi spontaneâ subditorum voluntate acceptatum fuisset, & ex eo summa trecentorum millium scutorum huiusmodi ad Cameram præfatam annuatim peruenire non posset, ad supplendum summæ deficienti, aliud quartæ, partis fructuum â Cõgregationibus Regularibus Italiæ, & aliud vnius decimæ â sæcularibus, ac aliud etiam quartæ partis fructuũ Beneficiorũ ecclesiasticorũ à Regularibus personis ab eisdẽ Congregationibus separatis per totã Italiam existentibus, nec non reliquum ex tunc vnius vigesimæ ab Hæbreis ditionis Ecclesiasticæ, exigenda, & per eos, ac omnes alios ad quos spectabat, triennio durante, dictæ Cameræ Apostolicæ, annis singulis integrè persoluenda Subsidia etiã imposuerit, & Subsidia huiusmodi ad aliud primò, & deinde ad reliquũ, ex tunc immediatè subsecuta triennia prorogauerit, prout in diuersis ipsius prędecessoris desuper confectis litteris pleniùs continetur; ipsaque subsidia quietè, & sine aliquo Commmissariorum, & expensarum grauamine, & cum maximâ subditorum, & personarum, quæ illa soluerunt satisfactione, exacta fuerint. Nos confidentes subditos, & Congregationes, ac Hebræos præfatos ex notorietate Nostrarum, & dictæ Sedis necessitatum, onus subditorum tangentium, vt antea fecerunt, libenti animo subituros; habitâ desuper cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione maturâ, de eorum vnanimi consilio, & assensu, trecentorum millium scutorum, his modo, & formâ, quibus vltimo loco exactum fuit, & quartæ partis fructuum Congregationum Regularium Italiæ, ac vigesimæ Hebræorum ditionis Ecclesiasticæ subditorum, impositiones huiusmodi, nec non conuentiones desuper cum eisdem subditis, per Nostros, seu ipsius prædecessoris agentes, super præmissis factas, & initas, earum, ac omnium, & singularum superindè confectarum scripturarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, ad aliud triennium, à fine vltimòdicti triennii computandum, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, extendimus, & prorogamus, ac extensas, & prorogatas; necnon trecentorum millium, iuxtà conuentiones prædictas, & quartæ partis fructuum Congregationum, ac vigesimæ Hebræorum huiusmodi Subsiddia integrè, & iuxtà verum eorum valorem ad vltimòdictum triennium, vt prefertur computandum solui, & exigi, ac ad Cameram prędictam pro necessitatibus huiusmodi peruenire debere decernimus, & quatenùs opus sit, singula vltimò dicta Subsidia in locis, & terminis, ac sub modis, & formis prædictis, singulis annis exigenda, pro vltimòdicto triennio, de nouo imponimus, & imposita esse decernimus. Quocirca Dilecto Filio Guidoni Ascanio S. Eustachij Diacono Cardinali de Sanctâ Florâ Camerario Nostro, quem vltra ordinariam sui Camerariatus officij auctoritatem, Subsidiorum huiusmodi Collectorem generalẽ, cum facultate tot quot sibi necessarij videbũtur Commissarios ad singula

gula vltimòdicta Subsidia exigendum deputandi, necnon quæcunque dubia declarandi, & quascunque compositiones, & concordias cum subditis, Congregationibus,& Hebræis supradictis, & de nouo,si sibi videbitur faciendi, & ordinandi constituimus,& deputamus,per præsentes; committimus, & mandamus, quatenùs vltimòdicta Subsidia, iuxtà eius prouidam ordinationem exigi, & ad dictam Cameram Apostolicam peruenire faciat. Contradictores quoslibet,& rebelles per censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias eius arbitrio infligendas,& applicandas, ac impositionem interdicti,aliaq;opportuna iuris,& facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Decernentes subditos, ac Congregationes, & Hebræos prædictos ad vltimòdicta Subsidia singulis annis, ac modis, & formis præmissis vltimòdicto triennio durante integrè soluendum, omni contradictione cessante, teneri. Ac declarantes quod omnes, & singuli Pensionarij Congregationum earundem, seu ij, quibus loco pensionum, fructus Congregationum huiusmodi in toto, vel in parte reseruati sunt,cuiuscunque conditionis, vel dignitatis exiſtāt, Cardinalibus prædictis, & Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Tridenti pro celebratione Concilij congregatis;necnon Fratribus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, ac Subsidij quartæ partis fructuū huiusmodi appositis,& quod pensiones,& fructus huiusmodi ab omni decimâ,Subsidio charitatiuo,& quouis alio onere, tàm ordinario, quàm extraordinario, quâuis,etiam Apostolicâ auctoritate, etiam pro expeditione,tàm defensiuâ, quàm offensiuâ contra Turcas,& alios Infideles, aut Reipublicæ Christianæ ab illorum conatibus quâuis defensione,ac etiam pro recuperatione Terre Sanctæ,seu Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel pro aliâ necessitate, seu in excogitabili causâ à Romano Pontifice pro tempore existente, etiam motu,& scientiâ similibus,imposito,vel imponēdo, exempti sint, disponentibus, nequaquam obstantibus,pro ratâ teneantur, & efficacitèr astricti sint. Quodque Congregatione ipsæ super quarum fructibus pensiones, seu quarum fructus sic assignati, seu reseruati existunt,possint satisfacere ratam Pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus sunt reseruati,ac liberè postmodum suâ propriâ auctoritate penès se, seu pro se retinere totum illud, quod pro ipsis Pensionarijs, seu pro eis quibus fructus huiusmodi sunt reseruati,re ipsâ, & cum effectu persoluerint, & nihilominus Pensionarios, ac eos, quibus fructus huiusmodi reseruati sunt, per Agentes dictæ Cameræ Apostolicæ ad solutionem quartæ partis Pensionum, ac fructuum reseruatorum huiusmodi respectiuè vltimòdicto triennio durante, iuris,& facti remedijs opportunis cogi, & compelli posse volumus. Non obstantibus præmissis,ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,necnon Congregationum, & illarum Ordinum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac quibusuis priuilegijs, indultis, & exemptionibus,ac etiam in corpore iuris clausis immunitatibus, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus,& Congregationibus,ac illorum locis, & personis generalitèr, vel specialitèr, sub quibuscunque verborum formis, & expressionibus ab eâdem Sede concessis. Quibus, & litteris Apostolicis reseruationum Pensionum, ac fructuum huiusmodi, nec non quibusuis obligationibus, etiam in formâ Cameræ,cum iuramento, & censurarum, ac mandati executiui susceptione,vel aliàs desuper factis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quæuis alia expressio habenda sit,& in eis caueatur expressè, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes,eis derogatum non censeantur,nec derogari videatur,nisi sub certis modo,& formâ in eis expressis,tenores huiusmodi pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr,& expressè derogamus, contrariis quibuscunque; aut si Pensionarijs, vel alijs percipientibus fructus Congregationum huiusmodi, ac ipsis Congregationibus,& Ordinibus, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum,quod ad solutionem, vel præstationem alicuius Subsidij minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici,suspendi,vel excommunicari,seu propterea grauari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam,& expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs,indultis, & litteris Apostolicis generalibus,vel specialibus, quorumcunque tenorum existant,per quæ præsentibus non expressa, vel totalitèr non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet,vel differri; & de quibus,quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis, quæ,quoad præmissa, volumus nullatenùs suffragari. Vt autem præsentes ad omnium notitiam deducantur, eas in valuis Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis de dictâ Vrbe affigi, seu appendi faciemus, quæ eas suo quasi sonoro præconio publicabunt, vt ij, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non peruenerint,aut ea ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare; cùm non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tam patentèr omnibus extitit publicatum. Cæterum,quia difficile foret præsentes ad singula loca in quibus expediens fuerit deferre. Volumus, & auctoritate Apostolicâ prædictâ decernimus,quod earundem præsentium transumptis, manu alicuius ex dictæ Cameræ Apostolicæ Notariis subscriptis, & sigillo Camerarij Nostri munitis, ea prorsus fides in iudicio, & extrà in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ extensionis,prorogationis, impositionis, constitutionis,deputationis, commissionis, mandati, declarationis, derogationis, voluntatum, & decretorum infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ,Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, decimo septimo calendas Aprilis,Pontificatus Nostri Anno Tertio. Tempus.

## CONSTITVTIO CLXXII.

### *SVMMARIVM.*

1554. *Maij* 8.

### IVLIVS PAPA III.

*Facultatem dispensandi Monachos Congregationis Casinensis à quibuscunque Irregularitatibus, etiam ab homicidio voluntario, & absoluendi à Casibus, & cen-*

*Censuris, etiam in Bulla Cœnæ Domini comprehensis, concedit.*

*Ex Arch.S.Bened.de Padolyr. Arm.I. Capſ.I.n.90.*

IOANNES, Miſeratione Diuinâ, Tituli Sancti Laurentij in Lucinâ Sanctę Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Moronus nuncupatus Viceprotector Congregationis Caſinenſis, aliàs Sanctæ Iuſtinæ de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti. Vniuerſis, & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, viſuris, & auditũris, Notũ facimus, & atteſtamur, qualitèr Sanctiſsimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus Iulius diuinâ prouidentiâ Papa III. Viuæ vocis oraculo nobis facto, eidem Congregationi, ac illius Abbatibus, & Prælatis, & cuilibet ipſorum, omnes Monachos, tàm nunc profeſſos Congregationis prædictæ, quàm profitendos, ac habitum eiuſdem Ordinis ſuſcipere volentes, & in eâ perſeuerantes, alioſque Commiſſos, & Oblatos, qui ex quâcunque causâ Irregularitatem, ſeu aliam pœnam, & crimen, etiam ob homicidium voluntarium, aut aliud delictum, etiam de comprehenſis in litteris Cœnæ Domini per ipſos, ſeu aliquem ipſorum commiſſa, perpetrata, & appenſata quomodolibet incurrerint, ab eâdem Irregularitate, & alijs, in præmiſſis omnibus, & ſingulis facultatem abſoluendi conceſſit, & indulſit. Quæ quidem abſolutio valeat, & efficax ſit, modo permaneant vſque ad mortem in habitu, & profeſſione prædictis. In quorũ omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras manu noſtrâ propriâ ſubſcriptas exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigilliique Noſtri, quo in talibus vtimur iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione duodecimâ, die verò nonâ Menſis Maij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Iulij diuinâ prouidentiâ Papæ Tertij, Anno quinto. Ioannes Cardinalis Moronus. Philippus Egerius Secretarius.

## CONSTITVTIO CLXXIII.

### SVMMARIVM.

1555. Aprilis 18.

## MARCELLVS PAPA II.

*Subſidium triennale trecentorum millium Scutorum, ac Decimarum, ſuper fructibus Beneficiorum, & Monaſteriorum, etiam Congregationis Caſinenſis, cæterorumque Regularium prorogat ad triennium, & deinde ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ.*

*Ex Bullario Roman. Marcelli II. Conſt. 1.*

MARCELLVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. His proximis diebus, quibus fel.record. Iulius Papa III. Prędeceſſor Noſter ſicut Domino placuit rebus eſt humanis exemptus, Camera Apoſtolica ea in egeſtate reperta fuit, vt neque ipſius Prædeceſſoris exequiæ modo ſolito, neque Conclauis expenſæ commodè fieri potuerint, quinimmo ad eas ſatis remiſsè faciendas, oportuerit multum æs alienum cum graui ipſius Cameræ iactura contrahere. Verum, cum ex ordinarijs, eiuſdem Cameræ redditibus huiuſmodi diſſolui, & moles expenſarum, quæ pro Orthodoxæ Fidei defenſione, & ſtatus S.R.E. conſeruatione Nobis in dies ſubeundæ ſunt, ſuſtineri nequeant, cogimur ad ſolita præfatæ Cameræ Subſidia, præter mentis Noſtræ inſtitutum recurrere. Cum itaque aliàs, de anno videlicet Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio proximè præterito, piæ memoriæ Paulus Papa Tertius, etiam Prædeceſſor Noſter animaduertens ex varijs, & extraordinarijs onerum impoſitionibus, tunc vigentibus, nihil aliud magis euenire, quàm Commiſſariorum, & aliarum perſonarum cum Camerâ Apoſtolicâ contrahentium lucra, ac ſubditis ipſis innumerabiles expenſas, ipſis forſan principalibus oneribus, grauiores. Volens in præmiſſis opportunè prouidere, de Fratrum ſuorum, de quorum numero tunc eramus, conſilio cum laudabili rei directione, cunctis impoſitionibus extraordinarijs ſublatis, vnum, vnicumque Subſidium trecentorum millium ſcutorum per totam ditionem Eccleſiaſticam pro triennio ſoluendum, & exigendum impoſuerit; & cum Subſidium huiuſmodi ſpontaneâ ſubditorum voluntate acceptatum fuiſſet, & ex eo ſumma trecentorum millium ſcutorum huiuſmodi ad Cameram præfatam annuatim peruenire non poſſet, ad ſupplendum ſummæ deficienti, aliud quartæ partis fructuum à Congregationibus Regularibus Italię, & aliud vnius decimę à ſæcularibus, ac aliud etiam quartæ partis fructuũ Eccleſiaſticorum à Regularibus perſonis ab eiſdem Congregationibus ſeparatis per totam Italiam exiſtentibus, necnon reliquum vnius vigeſimæ ab Hebræis ditionis Eccleſiaſticæ exigenda, & per eos, ac omnes alios ad quos ſpectabat, triennio durante, dictæ Cameræ Apoſtolicę annis ſingulis integrè perſoluenda Subſidia, etiam impoſuerit. Et Subſidia, huiuſmodi Paulus, primo ad duo ſucceſſiuè, & deinde Iulius Prædeceſſor prefati ad reliquum ex tunc immediatè ſubſecuta triennia prorogauerint; prout in diuerſis ipſorum Prædeceſſorum deſuper confectis litteris pleniùs continetur, ipſaque Subſidia, quietè, & ſine aliquo Commiſſariorum, & expenſarum grauamine, & cum maximâ ſubditorum ſatisfactione exacta fuerint. Nos confidentes ſubditos, & Congregationes, ac Hebræos præfatos ex notorietate Noſtrarum, & dictæ Sedis neceſſitatum onus Subſidiorum eos tangentium, vt antea fecerunt, libenti animo ſubituros, trecentorum millium ſcutorum his modo, & formâ, quibus vltimo loco exactum fuit, & quartæ partis fructuum Congregationum Regularium Italiæ, ac vigeſimæ Hebręorum ditionis Eccleſiaſticæ Subſidiorum impoſitiones huiuſmodi; necnon conuentiones deſuper cum eiſdem ſubditis per ipſorum Prędeceſſorum agentes ſuper præmiſſis factas, & initas, earum ac omnium & ſingularum ſuperinde confectorum ſcripturarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ad aliud triennium à fine vltimodicti triennij computandum, & deinde neceſſitatibus Noſtris prædictis durantibus ad Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentiũ extendimus, & prorogamus, ac extenſas, & prorogatas, necnon trecentorum millium, iuxtà conuentiones prædictas, & quartæ partis fructuum Congregationum, ac vigeſima Hebræorum huiuſmodi Subſidia integrè & iuxtà verum eorum valorem ad vlti-

vltimòdictum triennium, vt præfertur, computandum solui, & exigi, ac ad Cameram prædictam pro necessitatibus huiusmodi peruenire debere decernimus, & quatenùs opus sit, singula vltimòdicta Subsidia in locis, & terminis, ac sub modis, & formis prædictis, singulis annis exigenda, pro vltimòdicto triennio, & ad beneplacitum huiusmodi de nouo imponimus, & imposita esse decernimus. Quocirca Dilecto Filio Guidoni Ascanio, S. Mariæ in Vià latà Diacono Cardinali de Sanctâ Florâ nuncupato Camerario Nostro (quem vltrà ordinariam sui Camerariatus officij auctoritate Subsidiorum huiusmodi Collectorem generalem, cum facultate tot, quot sibi videbuntur necessarij, Commissarios ad singula vltimòdicta Subsidia exigendum deputandi, necnon quæcunque dubia declarandi, & quascunque compositiones, & concordias cum singulis Congregationibus, & Hebræis supradictis, etiam de nouo, si sibi videbitur faciendi, & ordinandi, constituimus, & deputamus) per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs vltimòdicta Subsidia, iuxtà eius prouidam ordinationem exigi, & ad dictam Cameram Apostolicam peruenire faciat; Cõtradictores quoslibet, & rebelles, per censuras ecclesiasticas, & pœnas, etiam pecuniarias eius arbitrio infligendas, & applicandas, ac appositionem interdicti, aliàque opportunâ iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis Decernentes subditos, ac Congregationes, & Hebręos prædictos ad vltimòdicta Subsidia singulis annis, ac modis, & formis præmissis vltimòdicto triennio, & beneplacito huiusmodi durantibus integrè soluendum, omni contradictione cessante, teneri. Ac declarantes, quod omnes, & singuli Pensionarij Congregationum huiusmodi in toto, vel in parte reseruati sunt, cuiuscunque conditionis, vel dignitatis existant (S.R.E. Cardinalibus, & dilectis filijs Fratribus Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, duntaxat exceptis) ad Subsidij quartæ partis fructuum huiusmodi præstationem, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illa eis nominatim, & expresè per præsentes imposita fuissent, clausulis, & decretis in litteris Apostolicis reseruationum, pensionum, & fructuum huiusmodi appositis, etiam quod pensiones, & fructus huiusmodi ab omni decima, Subsidio charitatiuo, & quouis alio onere, tàm ordinario, quàm extraordinario, quàuis, etiam Apostolicâ auctoritate, & pro expeditione, tàm defensiuâ, quàm offensiuâ contra Turcas, & alios Infideles, aut Reipublicæ Christianæ ab illorum conatibus, quàuis defensione, ac etiam pro recuperatione Terræ Sanctæ, seu Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel pro aliâ necessitate, seu inexcogitabili causâ à Romano Pontifice pro tempore existente, etiam motu, & scientiâ similibus impositis, vel imponendis exempti sint, disponentibus, nequaquam obstantibus pro ratâ teneatur, & efficacitèr astricti sint. Quodque Congregationes ipsæ, super quarum fructibus, pensiones, seu quarum fructus sic assignati, seu reseruati existunt, possint satisfacere ratam pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus sunt reseruati, ac liberè postmodum suâ propria auctoritate penes se, seu pro se retinere totum illud, quod pro ipsis Pensionarijs, seu pro eis quibus fructus huiusmodi sunt reseruati, re ipsa, & cum effectu persoluerint. Et nihilominus Pensionarios, ac eos quibus fructus huiusmodi reseruati sunt, per agentes dictæ Cameræ Apostolicæ ad solutionem quartæ partis pensionum, ac fructuum reseruatorum huiusmodi respectiuè vltimòdicto triennio durante iuris, & facti remedijs opportunis cogi, & compelli posse volumus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationum, & illarum Ordinum huiusmodi, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac quibusuis priuilegijs, indultis, & exemptionibus, ac etiam in corpore iure clausis, immunitatibus, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus, ac illorum locis, & personis generalitèr, vel specialitèr sub quibuscunque verborum formis, & expressionibus ab eâdem Sede concessis. Quibus, & litteris Apostolicis reseruationum, pensionum, ac fructuum huiusmodi, necnon quibusuis obligationibus, etiam in formâ Cameræ cum iuramento, & censurarum, ac mandati executiui susceptione, vel aliàs desuper factis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quæuis alia expressio habenda sit, & in eis caueatur expresè, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes, eis derogatum non censeatur, nec derogari videatur, nisi sub certis modo, & formâ, in eis expressis, tenores huiusmodi pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice duntaxat specialitèr, & expresè derogamus, contrarijs quibuscunque. Aut si Pensionarijs, vel alijs percipientibus fructus Congregationum huiusmodi, ac ipsis Congregationibus, & Ordinibus, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad solutionẽ vel præstationem alicuius Subsidij minimè teneatur & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu propter ea grauari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totalitèr non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis, quæ quoad præmissa volumus nullatenùs suffragari. Vt autem præsentes ad omnium notitiam deducantur, eas in valuis Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Ioannis Lateranensis de dictâ Vrbe affigi, seu appendi faciemus, quæ eas suo quasi sonoro præconio publicabunt, vt ij, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut ea ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tam patentèr omnibus extitit publicatum. Cæterum quia difficile foret præsentes ad singula loca in quibus expediens fuerit deferre, volumus, & auctoritate Apostolicâ prædictâ decernimus, quod earundem præsentium transumptis, manu alicuius ex dictæ Cameræ Apostolicæ Notarijs subscriptis, & sigillo Camerarij Nostri munitis, ea prorsus fides in iudicio, & extrà, in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ extensionis, prorogationis, impositionis, constitutionis, deputationis, commissionis, mandati, declarationis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum

rum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo, quinquagesimo quinto, quartodecimo Calendas Maij, Pontificatus Nostri Anno primo. Federicus Cardinalis Cæsius. Barengus.

## CONSTITVTIO CLXXIV.

### SVMMARIVM.

*1555. Maij 26.*

### PAVLVS PAPA IV.

*Iulij Papæ III. Constitutionem pro confirmatione Priuilegioru, & Immunitatum omnium, etiam pro Annatis, a Summis Pontificibus concessorum ad fauorem Congregationis S.Iustinæ, seu Casinensis, nondum (praeueniente obitu dicti Iulij III.) emanatam, emologat, approbat, & confirmat. Sublatâ clausulâ, Quatenus sint in vsu.*

*Ex Arch. S. Io. Euang. de Parma Capf. 24. lib. 3. fol. 75.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, & conuenit honestati, vt ea, quæ de Romani Pontificis gratiâ processerunt, licet eius superueniente obitu, litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum cōsequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Iulio Papæ III. prædecessori Nostro, pro parte tunc Præsidētis, & Definitorū Capituli Congregationis Casinensis, alias Sanctę Iustinę de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti, nec non ipsius Congregationis, singulorumque eiusdem Congregationis Monasteriorum, Abbatum, & Conuentuum, exposito, quod aliàs eidem Congregationi, ac pro tempore existentibus illius Presidenti, & Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Conuersis, Nouitijs, eorumque Capellanis, Familiaribus, & Seruitoribus, Monasterijs, Prioratibus, ac Locis etiam vnitis, Ecclesiis, Capellis, Oratorijs, Membris, & bonis, complura, & diuersa Priuilegia, immunitatesq; exemptiones, tàm ab Ordinariorum iurisdictione, quam etiam ab omni exactione, collectâ, decimâ, subsidio, & alio quocumque grauamine, quocunque nomine illa censerentur, per Romanos Pontifices pro tempore existentes, pro tempore impositis, necnon à quocunq; onere, etiam occasione Legatorum, Subdelegatorum, Nūciorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diœcesanorum, seu alterius cuiuscunque, etiam Apostolicâ auctoritate imponendo, nec non charitatiui, & alterius cuiuscūque subsidij, impositionis, collectæ, vel alterius cuiuscumque exactionis, & oneris realis, & personalis, vel mixti, Annatarumque, & Quindenniorum, etiam ratione Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum etiam vnitorum solutione; nō faciendâq; pro Annatarum, & Quindenniorum huiusmodi solutionibus obligatione, & ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, aut subiectionis, vel aliàs, ac quocunque Iure, locorum Ordinarijs, & alijs quibuscunque personis debendis, nec non libertates, prærogatiuæ, fauores, conseruatoriæ, declarationes, facultates, gratiæ, concessiones, indulgentiæ, indulta spiritualia, & temporalia, etiam circa visitationem, & correctionem Monasteriorum Monialium eis subiectorum, tàm per piæ memoriæ Martinum V. Eugenium. IV. Alexandrum etiam VI. Nicolaum similiter V. Calixtum. III. Sixtum etiam IV. Pium II. Innocētium VIII. Iulium etiam II. Leonem X. Clementem VII. Paulum etiam III. & alios Romanos Pontifices eiusdem Iulij III. prædecessoris predecessores, quàm Imperatores etiā Romanorū, Reges, ac alios sæculares Principes pro ipsius Congregationis, ac illius personarum salubri statu, directione, & augmento, etiam circa celebrationem Capituli & electionem Prelatorum, & conseruationem eiusdem Congregationis concessa, & demum per dictum Paulum prædecessorem approbata, ac etiam cum irritantis decreti eius, quod in contrarium fieri contingeret appositione, innouatâ. Et inter alia particulariter per Innocentium VIII. & Leonem X. prædecessores præfatos Monasterio Sancti Benedicti Montis Casini eiusdem Congregationis de, & super bonis, membris, grangijs, & alijs Beneficijs Ecclesiasticis ab ipso Monasterio Sancti Benedicti dependentibus, ac Congregationi præfatæ super pensionibus super fructibus Monasteriorum eiusdem Congregationis impositis, etiam cum decretis & alijs ordinationibus, ac deputatione executorum in eisdem expressis similiter concessa, & etiam per præfatum Paulum Prædecessorem, etiam cum irritantis appositione decreti eius quod in contrarium contigeret attemptari approbata, & innouata, & alia quam plura Priuilegia respectiuè etiam eis concessa, & innouata fuerant, prout in singulorum prædecessorum, necnon patentibus Imperatorum, Regum, & Principum prædictorum litteris respectiuè tunc desuper confectis, dicebatur pleniùs contineri. Et in eâdem expositione subiuncto, quòd principalia Priuilegia eis concessa prædicta, magisque eis importantia, & proficua, ab eodem Eugenio prędecessore emanauerant, eaque inter alios à Iulio II. Leone X. Clemente VII. & Paulo III. prædecessoribus præfatis, non solum approbata, sed etiam innouata fuerant, etiam cum appositione decreti irritantis, & sine clausulâ Quatenus esset in vsu. Quodque, si in singulis occasionibus in quibus occurreret huiusmodi Priuilegijs vti, cogerentur docere quod illa essent in vsu, id nihil aliud esset quàm onerare eos magno litium fasce, ac quòd periculum esset, nè sic per indirectum Priuilegiorum per eundem Eugenium prædecessorem concessorum prædictorum beneficio priuarentur. Pro parte eorundem Præsidentis, Difinitorum Congregationis, Abbatum, & Conuentuum prędictorum eidem Iulio III. prædecessori humilitèr supplicato, vt eisdem Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus libertatibus, prærogatiuis, facultatibus, conseruatorijs, declarationibus, gratijs, concessionibus, indulgentijs, indultis, & litteris, vt illa maiorem obtinerēt roboris firmitatem, & eò firmiùs obseruarentur, quò clariùs constaret eâ deliberatione quâ concessa fuerant, approbata, robur suæ approbationis adijcere, ac aliàs in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaretur. Idem Iulius III. prædecessor, qui singulorum Christifidelium, præsertim Religiosorum, pijs votis, prout poterat, fauorabilitèr annuebar, eosdem Præsidentem, & Definitores, Congregationem Abbates, Conuentus, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quāuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absoluens, & absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub Datum videli-

delicet sexto Calendas Martij Pontificatus sui Anno Quarto, omnia, & singula prædicta, & alia quæcunque Priuilegia, immunitates exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia eisdem Congregationi, ac illius Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Nouitijs, Cōuersis, Personis, Capellanis, familiaribus, seruitoribus, & locis etiam vnitis, nec non Ecclesijs, Capellis, Membris, Monialium Monasterijs eis subditis, & bonis pro tempore existentibus in genere, & in specie, tàm per prædictos, & alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Sedem prædictam, quàm Imperatores Reges, & alios Principes, sub quàcunq; formâ, ac verborum expressione concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, ac cum omnibus, & singulis decretis, & clausulis in eis contentis desuper confectas litteras huiusmodi, ac inde secuta quæcunque, quorum omnium tenores, formas, datas, & effectus, ac decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso exprimerentur, idem Iulius prædecessor pro sufficientèr expressis haberi volens, ex certâ scientiâ, dictâ auctoritate approbauit, & confirmauit, ac innouauit; nec non perpetuâ roboris firmitate subsistere, & firmitèr obseruari, & Congregationi huiusmodi suffragari; & ita per quoscunque Iudices quâuis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, Nec non ex tūc si secùs super hiis à quoquam, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contingeret attemptari, irritum, & inane decreuit; omnesque, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenissent in Imperatorum, Regum, & Principum concessionibus huiusmodi, suppleuit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in singulis litteris prædictis concessa fuerant, non obstare, cæterisque contrarijs, quibuscunque. Cæterum quia difficile erat litteras tunc desuper conficiendas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, Voluit, & dictâ auctoritate Apostolicâ decreuit, quòd transumptis earum, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Iudicio, & alibi, vbi opus foret, adhiberetur, quæ adhiberetur eisdem litteris, si forent exhibitæ vel ostensæ. Ne autem de absolutione, approbatione, confirmatione, innouatione, suppletione, voluntatibus & decretis prædictis, pro eo quod super illis dicti Iulij predecessoris (eius superueniente obitu) litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari; Volumus, & similitèr Apostolicâ auctoritate decernimus, quod absolutio, approbatio, confirmatio, innouatio, suppletio, voluntates & decreta Iulij prædecessoris huiusmodi, perinde à dictâ die Sexto Calendas Martij, suum sortiantur effectum, ac si super illis dicti Iulii prædecessoris litteræ sub eiusdem diei datâ confectæ fuissent, prout superiùs enarratur. Quodq; præsentes litteræ ad probandum plenè absolutionem, approbationem, confirmationem, innouationem, suppletionem, voluntates, & decreta Iulii prædecessoris huiusmodi vbique fidem faciant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quinquagesimo quintò, septimo calendas Iunii, Pontificatus Nostri Anno Primo. A. Moran. Phi. Chauneri. A. de Auila. Marcus Turrianus pro Magistris Io: Chisinus.

## CONSTITVTIO CLXXV.

### *SVMMARIVM.*

*1555. Maij 26.*

### PAVLVS PAPA IV.

*Conseruatores, seu Commissarios eligit pro executione confirmationis litterarum Iulij Papæ III. à se factæ pro Priuilegijs, Exemptionibus, & Immunitatibus Congregationis Casinensis manutenendis.*

*Ex Arch. S. Io. Euang. Parmen. Cap. 24. lib. 3. fol. 78.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Neapolitano, Mantuano, ac Pisauriensi Episcopis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie à Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, & conuenit honestati, *& cætera, prout in superiori Constitutione*. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolicâ scripta, mandamus, quatenùs Vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios, litteras Nostras huiusmodi, ac in eis contenta vbi, & quando opus fuerit, ac quotièns pro parte Congregationis, & Conuentuum, necnon Dilectorum Filiorum modernorum, & pro tempore existentium, Præsidentis, & Definitorum, necnon Abbatum Congregationis huiusmodi, seu alicuius eorum fueritis requisiti, vel aliquis vestrum fuerit requisitus, solemnitèr publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis, auctoritate Nostrâ, litteras Nostras, & in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari; & Præsidentem, Definitores, Congregationem, Abbates, Conuentus, Priores, Rectores, Monachos, Nouitios, Conuersos, personas, Capellanos, familiares, & seruitores prædictos omnesq; alios quos litteræ ipsæ concernunt, & concernent in futurum illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes eos, seu eorum aliquem, contra tenorem præsentium, quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, arbitrio vestro, moderandas, & applicandas pœnas, aliaq; opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super hijs habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus recolendæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII Prædecessoris Nostri, quâ cauetur nè quis extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltrà vnam Dietâ à fine suę Diœcesis ad Iudicium euocetur, seu nè Iudices à Sede prædictâ deputati extrà Ciuitatem, vel Diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscunq; procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio

cilio Generali edita, dummodò vltrà tres dietas aliquis, auctoritate præsentium, non trahatur, & alijs Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus illis, quæ dictus Iulius prædecessor voluit non obstare. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, septimo Calendas Iunij, Pontificatus Nostri Anno primo. A. Moran. Phi. Chaunen. A. de Auila. V. Schig. Ia. Maces. Io. Chysinus. Io. Ang. Cuccinus.

## CONSTITVTIO CLXXIV.

### SVMMARIVM.

1555. Nou. 23.

### PAVLVS PAPA IV.

*Montem Nouennalem non vacabilem erigit præcipuè ex pecunijs Subsidij triennalis, pro summa scutorum 14960. & eius Collegij Priuilegia, Exemptiones, & emolumenta decernit, ac Subsidium triennale prorogat.*

*Ex Bullario Romano Pauli IV. Constit. 12.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Superioribus mensibus fel. rec. Iulio Papâ Tertio prædecessore Nostro, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, Camera Apostolica, non solum, multo ære alieno grauata: verum etiam pecuniâ adeo exhausta comperta fuit, vt pro ipsius prædecessoris exequijs, etiam satis remissè, celebrandis, & parando, muniendoque, atque custodiendo conclaui, nouum æs alienum, cum graui ipsius Cameræ interesse, contrahendum fuerit. Et superueniente inde ad paucos dies piæ mem. Marcelli Papæ II. etiam prædecessoris Nostri obitu, cum eadem, celebrandarum exequiarum, & instruendi conclauis impensæ reiterandæ essent, aliæ pecuniæ ab Vrbis mercatoribus, cum simili, & forsan maiori interesse, sumendæ fuerunt. Ita vt debitum, præmissorum occasione, contractum, & pro quo intolerabile interesse soluitur, summam centum millium scutorum auri transcendant. Verum, cum ordinarij eiusdem Cameræ prouentus, qui admodum tenues, & pro maiori parte, etiam ad multos annos diuersis personis, in solutum assignati, seu venditi, aut obligati reperiuntur, ad solutionem interesse huiusmodi, ac Nostri, & familiæ Nostræ substentationem non sufficiant, nec humano iudicio reperiri possit, quonam pacto debitum huiusmodi dissolui, & moles expensarum, quæ pro Orthodoxæ Fidei defensione, & status Romanæ Ecclesiæ conseruatione, Nobis subeundæ sunt, substineri valeant, præsertim, cũ decreuerimus bona, aut prouentus ipsius Ecclesiæ perpetuò non alienare, nec subditos Nobis vectigalibus grauare; cogimur ex aliquorum eiusdem Ecclesiæ prouentuum quantitate ad aliquod tempus, summam centum, & octuaginta septem millium scutorum similium, ex quâ præmissa, & aliqua alia, cum diuersis inferioris sortis hominibus, qui nisi id, quod præfatæ Cameræ crediderunt, breui recuperent, vitam ducere non posse videntur, & propterea Nos, & Domus Nostræ Ministros, singulis ferè horis super hoc molestant, cum effectu soluere, Nosq; & dictam Cameram ab huiusmodi grauioribus interesse liberare, ac molem expensarum per Nos, vt præfertur, subeundarum substinere possimus, minori, quo fieri possit, ipsius Cameræ detrimento exquirere. Cum itaque aliàs fel. rec. me. Paulus etiam III. similitèr prædecessor Noster, ex certis tunc expressis causis, vnum Subsidium quartæ partis fructuum, à Congregationibus Regularibus Italiæ ad triennium exigendum, & per eas præfatæ Cameræ triennio huiusmodi durante annis singulis integrè persoluendum imposuerit, & subsidium huiusmodi Paulus primò ad duo successiuè, & deinde Iulius ad aliud, & postremo Marcellus prædecessores præfati ad reliquum ex tunc immediatè subsequuta triennia, ac necessitatibus, in quibus dictus Marcellus prædecessor tunc constitutus erat, durantibus, ad Sedis Apostolicæ beneplacitum prorogauerint, prout in diuersis ipsorum prædecessorum desuper confectis litteris pleniùs continetur. Nos beneplacitum præfatum per totum annum à Natiuitate Domini computandum millesimum quingentesimum, & sexagesimum quartum quomodolibet cessare, aut expirare non posse decernentes, & quatenùs opus sit Subsidium huiusmodi, etiam per totum dictum annum millesimum quingentesimũ sexagesimum quartum prorogantes, & extendentes, habita super his cum Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus in Consistorio Nostro Secreto deliberatione maturâ, de eorum Consilio, & vnanimi consensu, ac ex certâ Nostrâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine vnum Montem Nouennalem nuncupandum, & infrà nouem annos proximè futuros extinguendum, in hâc Almâ Vrbe Nostrâ pro tot personis, quot pecunias suas in eo vsque ad summam centum, & octuaginta septem millium scutorum auri, ad rationem decem miliorum pro quolibet scuto posuerint, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ad nouennium tantum, & non vltra erigimus, & instituimus, ac illi sic erecto, & instituto præfatum Subsidium, quod vigore conuentionum per Agentes pro eâdem Camerâ cum ipsis Congregationibus initarum, triginta millia scuta similia annuatim reddit, pro summa quatuordecim millium, & noningentorum sexaginta scutorum similium ab omni onere, impositione, grauamine, restauro, & quocunque casu fortuito, etiam quantumcunque inexcogitabili libera, immunia, & exempta, ac integrè, & sine aliquâ diminutione inter personas Montis huiusmodi, annis singulis, & quolibet bimestri pro ratâ distribuenda, & diuidenda, ad dictum nouennium tantum; ita quod, eo durante, de ipso Subsidio, aut quâuis eius parte, nisi satisfacto priùs personis Montis huiusmodi, aut pro tempore existenti earum Depositario de eisdem quatuordecim millibus, & noningentis sexaginta scutis disponi nequeat pro dictis centum, & octuaginta septem millibus scutis, vt præfertur, ponendis, vendimus, tradimus, concedimus, & assignamus, ac applicamus, & appropriamus. Necnon Montem ipsum, & illius personas, ac Collegium in Nostrum, & ipsius Cameræ locum, quoad ad summam quatuordecim millium, & noningentorum sexaginta scutorum huiusmodi, & illius exactionem, pro eisdem nouem annis tantum, ponimus, substituimus, & subrogamus, ac pro potiori eorum cautelâ Dilectum Filium Nobilem virum Thomam de Marinis

Terræ

Terræ Casalis Maioris Cremonen. Diœcesis in temporalibus Dominum, fide, & facultatibus idoneum, & pro tali apud omnes notum, eiusdem Subsidij, non solum quoad quatuordecim millia, & noningenta sexaginta, vt præfertur, vendita, sed etiam quoad reliqua quindecim millia, & quadraginta scuta huiusmodi exactorem, ac eiusdem Montis, & illius Collegij Depositarium, ad hoc, vt exinde summam quatuordecim millium, & noningentorum sexaginta scutorum huiusmodi inter personas præfati Montis, annis singulis, & quolibet bimestri, eorum ratam secundum distributionem, per pro tempore existentem Thesaurarium Nostrum desuper faciendam, distribuere, & diuidere, ac pro extinctione ipsius Montis, infrà eosdem nouem annos, aut incontinenti illis finitis dicta centum, & octoginta septem millia scuta, personis eiusdem Montis persoluere possit. Et hæc omnia promittat, ac se, bonaque sua omnia superinde, in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ, cum renunciationibus, promissionibus, submissionibus, cautelis, & clausulis in similibus apponi solitis, efficacitèr obliget, auctoritate, & tenore prædictis, constituimus, & deputamus. Volentes, & eâdem auctoritate statuentes, & decernentes, quod quæcunq; vtriusque sexus personæ cuiuscunque status, gradus, & conditionis existentes, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, & Ecclesijs Cathedralibus, etiam Metropolitanis, aut quibusuis Monasterijs præsint, ac quæcunque, quotcunque, & qualiacunque Beneficia Ecclesiastica obtineant, necnon in Sacris, & Presbyteratus Ordinibus constitutæ, & Hierosolymitani, vel quorumuis aliorum Hospitalium, & Militiarum, ac quorumcunque, non tamen Mendicantium Ordinum Religiosi, & Religiosæ, ac mulieres, cuiuscunque nominis, qualitatis, & conditionis, necnon qualitèrcunque (præterquam dumtaxat ratione regularis professionis in aliquo Ordine Mendicantium, inhabiles, & incapaces existant) in ipso Monte quascunque pecuniarum summas, non tamen infra centum scuta similia, vsque ad summam centum, & octaginta septem millium scutorum huiusmodi, & non vltrà ponere, & tàm ipsæ personæ, quàm earum hæredes, & successores, aut alij ab eis causam habentes, pro pecunijs sic positis ad rationem octo pro centenario, singulis annis, & quolibet bimestri ratam eorundem octo, sine aliquo conscientiæ scrupulo, seu restitutionis onere percipere, & habere. Ac etiam si læsæ Maiestatis, aut alia quæcunque, quotcunque, & quantumcunque grauissima crimina, præterquam in personam Romani Pontificis pro tempore existentis, aut alicuius eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalis commiserint, & propterea, siue in eorum non comparentium contumaciam, siue legitimè conuictæ in pœnam vltimi suplicij condemnatæ, seu etiam illi realitèr traditæ, seu condemnandæ, & illi tradendæ, ac omnia eorum bona confiscata, aut confiscanda fuerint, nihilominùs de pecunijs in ipso Monte eorum nomine existentibus, ac emolumentis eis ex eodem Monte spectantibus, Romani Pontificis, seu præfatæ Cameræ, vel cuiusuis alterius licentiâ, seu auctoritate, confirmatione, vel scripturâ desuper nùllatenùs requisitâ, dicto nouennio durante, quibuscunque eis placuerit in toto, vel in parte simul, vel separatim, & in fauorem complurium, (dummodo in personam vnius de minori, quam centum scutorum similium, summa non disponatur) testamento, seu codicillis, aut venditione, donatione, permutatione, cessione, vel quocunque alio titulo, etiam per simplicem manu suâ scriptam, vel subscriptam, aut publicum instrumentum, seu aliàs in quorumcunque, etiam filiorum suorum illegitimorum, ex quocunque, quantumcunque damnato coitù procreatorum, aut aliarum, & magis incapacium personarum fauorem, etiam pluriès de incapaci, in incapacem disponi contingat ad eorum libitum liberè disponere posse, & pecunias in eodem Monte existentes, ac emolumenta exinde pro tempore prouenientia, etiam si personæ Montis huiusmodi ex læsæ Maiestatis, aut alijs Criminibus præfatis, vt præfertur condemnatæ, & vltimo supplicio traditæ, seu condemnandæ, & supplicio huiusmodi tradendæ, ac alia eorum bona confiscata sint, aut confiscanda veniant, confiscari nullatenùs posse. Et si personæ Montis huiusmodi intestatæ, aut de pecunijs eiusdem Montis, & emolumentis huiusmodi alitèr non dispositæ decesserint ab intestato, ad eorum vtriusque sexus liberos, & alios descendentes, seu ascendentes, consanguineosque, & affines, saluâ graduum prærogatiuâ ad instar aliorum bonorū patrimonialium, secundum communem iuris dispositionem transire posse, & debere. Ac personas Montis huiusmodi Collegium inter se constituere, ac collegialia iura, & insignia habere, necnon quæcunque statuta, & ordinationes prosperum, & tranquillum statum Montis huiusmodi concernentia, dictâ auctoritate Apostolicâ concedere, & condita mutare, corrigere, reformare, & alterare; ac quascunque pœnas etiam pecuniarias, Monti, seu illius Collegio huiusmodi, vel quibus ipsi placuerit applicandas, in quoscunque illi contrauenientes, infligere. Necnon omnibus, & singulis priuilegijs, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratijs litteris, & indultis, quibus Collegium, & personæ Montis Fidei Almæ Vrbis vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, eisdem nouem annis durantibus tantum vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè posse. Necnon Montem huiusmodi, & illius personas, ac Collegium, ratione pecuniarum, quas in eodem Monte habuerint, ab omni stratarum, & decimarum, ac etiam mesatæ nuncupatæ, & aliarum impositionum, per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem, & etiam pro ipsius fidei defensione, ac Status eiusdem Romanę Ecclesię conseruatione quomodolibet impositarum, solutione immunes, & exemptos fore, ac censeri debere. Nec non Montem, & illius personas, ac Collegium huiusmodi, & Thomam præfatos, eorumque hæredes, & successores, ac causam ab eis habentes, super Subsidio huiusmodi, & illius exactione, etiam per Nos, dictam Sedem, vel Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, quouis modo perturbari, impediri, molestari, aut aliquo grauamine, seu onere, etiam si euidens vtilitas, & vrgens necessitas, etiam pro eiusdem Fidei tuitione, & contra Infideles expeditione, id suaderent grauari, vel onerari. Ac Montem ipsum vltrà eosdem nouem annos in toto, vel in parte prorogari, aut innouari non posse. Et aliquem ad probandum, quod centum, & octuaginta septem millia scuta huiusmodi, vel aliqua eorum pars in vtilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ, seu Sedis, aut Cameræ prædictorum, conuersa sint, minimè teneri, nec obligatos esse. Necnon præsentes litteras robur veri, & validi contractus, ac obligationis inter Nos, & Sedem, ac Cameram præfatas ex vnâ, & eos, qui pecunias super Monte præfato posuerunt, aut ab eis causam habebunt ex alterâ, partibus, legitimè initi, & sti-

& stipulari, obtinere: Sicque & non alitèr in præmissis omnibus per quoscunque, etiam Cardinales prædictos, ac Palatij Nostri Auditores, & alios quācunque, tàm ordinariâ, quàm delegatâ, & mixtâ auctoritate fungêtes, Iudices, & personas vbique iudicari, cognosci, & decidi debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, aut interpretandi facultate. Necnon irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Nos enim, pro potiori Montis, & illius personarum, ac Collegij, & Thomæ prædictorum cautelâ, & securitate, de eorundem Fratrum consilio., & assensu, ac scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, quolibet bimestri ratam eorundem quatuordecim millium, & nongentorum sexaginta scutorum, & infra eosdem nouem annos, aut incontinenti illis finitis, eadem centum, & octuaginta septem millia scuta personis eiusdem Montis persoluere, ac eundem Thomam, hæredesque, & successores suos, à promissione, & obligatione per eum, vt præfertur, faciendis indemnem, & penitùs sine damno conseruare, ac pro eodem Subsidio triginta millia scuta præfata, quæ anno quolibet Calend. Nouembris à Congregationibus prædictis persolui debent, ipsi Thomæ pro nouem annis, & nouem integris solutionibus, quarum prima sit ea, quæ debebitur Calend. Nouēbris anni proximè futuri Millesimi quingētesimi quinquagesimi sexti per easdē Cōgregationes persolui, ita tamē quod ipse Thomas bimestres solutiones prædictas nihilominus facere teneatur; Et si aliquo casu ex eodem Subsidio, summa triginta millium scutorum huiusmodi quolibet anno, vsque ad finem dicti anni millesimi quingentesimi sexagesimi quarti confici non possit, eam summam, quæ de triginta millibus scutis pro tempore deficiet ex Subsidio triennali, & signantèr ex eo, quod in Prouinciâ Nostrâ Marchiæ Anconitanæ exigitur, suppleri, necnon Coronam Pontificiam preciosam, Regnum nuncupatam, quam nonnulli Mercatores de Olgiate, & Vbaldinis ex causâ certi contractus cū eis per Collegium Cardinalium, Sede vacante facti in pignus habent, eidem Thomę consignari facere promittimus, & ad hęc non solum singula Subsidia prefata, sed etiam Nos ipsos, & Successores Nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes, ac omnia Nostra, & illorum, necnon Ecclesię, Sedis, & Camerę predictarum bona mobilia, & immobilia, ac se mouentia spiritualia, & temporalia, presentia, & futura, etiam si regalię, aut aliàs talia forent, quę in generali obligatione bonorum non comprehenderentur, ex quibus in defectum Subsidiorum predictorum, Thomę, & suis predictis integrè satisfieri possit, & debeat, necnon loco pignoris iocalia, seu gemmas, quę, seu quas idē Thomas, ratione depositarię generalis, & aliâ quâlibet ratione, vel causâ à Nobis, & dictâ Sede in pignus habet, postquam ab obligatione sibi de illis dictę depositarię, vel aliâ quâlibet ratione, & causâ facta, liberata, seu liberatæ fuerint specialitèr, & expresśè, in simili formâ Cameræ obligamus, & hypothecamus, ac obligata, & hypothecata esse decernimus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis, & Congregationibus præfatis, ac eorum Ordinibus per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & Nos, & Sedem eamdem, etiam per viam generalis legis, & statuti perpetui, ac Motu proprio, scientiâq; & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialitèr, & cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus quomodolibet approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda sit, & in eis caueatur expresśè, quod illis nullatenùs derogari possit, illorum omnium tenores, nec non quorumcunq; instrumentorum, conuentionum, & scripturarum, occasione præmissorum, quomodolibet confectarum, tenores præsentibus pro sufficientèr expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruandos, pro indiuiduo seruatis habentes, hâc vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialitèr, & expresśè derogamus, & derogatum esse decernimus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, & auctoritate prædictâ decernimus, quod primo anno nouennij huiusmodi elapso, quandocunq; Nobis, seu successoribus Nostris, aut Agentibus pro ipsâ Camerâ videbitur, Mons huiusmodi pro eâ parte, quæ Nobis, aut ipsis placuerit, eo tamen prius personis de quorum interesse tractabitur, per mensem ante intimato, & restitutis per dictum Thomam, aut suos hæredes, & successores, vel alios nomine ipsius Cameræ eodem mense transacto, personis ipsis pecunijs, quas in eodem Monte habuerint, vnà cum emolumentis eis propterea debitis, liberè extingui possit, ita vt in fine eiusdem nouennij Mons ipse in totum extinctus sit, nec vlterius reuiuiscere, aut prorogari possit. Quodque transumptis præsentium, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Collegij Montis huiusmodi, seu alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eâdem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ eisdem præsentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrę prorogationis, extensionis, erectionis, institutionis, venditionis, traditionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, positionis, substitutionis, subrogationis, constitutionis, deputationis, statuti, promissionis, obligationis, hypothecationis, derogationis, voluntatum, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, decimo Calendas Nouembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CLXXVII.

### SVMMARIVM.

*1556. Iulij 20.*

PAVLVS PAPA IV.

*Imponit duas decimas super fructibus anni 1556. quorumcunque, Beneficiorum Ecclesiasticorum, status Ecclesiastici, Congregationis Casinensis, aliorumq; Regularium.*

Ex

*Ex Bullario Romano Pauli IV. Const. 20.*

PAULUS Papa III. Ad futuram rei memoriam. Et si in mente gerimus subditos Nostros ab extraordinarijs oneribus immunes præseruare, idque necessitate cessante, præstare intendimus, tamen grauitas impensarum, quas pro huius Almæ Vrbis, & totius status Ecclesiastici conseruatione, & securitate, in dies subtinere necesse est, Nos cogit, vt de vniuerso Clero, & Ecclesiasticis personis statùs huiusmodi fiduciam sumamus, speremusque eos de facultatibus suis huic operi libentèr contributuros, vt potiùs partem erogando, totum conseruetur, quàm partem conseruando totum in discrimen ponatur. Hâc itaque consideratione inducti, Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, duas integras decimas omnium, & singulorum fructuum, redditu um, & prouentuum Ecclesiasticorum præsentis anni, secundum verum annuum valorem quarumcunque Cathedralium, etiam Metropolitanarũ, & aliarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, Sæcularium, & quorumuis Ordinum, ac Militiarum (non tamen S. Ioannis Hierosolymitani) Regularium in toto statu Ecclesiastico Nobis mediatè, vel immediatè subiecto existentium a Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatarijs, & Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conuentibus, cœterisque personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus, exemptis, & non exemptis, etiam S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien. Cluniacen. Præmostraten. Cartusien. Camaldulen. Montis Oliueti, Humiliatorum, Vallis Vmbrosæ, Cruciferorum, Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, & aliorum quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, si certos quoquomodo redditus habeant, ac etiam Casinen. aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Montis Oliueti, S. Bernardi, Lateranen. & S. Saluatoris, aliarumque Congregationum, tàm virorum, quàm mulierum, in eodem statu, Ecclesias, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, seu fructus huiusmodi Beneficiorum, & pensiones annuas quantumcumque exemptas, & sub quibusuis obligationibus, etiam in formâ Cameræ, & iuramento, etiam de non contraueniendo, ac fortasse etiam de non impetrando aliquas gratias in contrarium, & eis concessis non vtendo, alijsque cautelis, decretis, & clausulis, super eisdem fructibus, etiam medio cedularum Banchi, seu in formâ depositi percipientibus, & infra præsentem annum percepturis, cuiuscumque præeminentiæ, status, gradus, Ordinis, & Religionis existant, quibus, aut quorum aliquibus vlla priuilegia, aut indulgentias, sub quâcunque verborum formâ, aut expressione concessa, quoad hoc suffragari nolumus (S.R.E. Cardinalibus, & Fratribus dicti Hospitalis S. Ioannis, quoad Beneficia eiusdem Hospitalis, dumtaxat exceptis) integrè persoluendas, & per Venerabilem Fratrem Hieronymum Episcopum Torcellanum Thesaurarium Nostrum generalem, de cuius fide, & probitate plenam in Domino fiduciam obtinemus, & quem generalem Decimarum huiusmodi Collectorem per præsentes constituimus, & deputamus intra terminos per ipsum Hieronymum Episcopum, & Thesaurarium statuendos, exigendas, ac in opus prædictum conuertendas Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium imponimus. Ac eidem Hieronymo Episcopo, & Thesaurario Decimas sic, vt præfertur impositas, à præfatis Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conuentibus, & personis Ecclesiasticis, exceptis, supradictis, petendi, exigendi, & colligendi, eisque tàm in genere, quàm nominatim, & in specie, vt illas soluant sub censuris Ecclesiasticis, etiam priuationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum, alijsque, de quibus sibi videbitur pœnis, etiam pecuniariis, mandandi; necnon soluere recusantes, seu differentes, & generalitèr contradictores quoslibet, & rebelles, ac sibi in præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas prædictas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Soluentes vero, de eo, quod soluerint quietandi, & liberandi, ac à sententijs censuris, & pœnis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint absoluendi, & generalitèr omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi, & exequendi. Ac pro earundem Decimarum faciliori exactione, vnum, vel plures Subcollectores cum simili, aut limitatâ potestate, loco sui, substituendi, & substitutos amouendi, ac alios eorum loco, totiès, quotiès sibi videbitur, subrogandi, plenam, & liberam, auctoritate, & tenore prædictis, concedimus, facultatem, & potestatem. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus contrarijs quibuscunque, aut si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Commendatarijs, Capitulis, Conuentibus, & cæteris prædictis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimæ minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extrà, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possit per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eiusque toto tenore, ac propriis ipsorum locorum, Ordinũ, & personarum, nominibus, & cognominibus, mentionem, ac quibuscunque priuilegiis, & exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis; necnon litteris Apostolicis prædictis, & quibusuis alijs Dignitatibus, & Ordinibus, ac Cõgregationibus specialitèr, vel generalitèr, sub quâcũq; formâ, & expressione verborũ concessis, etiam si de eis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum pro eorum sufficienti derogatione habenda sit mentio specialis, quæ eis, quoad præmissa, nolumus in aliquo suffragari; cœterisque contrarijs quibuscunq;. Volumus autem quod iuxta ordinationem in Concilio Viennen. super hoc æditam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum, & piorum locorum diuino cultui dedicata ex causâ pignoris, vel aliàs occasione solutionis dictarum decimarum nullatenùs capiantur, distrahantur vel occupentur. Quodque præsentium litterarum transumptis ipsius Hieronymi Episcopi, & Thesaurarij, aut alicuius alterius Prælati Ecclesiastici sigillo, & publici Notarij subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extrà, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimâ Iulij, millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, Pontificatus Nostri Anno secundo. Io. Barengus.

CON-

## CONSTITVTIO CLXXVIII.

### SVMMARIVM.

1558. Ianuarij 23.

### PAVLVS PAPA IV.

*Annatas, Communia, & minuta seruitia Cameræ Apostolicæ singulis quindecim annis persoluendas à Congregat. Casinensi, cæterisq; Congregationibus Regularibus, Ecclesiis, & Beneficijs ecclesiasticis, iuxtà Constitut. Pauli II. & aliorum Pontificum, decernit. Reuocando quæscumque declarationes ad fauorem dictæ Congregationis factas per Eugenium IV. Leonem X. Clementem VII. aliosque Summos Pontifices.*

*Bullar. Rom. Pauli IV. Const. 17.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decens esse censemus, ac æquum, vt qui alios in suâ iustitiâ confouemus, Cameræ Nostræ Apostolicæ iura negligamus; quinimmo, ea vsurpare satagentibus oportunis remediis, etiam medio declarationis Nostræ occurramus; nec patiamur illa cauillationibus, aut calumniosis litibus ea debentium, in discrimen, aut dubium aliquod deduci. Nuper sanè accepimus, quod, licet communium seruitiorum, & Annatarum exactio in recognitionem vniuersalis dominii introducta, sit antiquissima; ita vt etiam antiquissimi, & probatissimi iuris interpretes, quam tempore Concilii Viennensis, iam ducentis quadraginta, & vltrà annis celebrati, & post illud scripserunt, expressam de ea fecerint mentionem, & asseruerint eam in dicto Concilio roboratam fuisse, & in Concilio Constantiensi ante centum, & quadraginta annos celebrato statutum fuerit, vt de Ecclesiis, & Monasteriis virorum vacantibus, & vacaturis, soluerentur pro fructibus primi anni, a die vacationis, summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ communia seruitia etiam tunc nuncupabantur. De cœteris autem dignitatibus, personatibus, officijs, & beneficijs sæcularibus, & Regularibus valorem vigintiquatuor Florenorum de Camerâ excedentibus, quæ auctoritate Sedis Apostolicæ, non tamen vigore gratiarum expectatiuarum, aut ex causâ permutationis cōferrentur, vel de quibus prouideretur, solueretur Annata, seu medii fructus, iuxta taxam solitam. Ac fel. rec. Eugenius IV. & Callistus III. Romani Pontifices, prędecessores Nostri super solutione mediorum, seu integrorum fructuum primi anni dictæ Camerę, ratione Monasteriorum, & Prioratuum, ac aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vnitorum facienda, disposuisse legantur. Et piæ memoriæ Paulus Papa II. etiam prędecessor Noster, & tam ipse, quam dicti & Callistus prædecessores, ac recolendæ memoriæ Martinus V. & Nicolaus etiam V. ac Pius etiam II. Romani Pontifices similitèr prædecessores Nostri, tunc sui, complura diuersorum Ordinum Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Dignitates, Administrationes, Officia, & Beneficia vnita, quæ ampliùs nequaquam vacare sperantur; Et Sanctæ memoriæ Iulius Papa similitèr II. prædecessor Noster, accepto quod ex prædictis, & alijs, quæ postea per similis memoriæ Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. Romanos Pontifices; Et sanctæ memoriæ Iulius Papa III. prædecessor Noster, accepto quod ordinationes, statuta decreta, & declaratio Pauli, & Iulij II. prædecessorum huiusmodi non obseruabantur, & a tempore ipsius Alexandri prædecessoris, vsq; in eamdem diem, tam per ipsos Iulium II. & Iulium III. quam fel. rec. Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. ac Paulum pariter III. Romanos Pontifices prædecessores Nostros, tunc suos, diuersæ aliæ vniones, annexiones, incorporationes, & applicationes perpetuò factæ, & concessæ fuerint, ac ex incuriâ agentium pro Camerâ prædictâ, seu alias obligationes de soluendis communibus, & minutis seruitijs, ac Annatis seù medijs fructibus, aut alijs iuribus solui debitis, & consuetis factæ non fuerint, & quæ factæ sunt executioni non demandentur, in eorum ad quorum commodum vniones, annexiones, incorporationes, & applicationes prædictæ factæ fuerint, in animarum periculum, & Cameræ, ac Collegij Cardinaliū, & Officialium detrimentum, nec non reipublicæ huiusmodi non leue præiudicium. Et postremo Nos, præmissa omnia per papyri cedulam, manu Nostra, Motu proprio signatam approbauerimus, & innouauerimus, prout in singulis litteris prædecessorum, & cedulâ huiusmodi pleniùs continetur. Nihilominus tam S. Georgij in Alga, sub prætextu, quod dictus Eugenius prædecessor Rectores, & Canonicos ipsius Congregationis S. Georgij à sententijs, censuris, & pœnis, quibus ob non solutionem mediorum, seu integrorum fructuum primi anni Monasteriorum, & Beneficiorum per ipsum Eugenium prædecessorem, vel dictam Sedem, eorum Monasterijs Prioratibus, Ecclesiis, Beneficijs, siue locis eatenùs vnitorū innodati erant, per suas litteras absoluerit, & quascunque obligationes per eos, dictæ Cameræ propterea factas, ac medios, seu integros fructus huiusmodi eis liberalitèr remiserit, & de illis, & alijs quibuscumq; quæ præfatæ Cameræ eatenùs soluere quomodolibet obligati erant, generalem quietantiam fecerit, decernens eos ad illorum solutionem non teneri, nec ad id cogi posse, ac irritum, & inane quicquid ex tunc contra tenorem earumdem litterarum scientèr, vel ignorantèr contingeret attentari. Et Casinen: aliàs S. Iustinæ de Paduâ huiusmodi, sub prætextu quod dictus Leo prædecessor ipsam Congregationem Casinensem, illiusque Monasteria, & loca, ac Abbates, & Conuentus ad solutionem Annatarum, communium minutorum seruitiorum, & aliorum iurium Cameræ, Collegio, & Officialibus prædictis, ratione quorumuis Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum Congregationis Casinensis, & illius Monasterijs, seu locis prædictis eatenùs perpetuò vnitorum, super quibus nulla obligatio in eâdem Camerâ reperiebatur, aut ad obligationem de eis soluendis facienda minimè obligatos fuisse, nec ad illas condemnari, aut cogi posse, & litteras Pauli, ac Iulij II. aliorumque prædecessorum suorum huiusmodi, ac super illis, & illorum prætextu, decreta, monitoria, & mandata, quoad ipsam Congregationem Casinensem, & illius Monasteria, & personas locum sibi vendicare non potuisse, omnesque, & singulas de Monasteriis, & locis Congregationis Casineñ: huiusmodi, tamquam per dissolutionem vnionum prædictarum, aut priuationem de illis, vel alias ob nō solutionem Annatarum, communium, & aliorum prædictorum, vel ob non factam obligationem huiusmodi vacantibus, factas prouisiones, commendas,

das, vniones, & alias dispositiones, & inde secuta quæcumque, nulla, irrita, & inania fuisse, & esse, Monasteriaque, & loca Congregationis Casinensis huiusmodi, ob non solutionem Annatarum, Communium, & iurium, ac non factam obligationem huiusmodi, nullatenùs vacasse, nec in futurum vacare, attestatus, & interpretatus fuerit, ac decreuerit, & declarauerit. Nec non Procuratori Fisci, & agentibus pro Camerâ, ac Cardinalibus, & Officialibus præfatis silentium desuper imposuerit. Et paris memoriæ Clemens VII. pariter prædecessor, Noster litteras Leonis prædecessoris huiusmodi, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis per suas litteras approbauerit, & innouauerit, ac perpetuâ roboris firmitate subsistere, & inuiolabilitèr obseruari debere. Nec non Congregationem Casinensem præfatam, & illius Prælatos & personas, contra tenorem litterarum Leonis prædecessoris huiusmodi nullitèr, iniustè, & indebitè molestatos, & perturbatos fuisse, & sic iudicari debere, & si secùs contigerit attentari irritum, & inane decreuerit. Quam diuersæ aliæ Regularium, & forsan sæcularium personarum Congregationes, & forsan aliæ personæ, forsan ex eo quod à nonnullis nimium scrupulosis, & plusquam oportet sapere contendentibus hæsitetur, an vniones ante ipsum Martinum prædecessorem per alios Romanos Pontifices prædecessores suos factæ, sub litteris Pauli prædecessoris huiusmodi comprehendantur, & forsan diuersis alijs prætextibus, communia minuta seruitia, Annatas, & alia iura Cameræ, & Collegio, ac Officialibus prædictis, ratione vnionum eis de Monasterijs, Prioratibus, & alijs Beneficijs ecclesiasticis hactenùs factarum debita persoluere recusent, censuras, & pœnas in singulis litteris prædictis contentas damnabilitèr incurrendo, in animarum suarum periculum, & Cameræ, & Collegij, & Officialium prædictorum detrimentum. Nos considerantes præfatum Eugenium prædecessorem per eius litteras successoribus Romanis Pontificibus, cum par in parem non habeat imperium, & per consequens Collegio Cardinalium, & Officialium Romanæ Curiæ causam ab ipsis Romanis Pontificibus habentibus præiudicare non potuisse, & propterea ius Nostrum, & Collegii ac Officialium prædictorum illæsum remansisse, & remanere, ac litteras Leonis, & Clementis prædecessorum huiusmodi, cum contra ordinationes, statuta, decreta, & declarationes Pauli, & Iulii II. prædecessorum huiusmodi, ac causâ non cognitâ, & non vocatis, nec auditis quorum interérat, emanauerint; & propterea ius tertij, contra tenorem Constitutionum per eos editarum, manifestè tollatur, effectum sortiri non debere, omnium, & singularum litterarum prædictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, ac singulas litteras Eugenij, Leonis, & Clementis prædecessorum huiusmodi ad viam, & terminos iuris reducentes, & redactas esse decernentes. Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiâ, sed ex certâ scientiâ, & de merâ deliberatione Nostrâ, omnes, & singulas vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones de quibusuis Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officijs, & Beneficiis Ecclesiasticis, cum curâ, & sine curâ sæcularibus, & quorumuis Ordinũ seu Militiarum regularibus, quibuscunque Collegiatis, Vniuersitatibus, & vtriusque sexus Congregationibus tàm sæcularibus, quàm Regularibus, etiam S. Georgi in Algâ, & Casinensis prædictis, ac Montis Oliueti, & Camaldulensis, necnon Domibus, Fabricis, Hospitalibus, & alijs Pijs locis, quæ ex eorum perpetuitate non vacent, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, quocunque tempore, etiam ante ipsum Martinum Prædecessorem, ac Nos, sub quibuscunque tenoribus, & formis, cum quibusuis clausulis, & decretis perpetuò factas, & de cœterò, tàm per Nos, quàm per Successores Nostros similitèr perpetuò faciendas, sub litteris Pauli Prædecessoris huiusmodi cõprehendi, & includi. Et proprerea tàm Casinensis, & Montis Oliueti, ac Camaldulensis, & S. Georgij in Algâ, & quascunque alias Congregationes, quàm quosuis alios, in quorum fauorem vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones huiusmodi factæ fuerunt, etiam si se superinde in Camerâ non obligauerint, ad solutionem Communium, & minutorum, seruitiorum, ac Annatarum, & aliorum iurium prædictorum eisdem Cameræ, Collegio, & Officialibus, ratione earundem vnionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & submissionum singulis quindecim annis, à die, quo illæ suum effectum sortitę fuerint aliàs iuxtà tenorem litterarum Iulij III. Prædecessoris huiusmodi faciendam, teneri, & obligatos esse, & ad id, necnon ad se communibus, & minutis seruitijs, ac Annatis, & aliis iuribus prędictis de quindecim annis, in quindecim annos realitèr, & cũ effectu soluendis in formâ solitâ obligandum, etiam per sententias, censuras, & pœnas etiam priuationis, & dissolutionis vnionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & submissionum prędictarum in litteris Pauli, Iulij II. ac Iulij III. Prædecessorum huiusmodi contentas cogi, & compelli posse; necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Dignitates, Personatus, Administrationes Officia, & Beneficia vnita, huiusmodi onus solutionis, communium, & minutorum seruitiorum, ac Annatarum, & aliorum iurium prędictorum semper habuisse, & ad presens habere. Sicque, & non alitèr in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & Comissarios quàuis, etiam dictâ auctoritate Apostolicâ fungentes, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, in Dilectos filios Ioannem Michaelem Saracenum, & Virgilium S. Simeonis Tit. de Spoleto nuncupatos Presbyteros, quibus alias omnes, & singulas causas, occasione premissorum pendentes commisimus, & quosuis alios S. R. E. Cardinales, in quàuis causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac si secùs, super his à quoquam, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus. Mandantes eidem Io: Michaeli, & Virgilio Cardinalibus, vt omnes, & singulos census coram eis inter dilectos filios Procuratorem Nostrum Fiscalem, & Officiales præfatos ex vnâ, & quascunque Congregationes, seu alias personas, ex alterâ partibus, super solutione Cõmunium, & minutorũ seruitiorum, ac Annatarum, & aliorum iurium prædictorum, vel eorum occasione pro tempore pendentes, iuxtà præsentiũ tenorem terminent, & decidant. Et insuper, vt ratio communium minutorum seruitiorum, ac Annatarum, & aliorum iurium prædictorum clara habeatur, nec vlteriùs in ambiguo, aut obscuro versetur, volumus, & auctoritate Apostolicâ præfata decernimus, statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, in quorũ fauorem vniones,

anne-

annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones huiusmodi emanarunt, necnon Cathedralium, etiam Metropolitanarum, seu Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, & tam virorum, quàm mulierum sæculares, & quorumuis, etiam exemptorum Ordinum Regulares, Congregationes, & Collegia, ac Hospitalia, & alia pia loca, quibus à Sede prædictâ indultum est, vt Abbates, seu Priores, vel alios Prælatos suos ad tempus, & non ad vitam eligere possint, seu quorum Abbates, vel Priores, aut alij Prælati non ad vitam, sed ad tempus eliguntur, seu etiam ad vitam electi, absque confirmatione eiusdem Sedis administrant, infra terminum eis à præfatis Io: Michaele, & Virgilio Cardinalibus præfigendum omnia, & singula Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Ecclesias, Cappellanias, & alia Beneficia Ecclesiastica, quæ possident, & ea specificè, & expressè, quæ facultatem, & indultum huiusmodi habent, seu quorum Abbates, seu Priores, vel alij Prælati ad tempus eliguntur, seu ad vitam electi, sine confirmatione prędictâ administrant, vnà cum illorum fructuum, redditiuum, & prouentuum vero annuo valore, præfatis Io: Michaeli, & Virgilio Cardinalibus notificasse, & intimasse debeant, & ad id per sententias, censuras, & pœnas in singulis litteris prædictis contentas cogi, & compelli possint. Non obstantibus litteris Eugenij, Leonis, & Clementis Prædecessorum huiusmodi, & alijs præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis Congregationi Camaldulensium, Eremitarum, & Sancti Michaelis de Murano Torcellanæ Diœcesis, per dictũ Leonem Prædecessorem in eius erectione, & institutione, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam motu, & scientiâ similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs ommisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus; necnon omnibus illis, quæ singuli Prędecessores in singulis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ reductionis, declarationis, mandati, voluntatis, statuti, ordinationis, derogationis, & decreti infringere, vel ei ausũ temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1558. decimo Calendas Februarij, Pontificatus Nostri Anno quarto.

## CONSTITVTIO CLXXIX.

### SVMMARIVM.

1558. *Iulij* 11.

### PAVLVS PAPA IV.

*Monasterium S. Petri de Perusio Congregationis Casiuensis à solutione Gabellæ quatreni ad libram carnis, exemptum declarat.*

*Ex Arch. S. Petri de Perus. lib. O. fol. 522.*

AL Molto Illustre come Fratello Monsignor Gouernator di Perugia, Molto Reuerendo Signor come fratello. Essendo stato giudicato per sententia del Auditore di V. S. R. che li Monaci di San Pietro di cotesta Città non siano tenuti à pagare il Quattrino della carne, che per loro vso proprio tal'hora operano, come in detta sententia più diffusamente si contiene V. S. R. non manchi di fargliela osseruare inuiolabilmente, si che per tal conto non siano in modo alcuno molestati per nessun tempo, così del passato, come per l'auuenire, che così è mente di sua Beatitudine, imponendo fine, & silentio ad ogni molestia, che per ciò fosse lor fata, & restituendo la presente in mano di detti Padri per loro sicurtà, & testimonio, & me gli offero, & raccomando. Di Roma li 11. di Luglio 1558. di V. S. R. come Fratello il Cardinal Caraffa.

Die 11. Iulij 1558. Registratæ fuerunt in registro Bullarum, & Breuium Cameræ Apostolicæ Perusinæ fol. 137. Clemens de Rubeis pręd. Cameræ Notarius.

## CONSTITVTIO CLXXX.

### SVMMARIVM.

1560. *Apr.* 5.

### PIVS PAPA IV.

*Moniales Casinenses, seu cuiuscumq; Ordinis (vltra quatuordecim ducatos auri de Camerâ pro singularum victu, certos redditus non habentes) à Decimarum, & Subsidiorum, etiam pro bello contra Turcas, vel Fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe impositarum, solutione eximit.*

*Bullar. Rom. Const. 10. Pij IV.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. De statu Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumlibet vitæ Nostræ diuinâ dispositione commissorum paternâ diligentiâ cogitantes ad ea, per quæ illorum, ac personarum præsertim feminei sexus in illis sub Regulari castimoniâ Altissimo famulantium statui, & opportunæ subuentioni valeat salubritèr prouideri, ipsæq; personæ, semotis perturbationibus vniuersis, in pacis, & quietis amœnitate, Diuinis officijs liberiùs vacare valeant, libentèr attendimus, ac in ijs Nostri Pastoralis officij partes fauorabilitèr impartimur. Hinc est, quod Nos Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostrâ

strà merâ liberalitate,omnes,& singulas Abbatissas, Priorissas,Ministras,Moniales, & Sorores quorumcumq;Monasteriorum, Domorum, & Regularium locorum Monialium, & Sororum quorumuis Cistercien. Præmonstraten. Sanctæ Claræ, necnon S. Benedicti,& S. Augustini, ac Tertij Ordinis S. Francisci, & aliorum quorumuis Ordinum etiam sub curâ,& regimine, ac secundum Regularia instituta Fratrum Minorum de Obseruantiâ nuncupatorum, & Eremitarum eiusdem S. Augustini degentium in Lombardiâ, & quibuscumq; alijs Italiæ partibus consistentium,ipsaq;Monasteria,& domos, & loca, deductis quatuordecim ducatis auri de Camerâ pro victu cuiuslibet Monialis,seu Sororis, alios redditus non habentia, eorumque possessiones, & alia quæcunq;bona mobilia, & immobilia à quorumcumque Decimarum, & Subsidiorum, ac aliorum onerum quomodolibet nuncupatorum, per Nos, & Sedem Apostolicam,seu eius Legatos, & Nuncios, aut quoscumq;alios quâuis auctoritate fungentes, etiam pro expeditione contra Turcas, vel Fidei tuitione,ac Fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,aut quâuis aliâ vrgentissimâ causâ pro tempore impositorum solutione, ex certâ Nostrâ scientiâ, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum, prorsus eximimus, & liberamus. Et nihilominus omnibus, & singulis Collectoribus, Subcollectoribus,ac Commissarijs, necnon quibuscunq;alijs,ad Decimarum, & Subsidiorum huiusmodi exactionem deputatis, & pro tempore deputandis,in virtute S.Obedientiæ, & sub Nostræ indignationis, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnâ,districtus inhibemus,nè Abbatissas,Priorissas, Ministras,Moniales,& Sorores,Domos,& Monasteria,& loca prædicta,etiam vigore quarumcunq; litterarum à Nobis, vel Sede prædictâ pro tempore emanatarum,etiam si in eisdem contineatur, quod ad quæuis exempta,& non exempta, Domos, Monasteria,& loca se extendant,vel alterius cuiuscunq; tenoris existant,ipsius Sedis sibi concessæ facultatis, nisi de præsentibus earumq;toto tenore, ac de dictis Ordinibus,& nomine eorum, quibus dictorum Ordinum cura, gubernatio, & protectio pro tempore commissa fuerint,plenam,expressam,ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes fecerint mentionem, ad soluendum Decimas,seu Subsidia,aut onera huiusmodi quouis modo cogere,aut compellere, seu aliàs, præmissorum occasione,eas molestare,seu inquietare præsumant. Quo circa Dilectis Filijs Cameræ Apostolicæ Locumtenenti,& Almæ Vrbis Nostræ Vicario in spiritualibus generali,necnon vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis, & Episcopis,& etiam Dilectis Filijs eorum in spiritualibus Vicarijs generalibus, cæterisq; Ecclesiarum Prælati per præsentes committimus, & mandamus,quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium,seu alios eisdem,Abbatissis,Priorissis,Ministris,Monialibus, & Sororibus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, easdem præsentes,& in eis contenta, quæcumq; inuiolabilitèr obseruari faciant. Non permittentes eas, ac Domos, Monasteria,& loca huiusmodi per Collectores, aut Subcollectores,&Commissarios præfatos,seu quoscumq;alios contra earundem præsentium tenorem quomodolibet molestari;contradictores quoslibet, & rebelles per censuras,& pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna Iuris remedia,appellatione postpositâ compescendo;necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. recor. Bonifacii Papæ VIII.Prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio generali de duabus dietis editâ, dummodo non vltra tres dietas vigore præsentium ad iudicium non trahatur,& aliis constitutionibus,priuilegiis, quoq; indultis,& litteris Apostolicis, etiam in formâ Breuis, aut alijs quibuscunq; per Romanos Pontifices predecessores Nostros,ac etiam Nos,& Sedem prædictam,cum quibusuis irritatiuis,annullatiuis,reuocatiuis,exceptiuis,restrictiuis,declaratiuis,aut derogatoriarum,derogatorijs,aliisq;efficacioribus, & insolitis clausulis,etiam pluries, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus,eiam si talia forent, quod pro eorum derogatione de illis,eorumq; totis tenoribus specialis, specifica,& indiuidua,ac de verbo ad verbum, non per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret,tenores huiusmodi præsentibus pro sufficientèr expressis habentes,illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr,& expressè derogamus, cæterisq;contrarijs quibuscumq; Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis, sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis,& manu alicuius Notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo, Nonis Aprilis,Pontificatus Nostri Anno Primo. Fed.Card. Cæsius. Cæs. Glorierius. Barengus.

## CONSTITVTIO CLXXXI.

### SVMMARIVM.

1560. Sept. 8.

### PIVS PAPA IV.

*Apostatas Monachos recipi, eosdemque ad loca, seu Grangias Monasteriorum deputari sub decenti habitu(diuerso tamen à Monachis) posse per Congregationis Casinensis Abbates, constituit.*

*Ex Arch. S. Io. Euang. Parmen. Caps. 24. lib. 3. fol. 91.*

NOs Ioannes,Miseratione diuinâ,Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalis Episcopus Albanen.Moronus nuncupatus, Protector Congregationis Casinen.aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ.Vniuersis & singulis præsentes Nostras inspecturis, lecturis pariter, & audituris salutem in Domino sempiternam. Notum facimus, & attestamur qualitèr Sanctissimus in Christo Pater,& Dominus Noster Dominus Pius,diuinâ prouidentiâ,Papa Quartus, Viuæ vocis oraculo nobis facto,eidem Congregationi, ac illius Abbatibus,& Prælatis & cuilibet ipsorum licentiam, & facultatem concessit, Vt Monachos antea Ordinem prædictum in eâdem Congregatione professos,qui dimisso,vel non dimisso habitu ab eâ, suâ temeritate,recesserant,facti pœnitentes redire,ipsique Abbates,& Prælati illos recipere voluerint;si ita pro indemnitate, & honestate ipsius Congregationis, & Monasteriorum, ac saluti eorum, quos ita receperint; nè panem otiosi manducent, meliùs expedire

visum fuerit,possint eos extrà Monasteria,in alijs tamen ipsorum Monasteriorum, & Congregationis locis, & Grangijs, deputare, ac habitum à cœteris Monachis diuersum, honestum, & qui Religionem repræsentet,induere, non obstantibus quibuscunque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, & per suam Beatitudinem, & Paulum Quartum contra Apostatas editis; cœterisque contrarijs quibuscumque.In quorum fidem has præsentes manu Nostrâ subscriptas exinde fieri, & per Secretarium Nostrum subscribi ,sigillique Nostri, quo in talibus vtimur,iussimus appensione muniri. Datum Romæ in ædibus Nostræ solitæ residentiæ sub Anno à Natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo,Indictione tertiâ, Die verò octauâ Mensis Septembris,Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Pij diuinâ prouidentiâ Papæ Quarti Anno Primo. Ioannes Cardinalis Moronus Protector. Angelus Meliolus Secretarius.

## CONSTITVTIO CLXXXII,

### SVMMARIVM,

1562. Iulij 6.

### PIVS PAPA IV.

*Montes Iulium, & Thesaurariæ supprimit, & Montem Pium Recuperationum vacabilem erigit, cum emolumentis ad duodecim pro centenario, ex ratâ præcipue pecuniæ Subsidij triennalis pro scutis sexdecim millibus.*

*Ex Bullario Romano Pij IV, Const. 76.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices Apostolici muneris curas,quibus,hâc miserâ temporum conditione vexamur, dum iam inclinatis Reipublicæ Christianæ rebus, pio studio in commune consulimus,& collatis quæ vndecunque suppetunt opibus, propensâ charitate subuenimus, pecunijs exhausti, eam quoque cogitationem,non tam libentèr, quam necessariò suscipimus, quia ad huiusmodi charitatem prosequendum,ac varijs,quibus premimur,difficultatibus occurrendum,præsentia Nobis & Sedis, & Cameræ Apostolicarum prouentibus auxilia, quędam etiam circa ipsos prouentus per Nos,& aliquos prædecessores Nostros antea gesta, quando nō alia succurrit æquior ratio, nonnihil immutando, comparemus. Et obitèr ipsarum Sedis, & Cameræ meliorem conditionem integrâ cum creditoribus suis fide, faciamus, quò postmodum humanis aucti subsidijs, eodem studio, intentione, curâ,ac certiore aliquanto spe, cœptis ad Sanctissimæ Trinitatis gloriam;& eiusdem Reipublicæ quietem,& propagationem incumbere, eamque, auctore Domino,ac duce eius spiritu, tandem perficere valeamus. Cum itaque aliàs fe.re. Iulius Papa III. vnum,non vacabilem Montem Iulium sūme centum millium, tàm de Dohanarum Ciuitatis Nostræ Anconitanæ, quàm Dilectorum filiorum Communitatis eiusdem Ciuitatis ordinariis,quos factâ quandoque ipsorum centum milium scutorum restitutione, liberare posse voluit, ac piæ mem. Paulus Papa IV. prædecessores Nostri alium vacabilem Thesaurariæ Perusin. nuncupatos Montes summæ triginta trium millium, & trecentorum triginta trium, ac vnius tertij alterius, cum quatuor millium scutorum similium de eiusdem Thesaurariæ introitibus,ac redditibus, applicationibus sub certis modo, & formà tunc expressis Apostolicà auctoritate erexerint,& instituerint, pro vt in eorundem prædecessorum desuper confectis litteris pleniùs continetur,& deinde loca, & portiones dicti Montis Thesaurariæ diuersis personis iuxtà facultatem ab eodem Paulo prædecessore per eius scripturam ipsius Motu proprio, & manu signatam desuper concessam,& impartitam pro quadraginta millibus scutis similibus pignorata fuerint. Itaque post certum tunc expressum, nunc autem elapsum tempus, factà huiusmodi quadraginta millium scutorum resti tutione,redimi possent, & interim per obitum pignoratorum non vacarent. Nos, considerantes huiusmodi prouentus aliquà ex parte Ministrorum Nostrorum industrià vel iam auctos esse, vel propediem eorum locationibus renouandis,aut alias auctum iri;nec non ex Subsidio quartæ partis fructuum Congregationum Regularium, aliàs per eundem Paulum prædecessorem Montis Nouennali applicato summam sexdecim millium scutorum similium annuorum, licet ea pro quindecim millibus, & quadraginta scutis ad eiusdem Montis Nouennalis extinctionem destinasta, & dilecto Filio Nobili viro Thomæ de Marini Marchioni Casalis Maioris pro eius cautelâ, & indemnitate certis de causis obligata sit, atque ecensu Alumeriarum Tulphæ Actoris quatuor mille, & quingenta scuta similia annua, in alios vsu non erogata, sed tantum dilectis filijs ipsarum Alumeriarum Appaltatoribus certis modis assignata, adhuc superesse. Nosque his omnibus ad onerum nostrorum subleuationem, præsentium cum obligationem, & assignationem huiusmodi tollere omninò intendamus, prout ante diem publicationis præsentium de ipsius Thomæ Marchionis consensu obligationem tollemus, æquissimo iure vti posse. Verum si ex his quispiam alius Mons vacabilis supra prædictos, & cœteros tàm per eosdem, & alios Prædecessores Nostros, quàm Nos erectos, erigatur, non tàm Nobis Subsidium,ac Sedi Apostolicæ, ratione vacationis huiusmodi indemnitatem, quàm indecoram huiusmodi Montium multitudinem parari. At si tàm hi, quàm prædicti introitus, & redditus in vnum simul conferantur, tum nobis non adeò minus, tum eisdem Sedi, & Cameræ eò magis consultum fore, quò earum prouentus huiusmodi pauciores ob causas, & in partes distracti, & ideò paucioribus creditorum Collegijs obnoxij, minore ministrorum numero, minoribusque dispendijs,& laboribus, ac ratiociniorum ambagibus tractari, ipsæque Sedes, & Camera, nonnullorum dictorum introitum, ex quibus iustis pridem de causis in perpetuum venditis,nullum iam diù fructum percipiunt, venditionibus ipsis intra emptorum vitam per Nos arctatis ,celeriorem, & faciliorèm liberationem consequi poterunt. Habitâ quoque super his curâ,Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus in Consistorio Nostro Secreto deliberatione maturâ de eorum consilio, & vnanimi consensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine,Nostrâque certâ scientiâ, Iulium, & Thesaurariæ Montis illorumque erectiones, & institutiones, ac litteras, necnon locorum Montis Thesaurariæ, pignorationes quomodolibet, & quàuis de causâ, & in quorumuis fauorem factas quascunque,destinationemque summæ huiusmodi, cum omnibus, & singulis ap-

ſis applicationibus, conditionibus, obligationibus, hypothecis, & cautelis, ac pactis, ac cum quibuſuis præſeruatiuis, & alijs clauſulis, & decretis quantumcumque efficacibus, validis, & firmis, contentis in eis, de quibus, necnon eorum cauſis nos plenè informatos eſſe, eaque diligentèr inſpexiſſe, & examinaſſe atteſtamur, eorum omnium veros tenores, & formas præſentibus pro ſufficientèr expreſſis, & inſertis habentes, auctoritate prædictâ, earundem tenore præſentium perpetuò ſupprimimus, extinguimus, reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac ſuppreſſa, extincta, reuocata, caſſa, irrita, & nulla eſſe, & cenſeri debere decernimus. Et nihilominus vnum Montem Pium recuperationum nuncupandum, cuius loca, ſeu portiones reſignabilia, ſeu reſignabiles, ac vacabilia, ſeu vacabiles ad inſtar officiorum Romanæ Curiæ exiſtant, pro tot perſonis, quot pecunias ſuas in illo, vſque ad ſummam cuius ille pro modo redditunm, ac introituũ, & emolumentorum infra dicendorum capax extiterit, poſuerint auctoritate, & tenore prædictis erigimus, & inſtituimus. Ac illi ſic erecto, & inſtituto vnum quatuor millium ex Theſaurariâ ex nunc, & alium ſexdecim millium ex Subſidio, ac alium aliorum quatuor millium, & quingentorum ſcutorum huiuſmodi ex cenſũ Alumeriarum Tulphæ veteris, ac reliquum cuiuſcunque ſummæ fuerit annuos redditus, ab omnibus, & quibuſcunque impoſitionibus, reſtauris, Subſidijs, grauaminibus, oneribus, & cauſis fortuitis, liberos, immunes, & exemptos, ex vniuerſis, vt præfertur, augendis dohanarum huiuſmodi fructibus, prouentibus, & introitibus, qui nunc ad nouem millia ſcuta ſimilia aſcendunt ex nunc, prout ex tunc, poſtquam obligatio, & aſſignatio ſublatæ, ac fructus, prouentus, & introitus huiusmodi aucti reſpectiuè, & interim dicta nouem millia ſcuta, ac loca quatuor millium, & quingentorum ex cenſũ huiuſmodi, donec eorum aſſignatio prædicta finita fuerit, totidem, per infrà dicendum Montis eiuſdem Depoſitarium cuius ad hoc expreſſus accideret aſſenſus, de ſuis pecunijs perſoluenda etiam ex nunc præter ea certa alia introitus, & emolumentâ ſimili miniſtrorum eorundem induſtriâ licitè conquiſita, & conquirenda, ac per alias Noſtras litteras ad hunc vſum, & effectum ſpecialitèr adſcribenda, & transferenda, ſi ea per futuras Montis erecti huiuſmodi perſonas, quæ tunc deſcriptæ reperirētur, approbabũtur, & acceptabuntur, ex nunc, prout ex tunc poſtquam approbata, & acceptata fuerint, vt præfertur, & è contra, aſſignamus, applicamus, & appropriamus. Necnon Montem per Nos erectum huiuſmodi, illiuſque futurum Collegium, & perſonas in Noſtrum, & Sedis, ac Cameræ prædictarum locum, quoad redditus, & introitus, ac emolumenta applicata huiuſmodi, illorumque liberam perceptionem, & exactionem, ponimus, ſubſtituimus, & ſubrogamus, ac pro maiori eiuſdem Montis, & Collegij, ac perſonarum cautelâ, & ſecuritate, vltrà redditus, & introitus, ac emolumenta aſſignata prædicta, omnia, & ſingula alia Sedis, & Cameræ prædictarum bona mobilia, & immobilia, Eccleſiaſtica, & temporalia, præſentia, & futura vbilibet conſiſtentia, etiam ſi regalia, vel aliàs talia ſint, quæ in obligatione generali non comprehendantur, eis tàm generalitèr, quàm ſpecialitèr, & expreſsè, ac in ſolidum obligamus, & hypothecamus, ac obligata, & hypothecata eſſe decernimus. Volentes, & eâdem auctoritate Apoſtolicâ ſtatuentes, quod quæcunque vtriuſque ſexus perſonæ cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentes, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, & Eccleſijs Cathedralibus, etiam Metropolitan: ſeu Monaſterijs præſint, ac quæcunque, quotcunque, & qualiacunque Beneficia Eccleſiaſtica obtineant, ac in Sacris etiam Preſbiteratus Ordinibus conſtitutæ, necnon Hieroſolymitani, vel quorumuis Hoſpitalium, & Militiarum, ac quorumcuuque, non tamen Mendicantium Ordinum Religioſe, quibus à iure, aut per priuilegium conceſſum eſt proprium retinere poſſe, cuiuſcunque nominis qualitatis, & conditionis, ac qualitercunque, præterquam ratione Regularis profeſſionis in aliquo Ordine Mendicantium dumtaxat, inhabiles, & incapaces exiſtant, in Monte per nos erecto huiuſmodi quaſcunque pecuniarum quantitates, non tamen infrà centũ ſcuta ſimilia in ſingula perſonas huiuſmodi vſque ad ſummam, cuius Mõs ipſe capax erit (vt præfertur) ponere. Et tàm ipſæ perſonæ, quàm alij ab eis cauſam habentes, quoad vixerint pro pecunijs ſic poſitis ad rationem duodecim ſcutorum, iuliis decem pro quolibet ſcuto computatis pro centenario ſingulis annis, & quolibet bimeſtri eorum ratam ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo, ſeu reſtitutionis onere, etiam ſi læſæ maieſtatis, aut alia quæcunque, & qualiacunque grauiſſima crimina, præterquam in perſonam Rom. Pon. pro tempore exiſtentis, aut alicuius eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalis commiſerint, & propter ea, ſiue legitimè conuictæ, ſiue in eorum non comparentium contumaciam in pœnam vltimi ſupplicij condemnatæ, ſeu condemnandæ, & huiuſmodi pœnæ tradendæ, atque omnia eorum bona confiſcata, aut confiſcanda fuerint, tàm pro ſorte, quàm pro emolumentis ſuorum in ipſo Monte locorum, ſeu portionum, & pecuniarum (quæ ſeu nullatenùs confiſcari, aut ad inſtantiam quorumcunq; ſuorum creditorum, vel aliàs aliquo modo ſequeſtrari, aut impediri poſſe decernimus) integrè, omni prorſus impedimento ceſſante, percipere, & habere. Ac loca ſeu portiones, & pecunias huiuſmodi, corpore tamen ſanæ, & aliàs prout in reſignationibus officiorum Romanæ Curiæ huiuſmodi obſeruatur, in vnius, vel plurium, prout eis placuerit, etiam filiorum ſuorum illegitimorum ex quocunque, quantumcunque damnato coitù procreatorum, aut aliarum etiam magis incapaciũm perſonarum fauorem, in manibus pro tempore exiſtentis Cameræ Apoſtolicæ Præſidentis reſignare, & de locis, ſeu portionibus ipſis, dummodo in perſonam vnius de minori, quam centum ſcutorum ſimilium ſummâ non diſponatur, nullâ aliâ deſuper obtentâ diſpenſatione, in toto, vel parte ſimul, vel ſeparatim per viam reſignationis huiuſmodi liberè diſponere poſſint, ita vt ipſi reſignatarii in pecunijs per eos, vel à quibus cauſam habuerint poſitis, ac locis, ſeu portionibus, & emolumentis prædictis per eandem reſignationem ſuccedere, & ad illa admitti debeant. Quodque perſonæ Montis huiuſmodi Collegium inter ſe conſtituere, ac eiuſdem Montis, ac illius perſonarum defenſores deputare, ac Collegialia iura, & inſignia habere; necnon quæcunque ſtatuta, & ordinationes licita, & honeſta, ac Sacris Canonibus minimè contraria proſperum, & tranquillum ſtatum Montis huiuſmodi concernentia concedere, ac condita mutare, corrigere, reformare, & alterare. Ac quaſcunque pœnas, etiam pecuniarias Monti, ſeu Collegio huiuſmodi, vel quibus eis placuerit, & videbitur applicandas, in quoſcunque, ſtatutis, & ordinationibus prædictis contrauenientes, infligere, necnon omnibus, & ſingulis priuilegijs, facul-

facultatibus,exemptionibus,immunitatibus, gratijs, litteris, & indultis, quibus cœtera quorumcunque Vrbis Montium vacabilium Collegia, vtuntur, potiuntur,& gaudent, ac vti potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum,vti,potiri, & gaudere,liberè,& licitè possint. Et quod Mons per præsentes erectus,illiusque Collegium, & personæ huiusmodi,ratione pecuniarum,quas in eodem Monte habuerint, ab omni decimarum, & etiam mesatæ nuncupatæ, & aliarum impositionum per Nos, & pro tempore existentem Rom. Pon., etiam pro defensione Fidei,& augumento cultus Diuini, & pauperum subuentione,& conseruatione status Romanæ Ecclesiæ,quomodolibet impositarum solutione, libera,immunia,& exempta existant, & censeri debeant. Nec super annuis redditibus,ac introitibus, & emolumentis eis assignatis huiusmodi, illorumue perceptione,& exactione,etiam per Nos, ac successores Nostros Rom. Pon. pro tempore existentes, seu dictam Sedem quouismodo perturbari, impediri, aut molestari, seu aliquo grauamine, vel onere, etiam si euidens vtilitas, & vrgens necessitas, etiam pro eiusdem Fidei tuitione, pauperum subuentione, & expeditione contra infideles,id suaserint, onerari, seu grauari possint. Et ad probandum quod pecuniæ in dicto Monte positæ, vel aliqua earum pars in vtilitatem, aut necessitatem Roman. Ecclesiæ, vel Sedis, ac Cameræ prædictarum conuersæ fuerint, minimè teneantur. Quodque eędem præsentes litteræ vim,& robur veri,& validi contractus, ac obligationis inter Nos, ac Sedem, & Cameram prædictas ex vnâ, & eos, qui pecunias super ipso Monte posuerint, aut ab eis causam habuerint, ex altera partibus legitimè initi,& stipulati obtineant, ac obtinere debeant. Ne autem personæ, quæ in Montibus suppressis huiusmodi,ante ipsam suppressionem portiones habebant detrimentum propterea patiantur,eis ipsos necnon Sedem,& Cameram prædictas, tàm pecuniarum,quas in eisdem suppressis Montibus habebant, quàm fructuum, & emolumentorum, quæ ratione ipsarum pecuniarum, si ijdem Montes suppressi non fuissent, percepturi fuerant debitores,quâ decet gratitudine,& sinceritate,ex simili scientiâ, harum serie constituimus, & confitemur,ac ipsis pecunias, & fructus, ac emolumenta eis debita huiusmodi pecunias videlicet, sortemque principalem in fine anni à die publicationis præsentium computandi, fructus vero, & emolumenta, quod ad Iulium,ad rationem octo, quo ad Thesaurariæ verò Montes huiusmodi ad rationem decem pro quibuslibet centenarijs, tàm pro diuersis hactenùs,quã pro decurrendis temporibus, vsque ad finem dicti anni dumtaxat, eodem quo ante suppressionem ipsam modo,& ordine realitèr, & cum effectû integrè restituenda,atque soluenda esse, spondemus. Ac pro maiori earum cautelâ necnon celeriori,& faciliori Montis per præsentes erecti huiusmodi effectu,Dilectum Filium Hieronymum Ceuli Mercatorem Pisan. dictam Curiam sequen. fide omnibus probatum, ac facultatibus idoneum, annuorum,redditunm,ac introituum, & emolumẽtorum ipsi Monti,vt præfertur,applicatorum, exactorem, ac eiusdem Montis,& illius Collegij Depositariũ irreuocabilem, & perpetuum,ad hoc, vt restitutionem,& solutionem prædictas,vt præmittitur, facere, necnon personas dicti Montis pro ratâ pecuniarum, & portionum,quas in illo habuerint quolibet bimestri distribuere, & diuidere, etiam de suis proprijs pecunijs pro portione quatuor millium, & quingentorum scutorum similium annuorum, quousque annuus,redditus, ex censu Alumeriarum Monti per præsentes erecto applicatus huiusmodi à prædictis Appaltatoribus liberatus fuerit, vt præfertur. Et hæc omnia promittere, atque pro restitutione sortis huiusmodi infra dictum annum, vt præmittitur facienda, se ad summam centum & quadraginta millium scutorum similium soluendum per suam in formâ depositi liberam cedulam obligare debeat,auctoritate, & tenore prædictis constituimus,& deputamus; eique,vt præmissa, & libetiùs,& tutiùs præstare valeat,si,& post quam dictam obligationem fecerit mille, & quadringenta loca eiusdem Montis per pręsentes erecti, ita vt de illis non,nisi postquam de alijs dispositum fuerit,disponere possit, consignari volumus; eidemque, vt si quæ ex dictis personis,quæ pecunias,& positiones in huiusmodi montibus suppressio habebant,pro extinctione crediti sui, ad loca, seu portiones Montis per præsentes erecti intra dictum annum transferri, quã restitutionem pecuniarum in finem anni huiusmodi expectare maluerint,illis pro quantitate dicti crediti totidem loca, seu portiones eiusdem montis, de ijs videlicet, quæ dicto Hieronymo Depositario consignabuntur. Ita tamen, quòd ratione fructuum, & emolumentorum non vltra quam ad rationem octo & decem respectiuè pro centenario, prout quæque Iulij,vel Thesaurariæ Montium huiusmodi creditrices erant, dicto anno durante, percipere debeant assignare, & tradere, & tàm ipsis, quam alijs personis pecunias suas in illo pro tempore ponentibus, pro earum securitate litteras patentes,quę eiusdem Pręsidentis pro tempore existentis manu subscriptæ, ac sigillo eiusdem montis munitæ sint, tam hâc primâ vice, quàm quotiens loca, seu portiones huiusmodi per resignationem, vel per obitum, aut aliàs vacare contigerit, solutis tamen ipsi Depositario, per easdẽ personas pro numero locorum, seu portionum in ipsis patentibus litteris compræhensorum totidem quinque iulijs, inter infrascriptos ministros pro eorum salariis distribuendis conficere, & tradere. Quibus visis Collegium Montis huiusmodi, seu illius Officialis pro tempore existentes, ad quos id spectabit, statim easdem personas pro quibus illæ emanauerint, nullâ aliâ ab eis ratione admissionis earum, aut alterius cuiuscunque causæ petitâ, vel receptâ solutione, in numerum participum ipsius Collegij recipere,ac ad emolumentorum pro ratâ locorum, seu portionum huiusmodi eis debitorum perceptionem admittere teneantur. Ac eiusdem Montis Secretarium, & quotquot eidem Hieronymo Depositario videbuntur necessarios Ministros,cum honoribus,& oneribus, ac salarijs sibi benè visis constituere & deputare, cœteraque desuper opportuna facere, & exequi valeat, plenam, & omnimodam facultatem concedimus. Et insuper,ne aliquando contingat redditus per nos Monti erecto ex Subsidio huiusmodi assignatos in incerto esse,neuè personæ dicti Montis Nouennalis propter reuocationem destinationis summæ huiusmodi pecuniarum suarum iacturam formident, de consilio, & potestatis plenitudine, ac scientiâ similibus, auctoritate, & tenore præmissis, Subsidium ipsum sæpiùs iam,& diuersis modis à diuersis prædecessoribus Nostris, & postremò à Nobis prorogatum,nec non Montem Nouennalem prædictum similitèr dudum per Nos prorogatum seu de nouo erectum, eorumq; postremas prorogationes, seu de nouo erectiones,ac tempus in eis expressum, ex nunc à fine ipsius temporis,quoad Subsidium,videlicet vsquequo Mons per præsentes erectus subsistet; quo ad Montem vero Nouennalem huiusmodi, vsque

di, vſquequo omnia illius loca, ſoluto pro eis eorum dominis præcio, redempta fuerint, cum omnibus, & ſingulis conditionibus, modis, & formis in alijs prorogationibus, & ſeu de nouo erectione prædictis cōtentis, exceptâ dumtaxat dictæ ſummæ ad extinctionem eiuſdem Montis Nouennalis deſtinatione prorogamus, & ſufficientèr prorogatum eſſe, & cenſeri debere decernimus, curaturi, quin etiam omnino effecturi, vt ipſe Congregationes ad huiuſmodi Subſidij ſolutiones ſingulis triennijs de cœtero faciendas, prout hactenus fecerunt, ſe obligent, obligationeſq; ipſas in fine cuiuslibet triennij renouent. Et vt futuræ dicti Montis per præſentes erecti perſone vberiorem ex liberalitate Noſtrâ commodum conſequantur, volumus, & eâdem auctoritate ſtatuimus, eiſque indulgemus, quod loca, ſeu portiones ipſius Montis quæ perſonæ ipſe intra ſex menſes ab eâdem die publicationis præſentium per triennium, quæ verò poſt ipſos ſex menſes hâc prima vice emerint, per triginta menſes, quæ autem de ijs quæ dicto Hieronymo Depoſitario conſignabuntur, vt præmittitur, poſt dictum annum hâc primâ vice emerint per triennium à die emptionis huiuſmodi computandum per obitum non vacent, ſed ad hæredes decedentium, dictis triennio, & triginta menſibus reſpectiuè durantibus deueniant. Ipſique hæredes loca, ſeu portiones huiuſmodi retinere, vel reſignare, ac præcium eorum, ſeu earum recipere poſſint, ac ipſæ reſignationes admitti debeant, ita quòd tempus, quod ad triennia, & triginta menſes huiuſmodi reſpectiuè perficienda defuerit in his perſonis, ad quas loca, ſeu portiones huiuſmodi per ſimiles ſucceſſiones, vel reſignationes deuenient, integrè perficiatur. Quodque eędem perſonæ ad loca ipſius Montis quaſuis perſonas, ſub quarum nominibus loca ipſa cantent, nominare, & ſibi ipſis quoad ipſæ perſonæ nominandæ vixerint, tàm locorum, ſeu portionum, quàm eorum fructuum, & emolumentorum omnimodam diſpoſitionem, illa interim perſonis ſic nominatis penitùs interdicta, ac cum alijs ſibi viſis, aliàs tamen licitis, & honeſtis pactis conditionibuſque reſeruare poſſint. Ita tamen quod per obitum ipſarum ſic nominatarum perſonarum, niſi prius reſignauerint, omnino vacent. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula inuiolabilitèr obſeruari, & ita per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſeu eorum Locatenentes, ac eiuſdē Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere; Necnon irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quâuis auctoritate, ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Symmachi, & Pauli II. de rebus Eccleſiæ nō alienandis, ac prædicti Pauli IV. prędeceſſorum Noſtrorum de alienatis recuperandis, ac Noſtrâ de non tollendo iure quæſito, quatenùs opus ſit, alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; necnon dictarum Cameræ, ac Congregationum, & Ordinum, quorum ipſę Congregationes ſunt, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis perſonis, & Congregationibus præfatis, ac earundem Ordinibus per quoſcūque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac Nos, & Sedem eamdem quomodolibet, etiam motu proprio, ac conſiſtorialitèr, & ex ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui, necnon cum quibuſuis etiā derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, & in eis caueatur, quod illis nullatenùs derogari poſſit. Illorum omnium tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficientèr expreſſis, ac de verbo ad verbum inſerendis, necnon modos, & formas ad hoc ſeruandos pro ſeruatis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hâc vice dumtaxat, harum ſerie, ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem quòd occurrente pro tempore locorum Montis per præſentes erecti huiuſmodi vacatione per obitum, aut aliàs quouis modo, prætterquam per reſignationem, quicquid pecuniarum ex illorum ſic vacantium vēditione proueniet, in totidem locorum eiuſdem Nouennalis primo, & poſtea Pij Farinæ nuncupati, ac deinceps prout quiſque antiquior eſt aliorum Montium hactenùs erectorum non vacabilium, donec aliqua ſupererint, redemptionem, vnà cum fructibus, & emolumentis, quæ de Nouennalis, & Pij Farinæ, ac aliorum Montium eorundem locis ita, vel aliàs redempti ad Sedem, & Cameram prædictas ſpectabunt, & non in alios vſus integrè conuertantur, ita tamen quod in euentum, in quem dictus Thomas Marchio, vel illius hæredes à perſonis Montis Nouennalis huiuſmodi ad ipſius Montis extinctionem vigore obligationis ad id per ipſum Thomam Marchionem factæ, cogi poſſint, & exinde extinctio ipſa fiat, pecuniæ, quæ ex locorum ſic vacantium venditione huiuſmodi prouenient, vt præfertur, Thomæ Marchioni, & poſt eius obitum eius hęredibus prędictis, pro pecunijs, quę illi in extinctionem huiuſmodi erogauerint, vſque ad earum omnium integram, & realem reſtitutionem in ſolutum dari, & interim donec ipſa reſtitutio fiat quatuordecim millia, & noningenta ac ſexaginta ſcuta dicto Monti Nouennali pro eius fructibus aſſignata, pro eâ parte, quę de locis eiuſdem Montis vigore obligationis prędictę extinctis recuperata fuerit, Thomę Marchionis, & poſt eius obitum illius hęredum huiuſmodi, etiam abſque eo quod in ſortem computentur, eſſe debeant. Nec de illis aut pecunijs ex venditione prędictâ prouenturis, antequam Thomę Marchionis, & eius hęredibus prędictis propterea ſatisfactum ſit, alitèr diſponi poſſit, & ad hunc effectū, necnon vt dictus Thomas Marchio quo ſibi abundātiùs cautū intellexerit, & faciliùs ad conſentiendum inducatur, ipſum Thomam Marchionem, tàm pecuniarum, quàm fructuum, & emolumentorum prædictorum exactorem, & Depoſitarium; ita quod pecuniæ apud illum, aut ad id pro tempore deputandum ab eo, & non apud alium quemcunque, etiam in ipſamet venditione, exburſari; & tàm illæ, quàm eadem fructus, & emolumenta ad eum integrè peruenire debeant, harum ſerie conſtituimus, & deputamus. Eique, & poſt eius obitum eius hæredibus prædictis in euentum præmiſſum ex nunc, prout ex tunc, & è contra, vſque quo eis ſatisfactum fuerit (vt premittitur) pecunias in ſolutum damus, ac quatuordecim millia, & noningenta, ac ſexaginta ſcuta pro parte recuperata huiuſmodi, ita vt quoad illa ipſi Thomas Marchio, &

eius

eius hæredes cæteris,quibus ea forsan assignata, vel obligata forent,omninò præferantur,assignamus, ac expressè obligamus. Item volumus quod cum primum omnia aliorum Montium loca redempta fuerint, loca Montis per Nos erecti huiusmodi, vt præfertur,vacantia per Nos, aut Rom.Pon.pro tempore existentes,alijs concedi non possint, sed tàm illa, eorum vacatione occurrente, quàm loca redempta huiusmodi,eorum redemptione factâ, vt præmittitur, eo ipso extinguantur, & expirent. Quodque præsentium litterarum transumptis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo Collegij Montis per Nos erecti huiusmodi, seu alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ea prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Ac vt ille ad omnium quorum interest, aut intererit quomodolibet in futurum notitiam perueniant, quod per aliquem ex Nostris Cursoribus in acie Campi Floræ affigantur, ac aliàs more solito publicentur. Quarum affixio, & publicatio eos, quos huiusmodi præsentes concernunt perinde arctet, ac si dictæ præsentes eisdem personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrorum suppressionis, extinctionis,reuocationis,cassationis,irritationis, annullationis,erectionis, institutionis, assignationis, applicationis, appropriationis, positionis, subrogationis, subrogationis, obligationis, hypothecationis, constitutionis,confessionis,sponsionis,deputationis, concessionis,prorogationis, voluntatum, statutorum,decretorum,indulti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit,indignationem Omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo,Pridie Nonas Iulii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

Ego Pius Catholicæ Ecclesię Episcopus.

Ego R. Card. de Carpo Episcopus Ostien. Ego F. Card. Pisanus Episcopus Portuen. Ego Fed. Card. Cęsius Episcopus Tuscul. Ego Io. Card. Moronus Episcopus Prenest. Ego Otho Card. Augustus Episcopus Alban. Ego Ti. Card. Crispus. Ego Io. Mi. Card.Saracenus. Ego Io. Card. Sancti Vitalis. Ego Ia. Putheus Card. Ego Io. B. Cicada Card. S. Clemen. Ego B.Card.Tranen. Ego Scipio Card. Pisarum. Ego Io. Card. Reumanus. Ego Io. Ant.Card. Capisuccus.Ego F.M.G.Card.Alexādrinus.Ego Io. Ant.Card S.Georgij. Ego Bernardus Card.Saluiatus Ego Ph. Card. Aburd. Ego M.Ant.Card.Amulius. Ego Ber.Card.Nauagerius.Ego G.Asc.Card.Cam. Ego Carolus Card.Borromęus.Ego Frācisc us Car. Gonzaga. Cæ. Glorierius. Franciscus de Lyon.

Registrata apud Cæsarem Secretarium. Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quintâ, die verò vigesimâ quartâ mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Pij Diuinâ prouidentiâ Papæ IIII.anno tertio, præsentes litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ in acie Cāpi Floræ, vt moris est, per me Andream de Curiâ eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ Curs. Camillus Cherubinus Mag. Curs.

Die quartâ Ianuarii 1563. Illustrissimus D.Thomas de Marinis per certos procuratores suos consensit, & D. Hier. Ceuli confecit Cedulam de scutis centum quadraginta millibus, promisitque, & se obligauit, prout in actis meis. Hię. de Tarano.



## CONSTITVTIO CLXXXIII.

### *SVMMARIVM.*

*1564. Ianuarij 18.*

### PIVS PAPA IV.

1 *Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis in actis publicis, & priuatis,dimissâ superiori veste, seu pallio,cum Rocchetto,seu lineâ veste incedentes,vtpote in habitu Clericali, & tamquam Clerici,superiorem locum,ac præcedentiam à Monachis Casinensibus habere decernit.*

2 *Inter Abbates Canonicos Lateranenses, & Abbates Congregationis Casinensis,antiquior in Abbatiâ, seu primò promotus præcedentiam habere statuit; sententiamque super his à Cardinalibus Saraceno, Cicadæ, & Scotto relatam, confirmat.*

*Ex lib. Priuil. Canonicorum Regul. fol. 530.*

PIus Papa IV. Ad futuram rei memoriam. Sedis Apostolicę prouidentia circumspecta, nè rursus, quæ in controuersijs inter personas Ecclesiasticas, presertim Altissimo sub Regulari professione famulantes, exortis pro tranquillo Religionis statu prudenter ordinauit in molestos contentionis anfractus relabantur, maiorem solet, dum id res ipsa
1 requirit,adhibere cautionem. 1 Sanè nuper,postquam,sicut Nobis innouerat,ab antiquis vsque temporibus, & supra centum annos retroactos,lis, & causa,seu controuersia inter Dilectos Filios Rectorem Generalem, & Canonicos Regulares Sancti Augustini, Congregationis Lateranen. ex vnâ, ac Monachos Sancti Benedicti Ordinis Casinen. aliàs S. Iustinæ de Paduâ Congregationum, partibus ex alterâ,super illorum Præcedentiâ, seu iure præcedendi suborta,& coram diuersis Iudicibus, etiam in Nostro causarum Palatii Apostolici Auditorio ventilatâ;ac demum, non sine animi Nostri molestiâ in Oecumenico Concilio Tridentino inter earundem Congregationum Abbates renouata fuerat. Nos considerantes lites, & controuersias huiusmodi in Ecclesiâ,præsertim inter Religiosas, & reformatas personas, quæ relictis mundi vanitatibus votum suum in humilitatis Spiritu Domino, & Deo Nostro,qui se pro Nobis vsque adeò humiliauit,vt formam Serui acciperet, persoluere profitentur,non modicum illi præclaræ,Deoq; præcipuè dilectæ virtuti,quæ est humilitas,labem infundere,populoq;scandalum generare, ac propterea illis,omni ratione submouendis, publicæq; Religionis tranquillitati, ac Ministrorum Dei reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum consulendum esse rati. Motu proprio dictas causas, & controuersias vbilibet,& coràm quibusuis Iudicibus motas, & in quibusuis instantijs indecisas pendentes, ab eisdem iudicibus ad Nos auocauimus, illasq; Dilectis Filijs Nostris Ioanni Michaeli S. Anastasiæ Saraceno, Ioanni Baptistæ,Sancti Clementis Cicadæ, ac Bernardino Scotto nuncupatis S.R.E. Presbyteris Cardinalibus audiendas,cognoscendas, & deciden. per quandam Motus proprij schedulam primò, & deinde illas per aliud Nostrum rescriptum eisdem Cardinalibus per eos audiendas tantum, Nobisq; referendas commisimus, qui quidem Cardinales dictis

dictis partibus eorumue procuratoribus,& aduocatis pluriès auditis,dubijsq;emergentibus ad plenum discussis,& resolutis comperto satis per eos ex compluribus litteris Apostolicis, diuersisq; alijs documentis,rationibus,& probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt,& sunt de illis Clericis à S. Augustino,quinimò à S.Apostolis institutis , eosdem Canonicos,ac in suæ antiquæ institutionis huiusmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis, quâ eos statim, quod professionis Regulam emittunt insignitos esse oportet, aliarumq; qualitatū in eis existentium ratione, dictamq; illorum Congregationem Lateranen.præfatos Monachos, & eorum Congregationem Casinen. præcedere debere censuerunt , & concluserunt; suamq; conclusionem huiusmodi ad audientiam Nostram, iuxtà vltimi Nostri rescripti præfati tenorem retulerunt. Vnde Nos illorum relatione intellectâ, eâq; per Nos diligentèr examinatâ;quoniam eam in omnibus suis partibus veritati, & iuri consonam comperimus;per Nostram difinitiuam sententiam pronuntiauimus,sententiauimus, decreuimus,& declarauimus,Abbates,Prælatos, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranen., vti Clericos,dimissa superiori veste, pallio, seu cappâ in lineâ veste,Clericaliq;habitu incedentes, quod etiam in Almâ Vrbe consuetum fuerat, & tunc obseruabatur in Processionibus, & omnibus alijs actibus publicis,& priuatis,tàm in dictâ Vrbe, Nostroq; & aliorum Romanorum Pontificum successorum Nostrorum conspectu, quam aliàs in vniuersis, & quibuscunq; aliis Ciuitatibus,Terris,Oppidis, & locis,Abbates,Prælatos, & Monachos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Casinen. præfatos,præcedere debuisse, & debere; ac eosdem Abbates, Prælatos,& Canonicos Regulares,dictamq; eorum Congregationem,vt præfertur incedentes,dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S.Benedicti, & eorum Congregationi, in omnibus, & singulis præmissis præferendos, anteponen. & indigniori loco collocandos fore, & esse.
2 2 Abbates vero dictarum Congregationum singularitèr,& de per se, absq;eorum Conuentibus in Concilijs Prouincialibus, & Synodalibus, ac alijs actibus publicis, & priuatis,in quibus Abbates de iure,vel consuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt,inter se se iuxtà singulorum ipsorum Abbatum ibidem interuenientium priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illarum promotione dumtaxat,non autem Congregatione, & Ordine, cuius sint auctoritatis præcedere, & præferri, & in digniori loco collocari debuisse, & debere, prout ex tunc prætulimus, anteposuimus, & collocauimus, præferriq; anteponi, & collocari mandauimus; iactationes quoque molestationes, oppressiones, perturbationes, vexationes, & impedimenta quęcunque per Abbates, Prælatos, & Monacos præfatos, & eorum Congregationem Casinen. eisdem Abbatibus, Prælatis, & Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis super prefatis omnibus, & singulis, & illorum occasione quomodolibet factas, prestitas,& illatas, facta, prestita,& illata fuisse, & esse temerarias illicitas, indebitas, & iniustas temerariaque illicita, indebita, & iniusta, ac de facto presumptas, & presumpta, illasque, & illa Abbatibus Prelatis, & Monacis Congregationis Casinensis huiusmodi fecisse, & facere minimè licuisse, neque licere de iure; & propterea de, & super ills, ac dicto iure precedendi omnibus, & singulis alijs premissis perpetuum silentium imponendum fore, & esse, & tunc imposuimus,prout in rescriptâ relatione,& sententiâ prefatis pleniùs continetur. Nè autem de sententię, aliorumque premissorum validitate vllo vnquam tempore dubitari, ac propterea,vel alio quouis pretextu rem maturè decussam, & iudicatam, rursus in controuersiam retrahi, neuè denuò in Ecclesiâ Dei inter tales personas religiosas contentiones exoriri, ac populo scandala generari contingat, tempestiuè prouidere, ac supremam huic negocio manum apponere cupientes,necnon veriores literarum singularum prędecessorum, ac rescripti, processus relationis,sententięque prefatorum, & inde secutorum tenores pręsentibus pro sufficientèr expressis habentes. Motu simili, non ad ipsorum Abbatum, Prælatorum,& Canonicorum Regularium Cōgregationis Lateranensis, vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatę petitionis instantiam,sed ex merâ deliberatione, & certâ scientiâ Nostrâ,ac de Apostolicę potestatis plenitudine, ad effectum executionis dictę sententię tantum, omnes, & singulos processus,& sententię prefatorum,defectus etiam substantiales, si qui forsan in eisdem interuenerint, harum serie supplemus, ac eandem sententiam,vnà cum eius processu,validos, & efficaces esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & inuiolabilitèr ab omnibus obseruari debere, nec partes ipsas ab eis vllo vnquam tempore,quouis prętextu,quęsitoue colore resilire posse, sed ad illorum obseruationem teneri, censurisque, & pœnis tàm Ecclesiasticis, quàm pecuniarijs ad id cogi, & compelli; neque Monacos,eorumve Congregationem aduersus sententiam, aliaue premissa in publicum statū quouis quęsito colore, vel ingenio restitui, nec illa oppugnantes audiri,pręsentesque litteras de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis Nostrę,aut alio quouis defectu notari, seu impugnari posse. Sicque & non alitèr per quoscunque Iudices, & Commissarios etiam S.R.E.Cardinales sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate iudicari,& definiri debere, ac quicquid secus à quoquā quàuis auctoritate, scientèr vel ignorantèr attemptari contigerit irritum, & inane decernimus, pręmissaque omnia perpetuò statuimus, & quod ita fiant, & obseruentur; Volumus, atque mandamus similitèr Ven. Fratri Episcopo Amerin. & dilectis filijs Nostro in Almâ Vrbe, & eius districtu Vicario in spiritualibus, ac Curię Causarum Camerę Apostolicę Auditori generalibus, per pręsentes motu pari mandantes,quatenùs ipsi, aut duo, vel vnus eorum per se,vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque,vbi,& quando opus fuerit, ac quotiès pro parte Rectoris Generalis, & Abbatum, Prælatorum, ac Regularium Canonicorum S. Augustini Congregationis Lateranen. præfatorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemnitèr publicātes,ac illis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistētes faciāt, auctoritate Nostrâ illos suppletione,decreto,statuto,voluntate, & mandato,alijsq; præmissis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos,vel eorum quempiam,desuper per quoscunque,quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias, etiam arbitrio suo moderandas, & applicandas, quàm etiam priuationis beneficiorum Ecclesiasticorum per ipsos contradictores obtentorum pœnas,aliaq; iuris remedia, appellatione postpositâ compescendo,ac legitimis super his habendis seruatis processibus illos sententias censuras, & pœnas

nas huiusmodi incurrisse declarando, illasq; etiam iteratis vicibus aggrauando, & Interdictum Ecclesiasticum imponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonif. Papæ VIII. Prædecessoris Nostris de vnâ, & Concilii generalis, de duabus dietis, dummodò quispiam, præsentium vigore, vltrâ tres diteas ad iudicium non trahatur; ac alijs quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, & Ordinum, ac Congregationum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, vel consuetudinibus, priuilegijs, quoq; indultis, & litteris Apostolicis, illis eorumq; Superioribus, ac personis sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum, derogatorijs alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis. irritantibusq; & alijs decretis, in genere, vel specie, etiam motu, & scientiâ similibus quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentiqus pro sufficientèr expressis, & insertis, habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus; contrarijs quibuscunq; aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab Apostolicâ sit Sede indultû, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, in iudicio, & extrà, vbilibet locorum, plena, & indubia, eademq; prosus fides adhibeatur, quæ ipsis pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Ianuarij MDLXIIII. Pontificatus Nostri Anno quinto.

*Sententia pro Præcedentiâ inter Canonicos Regulares Lateranenses, & Monachos Casinenses, ac inter eorumdem Abbates.*

*Ex lib. Priuil. Canonic. Regul. Lateranen. fol. 528.*

Christi Nomine inuocato, pro Tribunali sedentes, & solum Deum prę oculis habentes, per hanc Nostram definitiuam sententiam, quam ferimus in his scriptis in causâ, & causis, quę coram Nobis, & quas Dilectis filijs Nostris Io: Michaeli Saraceno Tituli S. Anastasię, Ioanni Baptistę Cicadę, Tituli S. Clementis, & Bernardino Scotto Tituli S. Matthęi, S. R. E. Cardinalibus, primò audiendas, & per eos decidendas, & terminandas; & deinde per pręfatos Cardinales per Apostolicâ Nostra rescripta Nobis referendas commisimus inter Dilectos filios Abbates, Prelatos, & Canonicos Regulares, Ordinis S. Augustini, Congregationis Lateranensis, & vniuersam eorum Congregationem ex vnâ, & Prelatos, Abbates, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, aliâs S. Iustinę de Paduâ nuncupatos, & dictam eorum Congregationem, de, & super Precedentiâ, & iure pręcedendi, tam in Processionibus, quam in generalibus, & Synodalibus, seu Prouincialibus Concilijs, omnibusque actibus publicis, & priuatis, rebusque alijs in actis causę, & causarum huiusmodi latiùs deductis, & illorum occasione in primâ, seu aliâ versę fuerunt, & vertebantur instantijs, partibus ex alterâ. Causâ huiusmodi coram dictis Cardinalibus ad plenùm ventilatâ, & sępius auditis partibus, & dubijs in eâ plenè discussis, & resolutis, ac visis de iure videndis; & demum per dictos Cardinales Nobis maturâ desuper factâ relatione, pronunciamus, sententiamus, decernimus, & declaramus Abbates, Prȩlatos, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis, vti Clericos, dimissâ superiori veste, pallio, seu cappâ, in lineâ veste, clericalique habitu incedentes, quod etiam in Almâ Nostrâ Vrbe Romȩ fuit, & nunc obseruatur, in processionibus, & omnibus alijs actibus publicis, & priuatis, tam in dicta Almâ Vrbe Nostrâ, Nostroque, & successorum Nostrorum conspectu, quam aliàs vniuersis, ac quibuscumque alijs Ciuitatibus, terris, oppidis, & locis, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis Ordinis S. Benedicti Casinensis præcedere debuisse, & debere; eosdemque Abbates Prælatos, & Canonicos Regulares, dictamque eorum Congregationem, vt suprà incedentes, dictis Abbatibus, Prelatis, & Monachis S. Benedicti, & eorum Congregationi in omnibus, & singulis præmissis præferendos, anteponendos, & in digniori loco collocandos fore, & esse. Abbates vero dictarum Congregationum Lateranensis, & S. Benedicti singularitèr, & de per se absque eorum Conuentibus in Concilijs generalibus, Prouincialibus, & Synodalibus, & alijs actibus publicis, & priuatis, in quibus Abbates de iure, vel de consuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter se se, iuxtà singulorum ipsorum Abbatum ibidem interuenientium priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illâ promotione dumtaxat, non autem Cōgregatione, & Ordine cuius fuerint, attentis, præcedere, ac præferri, & in digniori loco collocari debuisse, & debere, prout præferimus, pręponimus, collocamus; præferrique, anteponi, & collocari respectiuè mandamus iactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, impedimenta quecumque per præfatos Abbates, Prælatos, & Monachos dicti Ordinis S. Benedicti, & dictam eorum Congregationem, eiusdem Abbatibus, Prælatis, Canonicis Regularibus dicti Ordinis, & eorum Congregationi de, & super præfatis omnibus, & singulis, & illorum occasione quomodolibet factas, præstitas, illatas, factaque, pręstita, & illata, fuisse, & esse temerarias, illicitas, indebitas, & iniustas, temerariaque illicita, indebita, & iniusta, ac de facto præsumptas, præsumpta, illasque, & illa præfatis Abbatibus, & Prælatis, & Monachis fecisse, & facere minimè licuisse, nec licere de iure. Et propterea de, & super illis, ac dicto iure præcedendi vt suprà, omnibusque alijs, & singulis præmissis perpetuum silentium imponendum fore, & esse, ac imponimus, vtramq; partem in expensis, iustis ex causis, absoluentes. Ita est. I. Ita refero, & pronunciandum esse censeo. Io: Michael Cardinalis Saracenus. Ita refero, & censeo pronunciandum. Io: Baptista Card. S. Clementis. Ita refero, & censeo pronunciandum esse. Bernardinus Card. Tranen.

## CONSTITVTIO CLXXXIV.

*SVMMARIVM.*

*1565. Ianuarij 5.*

PIVS PAPA IV.

*Transactionem inter Cameram Apostolicam & Congregatio-*

*gationem Casinensem pro Annatis, seu Quindennijs non solutis, & in futurum soluendis, & obligationibus faciendis, confirmat. Exempta à dictâ solutione Annatarum declarando Monasteria S. Iustinæ de Paduà, & S. Catharinæ de Ianuà, aliaque Monasteria Mensalia dictæ Congregationis.*

*Ex Regist. Vatican. lib. 2. Secret.*

PIus Papa IV. Motu proprio, &c. Quoniam postquam fel. record. Iulius Papa III. Predecessor Noster, innouando diuersas per Pium II. Paulum etiam II. Innoc: VIII. & Iuliũ etiam II. piç mem. Põtifices de, & super soluendis pro Beneficijs vnitis, super quorũ faciendis solutionibus per illa soluere debentes, nõ reperiebãtur in Camerà Apost: factç obligationes, & super obligationibus ipsis faciẽdis editas literas, omnia, & singula vsq; in diem Datç ipsius Iulij III: Prędecessoris literarum decursa Quindennia huiusmodi, sibi, & Camerç Apostolicæ applicauerat, certosque Iudices super Prędecessorum, & suarum litterarum huiusmodi, etiam quoad pœnas in illis contentas facienda, executioni deputauerat, & coram illis inter agentes Fisci, & Camere prefate ex vnâ, diuersasque Personas, Collegia, Vniuersitates personarum Ecclesiasticarũ, & inter alios, dilectos filios, Præsidentem, Visitatores, & cæteros Abbates, & Prælatos Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ nuncupatorum ex alterâ parte, de, & super præmissis solutionibus Quindenniorum, tam quorundam ipsi Congregationi vnitorum, & applicatorum Monasteriorum, quàm aliorum multorum eisdem Monasterijs vnitorum Beneficiorum pro tempore præterito, & obligationibus pro futuro faciendis, rebusque alijs in actis causæ huiusmodi deductis, diuersæ lites ortæ, & introductæ, atque inter ipsos Casinenses, & Fiscum vsque in præsens agitatæ fuerint, productis interim pro ipsorum Casinensium parte certis Leonis X. & Clementis VII. Pontificum litteris, per quas Casinenses ipsi prætendebant se per Leonem ab omnibus prçteritis Quindennijs prędictis, ita quod vsq; ad annum Domini 1535. illorum occasione molestari non possent; à Clemente verò, etiam post dictum annum Domini 1535. ab obligationibus prędictis & in futurum desuper faciendis in perpetuum liberatos. Et deinde etiã pro parte Fisci, certis Pauli IV. etiam Prædecessoris Nostri, literis, per quas inter alia idẽ Paulus Prędecessor prætẽdebat vniuersalitèr omnia Beneficia prædicta, etiam Beneficiorum Cõsistorialium sibi, & Cameræ prædictæ similitèr applicauisse, ac prædictas Leonis, & Clementis in fauorem Casinensium editas litteras ad viam, & terminos iuris redactas esse, & cum interim Nos dilectis filijs Nostris Ioanni Michaeli Sanctç Anastasiæ, & Ioanni Baptistæ Sancti Clementis Titulorum Præsbyteris Cardinalibus, & Venerabili Fratri Marco Antonio Archiepiscopo Theatino, vltimis causarum prædictarum inter Fiscum, & Casinenses prædictis Iudicibus commiserimus, vt illarum merita Nobis referrẽt, cum intenderemus illas Nostrâ sententiâ terminare; Iudices prædicti, relationem huiusmodi fecissent, & per Nos relatione huiusmodi intellectâ, ac etiam desuper promulgauissemus sententiam, prout in cedulâ, nondum tamen subscripta fuerit. Nobis per Venerabilem Fratrem Episcopum Tusculanum prædictæ Congregationis Protectorem relatum, quod postquam Congregatio ipsa intellexerat Nostram in proferendâ sententiâ prædictâ instare, & iuri consonam intentionem; magis oportebat, vt rogatum, viâ placidæ Transactionis quam per sententiam huiusmodi terminaretur. Nos igitur considerantes, quod Congregatio prædicta est vnum ex honorabilibus Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ, Catholicæ, & vniuersalis Ecclesiæ membris; volentes illam more Patris amplecti, eis in hâc parte assensimus. Cùm illis, mediante dicto Ioanne Cardinali, hoc modo conuenimus, & trãsegimus videlicet quod ipsi infra certos terminos per dilectum filium Thesaurarium Nostrum Generalem statuendos, Nobis, & Cameræ prædictæ soluere pro omnibus, omnium, & singulorum Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum prq parte Fisci, & Cameræ præteritis, & prætensis, & per eos quomodolibet debitis quindennijs ab anno 1535. vsque ad xvij. Calend. Iunij 158c. quo tempore Quindennium pro Monasterijs, & Beneficijs huiusmodi Cameræ Apostolicæ, seu Sacro Collegio, & alijs Officialibus, ad quos spectat, persoluere teneantur, decursis, & decurrendis scuta 22000. auri in auro, & pro illis sic soluẽdis, mediãte illorum Generali Procuratore, hic in Curiâ debeãt se solemnitèr, in formâ Camerç Apostolicç consuetâ, obligare; & similitèr debeant se obligare in Camerâ prædictâ, etiam singularitèr, & particularitèr, aliâ requisitione, vel citatione non expectatâ infrà sex menses à Datà præsentium computandos, pro soluendis omnium Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum in litibus prædictis quomodocunque comprehensorum, præterquam inferiùs excipiendorum Quindennijs, in formâ consuetâ, & factis obligationibus huiusmodi ex nunc, prout ex tunc, & è contra, Præsidentem, Visitatores, Abbates, & cæteros Prælatos, & Monachos Congregationis prædictæ. Cum pacto tamen, & conditionibus infrascriptis ab omnibus alijs Quindennijs præteritis, & illorum solutionibus, siquæ fieri debeant faciendis, necnon ab omnibus, & quibuscunque Censuris Ecclesiasticis, priuationisque Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum, & alijs quibuscunque pœnis per eos, ob non factas solutiones, & obligationes prędictas, seu etiam literarum singulorum Prædecessorum præfatorum, & etiam perceptorum eis illarum, Nostrorumque etiam rescriptorum vigore super faciendam Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum, illorumque valorem, & Titulorum indicationem, aut aliàs quomodolibet factorum non paritionem, aut aliàs quomodocunque forsan incursis, necnon ab expensis litium, & causarum prædictarum, pro parte Fisci factis, plenariè in vtroque foro, præsentium tenore, absoluimus, & liberamus; Itaquod præmissis adimpletis, ipsi à Nobis, Sedi, Cameræ, Collegio, & Officialibus prædictis vllo modo nequeant, occasione præmissorum, aut aliquorum, vel alicuius ex eis molestari. Monasteria autem, & Beneficia, pro quibus Congregationem prædictam, eiusque Prælatos, & personas ad soluendum quindennia de dictis Monasterijs, & Beneficijs hactenùs non soluta, & faciendum obligationes prædictas minimè teneri volumus sunt hæc, videlicet Monasterium Sanctæ Iustinæ de Paduâ, in quo ipsa Congregatio habuit initium, fuitque illius Caput, ac Monasterium Sanctæ Catharinæ de Luculo, Ianuensis Ciuitatis, quod erat Monialium, quando fuit vnitum; necnon omnia beneficia eis inserta, pro quibus non reperiuntur factæ obligationes, neq. pro illis particularitèr Annata hactenùs soluta, quod ex antiquorum Pon-

tificum, ante tempora fel. record. Io: Papæ XXII. Predecessoris Nostri litteris, aut alijs publicis documentis apparebunt fuisse pro singulorum Monasteriorum huiusmodi membris seu annexis, vel pertinentijs enumerata, seu descripta antequam Monasteria ipsa dictæ Congregationi vnirentur, & traderentur, ac alia Monasteria ipsa in quibus ipsi non habent, nisi Mensam Conuentualem, separatam à Mensa Abbatiali. Et quoniam premissa omnia, & singula de Nostrâ certâ scientiâ, habitaque plenè de meritis singularum causarum, & litium predictarum informatione precesserunt; Ideò illa, tàm in fauorem Nostrum, & Cameræ predictæ, quàm Congregationis predictæ, illiusque personarum, Monasteriorum, & Beneficiorum fauorem concernentia, ex vtrâque parte inuiolabilitèr obseruari, neque contra, vel preter premissorum, & presentium tenorem Nos, & Cameram, Congregationemque, ac eiusdem Personas, Monasteria, & Beneficia predicta, in iudicio, vel extrà per Cameræ predictæ, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliū Collegij agētes, vel Officiales, de annexis, & Quindennijs huiusmodi participantes molestari posse, presentesque, & super eis expediendas litteras ad probandum omnia, & singula predicta in Iudicio, vel extrà plenè sufficere, vt de surreptione, vel obreptione intentionis Nostræ, aut alio quocunque defectu notari, seu quomodolibet impugnari, & aduersus premissa dictam Congregationem per viam restitutionis in integrum pretextu enormis, seu enormissimæ lesionis, seu aliàs quomodolibet, nullo modo audiri in Iudicio, vel extrà possit; sicque, & non aliàs in omnibus, & singulis premissis per Camerarium Nostrū, Clericosque, & Presidentes Cameræ, aliosque S. R.E. Cardinales, & Iudices quoscunque in quacūque instantiâ, sublatâ aliàs iudicandi facultate, iudicari debere; & nihilominùs si, & quidquid secùs, vel aliàs fieri contingat irritum, & inane, ac nullius momenti fore, & esse, ac presentes per Camerarium, Presidentes, & Clericos predictos recipi, & in libris Cameræ registrari; ac desuper has patentes Camerales expediri mandari debere decernimus de gratiâ speciali. Non obstātibus premissis, ac cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, regulâ Cancellariæ Nostræ de iure quesito non tollendo, quoad omnia, & singula premissa, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, tàm Cameræ, Collegio, & Officialibus, quàm Congregationi, & illius personis predictis quomodolibet concessis, & innouatis. Quibus omnibus, & illorum tenori specialitèr, & expresè hâc vice derogamus, literisque in contrarium facientibus quibuscunque concedendis opportunis, & consuetis. Fiat motu proprio. Et cum absolutione à censuris ad effectum, & de absolutione, liberatione, inhibitionibus, decretis, derogationibus, & alijs premissis, quoad partem, etiam quoad singulas partes repetita esse censeantur, & sint, & cum opportunâ deputatione executorum, qui assistant, & premissa, inuiolabilitèr, etiam per censuras &c. seruari faciant latissimè exten: & idem premissorum omnium, & singulorum, & presertim tenores pro sufficientèr expressis habeantur, ac etiam in totum, vel in partem exprimi, narrari, & inseri possint; in literis etiā si videbitur per Breue, aut sub plumbo expediendis, & nihilominùs huius cedulæ sola signatura sufficiat, & vbicunque in Iudicio, & extrà fidem faciant, regulâ contrariâ non obstāte. Fiat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum quintodecimo Calendas Februarij, Anno sexto. Registrata in lib. 2. Secretorum folio 37.

Die 16. Feb. 156 . admissa est hæc cedula motus proprij ex Decreto Cameræ, & registrata in libro signaturæ Sanctiss. P. N. Papæ apud me Notarium folio 52. Hieronymus de Tarano.

## CONSTITVTIO CLXXXV.

### SVMMARIVM.

*1565. Iunij 6.*

### PIVS PAPA IV.

1 *Benedictiones, seu Consecrationes Altarium portatilium, Abbatibus Congregationis Casinensis, absq; vllâ Ordinariorum licentiâ, pro vsu propriarum Ecclesiarum elargiri, indulget.*

2 *Quam facultatem à nullo Summo Pontifice derogari posse sub clausulis generalibus, decernit.*

*Ex Arch. S. Petri de Perusio lib. B. fol. 194.*

PIvs Papa IV. Dilectis filijs Præsidenti & Visitatoribus Casinensibus. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Sedis Apostolicæ circumspecta Benignitas, deuotorum consueuit iustis annuere votis, & his, quæ diuini cultus respiciunt augmentum, animarumque salutem, libentèr attendimus.
1 1 Exhibita si quidem nuper Nobis pro parte vestrâ petitio continebat, quod cum in diuersis Monasterijs, nec non locis Regularibus vestræ Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ, diuersa Altaria, Cappellæ, Cappellaniæ, & alia pia loca in dies erigantur, & instituantur, & sæpè crescēte numero Præsbyterorum Religiosorum dictæ Congregationis, Altaria benedicta deficiant. Volentes commoditati Religiosorum dictæ Congregationis, & eorum deuotioni in præmissis opportunè consulere, ipsamque Congregationem fauoribus & gratijs prosequi. Eidem Congregationi, vt singuli illius Abbates pro tempore existentes, qui, licet quinquennales sint, nihilominus ex priuilegio Apostolico eidem Congregationi concesso, Baculo Pastorali, & Mitrâ Pontificali in Ecclesijs Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt vti, & benedictionem Pontificalē post diuina officia Christifidelibus inibi existentibus elargiri consueuerunt. Quoscumque Lapides marmoreos, vel porphireos, aut aliàs ad vsum Altarium portatilium aptos, pro vsu quorumcumque vtriusque sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, super quibus ad Altaria intra Claustra eorumdem Monasteriorum, & Prioratuum, seu septa Ecclesiarum, & piorum locorum huiusmodi duntaxat, Missæ celebrari possint, consecrare, & benedicere, Ordinariorum locorum licentiâ desuper minimè requisitâ, liberè, & licitè valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus.
2 2 Decernētes concessionem, & indultum huiusmodi, nec non præsentes litteras, & sub quibusuis similium, vel dissimiliū gratiarum renouationibus, suspensionibus, vel derogationibus per Nos, & quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, vel successores Nostros quomodolibet factis, & fiendis, nullatenùs comprehensas, sed semper excepta ab illis existere, quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & de

nouo

nouo concessas esse. Non obstantibus quibusuis derogatorijs,& reuocatoriis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis per nos,& quoscunque Cancellariæ Apostolicæ editis, & edendis, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta Iunii Anno Millesimo quingētesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO CLXXXVI.

### SVMMARIVM.

### PIVS PAPA IV.

*Benedictiones, seu Consecrationes Altarium portatilium, Abbatibus Congregationis Casinensis, absq; vllà Ordinariorum licentià, pro vsu propriarum Ecclesiarum conferre, indulget. Quam facultatem à nullo Summo Pontifice derogari posse sub clausulis generalibus, decernit.*

*Ex lib. Priuil. Cong. Casinen.*

IOANNES Miseratione Diuina Portuensis Episcopus S.R.E. Cardinalis, Moronus nuncupatus, vniuersis, & singulis præsentes litteras inspecturis, Salutem in Domino sempiternam. Notum facimus, & attestamur, qualitèr Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Pius diuinâ prouidentiâ Papa IV. His quæ Diuini cultus respiciunt augumentum, & animarum salutem, libentèr intendens. Exposito sibi nuper pro parte Præsidentis, & Visitatorum Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ; quod cum in diuersis Monasterijs, necnon Locis Regularibus dicta Congregationis diuersa Altaria, Cappellæ, Cappellaniæ, & alia pia loca in dies erigantur,& instituantur,& crescente numero Presbyterorum Religiosorum dicta Congregationis Altaria Benedictæ deficiant. Volens commoditati Religiosorum dicta Congregationis, ac eorum deuotioni in præmissis opportunè consulere, ipsamq; Congregationem fauoribus, spiritualibus, gratijs prosequi. Viuæ vocis oraculo super hoc Nobis facto, eidem Congregationi vt singuli illius Abbates pro tempore existentes, qui licet quinquenales sint, nihilominus ex Priuilegio Apostolico, eidem Congregationi concesso, Baculo Pastorali, ac Mitrâ Pōtificali in Ecclesijs Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt, vti, ac benedictionem Pontificalem, post Diuina Officia Christi-Fidelibus inibi existentibus, elargiri consueuerunt. Quoscumq; Lapides marmoreos, vel porfireos, aut alios ad vsum Altarium portatilium aptos, pro vsu quorumcumq; vtriusq; sexus dictę Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, super quibus intra septa Ecclesiarum, & piorum locorum huiusmodi dumtaxat, Missa celebrari possit, consecrare,& benedicere; Ordinariorum locorum, vel quorumuis aliorum licentiâ desuper minimè requisitâ, liberè,& licitè valeant; plenam,& liberam licentiam, & facultatem, authoritate Apostolicâ concessit,& indulsit. Concessionemq; & indultum huiusmodi, necnon præsentes litteras, sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel derogationibus per eum, & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores, ac Successores suos, quomodolibet factis, & faciendis, nullatenùs comprænhensas, sed semper ab illius exceptas existere, & quotiens illę emanabunt, totiens in pristinum, & validissimum statum restitutas, & denuo concessas esse decreuit. Non obstantibus quibusuis etiam reuocationibus, constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis, & per quascumq; Cancellariæ Regulas, editis,& edendis, cœterisq; contrarijs quibuscumque. Ac Nobis iniunxit, vt patentes nostras desuper litteras concederemus opportunas. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium, præsentes manu nostra subscriptas exinde fieri, & per Secretarium nostrum infrascriptū subscribi, sigilliq; nostri, quo in talibus vtimur, iussimus,& fecimus appensione muniri. Datum Romæ in ædibus Nostræ solitę residentię sub Anno à Natiuitate Domini 1565. Indictione octaua die vero 4. mensis Iunij, Pontificatus prælibati Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Pij Papæ IV. Anno VI.

## CONSTITVTIO CLXXXVII.

### SVMMARIVM.

*1566. octobris 24.*

### PIVS PAPA V.

*Reuocat licentias ingrediendi Monasteria, ac Domos Carthusiensium, & aliorum quorumcunq; Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, quibusuis Mulieribus concessas.*

*Bullar. Rom. Pij V. Const. 23.*

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Regularium personarum, quæ relicto sæculo, Dei se obsequio dedicarunt; pro commisso Nobis Officio, quieti consulere cupientes: ad ea remouenda; quæ Religiosum earum propositum impedire possunt; curam Nostram libentèr intendimus: vt nullâ re, quæ eas â diuino cultu auocet, præpeditæ; secundum Ordinum suorum Regularia instituta, & decretum Sacri Tridentini Concilij, tranquillis mentibus, gratum Altissimo impendere possint famulatum. Quia igitur, & Carthusiēsium Ordinis,& aliorum Regularem vitam professorum quies non parū solet, sicut accepimus, perturbari: propterea, quod Mulieres, modestiæ matronalis oblitę, domos, ac Monasteria eorum, contra ipsorum instituta, prætextu Confessionalium, aut aliarum Literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus aliquando recusantibus,& renitentibus, non sine magnâ eorum molestiâ, nec sine graui laycorum etiam offensione, ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur. Huic rei prouidere volentes, Motu proprio,& ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria, ac domos Carthusien.& aliorum quorumcunq; Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cuiuscunque status, gradus, Ordinis, conditionis,& quâcunq; dignitate, ac preeminentiâ præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunque verborum tenoribus,&

formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis ab Apostolicâ Sede quomodocunque concessas: quarum tenores perinde, ac si de verbo, ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus; districtè prohibentes mulieribus quidem, prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum litterarum notitiam habuerint, à quâ non possint, nisi à Nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo: ne dictas domos, & Monasteria ingredi audeant. Ipsis vero Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus quocunque nomine vocentur: & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, siue Mendicantibus, siue non Mendicantibus, sub priuationis Officiorum, quæ in præsentiâ obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis, ipso facto, sine aliâ declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereue præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, & mandamus, vt hæ literæ ad valuas Basilicę Beati Petri Apostolorum Principis, & in Cācellariâ Nostrâ, atque in Acie Campi Floræ de more publicentur. Quia verò difficile foret has litteras ad omnia loca deferri: volumus, & declaramus, vt earum exemplis, & transumptis manu scriptis, vel impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, par vbique fides habeatur: ac si præsentes exhibitæ essent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 24. Octobris. 1566. Pontificatus Nostri Anno Primo. Ant. Florebellus Lauellinus. Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Indictione nonâ, Die vigesimâ octaua Mensis Octobris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuinâ prouidentiâ Papæ Quinti Anno Primo, suprascriptæ litteræ affixæ, & publicatę fuerunt in locis suprascriptis, per nos Bernardinum Andreutium, & Ioannem Andream Rogerium Apostolicos Cursores. Philibertus Chappuis Magister Cursorum.

## CONSTITVTIO CLXXXVIII.

### SVMMARIVM.

1567. Dec. 1.

### PIVS PAPA V.

*Facultatem concedit Congregationi Casinensi, & alijs Congregationibus Monasticis, seu Regularibus imponendi census, & alienandi bona ob solutionem Subsidij triginta millium scutorum pro subuentione Regis Galliarum, & bello contra Turcas.*

*Ex Bullar. Rom. Pij V. Const. 50.*

PIVS Papa V. Ad futuràm rei memoriam. Cum nuper, postquam Nos tumultibus in Regno Franciæ per nonnullos iniquitatis pariter, & impietatis filios dicti Regni Proceres, & alios hæreticos excitatis, & potissimum conspiratione, etiam in Charissimi in Christo Filij Nostri Caroli Francorum Regis Christianissimi, eiusq; familiæ exitium facta, simul, & numerosâ classe, quàm immanissimus Turcarum Tyrannus contra Christiani nominis Principes, eorumq; Regna, & Dominia in ver proximum moliri dicitur, vt eidem Regi in tanto discrimine, quod illi imminere liquidò constat, Subsidium aliquod mittere, & aduersus dictam classem, loca maritima Status Nostri Ecclesiastici opportunis præsidijs firmare possemus, pecunias in eos sumptus necessarias diligentèr conquiri mandauerimus, Dilecti Filij Præsidentes, Visitatores, Abbates, & Prælati Congregationum Casinensis, Carthusiensis, Lateranensis, Montis Oliueti, Camaldulensis, S. Saluatoris, Vallis Vmbrosæ, S. Georgii in Algâ, Cœlestinorum, Cistercienfis, in Longobardia S. Hieronymi, Cruciferorum, & Siluestrinorum intra Italiam consistentium, vt vberè suæ, dictarumq; Congregationum ergà Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, ac Nos deuotionis affectum, vsq; magis Nobis clarum fecerent, in partem sumptuum huiusmodi Nobis, seu Cameræ Nostræ Apostolicæ, aut cui, vel quibus Nos, seu ipsa Camera mandauerimus, summam triginta millium scutorum auri in auro donationis, & largitionis nomine se soluturos vltrò obtulerint. Nos eam animorum præfatarum Congregationum in Nos promptitudinem gratâ accipientes mente, volentesq; eis, qui, sicut accepimus, sic Nobis oblatam pecuniam nunc in promptu, aut modum illam cogendi infrascripto, minùs damnosum, aut minùs difficilem non habent, quo illam citius, iuxtà rei exigentiam cogere possint, opportunè prouidere, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eisdem Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis Congregationum præfatarum, & cuiuslibet earum, tenore præsentium, vt in, & super quibusuis bonis immobilibus Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Congregationum eorundem pro solutione dictorum triginta millium scutorū quosuis annuos, census, quorum tamen pretia dictam triginta millium scutorum summam insimul non excedant, prout meliùs inuenire poterunt, in perpetuum imponere, & sic impositos, quibusuis personis etiam sæcularibus, communitatibusq; & Collegijs, vel alijs communibus locis vendere, & venditionis titulo constituere, & assignare, ipsisq; personis dictos census ementibus, vt census ipsos in sortem minimè computandos ab eisdem Congregationibus in singulos annos percipere, & exigere, in suosq;, vel alios sibi beneuisos vsus, & vtilitatem conuertere, ac ex omnibus Congregationibus præfatis Casinensis, Carthusiensis, Lateranensis, & Montis Oliueti, earumq; & cuiuslibet earum Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis, quippe quibus ex præfatis triginta millibus scutis summas cœteris maiores soluendi onus incumbit, vt proportionum ipsas quatuor Congregationes, & vnamquamq; ex eis de dicta triginta millium scutorum summâ tangentium solutione, seu pro cēsuum, vt præfertur, venditorum redemptione quæuis stabilia Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum earundem Congregationum locorum bona (quorum tamen singula pretia singulas portiones vnamquamq; ex eisdem Congregationibus, vt præfertur, tangentes non excedant) similitèr quibusuis etiam sæcularibus personis, & locis paritèr in perpetuum vendere, & alienare, indeq; respectiuè prouenientia pretia, & pecu-

niarum

niarum summas exigere, & recipere, ac de actis, & receptis in formâ de iure validâ quietare; emptoribus autem ipsis, vt dicta stabilia bona emere, & acquirere liberè, licitè, & impunè, & absq; aliquo conscientiæ onere, seu scrupulo respectiuè possint, & valeant, gratiosè concedimus, & indulgemus. Præterea iniquum rati, easdem Congregationes pro vnâ; eademq; re duplicitèr grauari, & propterea volentes earum indemnitati opportunè prouidere; Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, Congregationes ipsas, & quamlibet earum, singulaq; ipsarum Monasteria, & loca, ab alterius tanti, quantum Subsidij nomine quotannis eidem Cameræ soluere consueuerunt, per Nos nuper eis per Nostras in formâ Breuis litteras die tertiâ mensis Nouembris proximè elapsi expeditas impositi, & quorumuis aliorum Subsidiorum, seu onerum ex hâc præfatorum sumptuum causâ per Nos forsan impositorum, seu imponendorum præstatione, seu solutione; ita quod de illa, aut ex eis aliqua soluendum, seu in illa cum Laycis etiam Communitatibus, seu Vniuersitatibus, aut Clericis Regularibus, seu sæcularibus concurrendum, seu contribuendum inuiti cogi, aut eo prætextu molestari, nullatenùs possint, prorsus eximimus, & liberamus, ac liberos, & exemptos facimus, esse volumus, & declaramus, præsentesq; Nostras de obreptionis, vel subreptionis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quouis defectu notari, argui, vel impugnari, aut reuocari, restringi, reduci, vel limitari nullatenùs posse, & si secùs fiat, quotiès id fiet, totiès illas in pristinum statum restituas, & plenariè integratas, validasq; & efficaces, etiam perinde, ac si consistorialitèr, & de Venerabilium Fratrum Nostrorum dictæ Romanæ Ecclesiæ Card. consilio, & assensu emanassent, fore, & esse, ac censeri, vimq; validi contractus inter Nos, & Congregationes præfatas, & quamlibet ex eis initi habere debere, ac de præmissa omnia, & singula plenè proban. easdemq; præsentes omninò sufficere, nec ad id alteriùs probationis adminiculum requiri; sicq; in præmissis omnibus, & singulis per quoscunq; Iudices, & Commissarios, etiam eiusdem Romanæ Ecclesiæ Card. & Palatii Nostri causarum Auditores, necnon Clericos præfatæ Cameræ Præsidentes, in quâuis causâ, & instantiâ; sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis aliter iudicandi facultate, & auctoritate iudicari, & difiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, decernimus. Mandantes propterea Dilectis Filijs Camerario, ac Thesaurario generali Nostris, necnon dictis Clericis Præsidentibus, præsentibus, & futuris, cæterisq; ad quos spectat, & in futurum spectabit, vt easdem præsentes in præfata Camerâ admittant, & in illius libris describi, & registrari faciant, ac inuiolabilitèr obseruent, & obseruari mandent; desuperq; patentes, litteras; mandata, & aliàs scripturas opportunas expediant, & expediri curent. Non obstantibus fel. rec. Symachi, & Pauli II. ac Pauli IV. & aliorum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & quibusuis alijs Apostolicis, ac in generalibus, necnon Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Congregationum prędictarum, & illarum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, & indultis, ac litteris Apostolicis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis eisdem Congregationibus, vel alicui ex eis, eorumq; Monasterijs, Prioratibus, membris, locis, & personis quomodolibet concessis, quodq; clausulis, cautelis, & decretis huiusmodi nullatenùs, aut nonnisi sub certis inibi expressis modo, & formâ derogari posset, necnon prædesignatis in formâ Breuis litteris à Nobis super præfatâ eisdem Congregationibus factâ impositione emanatis: quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, harum serie specialitèr, & expresè derogamus. Dictas verò prædesignatas in formâ Breuis litteras, quoad prædictas Congregationes expresè reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro infectis, cassis, & nullis haberi volumus, cœterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ eisdem originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die primâ Decembris, Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri Anno secundo. Cæsar Glorierius.

## CONSTITVTIO CLXXXIX.

*SVMMARIVM.*

*1569. Ianuarij 10.*

### PIVS PAPA V.

*Montem Nouennalem prorogat, & illius fructus reducit ad septem pro centenario, cum eisdem obligationibus Congregationum Regularium, pro eâdem summâ scutorum auri 14960.*

*Ex Bullario Romano Pij V. constit. 77.*

PIVS Papa V. Motu proprio, &c. Cum aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV. Montem Nouennalem nuncupatum summæ scutorum centum octuaginta septem millium de iulijs decem pro scuto ad rationem octo pro centenario, non vacabilem, & elapso primo anno quandocumque sibi, seu successoribus suis, & agentibus Camerę Apostolicę videbitur, factâ intimatione per mensem ante, personis, de quorum interesse tractabitur, & restitutis (eodem mense transacto) personis ipsis, pecunijs, quas in eodem Monte habuerint vnà, cum emolumentis eis debitis extinguibilem, de Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, ad nouennium tantum erexerit, & pro fructibus dicti Montis, scuta quatuordecim millia noningenta sexaginta annuatim ex scutis triginta millibus annuis Subsidij partis fructuum Congregationum Regularium Italiæ, ac residuum dictorum scutorum triginta millium pro extinctione dicti Montis assignauerit, & infra dictum Nouennium extingui debere, nec vlterius reuiuiscere, aut propagari posse declarauerit, pro vt in litteris sub Datum Romæ anno Incarnationis Dominicę millesimo, quingentesimo quinqua-

quagesimo quinto, decimo Calend. Nouembris, Pôtificatus sui Anno primo, latiùs continetur. Et successiuè etiam felicis recordationis Pius Papa IV. predecessor Noster, de eorundem Cardinalium consilio, & consensu, residuum Subsidij præfati pro extinctione Montis dicti Nouennalis destinatum, Mōti Pio Recuperationum nuncupato, per ipsum erecto assignauit; & ordinauit, quod occurrente pro tempore locorum dicti Montis Recuperationum vacatione, per obitum, aut aliàs, præterquam resignationem, quidquid pecuniarum, ex illorum, sic vacantiū locorum venditione, prouenerit, in totidem locorum eiusdem Montis Nouennalis primò, & deinde certorum aliorum Montium redemptionem, vnà cum fructibus ex eodem Mōte Nouennali, ac alijs Montibus redemptis, prouenientibus, & non in alios vsus conuerterentur. Voluitque, quod cùm primum omnium aliorum Montium loca redempta fuerint, loca dicti Montis Pij Recuperationum vacantia, per ipsum, aut Romanos Pontifices, pro tempore existentes, alijs concedi non possint. Sed tam illam, illorum vacationibus occurrentibus, quam loca redempta huiusmodi, eorum redemptione factâ, vt præmittitur, eo ipso extinguerentur, & expirarent, pro vt in alijs eiusdem Pij litteris, sub datum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, pridie nonas Iulij, Pontificatus sui anno tertio, continetur. Et successiuè erectis per eumdem Pium predecessorem, tam primo, quàm secundo, Succursus Auinion. nuncupatis Montibus loca, per obitum, post certum tunc expressum tempus, aut aliàs, præterquam per resignationem vacantia, similitèr in extinctionem dicti Nouennalis Montis conuerti mandauerit, prout in suis, sub datum 15. Calendas Septembris, anno quarto, & pridie nonas Nouembris, anno quinto, respectiuè expeditis litteris continetur. Quarum vigore ad redemptionem scutorum trium milium dicti Montis Nouennalis vsque nunc processum extitit. Et quia pro defensione Catholicę fidei Christianę notabilē pecuniarum summā Charissimo in Christo filio Nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo ab armis hæreticorum oppresso transmisimus, ac etiam transmittere paternā charitate coacti sumus, & modum non habentes, dictas pecunias ex redditibus Camerę Nostræ Apostolicæ extrahere, viamq; faciliorē, aut meliorem, quam infrascriptam non inuenientes, licet Nos ipsi possemus omnia dicti Montis Nouennalis loca redimere, & deinde eâdem cum participatione fructuum ad rationem septem pro centenario vendere, & assignare; attento maximè, quod hodie plerique alij Montes non vacabiles, vltrà septem pro centenario non respondent, & quod propter pecuniarū in hac Ciuitate confluentium abundantiam, emptores plures ad rationem septem pro centenario inuenirentur, & quod attentā facultate, redimendi, nulli iniuria fit, nec damnum. Nihilominus volentes modernos dicti Montis Montistas fauorabilitèr prosequi, ac dictarum litterarum tenores, etiam veriores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro plenè, & sufficiéntèr expressis, ac insertis habentes, habito per dilectum filium Bartholomæum Bussottum Thesaurarium Nostrum generalem cum dicti Collegij Officialibus, longo tractatu, secumque super infra dicendis verbo, seu in scriptis concordato, Nos eorundem Officialium ergà Sedem Apostolicam beneuolentiam promptumque in illius notorijs necessitatibus animum succurrendi, plurimum in Domino collaudantes, decreuimus, prout auctoritate Apostolicâ, & de plenitudine potestatis decernimus, & de eorumdem etiam Montistarum, vt præfertur, consensu, fructus Montis Nouennalis huiusmodi ad rationem octo pro centenario, & anno, vt præmittitur, assignatas, ad rationem septem pro centenario, & anno reducere; Montemq; præfatum nunc summæ scutorum centum octoginta quatuor millium existentem, vsq; ad summam scutorum ducentorum quatuor millium centum quadraginta extendere, & ampliare, prout fructus huiusmodi reducimus, ac Montem præfatum extendimus, & ampliamus, dictaq; scuta quatuordecim mille noningenta sexaginta, seu verius quatuordecim mille ducenta octoginta nouem, baioc. 90. nunc integra remanentia annuatim præfato Monti sic extento, & ampliato, pro illius fructibus annuis ad rationem septem pro centenario, & anno à Cal. præsentis mensis Ianuarii inchoando pro centenario, eisdem hypothecis, & obligationibus Cameræ Apostolicæ, & illius bonorum in genere, & in specie, & auctoritatibus, facultatibus, priuilegijs, exemptionibus, & immunitatibus, prorsus, & omninò potiantur, & gaudeant, prout priùs Montistę huiusmodi habebant, potiebantur, & gaudebant. Ita quod omnia, & singula in fauorem, & securitatem Montistarum prefatorum, vsq; nunc per Sedem, & Cameram Apostolicam concessa, etiam in vim præsentium concessa censeantur, etiam perinde, ac si ab initio Mons huiusmodi ad rationem septem pro centenario, & pro summâ scutorum ducentorum quatuor millium centum quadraginta erectus fuisset. Ita quod nulla prorsus differentia per pręsentes Nostras, quoad Nos Sedem, & Cameram Apostolicam intelligatur esse in præmissis, nisi dumtaxat ratione, & respectu perceptionis fructuum de octo ad septem pro centenario reductorum. Vt autem Dilecti Filij Collegium Montistarum præfatorum, ex sua ergà Nos promptâ voluntate, & hilari animo super premissis consensu præstito, aliquem fructum reportent, concedimus, & indulgemus, vt ex quinque Iuliis, qui antehac pro admissione ad Cameræ commodum percipi solebant, duo cum dimidio, tantum pro Camerâ per Dilectum Filium Tullium Festum de Asprâ Laicum Sabinensem, quem sicut accepimus prædictus Thesaurarius Noster generalis, vigore facultatis sibi desuper attributæ in præfati Montis Nouennalis Secretarium constituit, & deputauit, quasque constitutionem, & deputationem illarum, tenore præsentibus pro expressis habentes harum serie confirmamus, & approbamus, illasq; ad hoc, vt idem Tullius eiusdem Montis, quamdiu durauerit, Secretarius permaneat, extendimus, & ampliamus, percipiātur; reliqui verò duo cum dimidio ad dicti Collegij commodiū, quò faciliùs premium eorum Congregationibus interessentibus præstare valeant, seu pro alijs ipsius Collegij, commoditatibus conuertantur, & persoluantur; eosdem Montistas, qui loca, ex huiusmodi reductione factà super excrescentia emere voluerint, exponendo scuta centum monetę in tanto auro pro quolibet loco, iuxtà distributionem inter ipsos per modernos dicti Collegij defensores factam, seu faciendam, alijs omnibus extraneis, etiam plus offerentibus preferantur, ita vt etiam pro hâc primâ vice nil ex dictis quinque Iulijs pro expeditione litterarum patentium (saluâ tamen semper mercede, & prouisione solitâ dicti Secretarij) persoluere teneantur. Mandantes dilecto Filio Nostro Fratri Michaeli Tituli Sanctæ Mariæ supra Mineruam Presbytero Cardinali Camerario, Cameræ Apostolicæ Præsidentibus Clericis; quatenùs præsentes,

ſentes, & etiam litteras deſuper expediendas admittant, ac in libris Cameræ Apoſtolicæ Præſidentibus Clericis, quatenùs præſentes, & etiam litteras deſuper expediendas admittant, ac in libris Cameræ deſcribi, ac quaſcunque patentes litteras expedire, præmiſſaque omnia, & ſingula ſemper obſeruari, ac Montiſtis tàm præſentibus, quàm futuris aſſiſtere, & de dictis emolumentis ad rationem ſeptem pro centenario reſponderi faciant, ac pro eorundem fructuum ſolutione, ac præmiſſorum obſeruatione, ad cautelam etiam denuò, abſque hypothecarũ, & obligationum in fauorem dicti Montis factarum præiudicio, & renouatione, Subſidium dictarum Congregationum in genere, & in ſpecie, ita tamen, quod per ſpeciem, generi non derogetur, nec è contrà, & ita quod nulla quoad Nos, & Cameram Apoſtolicam, quoad cautelas, & obligationes dictæ Cameræ ergà dictos Montiſtas cenſeatur facta nouatio, ſed iura iuribus, & cautela, cautelis addendo, obligêt, prout & Nos etiam ſi aliqua Cameræ Apoſtolicæ obligatio non ſuccedat, ex nunc obligamus, & hypothecamus, ac Subſidium dictarum Congregationum, iuxtà formam litterarum fel. rec. prædicti Pij Papæ IV. tàm in erectione Montis Recuperationum, quàm primi, & ſecundi Auinion. donec Mons huiuſmodi durauerit, & extinctus fuerit, prorogamus, dictaſque Congregationes ad illud omninò dictis Montiſtis ſoluendis, Monte huiuſmodi durante, teneri, & obligatos eſſe volumus, & eorum obligationem de triennio in triennium (vt moris eſt) Depoſitario dicti Montis per ipſos Montiſtas ad eorum nutum ponendo, & amouendo ante finem cuiuslibet triennij fiendam promittimus, & ad hoc omnia Nos, Succeſſores Noſtros, & dictas Congregationes de ſupremæ plenitudine poteſtatis obligamus. Dicto verò Theſaurario Noſtro generali, vt pecunias ex huiuſmodi reductione, & extenſione reſpectiuè redigendas à perſonis, loca extenſa, & ampliata, ementibus ſuſcipiendi, & ſolitas patentes literas in earundem perſonarum fauorem pro locis emendis expediendi, ipſaſque pecunias poſtmodum ad Venerabilem Fratrem Carolum Caiacen. Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ, apud Chariſſimum in Chriſto Filium Carolum Francorum Regem Nuncium ad effectum dicto Regi perſoluendum, & ſubueniendum tranſmittat, nec tamen propterea Montiſtas ipſos vllo vnquam tempore ad tranſmiſſionẽ huiuſmodi probandum teneri, & obligatos eſſe, ac fructus in ſortem computari non poſſe; ſed liberè illos tam veteres, quàm nouos Montiſtas ad dictam rationem ſeptem pro centenario liberè percipere poſſe decernimus, ac notorum locorum, iuxtà reductionem, & extenſionem, ac ampliationem huiuſmodi per dictum Theſaurarium Noſtrum faciẽdas venditiones, ac ſi à Nobiſmet, & in Conſiſtorio Noſtro Secreto, ac de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio factæ fuiſſent, ex nunc, motu ſimili, ac ex certâ Noſtrâ ſcientiâ approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos etiam dictorum Montiſtarum conſenſus, forſan non ritè receptos ab omnibus, vel maiori parte præſtiti, ac alios quoſcunque iuris & facti, ac ſolemnitatum quarumcunque, quomodolibet omiſſarum, defectus, ſi qui forſan in præmiſſis interuenerint, ſupplẽtes, & præmiſſa omnia vim validi & efficacis contractus inter Nos, & Cameram prædictam, ex vnà, & veteres, ac nouos Montiſtas prædictos, inter quos nullam penitùs differentiam eſſe volumus, ſed omnes ad inuicem in omnibus, & per omnia adæquamus, initi, & ſtipulati habere, & valere, ac efficaciâ exiſtere. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales ac Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, &c. Sublatâ, &c. irritâ, &c. ſi ſecus &c. Decernimus, & declaramus. Nõ obſtantibus omnibus, quæ in ſingulis dictorum Prædeceſſorum Noſtrorum, litteris, Prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare; quæ hic ſigillatim pro repetitis habeantur, quibuſcunque ſpecialitèr, & expreſſè derogamus, necnon alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quod per præmiſſa contenta in Bullâ Montis Recuperationum prædicti, ac primi, & ſecundi Auenionen. quoad futuram extinctionem dicti Montis, ſic per Nos reducti, & reſpectiuè extenſi nullum cenſeatur in futurum factum præiudicium. Quodque Mons huiuſmodi ſcutorum 204140. ſemper, & quandocunque, poſt triennium à Kalend. Ianuarij inchoandũ, tàm ex dicti Montis Recuperationũ, quàm alijs quibuſcunque Cameræ Apoſtolicæ pecunijs, reſtituto pretio prædicto, in totum, vel in partem per Camerã Apoſtolicam redimi, & extingui poſſit, & debeat, factâ intimatione per menſem ante, etiam prout anteà licitum erat. Et quod præſentium, quas, ac ſi conſiſtorialitèr expedita fuiſſent, valere ac publici etiam contractus initi inter Nos, & Sedem prædictam, ac Montiſtas, vim & robur obtinere habere decernimus, ſolâ ſignaturâ, etiam abſque reſignaturâ ſufficiat, & vbique fidem faciat, in Iudicio, & extrà, quâcunque regulâ non obſtante. Et nihilominùs etiam ſub plumbo per Secretarium Noſtrum, etiam cum inſertione tenorum, dictarumque litterarum Apoſtolicarum, ſeu illarum narratiua, & cum ampliſſimâ derogatione, ac alijs clauſulis neceſſarijs, & opportunis latiſſimè, & ampliſſimè extendendis etiam ſuper vnoquoque præmiſſorum, etiam ſeparatam expediri poſſint in formâ gratioſâ. Placet Motu proprio. M. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Idus Ianuarij, Anno tertio, Dio decimâ Ianuarij, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono. Admiſſa fuit retroſcripta Motus proprij cedula in Camerâ Apoſtolicâ ex eiuſdem Cameræ decreto, & regiſtrata apud me infraſcriptum lib. diuerſorum dicti anni, folio 14. Cæſ. Capellus Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

## CONSTITVTIO CLXXXX.

### SVMMARIVM.

*1569. Februarij 1.*

### PIVS PAPA V.

*Monialibus cuiuſuis Ordinis perpetuam clauſuram indicit. Quam egredi non licere, niſi in caſibus magni incendij, Lepræ, vel Epidimiæ, decernit. Exeuntes verò receptantes, comitantes, licentiam vltrà prædictos caſus concedentes, excommunicationi latæ ſententiæ à ſolo Summo Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſoluendæ, ſubijcit.*

*Bull. Reman. Pij V. Conſt. 100.*

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Decori, & honeſtati omnium Sanctimonialium, quarum Ieſus Chriſtus Do-

Dominus Noster Sponsus, vt in puritate, & castitate superædificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet Nos consultò summouere. Sanè periculo, & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehementer aduersatur, Sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monasteria, & alia, filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causâ, aliouè prætextu à Monasterijs exire, & per sæcularium personarum domus discurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitiæ decus in discrimen committunt. Vnde Nos malo huic, pro Nostro Pastoralis officij debito, salubritèr occurrere volentes; Inhærentes etiam decreto Sacri Concilij Tridentini de Clausurâ Monialium disponenti, ac alijs Nostris literis super huiusmodi Clausurâ editis adijciẽtes, Volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumue Monialium etiã Carthusiensis, Cisterciensis, S. Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum Ordinum, etiam Militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existẽtium, etiam à Regiâ, vel Illustri prosapiâ ortarum, de cætero, etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum etiam eis subiectorum, aut domorum parentum, aliorumue consanguineorum visitandorum, aliauè occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam si prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit, à Monasterijs præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extrà illa, nisi ad necessarium tempus stare liceret; alitèr autem quam, vt præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laycas, aut sæculares, vel Ecclesiasticas, vel consanguineas, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo, statim eo ipso, absque aliqua declaratione subiacere, à quo, præter quam à Romano Põtifice, nisi in mortis articulo, absolui nequeant. Et insuper tàm egressas, quàm Præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis, priuamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda, inhabiles, necnon licentias, & facultates, seu indulta, & priuilegia exeundi à Monasterijs, & extrà illa standi à Nobis, seu alio Romano Pontifice Prædecessore Nostro, ac Sedis Apostolicæ Nuncijs, & Legatis etiam de Latere, ac Maiore Pœnitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, alijsuè personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutiuis, præseruatiuis, mentis attestatiuis, etiam nouam gratiam, & datam concedẽtibus, alijsque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantiâ, vel aliàs quomodolibet concessa, (quæ prorsus abolemus) ac literas desuper confectas, & imposterum concedendas, & conficiendas nullas, & inualidas, nulliusque roboris, ac momenti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari posse; & ita per quoscunque Iudices, & Commissarios, quàuis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere; irritum quoque, & inane quicquid secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari decernimus. Mandantes vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ, quatenùs per se, vel alium, seu alios, præsentes literas in Ciuitatibus, & Diœcesibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta; necnon præfatum decretum ipsius Concilii, quod incipit, Bonifacii VIII. diligentèr, & inuiolabilitèr sub censuris Ecclesiasticis, aliisque præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis, obseruent, & obseruari faciant, & procurent; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, etiam aliis pœnis, auctoritate Nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo. Necnon legitimis super his habendis seruatis processibus pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum Ecclesiasticum apponendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; aliis Apostolicis constitutionibus, & iuribus de huiusmodi Clausurâ disponentibus, nihilominùs in suo robore duraturis. Cæterũ volumus, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbique terrarum, tàm in iudicio, quàm extrà adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ sanctionis, ordinationis, priuationis, abolitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimonono, kal. Februar. Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO CLXXXXI.

*SVMMARIVM.*

1569. Octobris 14.

PIVS PAPA V.

*Reuocat Priuilegia de non recipiendis, nec retinendis Regularibus alterius Ordinis.*

*Bullar. Rom. Pij V. Const. 91.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Quæcunque Sacrarum Religionum statum offendere noscuntur, Nostrum

strum Nos incitat officium de medio remouere. Quamquam enim de cohibendis Regularibus ad alium Ordinem translatis, Sancta Synodus Tridentina, salubri consilio decreuit, vt nemo cuiuscunque Ordinis Prelatus, vel Superior, vigore cuiusuis facultatis, illorum quempiam ad habitum, & professionem admittere possit, nisi vt de Ordine ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientià in claustro, perpetuò maneat. Multi tamen Superiores, & Prælati, obtentu priuilegiorum, quamplurimos Apostatas, & alios diuersorum Ordinum ad se ob iurgia, contentiones, leuitatem, & malefacta, vt maximè fugientes, eo etiam consilio receptare non desinunt, vt illorum opera in curandis infirmis, gerendisque eorum locorum rebus, & negotiis vtantur; ex quâ re, plerique solutiores effecti, & quasi impunitatem assecuti, non personas tantum eorum Ordinum, vnde animaduersionis metu fortè exierant, sed, & ipsorum Ordinum ritus, moresque maledictis insequuntur. Quocircà cum huiusmodi Priuilegia veniant abroganda, quandocunque insignitèr comperiuntur nocere, vel etiam scandala generare, Nos his aliisque rationabilibus causis adducti, & vt quibuslibet huiusmodi effugia præcludamus, de Nobis attributæ potestatis plenitudine reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque Priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta recipiendi, vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, & alios, etiam laxiorum Ordinum professores, quibuscunque Ordinibus, Monasterijs, Hospitalibus, Militijs, & Pijs locis, etiam Sancti Antonij Viennen. Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, Sancti Ioannis Hierosolymitani Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha, Sancti Lazari eorumque Ecclesijs, membris, Superioribus, & personis, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, tàm in ipsorum Monasteriorum, Hospitalium, & locorum institutione, quàm deinceps quomodocunque, ac quotiescunque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, & aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque simili potestatis plenitudine, etiam pauperum infirmorum, miserabilium, & cuiuscunque alteriùs pij operis intuitu, ac etiam ex quibuscunque alijs causis quantumuis grauibus, charitatiuis, & necessariis; etiam consideratione, vel ad supplicationem Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, deq; illorum consilio, & maturâ deliberatione prius habitâ, concessâ, confirmatâ, & etiam multiplicatis vicibus innouatâ, extensâ, vel etiam moderatâ. Cassamus quoque, & annullamus, quoad illa omnes Apostolicas, & alias litteras super ijs confectas, ac processus, & alia inde secuta quæcunque. Ac volumus ea omnia vires, & effectum de cætero non habere, ita vt posthac, illorum sic reuocatorum pretextu; Prælati, & Superiores prædicti, aut alij quicunque nullum prorsus alterius, etiam laxioris Ordinis, vel Obseruantiæ, Regularem, etiam specialem transeundi ad ipsos licentiam ferentem, ad habitum, & professionem Regularem in suis suisque Monasterijs, Domibus, locis, vel Ordinibus, etiam vt in claustro perpetuò maneat, admittant, nec omninò quẽquam recipiant, vel retineãt. Eos vero quos iam habent translatos, ad eorũ Superiores, & loca eius Ordinis vnde erant profecti; quamprimum remittant. Decernentes admissiones, receptiones, & retẽtiones huiusmodi nullâ firmitate subsistere, neminẽq; prorsus vlli voto, vlliue Regulæ, vel Obseruãtiæ, etiã iuramẽto aliàue solẽnitate promissæ obligare, necnon irritum, & inane quicquid secùs per prædictos aut quoscunque alios quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quicunque verò aliquem, contra huius Nostræ reuocationis tenorem admiserint, aut receperint; illos, aut quos iam habent translatos, aut receptos retinuerint, eos omnibus, & singulis Dignitatibus, Administrationibus, Beneficiis, Officijs, Fructibus, & Pensionibus Ecclesiasticis, præsentium auctoritate, priuamus, & ad futura inhabiles esse volumus eo ipso. Quocircà omnibus locorum Ordinarijs, in quorum Diœcesibus loca prædicta consistunt, per Apostolica scripta mandamus, vt per se, vel alium, seu alios de translatis prædictis, auctoritate Nostrâ, cognoscentes, in eos quos contra præscriptum Nostrum degere inuenerint, ac etiam recipientes, vel retinentes, reiecto quocunq; exemptionis Priuilegio, animaduertant; ipsosque præterea translatos, vel retentos, ad Priores Ordines, & disciplinam remittere procurent. Contradictores quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, cœteraque iuris, & facti remedia opportuna, quâcumq; appellatione postpositâ, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, Hospitalium, Militiarum, Ordinum, & locorum prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis; quodque Prælatis, & Superioribus prædictis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim à prædictâ sit Sede indultum, quod litteris reuocatorijs sub quâcumque formulâ editis, nullatenùs, vel nisi modis, & formis in huiusmodi indultis contentis parere, & ob non paritionem aliquas censuras, & pœnas incurrere, aut aliàs interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon Monasterijs, Hospitalibus, Militijs, & Ordinibus huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, indulgentijs, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus, etiam Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine concessis, cuiuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, vel omninò non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris literis mentio specialis, quæ omnia nolumus cuiquam contra prædicta in aliquo suffragari, cœterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt ipsarum præsentium exempla edantur, eademque etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati Ecclesiâstici, eiusue curiæ sigillo obsignata, eandem illam vbique locorum fidem in iudicio, & extrà illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ reuocationis, abolitionis, cassationis, annullationis, priuationis, voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo nono,

Pridie Idus Octobris, Pontificatus Nostri Anno quarto. Ca. Glorierius. H. Cumyn.

# CONSTITVTIO CLXXXXII.

## SVMMARIVM.

1570. Martij 19.

## PIVS PAPA V.

*Indicit Subsidium cccc. Millium scutorum super bonis Congregationis Casinensis, cæterarumq; Non Mendicantium Congregationum pro expeditione contra Turcas.*

*Ex impresso.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. In his extremis Reipublicæ afflictionibus, quibus impius Turcarum Tyrannus Christianorum sanguinem sitiens Nicosia misere expugnatâ, Cypro vastatâ, crebris iam excursionibus in ditionem Venetorum factis, sese ad reliquarum partium excidia comparat, illamque Nostris ceruicibus imminet, omnia omni ope enitimur vt ad prohibendam illius feritatem, ac simul defendendos prædictos Venetos quam maximi possunt ad bellum apparatus præpropere fiant, vt obuiam tempori prodeatur, eiusque rei causâ dum classis Nostrâ sedulo instruitur, & copiæ conscribũtur, Nos eâdem operâ cum Charissimo in Christo filio Nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico, & ipsis Venetis fœdus inire atque firmare contendimus, quo singulorum viribus in vnum collatis, sæua furentis hostis rabies, improbiq; conatus, Christo Iesu populo propitio, quem redemit, fortitèr reprimantur. Quæ, & alia multa pro Nostrâ, Reique publicæ tutelâ etiam aduersis alias ei impendentes calamitates, cum subire necesse sit, acribus & assiduis vexamur curis, quâ ope, quibus neruis tot, tantaque onera sustentẽtur. Ita enim alia super alia Subsidia, quæ Principibus Christianis cũ rebus suis, tum pro Fide periclitantibus, subministrauimus; grauissimi item sumptus quos in bello Gallico cõtra Hæreticos, pro defensione Auinionis, pro tutelâ oræ maritimæ, cœterarumque munitionum Nostrarũ, & proximè pro Classe Nostrâ ad Cyprum missâ, alijsq; multis causis fecimus, Cameram Nostram comminuerunt, ita res Cleri, & ditionis Nostræ attriuerunt, vt nullus iam locus videatur relictus, qui noua nunc tributa conferre possit. His solicitudinibus vehementer constricti post alias, atque alias cogitationes, denique instituimus vt in hoc communi omnium periculo de opulentioribus Religiosorum societatibus præsens qualecumque auxilium conquiratur. Habita itaque super his cũ Fratribus Nostris deliberatione maturâ de illorum consilio, & assensu, deque Nobis attributæ potestatis plenitudine Indicimus, atque imponimus, hâc vnâ solâ vice tantum, Subsidium Quadringentorum millium scutorum auri in auro super omnibus bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, & alijs iuribus Congregationum Cassinen. aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ, Lateranen. Montis Oliueti, Camaldulen. etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montis coronæ, Carthusien. Sancti Saluatoris, Vallis Vmbrosæ, Sancti Georgij in Algâ, Cœlestinorum, Cistercien. Lombardiæ, Crucifcrorũ, & Sancti Hieronymi, eorumque Monasteriorum, Prioratuum, Præposituarum, Beneficiorum, & Officiorum cum curâ, & sine curâ, necnon mensarum, membrorum, grangiarum, & locorum omnium illis annexorum vbicumq; existentium, per ipsarum Cõgregationum Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conuentus, Capitula, & personas, æquatâ inter ipsos instar quartæ partis, quam soluunt, fructuum suorum collatione, Thesaurario Nostro generali Romæ illorum periculis, & impensis, & aliàs, quemadmodum inter Dilectum filium Nostrum Aloysium Tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, Camerarium Nostrum (quem ad hoc Commissarium, & procuratorem Nostrum, cum omnibus, & quibuscunque priuilegijs, iurisdictionibus, & iuribus, quæ omnes alij ante hâc Commissarij, & procuratores huiusmodi habuerunt, quibusque vti, & gaudere potuerunt) constituimus, & illos, siue illorum procuratores conueniet, integre persoluendum. Decernentes eos omnes ad præstationem, & solutionem Subsidij prædicti secundum collationem huiusmodi faciendam esse efficacitèr obligatos; tametsi bona, proprietates, fructus, & alia omnia, suprascripta, quarta ipsâ, necnon decimis, subsidijs, & alijs multis, & maximis oneribus sint grauata. Quocircà prædicto Aloysio Cardinali Camerario, & Commissario Nostro plenam, liberam, omnimodam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem, tribuimus Congregationes, necnõ Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, & alios prædictos tam coniunctim quam diuisim ad integram præstationem, & solutionem Subsidij prædicti iuxtà formam indictionis & impositionis huiusmodi faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi, cum illis, eorumq; procuratoribus conueniendi, deq; modis, & cautionibus solutionis prædictæ, & alijs hoc negotium concernentibus paciscendi, obligationes, promissiones, & fideiussiones exigendi, & vicissim, præstãdi, contractus super his necessarios, etiam Nostro, & Cameræ prædictæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundum illa, necnõ præsentes Subsidium ipsum procurandi, contumaces non respondentes, aut deficientes Conuentus, & Congregationes, interdicto ecclesiastico supponendi, & singulares personas excommunicationis sententiâ feriendi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu regiâ apprehendendi, & vsque ad condignam satisfactionem retinendi, redeuntes, & obedientes absoluendi, super irregularitate propterea contractâ dispensandi, & ad pristinum statum restituendi, vices suas siue totas, siue in parte alij, vel alijs idoneis, citrà absolutionem, dispensationem, & restitutionem delegandi, cœteraque in prædictis, & circà ea necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum. Non obstantibus fe. re. Bonifacij Papæ VIII. de vnâ, & in concilio generali edita de duabus dietis, ac alijs Apostolicis cõstitutionibus, necnon Congregationum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituarum, Conuentuum, & Ordinum, prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, seu quod Superioribus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Conuentibus, & personis prædictis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim à prædictâ sit Sede indultum, quod ad præstationem, vel solutionem cuiusuis Subsidij, aut alterius oneris quâcumque causa impositi, minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspẽdi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibusli-

buslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, & indultis Apostolicis supradictis Congregationibus, Superioribus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Monasterijs, Conuentibus, & Ordinibus per quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos & Sedem prædictam etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulari contractus, ac aliàs sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutiuis, annullariuis, derogatoriatum derogatoriis, aliisque fortioribus, fortissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque simili potestatis plenitudine, necnon consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instãtiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, maturoq; consilio super his in consistorio habito, ac pro conseruatione status Religionum, & aliàs, tam in genere, quam in specie quomodolibet concessis, & sæpius confirmatis, approbatis, extensis, & moderatis, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, quorum quæ totis tenoribus habenda esset in Nostris litteris mentio specialis; quę omnia, in quantum præmissis obesse, aut illorum executionem, & effectum retardare possent, omnino tollimus, & abrogamus, quodque bona, res, & iura supradicta vniuersa, & singula quarta, decimis, & aliis notabilibus grauaminibus onerata sint, cœterisque contrariis quibuscumque. Cœterum quia difficile nimis esset præsentes quocumque illis opus erit perferre, volumus vt earum exemplis etiã impressis, Notarii publici manu, & prædicti Aloysii Cardinalis Camerarii, & Cõmissarii sigillo obsignatis, eadem illa prorsus fides in iudicio, & extrà illud, vbique locorum, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem pręsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ institutionis, indictionis, impositionis, constitutionis, decreti, tributionis, ablationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eis se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicę millesimo quingentesimo septuagesimo, Quartodecimo Cal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno sexto.

Ego PIVS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

*Signum Pij Papæ V.*

VTINAM DIRIGANTVR VIÆ MEÆ AD CVSTODIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS.

Io. Card. Moronus Epis. Ostiensis. Ego Christ. Mad. Car. Trid. Episcopus Port. Ego Otho Truchses Episcopus Card. Prænestin. Augustanus. Ego Io. Car. Polit. Episc. Albanen. S. Cardinalis Pisarum. Ego Io. Ant. Card. S. Georgij. Aloy. Cor. Car. Camerarius. Ant. Card. Granuelanus. Stani. Card. Vuarmien. F. Card. Pacheco. M. Ant. Card. Amulius. Ego A. Card. Gesualdus. Ego N. Card. de Sermonetâ. Ego In: Aualus Car. Arag. Ego Ptol. Card. Comensis. P. Card. de Sanctæ Cruce. Ego M. Ant. Car. Bobba. Hugo Boncompagnus Car. S. Sixti. Ego Flauius Car. Vrsinus. Alex. Card Cribellus. Gul. Card. Sirletus. F. Hieronymus Car. de Claraualle. Io. Pa. Car. ab Ecclesiâ. Ego M. Ant. Card. Maffeus. Ego Iul Ant. Car. S. Seuerinæ. P. Card. Cæsius. C. Car. Rambollietus. F. A. Car. Theanensis. Ego F. Felix Card. de Monte alto. Ego P. Car. Placentin. Ego Io. Card. Aldobrandinus. Ego F. Vincentius Car. Iustinianus. Ego Hier. Car. Rusticutius. Ego Io. Hiero. Car. Albanus. Ego Hier. Card. Simoncellus. Fer. Car. de Medicis. Iul. Car. de. Aquauiuâ. Car. Glorierius. A. de Alexiis.

## CONSTITVTIO CLXXXXIII.

*SVMMARIVM.*

1570. *Martij* 19.

PIVS PAPA V.

1 *Facultatem alienandi bona, etiam feudalia, erigendi Montes, Census creandi, permutandi, locandi in emphyteusim, pignorandi &c. pro præstatione Subsidij quatuorcentum millium scutorum auri in auro impositorum Congregationi Casinensi, & alijs vndecim Congregationibus nõ Mendicantibus pro Subsidio expeditionis contra Turcas, concedit.*

2 *Ab Impositionibus, Decimis, & oneribus quibuscumque impositis, vel imponendis, etiam pro Seminario, & aliâ quâuis causâ, dictas Congregationes eximit. Defensionemque earumdem à talibus impositionibus Cameræ, & Camerario Apostolico committit.*

3 *Alienationes prædictas, & quæcumque alia pro dictâ solutione à dictis Congregationibus facta, & facienda conualidat; literasque Apostolicas super ijsdem alienationibus &c. gratis concedi decernit; easque litteras à quoquam derogari prohibet.*

4 *Derogatorijs quibuscumque derogat.*

*Ex impresso.*

PIus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Decet, & expedit opportunè prouidere, vt ij, quos ad præstanda Nobis præsentanea auxilia in hâc Reipublicæ Christianę pressurâ, & conflictatione compellimur, illa quò potest
1 minori incommodo conficere possint. 1 Cum itaq; Nos hodie multis, maximisq; difficultatibus oppressi, quemadmodum Classis, & Copię, quas ad defendendos Venetos contra Turcas instruimus, in tam graui rerum penuriâ sustententur, simulque multis alijs imminentibus periculis occurratur, arctissimâ necessitate cogente, de FratrumNostrorum consilio, indixerimus, & imposuerimus, hâc vnâ sola vice tantum, Subsidium quadringentorum millium scutorum auri in auro super omnibus bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, Decimis, censibus, & alijs rebus, ac iuribus Congregationum Casinen. aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Lateranen. Montis Oliueti, Camaldulen. etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montis Coronæ, Carthusien. S. Saluatoris, Vallis Vmbrosæ, S. Georgij in Algâ, Cœlestinorum, Cistercien. Lombardiæ, Cruciferorum, & S. Hieronymi, eorumq; Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Beneficiorum, & Officiorum cum curâ, & sine curâ, necnon mensarum, membrorum, grangiarum, & locorum omnium illis annexorum vbicumq; existentium, per ipsarum Congregationum Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conuentus, Capitula, & personas, æquatâ inter ipsos, in-

stat quartæ partis, quam soluunt, fructuum suorum collatione, Thesaurario Nostro generali Romæ, illorum periculis, & impensis, & aliàs, quemadmodum inter Dilectum filium Nostrum Aloysium Tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem Camerarium Nostrum, quem ad hoc Commissarium, & Procuratorem Nostrum constituimus, & illius siue illorum Procuratores conuenerit, integrè persoluendum, eiusque rei causâ prædicto Aloysio Cardinali Camerario, & Commissario Nostro liberam, & omnimodam facultatem, & potestatem tribuerimus collationes, & distributiones in singulas Congregationes faciendi, cum illis eorumque Superioribus, & Procuratoribus, tàm coniunctim, quàm diuisim conueniendi, deque modis, & cautionibus solutionis prædictæ, & alijs hoc negotium concernentibus paciscendi, obligationes, promissiones, & fideiussiones exigendi, & vicissim præstandi, contractus super his necessarios etiam Nostro, & Cameræ prędictæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundum illa, & litteras Nostras desuper confectas, Subsidium prędictum procurandi, cæteraque alia necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, etiam si mandatum exigerent magis speciale, quam expressum est literis supradictis. Nos considerantes dictam summam nullâ ratione congeri, nec congestam debito tempore numerari posse, nisi de rebus, & proprietatibus prędictarum Congregationum, & ipsarum locorum aliqua distrahantur; proinde omnibus modis, quantum in Nobis est Congregationes subleuare, & Superiores prędictos opportunâ facultate munire volentes, quâ freti, vias, & conditiones vtiliores conquirere, rationesque commodiores capere possint, vt leuiora dispendia consequantur; de consilio, & potestatis plenitudine similibus statuimus, vt singuli Superiores prædicti, ratam Subsidij huiusmodi sibi contingentem per sua quisque Monasteria, Prioratus, Pręposituras, Beneficia, Membra, Grangias, Annexa, Cõuentus, & Loca distribuant, & assignent, distributam, & assignatam ab Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Monasterijs, Conuentibus, locis, & personis suis, etiam per subtractionem rerum, & prouentuum, & aliàs, vti viderint, omni, & quacumque exceptione sublatâ, vel impedimento cessante exigant. Sed quia de vniuerso dictarum Congregationum, & locorum suorum prouentu supradicta summa neutiquam poterit corrogari; Nos de dictorum Superiorum fide, & probitate confisi, plenam, liberam, & absolutam facultatem, mandatum, & potestatem tribuimus singulis Congregationibus, & pro eis suis Superioribus, vt nullius consensu requisito, ac etiam inuitis, & reclamantibus particularibus Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Conuentibus, & personis etiam vnitorum Monasteriorum, & locorum, de omni, & quacunque proprietate, & Dominio temporali cuiusque Congregationis, & eius Monasteriorum, Prioratuum, Pręposituratum, Beneficiorum, Officiorum, Mensarum, Membrorum, Grangiarum, Annexorum, Conuentuum, & locorum prędictorum vbicunque existentium bona, census, feuda, liuellos, & alia cuiuscunque qualitatis, & naturę iura, pro confectione quantitatis, quę ad complementum supradictę summę quadringentorum millium scutorum necessaria erit duntaxat, tàm coniunctim, quàm diuisim possessa, ad longum, & longissimum tempus, repræsentata etiam pecunia locare, siue in emphiteusim, siue aliàs ad vnam, duas, vel plures generationes, & seu nominationes, siue etiam in perpetuum concedere, siue cum alijs permutare, ac etiam liberè, vel cum pacto redimendi, & etiam de bonis, & rebus vnius, seu plurium Monasteriorum, & locorum etiam eiusdem Ciuitatis, vel Prouinciæ, etiam si Castra, Iurisdictiones, & alia huiusmodi minus vtilia existant, prout Superioribus cuiusque Congregationis magis expediens videbitur, vendere, ac quocumque alio modo, & titulo alienare; & prætereà omnia, & quæcumq; bona feudalia, emphitheutica, vel aliàs censibus, pensionibus, & recognitionibus erga se obnoxia, pretio liberare, & extinguere, & se ipsis, siue vniuersis, siue pro vt cuique tangit singulis Superioribus vtilius videbitur, seu placuerit vnum, vel plures Montes ab alijs grauaminibus omninò liberos, immunes, & exemptos, dictam summam quadringentorum millium scutorum simul non excedentes, cuius, seu quorum portiones, seu loca vacabilia non sint, & aliàs aliorum Vrbis Montium instar, cum omnibus, & quibuscumque priuilegijs, exemptionibus, gratijs, facultatibus, & indultis, singulis Montibus prædictis, & eorum personis in genere, & in specie concessis, & quæ, ac si ad verbum præsentibus insererentur, & per eas speciatim concederentur latissimè extendi, & concedi possint de, & super omnibus bonis, rebus, & iuribus prædictis etiam insolidum in dictâ Vrbe, vel aliâ quacumque Ciuitate, Prouinciâ, vel loco ipsis commodiore, perpetuò, vel ad tempus, etiam cum facultate, seu pacto redimendi erigere, & instituere, ac eis pro ipsorum dote, fructus, redditus, prouentus, & iura bonorum, rerum, & iurium, assignare, illaque vẽdere, seu etiam obligare, & hypothecare, vel pignori tradere, seu super ipsis rebus, & bonis, census, aut redditus annuos creare, & constituere, conuentiones, & pacta super his cum cautionibus, vinculis, obligationibus, etiam alias res vniuersas, & singulas cuiusq; Congregationis pro eâ parte sibi, & suis locis contingente complectentibus, necnon clausulis, & decretis requisitis, & opportunis inire, contractus, instrumenta, cæteraq; necessaria facere, & has concessiones, promutationes, venditiones, liberationes, erectiones, & creationes, vnam videlicet, vel plures, etiam ad effectum creationis, vel extinctionis, seu venditionis, vel recuperationis aliarum huiusmodi rerum inuicem, ac semel, & pluries facere, & quotiès eis placuerit variare, nullâ aliâ super eis à dictâ Sede petendâ licentiâ, vel processu in formâ si in euidentem, aut aliàs formando, & habendo, aut consensu, vel auctoritate generalis Capituli requirendo. Et pro prædictorum omnium effectu per se, vel alium, seu alios, singulos Abbates, Præpositos, Priores, Conuentus, & personas etiam Monasteriorum, & locorum vnitorum, tàm coniunctim, quàm diuisim ad locationes, concessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, extinctiones, & alia prædicta omnia, etiam manu regiâ compellere. Contradictores, impedientes, vel reclamantes Monasterijs, Prioratibus, Præpositatibus, Dignitatibus, Administrationibus, & Officijs, prout sibi videbitur deponere, ad futura inhabiles efficere, excommunicationis, aliisq; censuris, & pœnis innodare, interdictum Ecclesiasticum apponere, auxiliumq; brachii sæcularis inuocare, cæteraq; in prædictis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, & exequi valeant, etiam si talia contigerint, quæ licentiam, facultatem, aut mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus est expressum. Verum quia Congregationum prædictarum Procuratores, qui hic sunt, mandatum ad prædicta speciale non habent, quin etiam nonnullarum Procuratores, vel hinc absunt, vel omninò non sunt, & prę sens necessitas vrget hæc quam primum faciendi. Nos defe-

ctum

ctum huiusmodi Nostra auctoritate supplere volentes, supradictis Procuratoribus, etiam nomine illarum Congregationum, quarum Procuratores hic desunt, & pro ea parte illis tangente duntaxat, vocatis tamen eorum loco aliquo, vel aliquibus Abbatibus, Superioribus, aut alijs Præsidentibus suorum locorum, qui hic sunt, tam coniunctim, quàm diuisim, Montis erigendi, fructus assignandi, loca, siue portiones vendendi, vel pignori opponendi, res, & bona, vsque ad prædictam summam, & pro cuiusque ratâ dumtaxat, obligandi, cœteraque prędicta ad hunc effectum faciendi, & exequendi, liberam, & absolutam licentiam, & auctoritatem tribuimus, eaque si fient, postquam facta fuerint, illud idem robur habere, ac vniuersis, & singulis, ad quos res pertinebit, perinde suffragari debere volumus, ac si in suis capitulis generalibus, & aliàs seruatis omnibus, quæ de iure, & iuxtà statuta, consuetudines, priuilegia, & indulta singularum Congregationum prædictarum seruari deberent, omnino seruarentur. Supplentes ex nunc prædictos, & quoscumque alios iuris, & facti defe-
2 ctus, si qui interuenerint in eisdem. 2 Cœterum, vt Congregationes prædictę tanto ponderi subiectę, alijs futuris aliquo pacto allenentur, Motu & scientiâ similibus, earum singulas, & ipsarum Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Fratres, Capitula, Conuentus, & bona omnia suprascripta, pręsentia, & futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, & naturæ, & vbicumque existentia ab omnibus, & quibuscumque decimis vniuersalibus, & particularibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Dominii Venetorũ, & aliorum instantiam, & ex quibuscunque causis etiam prædictis longe maioribus, vrgentioribus, & necessarijs de cœtero imponendis; & præterea ab omni contributione, collatione, & taxâ, pro Collegijs Seminariorum ecclesiasticorum, tam ordinariâ, quam Apostolicâ auctoritate, in quocumque loco factâ, & impositâ hucusque, & deinceps quandocũque faciẽdâ, & imponendâ eximimus, & liberamus, & si quocumque modo, ad illa de facto cogerentur, dictam Cameram eos defendere, causamq; vniuersam in se suscipere, iudicatum soluere, & ad ea om-
3 nino teneri edicimus. 3 Volumusq; prædicta omnia, necnon locationes, cõcessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, erectiones, creationes, constitutiones, & quæcũq; alia, quæ præsentium auctoritate fient, perpetuò consistere, & quoscunque illa concernunt, & concernent in futurum, omni, & quocumque ipsorum effectu, & commodo pacificè gaudere, singulasque super singulis locationibus, & alijs prædictis literas, seu earum cõfirmationes, & alias dispositiones, singulis illas petituris, gratis vbique concedi, & etiam in formâ Breuis per Secretariam Nostram secretam expediri debere. Decernentes eadem præmissa, & quæcumque in vim prædictarum litterarum fient, nullis vnquam temporibus, siue ex similibus, siue alijs qualibuscũq; causis, etiam ad prædictorum instantiam, aut motu scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialitèr reuocari, suspendi, alterari, immutari, aut aliàs illis in aliquo derogari, nec sub vllis reuocationibus, suspensionibus, alterationibus, alijsuè contrarijs dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quotiescunque emanabunt, totiès in pristinum statum restituta, & de nouo concessa esse, ac quibuscumque interesse habentibus suffragari; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quâuis causâ, & instantiâ; sublatâ eis quâuis



alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inane quicquid secùs, siue per eosdem, siue per quoscumque alios scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Et nihilominus omnibus locorum Ordinarijs, quos siue plures, siue singulos, vniuersi, vel singuli Superiores prædicti duxerint eligendos, per Apostolica scripta, Motu simili, mandamus, vt quotiès pro parte Superiorum prędictorum, aut alicuius ipsorum, tam coniunctim, quàm diuisim fuerint requisiti, quisque videlicet per se, vel alium, seu alios præsentes, vbi, & quando opus fuerit, solemnitèr publicantes, eisque in prædictis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ illas, & earum vigore faciendas distributiones, assignationes, locationes, concessiones, venditiones, liberationes, erectiones, creationes, constitutiones, & exemptiones, liberationes, ac alia omnia prædicta cum omnibus inde sequuturis firmitèr obseruari, ac singulos, quos illa concernunt, & concernent in futurum, eis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes quemquam contra eas quomodolibet impediri, vel molestari, Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cœteraque iuris, & facti remedia opportuna, omni & quâcunque appellatione postposita compescendo, inuocato etiam suprascri-
4 pto auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus fe. re. Bonifacij Octaui de vnâ & in Cõcilio generali edita de duabus dictis, & Symachi, Pauli II. Pauli IV. aliorumque Rom. Pont. & Nostris, alijsq; Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon testamentis, donationibus, legatis, fideicommissis, alijsque dispositionibus, & contractibus de bonis, rebus, & iuribus supradictis in fauorem ipsarum Congregationum, Monasteriorum, Locorum, & Ordinum quomodocunque factis, illorũ alienationes, immutationes, aut alias conditiones fieri specialitèr, & expressè prohibentibus, ac in euentum alienationis, immutationis, aut alterius dispositionis, Pia, aut alia loca, etiam plura ordine successiuo, ipso facto substituentibus, vel illa ad heredes redire omnino volentibus, ac alias in contrarium quomodolibet conditis, ac quocumq; vinculo firmatis, quodque aliquibus communitèr, vel diuisim à prædictâ sit Sede indultum, quod ad præstationem, & solutionem aliquam minimè teneantur, nec ad id vllatenùs, aut nisi per Capitula generalia, & causis in eis priùs propositis, maturèque discussis compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, indulgentijs, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel omnino inserta earum, & per ipsas attributæ facultatis, & auctoritatis effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus ad verbum habenda esset in nostris literis mentio specialis; quæ omnia & alia quæcunque effectum prædictum impedientia, aut impedire volentia, omnino tollimus, & abrogamus; cęterisque contrarijs quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset præsentes quocumque illis opus erit, perferre, volumus vt earum exemplis etiã impressis, manu Notarij publici, & personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ eiusue curiæ sigillo obsignatis,

signatis, eadem illa prorsus fides in iudicio, & extrà illud vbique locorum adhibeatur, quæ illis ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, statuti, tributionum, suppletionis, exemptionis, liberationis, edictionis, decreti, mandati, ablationis, & abrogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, quartodecimo Cal. Aprilis. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

*Signum Pij Papæ V.*

VTINAM DIRIGANTVR VIÆ MEÆ AD CVSTODIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS.

Io. Card. Moronus Episc. Ostiensis. Ego Christ. Mad. Car. Trid. Episcopus Port. Ego Otho Truchses Episcopus Card. Prænestin. Augustanus. Ego Io. Card. Polit. Episc. Albanen. S. Cardinalis Pisarum. Ego Io. Ant. Card. S. Georgij. Aloy. Cor. Card. Camerarius. Ant. Card. Granuelanus, Stani. Card. Vuarmien. F. Card. Pacheco. M. Ant. Card. Amulius, Ego A. Card. Gesualdus. Ego N. Card. de Sermonetâ. Ego In: Aualus Card. Arag. Ego Ptol Card. Comensis. P. Card. de Sanctæ Cruce. Ego M. Ant. Card. Bobba Hugo Boncompagnus Car. S Sixti. Ego Flauius Card. Vrsinus. Alex. Card. Cribellus. Gul. Card. Sirletus. F. Hieronymus Card de Claraualle. Io. Pa. Card. ab Ecclesiâ. Ego M. Ant. Card. Maffeus. Ego Iul. Ant. Car. S. Seuerinæ, P. Card. Cæsius. C. Card. Rombollietus. F. A. Card. Theanensis. Ego F. Felix. Card. de Monte alto. Ego P. Card. Placentin. Ego Io. Card. Aldobrandinus. Ego F. Vincentius Card. Iustinianus. Ego Hier. Card. Rusticutius. Ego Io. Hiero. Card. Albanus. Ego Hier. Card. Simoncellus. Fer. Card. de Medicis, Iul. Card. de Aquauiuâ Cæs. Glorierius; A. de Alexijs.

## CONSTITVTIO CLXXXXIV.

### *SVMMARIVM.*

*1570. Maij 14.*

PIVS PAPA V.

*Imponit Subsidium super fructibus, & pensionibus bonorum Ecclesiasticorum, etiam Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium totius Italiæ, præterquam Dominij Veneti, pro bello contra Turcas. Collectoresque deputat.*

*Ex Bullario Rom. Pij V. Constit. 104.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Christiana Respublica, quò redacta sit, quantisque incommodis conflictetur, omnibus perspicuum esse non ambigimus: quando inter maximos amplissimorum Regnorum tumultus, ab impijs hominibus, contra proprios Principes iam diù (peccatis nostris facientibus) concitatos, cruentasque passim cædes, Sæuissimus Turcarum Tyrannus, intelligens Summos Reges intestino bello implicatos, atque confectos, ingentes exercitus cogit, potentissimam classem instruit, vt quas sibi in arcano instituit Christianorum partes, improuiso adoriatur, insitamque expleat feritatem. Nam, etsi opprimendi Cypri causâ, fama vagetur, & id Venetis indixerit, ipsique alioqui hoc conijcientes, ad defendendum bello Cyprum, egregias, numerosasque eò militum manus, classe traiicere maturant, quos, & Nos iā pecuniā succurrimus, & quibus possumus rebus necessarijs, subuenire conamur, tamen non scimus eiusne sit ille consilij, propiùs accedere, atque inuisæ sibi Italiæ portus idoneos opprimere, vt itinere patefacto, in reliquam Italiam, & aliàs Fidelium Prouincias, pro libito, irrumpere possit. Quarè prouisa quoquò versus omnia sint necesse, habētes, vt quâcunque illius furor irruerit, potentibus armis reprimatur. Hoc cum vbique factum iri vehementer expetimus, & quæ possumus auxilia, cuique egenti impertimur; tum etiam à Nobis illud sedulò curandum est, vt omnes oræ mari timę muniantur, præsidia disponantur, noui equitum, peditumque delectus, primo quoque tempore habeantur. Sed immensi sumptus, quos Principibus Christianis pro suâ, & Fidei defensione laborantibus, vbi res tulit, suggessimus, & pro exercitu, quem superiore anno in Galliam contrà Hæreticos misimus, ac pro tutelâ Auinionis, Comitatusque Nostri Venusini, tandiù suppeditauimus, & nunc ad tenendas ibi, alias nouas, quas, imminentibus quotidie magis dictorum Hæreticorum periculis proximè decreuimus, militum copias, ampliùs facere compellimur. Aliæ item diuersorum generum calamitates, vsque eo temporalem Romanæ Ecclesiæ Statum afflixerunt, ita Cameram Apostolicam ordinario prouentu exinaniuerunt, vt si repente vis aliqua ingruerit, ad eam propulsandam, necessaria manifestè sint defutura. His nimirum angustijs, & difficultatibus circumuenti, & obsessi, omnia priùs conari decreuimus, quàm Subditos Nostros alijs oneribus, & miserijs nimium affectos, grauioris ponderis accessione vexare. Quarè habitâ, pro rei grauitate, cum Fratribus Nostris, deliberatione maturâ ad peculium Ecclesiæ (cuius causâ, vtmaximè agitur) de necessitate conuersi, Indicimus, & Imponimus sex integras Decimas, omnium, & quorumcunque fructuum, redditAuum, prouentuum, iuriū, obuentionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum, omnium, & quorumcunque Ecclesiarum, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conuentuum, ac etiam Mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium Abbatialium, Capitularium, & Conuentualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarū, Canonicatuum, Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cū curâ, & sine curâ, Sæcularium, ac S. Benedicti, S. Augustini; Cluniacensis, Præmonstratensis, S. Basilij, Humiliatorum, Syluestrinorum, & (qui proprietates, redditusque certos ex priuilegio, vel aliàs possident Mendicantium, ac quorumcunque aliorum Ordinum vtriusque sexus, necnon Congregationū Regularium, & prætereà Hospitalium etiam pauperum, hospitalitatem non exercentium, seu bona,

næ, & redditus, vltrà infirmorum necessitates, & alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium; necnon Beatæ Mariæ Theutonicorũ, S. Lazari, De Altopassu, Templi Dominici, & aliarum Militiarum (Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quæ pro sui tutelà contra dictos Turcas, & alios Infideles, alienis auxilijs continuè eget, dũtaxat exceptà) in omni Italià, præter Dominium prædictorum Venetorum (cuius Clerum Vniuersum, causà huiusmodi expeditionis in Turcas iam onerauimus) consistentium, secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, prouentuũ, & aliorum prædictorum. Ac etiam indicimus, & imponimus, sex alias Decimas omnium, & quarumcunque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis assignatarum, & assignandarum percipiendas, exigendas, & leuandas ab omnibus, & quibuscunque Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ac cœteris cuiuscunque dignitatis, status, & conditionis personis, prædictã, quocunque iure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, necnõ Oeconomis, & Administratoribus perpetuis, & temporalibus, vsufructuarijs, ac fructus, pensiones, res, & alia huiusmodi iura ex quacunque causà sibi, Apostolicà auctoritate, in toto, vel in parte reseruatà habentibus, & habituris, sæcularibus, & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium prædictorum, necnon ab ipsis Ecclesijs, Capitulis, Conuentibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, Hospitalibus, Militijs, Mensis, Massis, & Locis, quocunque priuilegio, & exemptione reali, personali, & mixtà, antiquà & immemorabili, pacificà, & continuà suffultis. Quos omnes ad hoc efficacitèr obligatos pro vnà intra proximum diem Festum S. Michaelis Archangeli, qui Mense Septembri incidit, & pro alià intrà eundem Festum Anni proximè futuri, & pro tertià partibus æqualibus, intrà illum ipsum diem Festum consequentis prorinùs Anni, Cameræ prædictæ, & illius Procuratoribus ad id constituendis omninò volumus persoluisse. Quicunque verò Decimas huiusmodi nullo modo, vel non integrè sciẽtèr, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, redditutum, prouentuum, iurium, obuentionum, distributionum, & emolumentorum, siue non in terminis constituendis exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, siue fraudem; Ecclesiarum Antistites suspendimus à Diuinis. Capitula verò; Conuentus, & Collegia quæcunque, Ecclesiæ Interdicto supponimus; ac singulares personas, Antistite inferiores, excommunicationis sententià innodamus. Cœterum ad prædictas Decimas consequẽdas, præcipimus etiam omnibus conductoribus, censuarijs, & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & iurium prædictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, & vtrasque decimas nomine Dominorum, & Pensionariorum ad computum suæ quisque locationis; omnibus verò possessoribus, vsufructuarijs, & alijs pensiones soluere debentibus, vt ipsi etiam Decimas pensionum huiusmodi, nomine Pẽsionariorum, Cameræ, & Procuratoribus prædictis integrè persoluant. Decernentes Decimas fructuum, reddituum, prouentuum, & aliorum iurium prædictorum, secundum communem illorum æstimationem arbitrandas, alias verò pẽsionum Decimas ad rationem decem pro centenario præstari debere, & secundum ea prædictos omnes insolidum cogendos esse, ipsarumque decimarum Procuratoribus à quibus libuerit integrè exigendi optionem, facultatemque habere. Neque vllas omninò immunitates, & exemptiones, etiam ex causà resignationis, cessionis, iuris, concordiæ, conuentionis, aut quàcunque alià graui, & onerosà occasione, quocunque modo concessas, & interim concedendas, integram solutionem huiusmodi minuere, vel impedire; neq; possessores, vsufructuarios, aut alios pensiones huiusmodi soluere debentes, etiam si ipsi iuri, & actioni petendæ, vel retinendæ portionis, & ratæ partis Pensionarios cõtingentis, iureiurando renũciauerint, & illã liberè donauerint, & facultati repetẽdi renũciauerint, atque ex formà dictæ Cameræ amplissimà cauerint, modo aliquo obligari, nec ad id pro dicto tempore constringi posse. Omnes verò confessiones, & quietantias receptionis Decimarum à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ, tàm conductoribus, censitarijs, & locatoribus, nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis, necnon possessoribus, vsufructuariis, & aliis pensiones soluere debentibus, nomine Pensionariorum, faciendas, perinde valere, atque in iudicio, & extrà illud vbique locorum fidem facere, ac si ipsis met principalibus, & Pensionarijs præsentibus, & soluentibus, factæ, & exhibitæ fuissent. Conductores autem, qui pretiũ locationis dominis legitimè anticipauerint, locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus, vsque ad integram satisfactionem, vt priùs, etiam adueniente successore, continuare debere. Sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales in quàuis causa, & instantià, sublatà eis, & eorum cuilibet, quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & difiniri debere, necnon irritum, & inane quidquid secùs per quoscunque, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Vt autem omnia supradicta, sicut causa vrgens, postulat diligentèr, & fideliter exequantur, Dilectum Filium Nostrum Aloysium Tituli S. Clementis Presbyterum, Cardinalem Cornelium nuncupatum, Camerariũ Nostrum, cuius integritas, & experientia iam pridem Nobis perspecta est, Generalem omnium Decimarum prædictarum Collectorem, in vniuersã Italià cum omnibus, & quibuscunque priuilegijs, iurisdictionibus, & iuribus, quæ omnes alij ante hac huiusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prędictà, tenore præsentium, constituimus, & ordinamus, eique plenam, liberam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas, Cameræ prædictæ, nomine, vbique procurandi, prædictos omnes, tàm coniunctim, quàm diuisim ad integram illarum solutionem, vti prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi, & requirendi; non parentes, fraudantes, & cœteros contumaces, in censuras, & pœnas prædictas incidisse declarandi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu Regia apprehendendi, & vsque ad condignã satisfactionem retinendi; contradictores, & perturbatores, molestatores, & rebelless quoscunque, eisque auxilium, consilium, vel fauorem, publicè, vel occultè, quouis quæsito colore præstantes, cuiuscunque dignitatis, gradus, Ordinis fuerint, prædictis, alijsque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniarijs, cœterisque iuris, & facti remedijs opportunis compellendi; illasque etiam iteratis vicibus aggrauandi, dignitatibus, beneficijs, & officijs omnibus priuandi, & amouendi, & ad futura inhabiles

biles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachij sæcularis quandocunque opus fuerit inuocandi. Ad sanitatem verò reuersos qui debitè satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in formâ Ecclesiæ consuetâ absoluendi, super irregularitate forsan incursâ dispensandi, & ad pristinum statum omninò restituendi. Præterea Collectores, & Subcollectores fide, & facultatibus idoneos in omnibus Ciuitatibus, Terris, & Prouincijs, Italiæ prædictæ quotquot viderit expedire, cum simili, aut limitatâ, non tamen absoluendi potestate, constituendi, eumque vel eos, arbitrio suo reuocandi, negligentes, & morosos remouendi, ac alium, seu alios subrogandi, quotiescunque eis videbitur. In delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simplicitèr, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ iudicij inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis seruandis præscribendi, dubia quæcunque in præmissis forte oritura declarandi, & prorsus omnia, & quæcunque circa ea necessaria, & oportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quã præsentibus est expressum. Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ VIII. de vnâ, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac alijs Apostolicis constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis. Quodque Prælatis, & personis prædictis, eorumque Ecclesijs, & locis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim à prædictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, earumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasterijs, Ordinibus, & locis huiusmodi, mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus illis in genere, & in specie quomodocunque concessis, confirmatis, & innouatis, etiam solutiones decimarum, alitèr quàm secundum antiquam taxam, & nisi in vniuersali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum huiusmodi pensionum neminem teneri, neque eas quoad præmissa contra quemquam locum habere declaramus, alijsque indulgentijs, & litteris Apostolicis, generalibus, & specialibus, cuiuscunque tenoris existant, per quę præsentibus non expressa, aut omninò non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis; quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon alijs huiusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum per Nos factis, cœterisque contrarijs quibuscumque. In percipiendis autem decimis prædictis constitutionem piæ memoriæ Clementis Papæ V. in Concilio Viennen. editam, quod Decimæ ad monetam currentem communitèr leuari, nec calices, libri, cœteraque Ecclesiarum ornamenta diuino cultui dicata, ex causâ pignoris, capi, recipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, vbique volumus obseruari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam, etiam plura, quanticunque valoris Beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litterâ, & sigillo quietantiæ vniuersalis, si illam habere voluerit, vltrà vnum carlenum conficientem quatrenos triginta septem huius monetæ soluere teneatur, nec ad aliud onus, etiam prætextu cambij vspiam compellatur. Quia verò difficilè nimis esset præsentes litteras quocunque illis opus erit perferre, etiam volumus, vt illarum exemplis etiam impressis, & Notarij publici manu, ac Aloysij Cardinalis, & Camerarij prædicti, aut alterius Collectoris, seu Prælati Ecclesiasti, eiusuè Curiæ Sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in Iudicio, & extrà illud vbique locorum adhibeatur, quæ illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ indictionis, impositionis, voluntatis, suspensionis, suppositionis, innodationis, præcepti, decreti, prorogationis, constitutionis, ordinationis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo, septuagesimo pridie idus Maij, Pontificatus Nostri Anno quinto. Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

## CONSTITVTIO CLXXXXV.

### SVMMARIVM.

1570. *Septembris* 1.

### PIVS PAPA V.

*Declarat quod soluentes in terminis constitutis Decimas super fructibus, & pensionibus Beneficiorum Italiæ impositas, soluant iuxta taxam antiquam, morosi vero secundum verum valorem. Et quod Cõgregatio Casinensis, ac aliæ Congregationes Regulares, quæ Cameræ Apostolicæ soluunt singulis annis quartam partem suorum redditUum, non teneantur ad solutionem istarum decimarum.*

*Ex Bullario Romano Pij V. Constit. 111.*

PIVS Papa V. Ad futuram rei memoriam. Licet Nos nuper ex rationabilibus, & vrgentissimis causis sex Decimas omnium fructuum Ecclesiasticorum, & pensionum super illis reseruatarum in omni Italiâ, pręter Dominium Venetorum consistentium, secundum verum valorem in terminis tunc expressis persoluendas, per Nostras litteras imposuerimus, pro vt in illis pleniùs continetur; nihilominus volentes pro Nostrâ ergà Ecclesiasticas, & alias personas dictas Decimas soluere habẽtes, benignitate, ac mãsuetudine, cum ipsis more pij patris liberalitèr agere; Motù proprio, & ex certâ scientiâ, maturàque deliberatione Nostrâ, sex Decimas, tàm fructuũ Ecclesiasticorum, quam pẽsionum huiusmodi ab illis personis, quę ipsas Decimas in terminis per easdem Nostras litteras constitutis, siue per Dilectum Filium Aloysium Cardinalem Cornelium Nostrum, & S. R. E. Camerarium, quem generalem huiusmodi Decimarum Collectorem constituimus, aut Collectores, seu Subcollectores ab eo deputãdos constituendis,

dis, sine vlla morâ persoluerint, non secundum verũ valorem, vt dictum est, sed iuxtà antiquam earũdem decimarum taxam persolui debere, morosos verò in eis persoluendis, & illas soluere recusantes, vel differentes, ad dictas decimas, secundum præfatum verum valorem integrè persoluendas, iuxtà dictarum litterarum Nostrarum tenorem, omnino compellẽdos esse, tenore præsentium declaramus. Necnon Congregationes omnes Regulares Fratrum, & Monachorum quæ singulis annis quartam partem omnium redditituum suorum Cameræ Apostolicæ soluere concordarunt, & eam con effectũ soluunt, ad Decimarum huiusmodi solutionem minimè teneri, nec ad eas soluendi cogi, neque propterea vllatenùs molestari posse, sicque ab omnibus etiam Camerario prædicto, ac Præsidentibus Clericis dictæ Cameræ nunc, & pro tempore existentibus iudicari debere, per easdem præsentes decernimus atque mandamus. Non obstantibus litteris Nostris præfatis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Cameræ statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die primâ Septembris, Pontificatus Nostri Anno quinto. Cæ. Glorierius.

*Obligatio Congregationis Casinensis, cæterarumq; Congregationum non Mendicantium, soluendi scuta 32000. auri annuatim, pro fructibus scutorum 400000. auri, impositorũ a Pio Papa V. cũ obligatione Cameræ Apostolicæ manutenendi Priuilegia, & immunitates dictarum Congregationum etiam pro contributione Seminariorum.*

*Ex Actis Andreæ Martini Not. Cam. Apost.*

DIe 20. Aprilis 1571. Cum nuper Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Pius, Diuinâ prouidentiâ, Papa Quintus, vrgentissimis Sedis Apostolicæ necessitatibus ductus, indixerit, & imposuerit hâc vnâ solâ vice tantùm Subsidium quadringentorum millium scutorum auri in auro super omnibus bonis; proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, & alijs rebus, ac iuribus Congregationum Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Lateranen. Montis Oliueti, Camaldulen. etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montis Coronæ, Carthusien. S. Saluatoris, Vallis Vmbrosæ, S. Georgij in Algâ, Cœlestinorum, Cistercien. Lombardiæ, Cruciferorum, & S. Hieronymi, eorumq; Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraram, Beneficiorum, & Officiorum, cum curâ, & sine curâ, necnon Mensarum, Membrorum, Grangiarum, & Locorum omnium illis annexorum vbicunq; existentium, per ipsarum Congregationum Superiores, Abbates, Præpositos, Conuentus, Capitula, & personas, æquata inter ipsos instar quartæ partis, quam soluunt, fructuum suorum collatione, Reu. D. Bartholomæo Bussotto, præfati Sanctissimi D. N. Papæ, & eiusdem Cameræ Thesaurario generali, Romæ, illorum periculis, & impensis, & aliàs; quemadmodum inter Illustriss. & Reu. D. Aloysium Tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem Cornelium S. R. Camerariũ, quem ad hoc Commissarium, & Procuratorem constituit, & illius, siue illorum Procuratores conueniret, integrè persoluendum eiusq; rei causâ, præfato Illustriss. & Reuerendiss. D. Aloysio Cardinali Camerario, & Commissario, liberam, & omnimodam facultatem, & potestatem tribuerit, collationes, & distributiones in singulas Congregationes faciendi, cum illis, eorumq; Superioribus, & Procuratoribus, tàm coniunctim, quàm diuisim conueniendi, deq; modis, & cautionibus solutionis præfatæ, & alijs hoc negocium concernentibus paciscendi, obligationes, promissiones, & fideiussiones, exigendi, & vicissim præstandi, contractus super his necessarios, etiam præfati D. N. Papæ, & Cameræ præfatæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundum illa, & litteras desuper confectas, Subsidium præfatum procurandi, cœteraq; alia necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, etiam si mandatum exigerent magis speciale, prout latiùs in litteris Apostolicis desuper sub plumbo expeditis, & manu prælibati Sanctissimi D. N. Papæ signatis, sub Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1570. quartodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus sui Anno sexto continetur, & habetur. Prætereaque idem Sanctissimus D. N. Papa, per alias suas simili modo, & sub eâdem datâ expeditas litteras, volens Congregationes præfatas subleuare, Superiores præfatos opportunâ facultate munire statuerit, vt singuli Superiores præfati, ratam Subsidij huiusmodi sibi contingentem, pro sua quisq; Monasteria, Prioratus, Præposituras, Beneficia, Membra, Grangias, Annexa, Conuentus, & Loca distribuerent, & assignarent, distributamq; & assignatam exigerẽt; eisdemq; Congregationibus, & pro eis suis Superioribus, plenam, liberam, & absolutam facultatem, mandatum, & potestatem tribuerit de omni, & quacunq; proprietate, & dominio temporali cuiusq; Congregationis, & eius Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraram, Beneficiorum, Officiorum, Mensarum, Membrarum, Grangiarum, Annexarum, Conuentuum, & locorum præfatorum vbicunq; existentiũ bona, censũs, feuda, liuellos, & alia cuiuscunq; qualitatis, & naturæ iura, quæ pro confectione dictæ summæ quadringentorum millium scutorum auri in auro necessaria erit dumtaxat, ad longum, & longissimum tempus locandi, siue in emphitheusim, siue aliàs ad vnã, duas, vel plures generationes, & seu nominationes, siue etiam in perpetuum concedendi, vendendi, ac quocunq; alio modo, & titulo alienandi, pretio liberandi, & extinguendi, prout singulis Superioribus magis expediens videbitur, Montesq; dictam summam scutorum quadringentorum millium non excedentes, non vacabiles, & aliàs aliorum Vrbis Montium instar, cum facultate redimendi, erigendi, & instituendi, ac eisdem Montibus pro dote, fructus, redditus, & prouentuus assignandi, census, aut redditus annuos creandi, & constituendi; & quia Congregationum præfatarum Procuratores, qui hic sunt, mandatum ad præfata speciale non habent, quin etiam nonnullarum Procuratores, vel hinc absunt, vel omninò non sunt, defectum huiusmodi supplere volendo, supradictis Procuratoribus, etiam nomine illarum Congregationum, quarum Procuratores hic desunt, & pro eâ parte illas tangente dumtaxat; vocatis tamen eorum aliquo, vel aliquibus Abbatibus, seu Prioribus, aut alijs Præsidentibus suorum locorum, qui hic sunt, omnia præfata faciendi, & exequendi liberam, & absolutam licentiam, & auctoritatem tribuerit. Cœterum prælibatus Sanctissimus D. N. vt Congregationes præfatæ, tanto ponderi subiectæ, alijs futuris aliquo pacto alleuentur, easdem Congregationes ab omnibus, & quibuscunq; Decimis, vniuersitatibus, & particularibus de cœtero imponendis, & prætereà ab omni contributione, collatione, & taxâ pro Collegijs Seminariorum factâ, & impositâ hucusq;, & dein-

deinceps faciendâ,& imponendâ exemerit,& liberauerit,& si quocunq; modò ad illa de facto cogerentur; dictã Cameram eos defendere causamq; vniuersam in se suscipere, iudicatum soluere, & ad ea omninò teneri edixerit, prout in secundodictis litteris Apostolicis pleniùs continetur, & habetur. Cumq; Congregationes præfatæ,& pro eis earum Procuratores infrascripti volentes, vt par erat parere Sanctissimo D. N. Papę, ad faciendum eidem rem gratam, imminentibusq; Sedis Apostolicæ necessitatibus hilari animo subueniendum, cuperent omnem præfatam pecuniarum summam, prout quemq; eorum tangit in promptu habere, quod tamen eis non ita facilè est,& nè seruitium præfati Sanctissimi D. N. Papę differatur, ipsi Procuratores dictarum Congregationum, cum præfato Illustris., & Reuer. D. Aloysio Cardinali Camerario, ad hoc facultaté habente, conuenerint, & pacti fuerint, vt loco dicti Subsidij scutorum quadringentorum millium auri in auro, ac in eorum solutum, & pagamentum, Congregationes præfatæ teneantur & obligatæ sint soluere,& pagare Reu. Cameræ Apostolicæ, & pro eâ supradicto Reu. D. Thesaurario generali in terminis, & solutionibus infrascriptis vnum annuum Subsidium, seu responsionem scutorum triginta duorum millium auri in auro, ad effectum, vt idem Sanctissimus D.N. assignet huiusmodi anuum Subsidium pro dote vnius Montis per eum erigendi, & seu aliter de huiusmodi annuo Subsidio ad sui libitum disponat; quod, vt acceperunt, prælibato Sanctissimo D.N. Papa pergratum, & valdè vtile erit; volentesq; premissa in stipulationem,& contractum deducere. Hinc est, quod hac præsenti die x. mensis Aprilis 1571. in mei &c. personalitèr constituti Illustris.& Reuerendiss. D. Aloysius Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Cornelius S.R.E. Camerarius antedictus, nomine Sanctissimi D. N. Papę, & Cameræ Apostolicæ, ac vigore facultatis, & auctoritatis sibi desuper, vt præmittitur concessæ,& attributæ ex vnâ, & RR. PP. D. Marcus de Mirandulâ Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti Procurator generalis. D. Raphael de Cremonâ Congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Procurator generalis. D. Andræas de Mazario Congregationis Carthusiensis Procurator generalis. D. Gregorius de Mantuâ Congregationis Montis Oliueti Ordinis S. Benedicti Procurator generalis. D. Anastasius de Bononiâ Congregationis S. Saluatoris Canonicorum Regularium, Ordinis S. Augustini Procurator generalis. D. Bartholomeus de Bagnacauallo Congregationis Camaldulensis, etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montiscorone, Ordinis S. Benedicti Procurator generalis. D. Miniatus de Gaiole Congregationis S, Mariæ Vallis Vmbrosæ, Ordinis S. Benedicti Procurator generalis. D. Petrus Morino Congregarionis Sancti Georgij in Algâ Venetiarum Procurator generalis. D. Vincentius del Vasto Congregationis Cœlestinorum, Ordinis S. Benedicti Procurator generalis. D. Laurentius de Manuelis Congregationis Cistercien. Lombardiæ, Ordinis S. Benedicti Procurator generalis. D. Petrus Paulus Iustianus Congregationis Cruciferorum Procurator generalis, & D. Prosper de Bononiâ Congregationis S. Hieronymi Procurator generalis, & eisdem nominibus, promittentes nihilominus ipsi Procuratores, pro dictis earum Congregationibus respectiuè de rato, huiusmodiq; instrumentum, ac omnia,& singula præmissa, & infrascripta in eo cõtenta in proximis ipsarũ Congregationũ Capitulis respectiuè ratificari faciendo, instrumẽtũq; ratificationis huiusmodi, in bonâ, publicâ validâ,& autentica formâ tradere, & cum effectu consignare in actis mei Notarij infracripti infra duos menses à dictis respectiuè proximis Capitulis proximè futuris, aliàs ipsi Procuratores de eorum proprio teneri,& obligari voluerunt, & eisdem nominibus partibus ex alterâ, spõtè &c. dictis respectiuè nominibus de,& super præmissis deuenerunt insimul ad conuentionem, & pacta sequentia, videlicet, Quod supradictæ Congregationes teneantur, & obligatæ sint soluere,& pagare dictæ Reu. Cameræ Apostolicæ,& pro eâ Reu. D. Bartholomæo Bussotto eiusdem Cameræ Thesaurario generali ibidem præsenti &c. pro dicto Subsidio scutorum quadringentorum millium auri in auro, vt præmittitur, imposito, ac in eorumdem scutorum quadringentorum millium auri in auro solutum, & pagamentum hic Romæ, liberè,& sinè aliquâ exceptione, ac omnibus dictarum Congregationum sumptibus, risico, & expensis, vnum annuum perpetuum Subsidium, seu responsionem, modo tamen infradicendo, redimibile scutorum triginta duorum millium auri in auro, in terminis,& solutionibus, ac pro ratis,& portionibus infradicendis, scilicet de bimestri in bimestre, & in fine cuiuslibet bimestris ratam partem, ita quod primus annus incipiat,& incipere debeat à Kal. Mensis Maij proximè futuri, & sic deinceps continuare, prout præfati Procuratores, dictis nominibus, facto priùs inter dictum Illustris: & Reuerendiss. D. Cardinalem Camerarium, & ipsos desuper diligenti & æquâ diuisione, & collatione ad instar quartæ partis fructuum, quam soluunt, dictum annum Subsidium scutorum triginta duorum mille auri in auro soluere promiserunt, & promittunt respectiuè pro ratis,& portionibus sequentibus videlicet. R.P.D. Marcus de Mirandulâ pro dictâ Congregatione Casinen. promisit soluere, & pagare modo præmisso scuta decem mille septuaginta sex, & bol: sexdecim auri in auro. R. P. D. Raphael de Cremonâ pro dictâ Congregatione Lateranen. simili modo promisit soluere, & pagare alia scuta quinq; mille triginta octo, & bol: octo similia. R.P. D. Andræas de Mazario pro dicta Congregatione Carthusien. eo modo promisit soluere alia scuta sex mille septingenta decem,& septem, & bol: quadraginta quatuor similia. R. P. D. Gregorius de Mantuâ pro dictâ Congregatione Montis Oliueti promisit simili modo soluere alia scuta quinque mille triginta octo,& bol: 8. similia. R.P.D. Anastasius de Bononiâ pro dictâ Congregatione S. Saluatoris promisit eo modo soluere scuta mille quingenta quadraginta vnum,& bol. 12. R.P.D. Bartholomæus de Bagnacauallo pro dictâ Congregatione Camaldulen. etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montis Coronæ promisit soluere alia scuta mille quadringenta sexaginta sex, & bol: 88. similia. R. P. D. Miniatus de Gaiole pro dictâ Congregatione Vallis Vmbrosæ promisit eo modo soluere alia scuta noningenta decem, & nouem bol: 4 similia. R. P. D. Petrus Morino pro dictâ Congregatione S. Georgij in Algâ dicto modo promisit soluere alia scuta trecenta octuaginta septem, & bol. 20. similia. R.P.D. Vincentius del Vasto pro dictâ Congregatione Cęlestinorum eodem modo promisit soluere alia scuta tricenta triginta sex similia. R. P. D. Laurentius de Manuellis pro dictâ Congregatione Cistercien. Lombardiæ promisit soluere alia scuta centum sexaginta octo,& bol. 96. similia R. P. D. Petrus Paulus Iustianus pro dictâ Congregatione Cruciferorum

rum promisit soluere dicto modo alia scuta centum quinquaginta quinque, & bol: 52. similia, & R. P. D. Prosper de Bononia pro dicta Congregatione S. Hieronymi eodem modo promisit soluere reliqua scuta centum quinquaginta quinque, & bol. 52. similia. Et sic in totū pro dictis vt praefertur, ratis, & portionibus, vt praemittitur descriptis, praefati DD. Procuratores dictis nominibus, modo praemisso, soluere promiserunt, & promittunt totum dictum Subsidium annuum scutorum triginta duorum millium auri in auro, aliàs teneri voluerunt, & volunt eidem Reu. Camerae Apostolicae, omnibusq; alijs, & singulis, quorum de praemissis interest, interit, aut interesse poterit quomodolibet in futurū, ad omnia, & singula damna, expen. & interesse propterea quomodolibèt incurrenda, facienda, patienda, & substinenda; pactis infrascriptis inter dictum Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalem Camerarium ex vnâ, & praefatos DD. Procuratores, dictis quibus supra nominibus, partibus ex alterâ expresse conuentis, & solemni stipulatione, hinc inde interueniente, vallatis, videlicet, Quod de annuo Subsidio scutorum triginta duorum millium auri in auro, vt praemittitur, solui promisso, liceat praelibato Sanctissimo D. N. Papae disponere ad sui libitum, vel in assignanda dote Monti, seu Montibus desuper per eumdem Sanctissimum D. N. Papam erigen., seu aliàs, prout meliùs eidem Sanctissimo D. N. Papae placuerit, & beneuisum fuerit, ita tamen, quod si contingat per eumdem Sanctissimum D. N. Papam, & Sedem Apostolicam desuper Montem, seu Montes erigi, in erectione huiusmodi apponatur pactum expressum, quod lapso biennio, à dictis proximis Kal. Maij incohando, & vt sequitur finiendo, liceat supradictis Congregationibus, & cuilibet ipsarum, ratam suam in toto, vel in parte, ac in vnâ, & pluribus vicibus, ac totiès, quotiès eisdem, tàm coniunctim, quàm diuisim, placuerit, etiam post centum, & ducentum annos, & quandocunque redimere, & affrancare, ac extinguere, & cassare Montem, seu Montes quoscunque desuper erigendos, vt vulgò dicitur al pari, & vnum dicti Montis locum, qui non possit esse minor de scutis centum similibus, pro dictis scutis centum similibus, etiam si loca huiusmodi tunc obtinentes illa quocunque maiori pretio emissent. Caeterum, quod, mediantibus, & attentis praemissis, praedictae Congregationes possint, & valeant, tàm coniunctim, quàm diuisim, pro ratis, & portionibus easdem Congregationes tangentibus redimere, & extinguere Montem Nouennalem nuncupatum, aliâs super quartâ parte fructuum, quàm ipsae Congregationes soluunt, erectum, per Sedem, & Cameram Apostolicam, cum facultate redimendi, & extinguendi. Et ad effectum praemissum, ipse Illustriss., & Reuerendiss. D. Aloysius Cardinalis Camerarius, nomine eiusdem Sanctissimi D. N. Papae, & Camerae Apostolicae, pro dictâ redemptione, ac recuperatione, & extinctione Montis dumtaxat, cessit, & remisit eisdem Congregationibus, dictis earum Procuratoribus, vt praemittitur, praesentibus, & acceptātibus, omnia iura, & actiones eidē S. D. N. Papae, & Camerae Apostolicae competentia, & competentes ad huiusmodi iuribus, & actionibus vtendi, & experiendi, in iudicio, & extrà, prout ipse S. D. N. Papa, & Camera Apostolica, pro dictâ redemptione, & extinctione, vti, agere, & experiri poterat; subrogans, & ponens propterea easdem Congregationes desuper in vniuersum ius, locum, & priuilegium S. D. N. Papae, & Camerae Apostolicae, ad hoc, vt Congregationes praedictae Montem Nouennalem huiusmodi redimere, & extinguere valeant, & se affrancare à solutione, ratae illius, ad quam quaelibet dictarum Congregationum in illud conferre tenetur, ac cum omnibus clausulis, & facultatibus desuper necessarijs, & opportunis. Praeterea etiam mediantibus, & attentis praemissis, praefatus Illustriss., & Reuerendiss. D. Aloysius Cardinalis Camerarius, volens iuxtà mentem Sanctissimus supraScriptas Congregationes, tanto ponderi subiectas, alijs futuris ponderibus aliquo pacto alleuare; promisit eisdem Congregationibus dictis earum Procuratoribus, vt praemittitur, praesentibus, & acceptantibus, Congregationes ipsas ab omnibus, & quibuscunq; Decimis, vniuersalibus, & particularibus de coetero imponendis, & praesertim in Dominio Inclitae Reipub. Venetae; & praetereà huiusmodi contributione, collatione, & taxâ pro Collegijs Seminariorum factâ, & impositâ hucusq; & deinceps faciendâ, & imponendâ, & praesertim in dicto Dominio Venetorum, eximere, & liberare, prout, huiusmodi instrumenti tenore, exemit, & liberauit. Et si quocumq; modo Congregationes ipsae ad illa de facto cogerentur, Camera praefata, easdem Congregationes deffendere causamq; vniuersam in se suscipere, iudicatum soluere, & ad ea omninò teneatur, & obligata sit, prout ipse Illustriss., & Reuerendiss. D. Cardinalis Camerarius, dicto nomine teneri, & obligari voluit. Vlteriùs dictus Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Camerarius, eiusdem S. D. N. Papae, & Camerae Apostolicae nomine voluit, & vult, ac consensit, & consentit, quod omnia, & singula Priuilegia gratiae, facultates, immunitates, & indulta, ac alia eisdem Congregationibus concessa, & in secundodictis litteris, vt praemittitur, narratis, contenta, hic expressa, & repetita, & pro sufficienter, & specificè repetitis, & expressis, etiam quoad huiusmodi Subsidium annuum scutorum triginta duorum millium auri in auro, vt praemittitur, soluendorum, habeantur, dictisq; Congregationibus inuiolabilitèr obseruari debeant. Demumq; etiam conuenerunt, quod praesens instrumentum, ac omnia, & quaecunq; in eo contenta, approbari, & confirmari per S. D. N. Papā, cum clausulis, & derogationibus opportunis latissimè extenden. & Motus proprius, & litterae confirmationis, & approbationis huiusmodi, ac etiam secundodictae litterae Apostolicae, vt praemittitur narratę, ipsis Congregationibus, seu per eis supradictis earum Procuratoribus in totum expeditae gratis vbiq; absq; aliquâ solutione per ipsum Illustriss., & Reuerendiss. D. Camerarium, seu Cameram Apostolicam, dari, tradi, & consignari debeant, quae omnia, & singula praemissa dictae partes, dictis nominibus mutuo, & vicissim respectiuè tenere, attendere, complere, & inuiolabilitèr obseruare promiserunt, & promittunt, & contra non facere, dicere, opponere, nec venire, quouis praetextu, & causâ, aliàs teneri voluerunt, & volunt sibi ipsis mutuò, & vicissim ad omnia, damna, expensas, & interesse propterea quomodolibet incurrenda, facienda, patienda, & substinenda. Pro quibus omnibus, & singulis praemissis, vt praemittitur, respectiuè tenendis, complendis, & inuiolabilitèr obseruandis, praefatus Illustriss., & Reuerendiss. D. Aloysius Cardinalis Camerarius, dictam Cameram Apostolicam, ac omnia, & singula illius bona praesentia, & futura, vbicunq; existentia, dicti vero Reu. Patres Procuratores, dictis nominibus, dictas eorum Congregationes, illarumq; Monasteria, Prioratus, Preposituras, Beneficia, Membra, Grangias, Annexa, Conuentus, Loca, & bona omnia praesentia, & futura vbi-

vbicunq; existentia, illarumq; Superiores, Abbates, Præpositos, & personas quascunq; præsentes, & futuros, necnon scriptos nomine proprio, & eorum bona omnia pro dictâ ratificatione danda, & vsq; ad dictam ratificationem secutam tantum, in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ respectiuè obligarunt, & hypothecarunt, cum promissionibus, renunciationibus, Procuratorum constitution. releuation. ratihabition. alijsq; clausulis, & cautelis in eâdem ampliori formâ Cameræ Apostolicæ apponi, & extendi solitis, & consuetis, & ita positis dexteris ad pectora, scilicet dictus Illustriss., & Reuerendiss. D. Cardinalis Camerarius more Cardinalium, reliqui verò omnes more Religiosorum Iurarunt &c. super quibus &c. Actum &c. præsentibus &c. testibus &c. D. Andreas Martini Not.

## SVMMARIVM.

1 *Cessio iuris redimendi Montes per Congregationem Casinensem, aliásque non Mendicantium Congregationes erigendos pro Subsidio scutorum 400000. auri soluendo, & declaratio earumdem Congregationum, quod dicti Montes erigendi, sint perpetui, & irredimibiles, facta per easdem Congregationes, ad fauorem Cameræ Apostolicæ.*

2 *Facultatē redimendi Montes iam erectos irredimibiles, adhoc, vt sequatur noua Montium erectio pro dicto Subsidio, cōcedit Camera Apostolica ad fauorē dictarū Cōgregationū. Immunitatesq; confirmat.*

*Ex Actis Andreæ Martini Notarij Cameræ Apostolicæ.*

DIE xviij. Aprilis 1571. RR. PP. D. Marcus de Mirandulâ Congregationis Casinen. aliàs S. Iustinæ de Paduâ Procurator Generalis. D. Raphael de Cremonâ Congregationis Lateranen. Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Procurator Generalis. D. Gregorius de Mantuâ Congregationis Montis Olliueti Ordinis S. Benedicti Procurator Generalis. D. Anastasius de Bononiâ Congregationis S. Saluatoris Canonicorum Regulariū Ordinis S. Augustini Procurator Generalis. D. Bartholomæus de Bagnacauallo Congregationis Camaldulen. etiā quò ad Heremitas Camaldulen. & Montis coronę Ordinis S. Benedicti Procurator Generalis. D. Miniatus de Gayole Congregationis S. Mariæ Vallis Vmbrosæ Ordinis S. Benedicti Procurator Generalis. D. Vincentius del Vasto Congregationis Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti Procurator Generalis. D. Laurentius de Manuellis Congregationis Cistercien. Lombardiæ Ordinis S. Benedicti Procurator Generalis. D. Petrus Paulus Iussianus Congregationis Cruciferorum Procurator Generalis. & D. Prosper de Bononiâ Cōgregationis S. Hieronymi Procurator Generalis, qui omnes vnà cum D. Andreâ de Mazzario Cōgregationis Carthusien. Procuratore Generali, & D. Petro Morino Congregationis Sancti Georgij in Algâ Procuratore Generali dictis nominibus, promiserunt soluere, & pagare R. Cameræ Apostolicæ, & pro eâ Reuerendissimo D. Bartholomæo Bussotto eiusdem Cameræ Thesaurario Generali, vnum annuum perpetuum Subsidium, seu responsionem, post tamen biennium redimibile scutorum triginta duorum millium auri in auro soluendorum in terminis, & solutionibus, ac pro ratis, & portionibus, & cum alijs pactis, modis, formis, conuentionibus, & conditionibus contentis, & expressis in instrumento, desuper, sub die x. huius per acta mei infrascripti Notarij rogato inter Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Aloysium Cardinalem Camerarium nomine S. D. N. Papæ, & Cameræ Apostolicæ ex vnâ, & præfatas Congregationes, seu pro eis dictos earum Procuratores, partibus ex alterâ celebrato, ad quod quatenus opus sit in omnibus, & per omnia relatio habeatur, pleniùs continetur, & habetur. Scientes, vt asseruerunt dictū pactum, & facultatem de redimendo Montem, seu Montes desuper per S. D. N. erigendos in eodem instrumēto expressos S. D. N. ac Sedi Apostolicæ damnum, & præiudicium esse allaturos, ex quo, vt acceperunt, loca dicti Montis erigendi, non ita facilè venderentur, & personæ huiusmodi loca emere volentes, non ita facilè reperirentur, dictaque loca Montis erigendi, stante dictâ facultate, & pacto redimendi, viliori pretio venderentur; quod propterea in maximum damnum prælibati S. D. N. & Sedis Apostolicę verget; Idcircò ad faciendam rem gratam & proficuam eidem S. D. N. Papę, & Cameræ Apostolicæ decreuerunt pactum, & facultatem huiusmodi de redimendo post biennium Montem, seu Montes desuper erigendos cassare, illisq; renunciare; & propterea omnes prenominati Procuratores, dictis quibus suprà respectiuè nominibus, promittentes nihilominus ipsi Procuratores pro dictis eorum Congregationibus respectiuè de rato, huiusmodique instrumentum, ac omnia, & singula in eo contenta in proximis ipsarum Congregationum respectiuè Capitulis ratificari faciendo, instrumentumq; ratificationis huiusmodi in bonâ, publicâ, validâ, & autenticâ formâ tradendo, & cum effectu consignando in actis meis infrà duos menses à dictis respectiuè proximis Capitulis proximè futuros, aliàs ipsi Procuratores de eorū proprio teneri, & obligari voluerunt sponte &c. dictum pactum, & facultatem de redimendo post biennium, omniaq;, & singula redemptionum huiusmodi concernentiam prænarrato instrumento apposita cassarunt, irritarunt, & annullarunt, illorumque cassationi, & annullationi sponte consenserunt, & consentiunt, eodem prænarrato in omnibus alijs in suo robore permansuro. Et de nouo ad maiorem cautelam prędicti omnes Procuratores dictis respectiuè nominibus dictum annuum Subsidium perpetuum, & perpetuis futuris temporibus soluere promiserunt, & promittunt in terminis, & solutionibus, ac pro ratis, & portionibus, modisq; & formis in prenarrato instrumento contentis, & expressis. Ita, & talitèr, quod dictum annuum Subsidium scutorum triginta duorum mille auri in auro sit perpetuum, & non redimibile, Monsque, seu Montes desuper erigendi, necnon illorū loca vllo vmquā tempore minimè redimi, affrancari, ac extingui, & cassari, quouis modo possint, nec valeant; 2 Et versâ vice Illustriss., & Reuerendiss. D. Aloysius Presbyter Cardinalis Cornelius S. R. E. Camerarius ibidem præsens nomine Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Cameræ Apostolicæ, ac vigore facultatis, & auctoritatis sibi desuper concessæ, & attributæ attentis pręmissis, sponte, & consensit, & cōsentit, quod Congregationes prædictæ possint, & valeant, redimere, & affrancare, ac extinguere, & cassare, pro concurrenti quantitate, & vsq; ad concurrentem quantitatem dicti anni perpetui Subsidij scutorum triginta duorum mille auri in auro dumtaxat quoscunque Montes, tàm Pij, quàm alios quosuis Vrbis, cum facultate redimendi erectos, & ad huiusmodi effectum, pro dictâ redemptione, ac extinctione, & cassatione dictorum Montium ipse Illustriss. D. Cardinalis

nalis Camerarius subrogauit, ac posuit dictas Congregationes in vniuersum ius,locum,& priuilegium eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Cameræ præfatæ,cum omnibus clausulis, & cautelis desuper necessarijs, & opportunis;vlteriusq;idem Illustrissimus, & Reuerendissimus D.Cardinalis Camerarius,eiusdem S.D.N.Papæ,& Cameræ præfatę nomine voluit, & vult, ac consentit, & consensit, quæ omnia, & singula priuilegia, gratiæ,facultates, immunitates, & indulta, ac alia eisdem Congregationibus concessa in litteris Apostolicis in prænarrato instrumento,secundo loco expressis contenta,hic expressa, & repetita,& pro sufficientèr, & specificè repetitis,& expressis habeantur, dictisq; Congregationibus inuiolabilitèr obseruari debeāt, præsensque instrumentum, ac omnia in eo contenta per S.D.N. approbari,& confirmari facere cum clausulis,& derogationibus desuper necessarijs,& opportunis promisit. Pro quibus,&c. obseruandis, præfatus Illustriss.; & Reuerendiss. D. Aloysius Cardinalis Camerarius,dictam Cameram Apostolicam, ac omnia,& singula illius bona præsentia, & futura vbicumq;existentia,dicti verò Reuerendi Patres Procuratores,dictis nominibus, dictas eorum Congregationes,illarumque Monasteria, Prioratus, Præposituras, Beneficia, Membra,Grangias,Annexa,Conuentus, Loca, & bona omnia præsentia, & futura vbicumque existentia; Illarumq; Superiores,Abbates, Præpositos,& personas quascumq;præsentes, & futuros,necnon se ipsos nomine proprio, & eorum bona omnia, pro dictâ ratificatione dandâ,& vsque ad dictam ratificationem sequutam tantum in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ respectiuè obligarunt,& hypothecarunt,cum promissionibus, submissionibus, renunciation. Procuratorum constitutione,ratihabitione, releuatione, alijsque clausulis, & cautelis in eâdē ampliori formâ Camerę Apostolicæ apponi,& extendi solitis,& consuetis. Et ita,positis dexteris ad pectora,scilicet dictus Illustriss., & Reuerendiss.D.Cardinalis Camerarius more Cardinalium,reliqui verò omnes more Religiosorum Iurarunt &c. super quibus &c. Actum &c. Romæ &c.præsentibus &c.testibus &c. D.Andreas Martini Not.

## CONSTITVTIO CLXXXXVI.

### SVMMARIVM.

1571. *Maij* 21.

### PIVS PAPA V.

***Montem Religionis non vacabilem erigit, cum emolumentis scutorum septem cum dimidio pro centenario super pecunijs Subsidij impositi, super bonis Congregationis Casinensis, cæterarumque Congregationum non Mendicantium.***

*Ex Bullario Romano Pij V. constit.* 130.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro huic loco à Domino præpositi,grauiorem quotidie solicitudinem concipimus,quod Religio Catholica fidei Nostræ demandata tot furentium vndique hostium obsidione prēmatur. Cuius rei in primis causâ Nos quidē intelligentes,quemadmodum immanissimus Turcarum Tyrānus, post cruentum Nicosiæ excidium,miserabilem Cypri occupationem, frequentes, & infestas in Venetos excursiones,potentissimam classem, numerososque exercitus ad Christianorum perniciem conficiebat;fœdus cum Charissimo in Christo Filio Philippo Hispaniarum Rege Catholico,& prçfatis Venetis ad bellū Turcicum sancire,omni operâ,curauimus,itemque alijs Reipublicæ Nostræ imminentibus periculis occurrere decreuimus. Sed quoniam omnibus Cameræ Apostolicæ rebus iam pridem comminutis,& depressis,tam multis præterea contributionibus, à Nostris prædecessoribus pro temporum necessitate erogatis; ad prædicta onera substinenda, modus Nobis idoneus,atq; commodus alitèr,quam imponendis nouis populo Nostro tributis neutiquam accidebat,quo expeditioni huic, alijsque multis, & maximis oneribus omninò perficiendis subueniri posset. Certum autem Nobis erat,omnia prius conari, quam subditos Nostros, nouorum onerum accessione,vexare.Id Nos in tantis angustijs coegit ab illis Religionum Conuentibus, quorum peculiarem curam gerimus,auxilium aliquod expetere consentaneum arbitrati, vt Filij Matri egenti subueniant, & membra capiti obsequantur; cum illorum maximè intersit Religionem vniuersam, & hanc Sanctam Sedem contrà quoscunque sartam, tēctam perpetuò conseruari. Quare habitā cum Fratribus Nostris deliberatione maturâ,de illorum consilio,& assensu,deque attributę Nobis potestatis plenitudine indiximus, atque imposuimus eâ vnâ solâ vice tantum,Subsidium quadringentorum millium scutorum auri in auro super omnibus bonis, proprietatibus,fructibus,redditibus,decimis,censibus,& alijs iuribus Congregationum Casinen: alias S.Iustinæ de Paduâ,Lateranensis, Montis Oliueti,Camaldulen:etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montis Coronæ,Carthusien:S.Saluatoris,Vallis Vmbrosæ,S.Georgij in Algâ, Cælestinorum, Cisterciensis Lombardiæ,Cruciferorum,& S.Hieronymi,eorumque Monasteriorum,Prioratuum,Præposituarum, Beneficiorum,& officiorum cum curâ,& sine curâ, nec non mensarum, membrorum, grangiarum, & locorum omnium illis annexorum vbicumque existentium,per ipsarum Congregationum Superiores, Abbates,Priores,Præpositos,Conuentus, Capitula, & personas,æquata inter ipsos instar quartæ partis, quam soluunt fructuum suorum collatione, Thesaurario nostro generali Romæ illorum periculis,& impensis, & aliàs, quemadmodum inter dilectum Filium Nostrum Aloysium tituli S.Marci Presbyterum Cardinalem Camerarium, & ad hoc Commissarium Nostrum, & illos siue illorum procuratores conueniret,integrè persoluendum. At considerantes dictam Summam de vniuerso dictarum Congregationum, & locorum suorum prouentu,debito tempore corrogari non posse; de consilio, & potestatis plenitudine similibus, singulis Congregationibus, & pro eis Superioribus prædictis facultatē tribuimus, vt nullius consensu requisito, ac etiam inuitis, & reclamantibus particularibus Abbatibus, Prioribus, Prępositis,Conuentibus,& personis etiam cunctorū Monasteriorum,& locorum de omni,& quâcunque proprietate, & dominio temporali, cuiuscunque Congregationis,& eius Monasteriorum,Prioratuū, Præposituarum,Beneficiorum, officiorum, mensarum,membrorum, grangiarum, annexorum, Conuentuum, & locorum prædictorum vbicunque existentium, bona, Census, fęuda, & alia cuiuscunque qualitatis,& naturæ,iura pro confectione quantitatis,

tis,quæ ad complementum dictæ Summæ quadringentorum millium scutorum necessaria foret duntaxat,tam coniunctim,quàm diuisim possessa,repræsentata etiam pecunia locare, in emphyteusim etiam perpetuam concedere,cum alijs permutare,vendere, ac quocunque alio modo, & titulo alienare, & si ipsis,siue vniuersis,siue prout cuique tangit singulis, Superioribus vtiliùs videretur,vnum,vel plures Mōtes liberos, & exemptos,dictam summam non excedentes ad aliorum Vrbis Montium instar, de, & super omnibus bonis,rebus, & iuribus supradictis perpetuò, vel ad tēpus erigere,ac eis pro ipsorum dote, fructus,redditus,prouentus,iura rerum,& bonorum prędictorum assignare,seu illa vendere,seu obligare, aut pignori tradere,seu super illis census creare,cum quibuscunque conuenire, & pacisci, cœteraque in prædictis necessaria, & opportuna facere,& exequi valerent. Sed quoniam Congregationum prędictorū Procuratores,qui hic erant, mandatum ad prædicta speciale non habebant, quin etiam nonnullarum Procuratores,vel hinc aberant,vel omnino non erāt, præsensque necessitas vrgebat prædicta, quam primum faciendi. Nos defectus huiusmodi supplere volentes, supradictis Procuratoribus,etiam nomine illarum Congregationum, quarum Procuratores hic deerant,& pro eâ parte illas tangente dumtaxat,vocatis tamen eorum loco,aliquo,vel aliquibus Abbatibus, aut alijs Præsidentibus suorum locorum, qui hic sunt, tam coniunctim, quam diuisim Montes erigendi, & alia prædicta ad hunc effectum faciendi plenam, & liberam auctoritatem concessimus. Demum Nobis non ferentibus Montis institutionem, quam prædicti Procuratores, vel certè illi, quorum Congregationibus bona, magnaque Subsidij prædicti pars obtingebat in vim dictæ facultatis hic facere, Montemq; ipsum quibusdam mercatoribus omnem pecuniam dictæ Cameræ præstare in tempore pollicentibus, magno cum detrimēto assignare intēdebant. Rursus inter Alousium Cardinalem,& Camerarium, Nostro, & ipsius Cameræ nomine, ac prædictos Procuratores de rato,pro suis quemque Congregationibus, promittentes, conuenit, quod Congregationes ipsæ loco Subsidij prædicti quadringentorum millium scutorum, aliud Subsidium, & perpetuum,redemptioni tamen per Congregationes faciendæ obnoxium, triginta duorum millium scutorum auri in auro,Congregatio Casinen. videlicet decem millium septingentorum sex, & bolendinorum sexdecim, Lateranen. verò quinq; millium triginta octo,bolendinorum octo,Carthusien. sex millium septingentorum septem decim, bolendinorum quadraginta quatuor,Montis Olіueti, quinque millium triginta octo bolendinorum octo,S. Saluatoris mille quingentorum quadraginta vnius, bolendinorum duodecim.Camaldulen. tam pro Eremitis Camaldulen. quam etiam Montis Coronæ prædictis mille quadringentorum sexaginta sex, bolēdinorum octuaginta octo, Vallis Vmbrosæ noningentorum decem,& nouem,bolendinorum quatuor,S.Georgij trecentorum octuaginta septem, bolendinorum viginti, Cælestinorum trecentorum triginta sex, Cistercien. centum sexaginta octo, bolendinorum nonaginta sex, Cruciferorum centum quinquaginta quinque,bolendinorum quinquaginta duorum, ac S. Hieronymi reliquorum centum quinquaginta quinque auri in auro,& bolendinorum quinquaginta duorum auri, dilecto filio Bartholomeo Bussotto Nostro,& dictæ Cameræ Thesaurario generali,Romæ,annis singulis,alternis mensibus, æquisque pro ratâ portionibus, ac primo solutionis termino ad finē proximi mensis Iunii incipiente, & sic deinceps per singula bimestria continuando in perpetuum,ac aliàs supradictæ quartæ partis fructuum instar,integrè persoluenda, vel in dotem eligendi,à nobis Mōtis assignaretur, vel aliàs de eo,arbitrio Nostro disponeretur. Postea verò Procuratores prædicti, qui tunc præsentes erant,suorum superiorum nominibus iuri,& facultati redimendi Montem,sic à Nobis erigendi, dictæ quippe Cameræ incommodo specialitèr & expresse renuntiarunt, & vt Mons ipsæ perpetuus,& irreuocabilis fieret,consenserunt. Nos verò pro ipsius Cameræ commodis, prædictorum ratione,ad ea quæ instituimus, ex integro capiēdam fore censentes,habitâ denuò cum dictis fratribus deliberatione maturâ,de consilio,assensu, & potestatis plenitudine similibus,indicimus,atque imponimus, loco Subsidii prædicti quadringentorum millium scutorum, aliud Subsidium annuum perpetuum, & irreuocabile ab omni prorsus decimâ,quartâ,& alio, ac qualicunque onere ordinario, & extraordinario præsenti,& futuro,siue pro expeditione contra Turcas, defēsione Fidei,status Romanæ Ecclesiæ,& Vrbis Romæ,siue aliâ quantumcunque grauiori, & inexcusabili causâ, etiam de simili consilio imposito liberum,immune, & exemptum, triginta duorum millium scutorum auri in auro, super omnibus, & quibuscunque proprietatibus, fructibus, redditibus, Decimis, censibus, bonis,rebus, & iuribus omnium Congregationum,& ipsarum Monasteriorum, Prioratuum,Præpositurarum,beneficiorum,officiorum, mensarum, membrorum, grangiarum, & locorum omnium supradictorum, etiam vnitorum, & annexorum, vbicunque existentium, etiam si illa de præsenti vltrà prædictam quartam,alijs multis,& maximis grauaminibus onerata sint, & illa in futurum quomodocunque, & ex quâcunque causâ grauari contigerit per Superiores,Abbates,Præpositos,Priores,Conuentus,Capitula, & alios prædictos,Depositario ad id constituendo,annis singulis,Romæ alternisque mensibus pro ratâ vnumquemq; tangentem, & aliàs vt prædictum est,integrè persoluendum. Decernentes illos vniuersos, & singulos ad Subsidium ipsum annuum triginta duorum millium scutorum auri in auro annis singulis Romæ suis periculis, & impensis, ac aliàs modo, & formâ prædictis soluendum, etiam per subtractionem fructuum, priuationem dignitatum, administrationum Beneficiorum, & Officiorum; & crescente contumaciâ per censuras,& pęnas ecclesiasticas,apprehensione bonorum, & personarum, cœteraque omnia iuris & facti remedia opportuna,omni, & quacunque appellatione reiectâ, etiam manu regiâ procedendum fore, ac procedi,& ipsos ad hoc omni tempore coarctari debere. Cœterum augescentibus in dies necessitatibus, & periculis,quàm maximas possumus summas concipere coacti;De eisdem consilio assensū,& potestatis plenitudine erigimus, & instituimus in dicta Vrbe vnum Montem Religionis nuncupandum eundēque perpetuum, & irreuocabilem, cuius portiones siue loca nec vacabilia, nec centum scutis auri in auro inferiora sint, aliàs instar Fidei, & aliorum dictæ Vrbis Montium loca non vacabilia habentium dirigendum, & exercendum pro omnibus vtriusque sexus laycis,nec non Presbyteris,& alijs Clericis,ecclesiarum Prælatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac cœteris cuiuscunque dignitatis, status, & conditionis sæcularibus,& quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam quæcunque,quotcunque,& qualiacunque beneficia Ecclesiastica,cum curâ,& sine curâ obtinentibus, & expe-

expectantibus,& alijs quibuscunque personis, omnis ætatis, etiam illegitimis, incapacibus, & inhabilibus, nec non Ecclesijs, Capitulis, Congregationibus, Cõuentibus, Societatibus, Hospitalibus, Capellis, & locis Ecclesiasticis, Religiosis,& profanis, qui pecunias etiam de fructibus, pensionibus,& alijs rebus Ecclesiasticis qualitercunque confectas in ipsum Montem, vsque ad eam summam, quam pro ratione fructuum, & emolumentorum dotis eiusdem concipere potuerit, Mendicantes videlicet, & alij Regulares prędicti proprium non habentes in communi posuerint. Quæ quidem personæ Collegium inter se, cum sigillo,& cæteris insignibus constituere, Defensores aliosque Ministros,& Officiales idoneos ordinare,& destituere, stipendia præscribere, statuta condere, cõdita reformare, pœnas decernere, delinquentes, & contumaces mulctare, ac quæcumque alia facere,& exequi possint ad stabilimentum, directionem,& cõseruationem dicti Montis necessaria, & etiam opportuna. Ipsi autem Monti sic erecto, & instituto applicamus,& appropriamus, eique titulo venditionis,& alienationis perpetuò concedimus, & assignamus,& in ipsum transferimus prædictum Subsidium annuum triginta duorum millium scutorum auri in auro à prædictis omnibus oneribus, nec non collationibus, tributis, indictionibus, & prorsus omnibus, & quibuscunque alijs grauaminibus ordinarijs, & extraordinarijs, pręsentibus,& futuris, etiam pro ędificatione, vel instauratione pontium, portarum, mœnium, viarum, artium, Vrbium,& locorum, refectione stratarum,& quibusuis alijs causis quantumcunque necessarijs, & vrgentibus perpetuò exemptum, immune, liberum, & expeditum. Ponimusq; ac substituimus, & subrogamus in Nostrum, & Cameræ prædictæ locum, ius, & actionem, quoad Subsidium ipsum, eiusq; liberam exactionem, & perceptionem eundem Montem, Collegium, Loca, & Personæ ipsius, quæ illud sic liberum, & expeditum perpetuò habeant, & de eo omnes fructus, & emolumenta omnium locorum prædictorum, ad rationem septuaginta septem Iuliorum annuatim, pro singulis locis, Romæ, in singula bimestria, pro ratâ temporum & locorum, absque conscientiæ scrupulo, absque restitutionis, aut in sortem principalem deductionis, onere, liberè, & integrè percipiant, & in quos voluerint, vsus conuertere, & prorsus de illis disponere, & ordinare, liberè, & licitè valeant, ac si ex bonis hæreditarijs ab initio profecti fuissent. Ad hæc illorum omnium securitati plenius consulere volentes, omnia, & quæcunque huius Sedis, & Cameræ, ac etiam omnium Congregationum, Prioratuum, Præpositurarum, grangiarum, & locorum supradictorum bona immobilia, mobilia, & se mouentia, necnon fructus, regalia, res, actiones, & iura præsentia, & futura vbicunque existentia, prædicto Monti Religionis, eiusque personis in solidum, specialitèr, & expressè obligamus. Volumusque dictam Cameram, illos ab omni, & quocunque damno, detrimento, incommodo molestiâ, omni tempore laborare debere. Vt autem Mons ipse Religionis, commodis facultatibus instructus, promptiores effectus sortiri, feliciores que successus consequi possit, perpetuò concedimus, vt quicunque prædictorum, loca ipsius Montis, siue ex prædictis, siue ex alijs, & quibuscunque fructibus, ac pecunijs confecta vnum, vel plura,& quantacunque habuerint, illa tanquam bona patrimonialia, paterna, auita, & profana obtineant, & in eis, eorumque fructibus, & emolumentis ipsorum filij, & hæredes vtriusque sexus quicunque fuerint, etiam illegitimi, & aliàs quomodocunque inhabiles, tàm ex testamento, quàm ab intestato succedere, deque eis simul, vel successiuè, ac quotiescunque, siuè donationis inter viuos, vel causâ mortis, siuè legati, cessionis, venditionis, siue alio quocunque titulo, iure, & modo, ac etiam simplici scripturâ manu suâ scriptâ, vel subscriptâ, nullisque adhibitis testibus, etiam in fauorem suorum, vel aliorum illegitimorum, prohibitorum, & incapacium, etiam si illa in plures illegitimos, incapaces, & prohibitos ordine successiuo transierint,& aliàs vti cuique libuerint, disponere. Quin etiam, loca prædicta quocunque modo obtinentes, si illa in alios cedere, aut transferre, ac etiam illi, qui loca huiusmodi alijs acquire voluerint tales in huiusmodi cessionibus, translationibus, vel acquisitionibus sibi ipsis, vel alijs, etiam quoad vixerint, omnimodam dictorum locorum, sic cessorum, vel acquisitorum administrationem, eorumque fructus, & emolumentorum perceptionem, necnon plenam, liberam, & absolutam potestatem illa quãdocunque voluerint, nulla etiam subsistente causâ, ad se recipiendi, & reuocandi, seu alij, vel alijs vendendi, alienandi donandi, relinquendi obligandi, & pignori apponendi, super eis paciscendi, & contrahendi, & prorsus omnem aliam ipsorum dispositionem, ius, & facultatem (nullo obtinentium consensu desuper requisito, aut alia solemnitate seruata, ac etiam cum prohibitione huiusmodi administrationis, fructuum perceptionis, cessionis, venditionis, obligationis, fideiussionis, aut alterius cuiuscunque dispositionis per ipsos obtinentes faciendæ, necnon decreto irritandi quæcunque secus facta fuerint ab eisdem) reseruare, & obtinere liberè, & licitè valeant, nullâ alia licentia à Nobis, aut alio Romano Pontifice pro tempore existente impetratâ, aut compositione pro his cum Datario, vel quoquam alio factâ, vel solutâ, seu confirmatione, aliauè solemnitate, autscripturâ desuper requisitâ; Ita tamen, quod illegitimi in eis locis nullo modo succedant, quæ de fructibus, seu pẽsionibus, alijsuè rebus Ecclesiasticis, fuerint comparata. Cæterum nulla omninò loca prædicta, nulliuè eorum fructus, & emolumenta, etiam causâ rebellionis, proditionis, assassinij, sacrilegij, lęsę Maiestatis, aut aliorum criminum quantumcunque grauium, & enormium per loca ipsa obtinentes (non tamen in personam Romani Pontificis, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis) commissorum, etiam confessorum, & probatorum vspiam publicari, nec alias Fisco applicari, aut publicata, Fiscouè applicata declarari, seu deliberari, nec sub vllis generalibus, vel specialibus omnium bonorum, rerum, & iurium confiscationibus, proscriptionibus, aut alijs adiudicationibus propterea factis, & decretis, seu alijs, etiam ipso iure deuolutionibus, etiam si sententia capitalis, & mors secuta esset, comprehendantur; sed semper ab illis excepta sint, & esse censeantur, eisq; nõ obstantibus talium delinquentium filij, & hæredes in huiusmodi locis, & fructibus, vt præfertur, succedere, & illa ad eos deuenire omninò debeant, seu ipsimet delinquentes, de eisdem perinde disponere modis omnibus supradictis valeant, ac si criminum huiusmodi expertes, & insontes existerent. Concedimus quoque Monti, & futuro Collegio Religionis, omnibusque illius personis supradictis, tàm coniunctim, quàm diuisim, & in perpetuum, vt omnibus, & quibuscunque alijs priuilegijs, exemptionibus, facultatibus, gratijs, fauoribus, & indultis, Fidei prædicto, & cæteris Vrbis, & ditionis Nostræ temporalis

poralis mensibus, eorumque Collegijs, & personis, in genere, & in specie, ac communitèr, & diuisim, tàm in ipsorum Montium institutione, quàm inde vsque per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, extensis, & moderatis (quæ, ac si ad verbum insererentur, habemus præsentibus pro expressis) quibusque Montes, Collegia, personæ huiusmodi vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, itidem vti, potiri, & gaudere. Vtque ipsi vnum, duo, vel plures S R. E. Cardinales, vel alium, seu alios Montis, Collegij, personarum, rerum, & iurium omnium prædictorum Protectores, Conseruatores, & Defensores, ac etiam Congregationum Superiorum, Abbatum, Priorum, & aliorum omnium prædictorum, tàm coniúctim, quàm diuisim Compulsores, & denique Montis Iudices contra illos, & quoscunque alios, cum omnibus supradictis, & quibuscunq; alijs facultatibus, & iurisdictionibus Ordinarijs, & Delegatis ad id requisitis necessarijs, & opportunis, quotiescunque ipsis videbitur, assumere, cæteraque omnia ad Subsidij prædicti triginta duorum millium scutorum exactionem, & salubrem Montis, & Collegij directionem, illiusque personarum commodum, & fauorem, opportuna gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, etiamsi talia sint, quæ facultatem, aut mandatum specialiùs requirant, quàm præsentibus sit expressum. Volentes similique consilio, assensu, & potestatis plenitudine statuentes, Montem Religionis Subsidij triginta duorum millium scutorum auri in auro Collegium, portiones, & loca omnia supradicta nullis omninò reuocationibus, extinctionibus, reductionibus, diminutionibus, mutationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, etiam occasione, seu prætextu enormis, & enormissimæ lesionis, vrgentis necessitatis, seu etiam euidentis vtilitatis, aut alia, & quacunque causâ siuè in specie, siuè in genere faciendis obnoxia esse, sed firma perpetuò, & inuiolata consistere, nec quemquam prædictorum, aut filiorum, hæredum, & successorum suorum, & ab eis causam habentium super his, seu etiam fructibus, & emolumentis prædictis quocunque modo turbari, vel impediri, neque ad probandum, seu docendum in iudicio, vel extrà illud, erogationem pecuniarum in ipso Monte positarũ, aut partis earum in prædictis, aut aliàs Sedis, & Cameræ prædictarum necessitate vllo tempore teneri, nec ad id à quoquam compelli posse, ac decernentes præsentes vim validi, & irreuocabilis contractus inter Nos, & omnes deinceps Successores Nostros, & ipsas Sedem, & Cameram, necnon singulas Congregationes, ac Montem Religionis Collegium, & personas eiusdem, ipsarumque personarum filios successores, & causam habentes supradictos solemnitèr initi, & stipulati perpetuò obtinere, eundemque ab omnibus, & vbique semper custodiri, nec ab eo in aliquo resiliri posse, nec præsentes, siue ob non præstitum à Congregationibus, & Superioribus consensum, siue non seruatas iuxta statuta, & priuilegia sua solemnitates, siue alio quopiam defectu notari, seu in ius, aut controuersiam reuocari vllo vnquam tempore posse, sed his, & alijs quibuscunque exceptionibus, & oppositionibus non obstantibus, ad præstationem perpetui, Subsidij prædicti liberi, & expediti triginta duorum millium scutorum auri in auro Monti Religionis Collegio, & personis eiusdem modis prædictis faciendam perpetuis temporibus teneri, & ad id tàm coniunctim quam diuisim & aliàs vijs, & remedijs omnibus opportunis compelli. Sicque in his cæterisque omnibus supradictis per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam S. R. E. Cardinales in quâuis causâ, & instantiâ sublatâ cuique alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, vbique iudicari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inane quidquid secùs per quoscunque scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Postremò, vt in Montis prædicti Religionis exercitio, quæ illius præcipua sunt iam nunc à probis, & peritis fideliùs, & cautiùs exequantur, prædictum Bartholomæum, & pro tempore existentem Cameræ prædictæ Thesaurarium præsidentem & dilectos filios Hieronymum Ceulum Pisan. Depositarium pecuniarum Alexandrum Thomasium Senen. Notarium, & Secretarium, ac Vincentium Rentium Florentinum Computatorem d. Montis Religionis, quoad ipsi vixerint, cum omnibus, & quibuscunque priuilegijs honoribus, oneribus, & emolumentis debitis, & consuetis constituimus, & ordinamus, ad hoc, vt ipsi Bartholomæus videlicet, ac futurus omnis Thesaurarius, & Præsidens Nostro, & Cameræ prædictæ nomine, omnia loca prædicta vendere, & precia recipere, & præterea ipsæ, vel eo absente Clericorum dictæ Cameræ antiquissimus, qui præsens fuerit ipsorum locorum resignationes, & cessiones coram dicto Secretario, & alias in formâ solitâ admittere, & illa siue per resignationem, siue per obitum, aut alijs quibusuis modis, & ex quorumcunque personis pro tempore vacantia, alijs, vel alijs concedere, eumque, vel eos in cedentium, vel decedentium, aut aliàs loca ipsa dimittentium locum, & ius substituere, & surrogare, ac aliorum Portionariorum numero, & consortio ascribere, ipsisque de fructibus, & emolumentis locorum huiusmodi integrè responderi facere, litteras super his necessarias nomine suo sub dicti Collegij sigillo conficere, & cætera omnia ad hæc necessaria, & opportuna exequi. Hieronymus verò Ceulus depositarius Subsidium prędictũ triginta duorũ millũ scutorũ auri in auro ad se recipere ac fructus, & omnia portionum, & locorum prædictorum temporibus præscriptis, adhibitâ etiam dicti Vincẽtij Computatoris operâ persoluere, & Alexandri Secretarius expediendarum huiusmodi litterarum curam habere, illisque subscribere, Sigillum Collegij custodire, in surrogationibus hæredum, & successorum priusquam ipsi ad loca suorum admittantur, legitima de morte, & quod veri hæredes sint, & alias requisitas probationes petere, & recognoscere, Inuentarium, litterarum, librorum, auctoritatum, & instrumentorum omnium dicti Montis præsentium, & futurorum conficere, & fidelitèr asseruare, ac in primitiuis locorum omnium prædictorum concessionibus, pro singulis locis iulios duos dumtaxat, deinceps verò in perpetuum quinque capere possit, nihilque vltrà, siue pro eisdem siue pro sigillo, registraturâ, siue aliâ causâ ratione totalis huiusmodi expeditionis, & admissionis à quoquã exigatur. In cæteris verò horum quisq; pro se facere, & exequi in prædictis valeat, quemadmodum in alijs huiusmodi Montibus, & Collegijs consueuit, & ab eis obseruatur. Non obstantibus præmissis, & fælicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. de vnâ, & in Concilio generali edita de duabus dietis, necnon Symmachi, Alexandri VI. Pauli II. Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum, & Nostris de rebus Ecclesię, & huius sedis, ac Cameræ non alienandis, alijsq; Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis

stolicis, & in Concilijs generalibus editis, prædicta fieri specialitèr,& expresiè prohibentibus,& facta irrita decernentibus, nec non Cameræ,Congregationum,Ordinum,Monasteriorum,Côuentuum, Montium,Collegiorum,Hospitalium,& locorum prædictorum iuramento,confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, consuetudinibus,vsibus, & naturis, priuilegijs quoque,indultis exemptionibus,& litteris Apostolicis,eisdem Cameræ,Congregationibus,Monasteriis,Côuentibus, Ordinibus, Hospitalibus, Montibus,Collegijs, & locis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam per viam generalis legis,& statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus,seu quasi,& aliâs sub quibuscunque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis reuocatiuis derogatoriarum derogatorijs,alijsque fortioribus,efficacioribus,& insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, etiam Motù proprio, & ex certâ scientiâ,de que consilio,assensu,& potestatis plenitudine similibus, ac pro conseruatione status, dignitatis, & existimationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac dictarum Religionum, etiàm consideratione intuitù, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris,Regum,Ducum, & aliorum Principum,quandocunque,& quotiescunque concessis,confirmatis, & etiam iteratis, vicibus innouatis, extensis, & moderatis,supraque hominum memoriam continuè,& pacificè obseruatis,etiam disponentibus, quod similes, vel dissimiles impositiones perpetuę,vel temporales,nullatenùs, aut iustis causis, in Capitulis generalibus propositis,discussis, & verificatis & concordibus suffragijs admitti, nec non vnanimi Patrum omnium consensu, & aliâs certis modis, & formis seruatis fieri possint, & si aliâs fiant, impositiones huiusmodi,& litteræ desuper confectæ,ac omnia inde secuta,nullius prorsus sint roboris, vel momenti, quodque statutis,stabilimentis,vsibus,naturis, priuilegijs, indultis, & alijs supradictis,in aliquo quantumcunque modico, nequeat derogari, & si illis quocunq; modo derogetur, derogationes huiusmodi, & quæcumque illarum prætextù sint viribus prorsus, & effectu carere censeantur, ac Congregationes,Superiores,Abbates,& alij supradicti mandatis, & litteris Apostolicis,sub quibusuis verborum formis conceptis parere,quodque eisdem,vel aliquibus alijs communitèr, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, vel deinceps indulgeri contingat, quod ad præstationem,vel solutionem aliquam minimè teneantur, nec ad id vllatenùs compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expræssam, & ad verbum de indultis huiusmodi mentionem,& quibuslibet alijs priuilegiis,indulgentiis,& litteris Apostolicis generalibus, & specialibus,cuiuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expræssa, aut omnino non inserta,effectus earum impediri valeat quomodolibet,vel differi, & de quibus,quorumque totis tenoribus,ad verbum habenda sit in Nostris litteris mentio specialis, quæ omnia;& alia quæcunque effectum prædictum impedientia,vel impedire valentia,omnino tollimus & abrogamus;cœterisque contrariis quibuscunque. Quia vero præsentes non poterunt,ab illis omnibus, quibus ipsis opus erit haberi; Volumus vt earum exemplis etiam impressis,Secretarii prædicti, vel alterius publici Notarii manu, & ipsius Montis Religionis, seu Camerarii, aut alterius in dignitate Ecclesiasticâ constituti eiusue Curiæ sigillo obsignatis eadem illa prorsus fides in iudicio,& extrâ illud,vbique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus,si forent exhibitæ,vel ostensæ.Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostrę indictionis,impositionis,erectionis,institutionis,applicationis,appropriationis,concessionum,assignationis, translationis,positionis,substitutionis,surrogationis, obligationis,statuti,decretorum,constitutionis, ordinis,sublationis,obsignationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius,se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo septuagesimo primo,duodecimo Calen. Iunii,Pontificatus Nostri Anno sexto.



Ego Pivs Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

*Signum Pij Papæ V.*

VTINAM DIRIGANTVR VIÆ MEÆ AD CVSTODIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS.

Ego Christ. Mad. Cardin. Episcop. Portuen.Ego Otho Truchses Card. Epis. Prænestin. Augustanus. Ego A. Card. Farne. Episcop. Tuscul. Vicecan. Ego Io. Card. Politianus Episcop. Albanen. S. Cardinalis Pisarum. Ego I. Card Sabellus Ego Io. Ant. Card. S. Georgii. Aloy. Cor. Cardin. Camerarius. Stan. Card. Varmien. F. Card. Pacieccus. M. Ant.Card Amulius Ego F. Hier. Card. de Corrigio Frater Hieronymus Card. de Clarauallc.Io.Paulus Card. ab Ecclesiâ. Ego M. Ant. Card. Maffæus. Ego Iulius Antonius Card. S. Seuerinæ. P. Card. Cæsius. C. Cardin. Rambulliettus. F. A. Card. Theanen. Ego Frater Felix Card de Monte Alto. Ego Io. Fran.Card.de Gambarâ.M.Siticus Card.Altaemps. Ego A. Card. Gesualdus. Ego N. Card. de Sermonetâ. Ego Hip. Card. Ferrariensis. Ego In. Aualus Card.Arag.Ego Ptol. Card. Comensis.P. Card. de Sanctâ Cruce. Hu. Boncompagnus Card. S. Sixti. Ego Fla. Cardinalis Vrsinus. Ego Benedictus Cardinalis Lomellinus Gu. Card. Sirletus. Fra. M B. Card. Alexandrinus. Ego P.Card. Placentinus.Ego F.C. Vincentius Card Iustinianus.Ego Hier.Card. Rusticuccius. Ego Io. Hier. Card. Albanus. Ego Hier. Cardin. Simoncellus. Ferd. Card. de Medicis. Iul. Card. de Aquauiuâ. Cæ. Glorierius. A. de Alexijs.

## CONSTITVTIO CLXXXXVII.

### SVMMARIVM.

1571. *Iulij* 15.

### PIVS PAPA V.

*Facultatem absoluendi, & dispensandi respectiuè super omnibus Censuris, Irregularitatibus, Inhabilitatibus, & Casibus, etiam in Bullâ Cœnæ Domini comprehensis, & homicidio voluntario ante Religionis ingressum patrato,concedit Congregationi Casinensi,pro suis subditis. Inhabilitatesq; omnes supplet, promotiones conualidat, perpetuamq;*

*firmitatem huiusmodi litteris impartitur, clausulà, sublatà, appositâ.*

*Ex lib. Priuil. Cong. Casin.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum ad Congregationem Casinen. in qua Dilecti Filij illius professores, mortui mundo, sed Christo, qui est vera vita, sub Regulâ, & Ordine S. Benedicti transitorijs, & caducis huius labilis sæculi illecebris abdicatis, viuentes, pro vniuersali salute fidelium preces ad Dominum incessanter fundunt, oculos Nostræ pietatis dirigimus; dignum, quin potiùs debitum reputamus, vt illius Monasteriorum pro tempore existentibus Abbatibus, & Prælatis, ea liberalitèr concedamus, quæ pro eiusdem Congregationis, & aliarum personarum, illius Regularibus institutis se conformare volentium, conscientiarum emendatione, & securitate, ac Irregularitatis, & quarumcumq; aliarum macularum, per easdem personas pro tempore contractas, abolitione, credimus profutura. Motu itaq; proprio, non ad ipsorum Abbatum, & Prælatorum, seu alicuius pro eis Nobis, super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, & de merâ liberalitate Nostrâ, Apostolicęq; potestatis plenitudine, omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus Abbatibus, & Prælatis Congregationis huiusmodi, quoscumq; illius pro tempore existentes Monachos, Conuersos, Commissos, & Oblatos, tam professos, quam Nouitios, in eâ tamen perseuerantes, à quibusuis criminibus realibus, culpis, censuris, & pœnis, per eos, & eorum quilibet, tam ante, quam post illorum in Congregationis huiusmodi, ac Monasteria, sub illius obedientiâ, existentiâ, ingressum, seu professionem Regularem ibidem, per eos emissam ex quâuis causâ, & ob quemuis excessum, & delictum publicum, vel occultum, casu, seu datâ operâ, quomodolibet ab eis, & eorum singulis, etiam si homicidium voluntarium, seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi, pro tempore, subsecutum, seu subsecuta fuerint incursis, & in futurum incurrendis, etiam si de casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vel de cõprehensis in Bullâ, quæ die Cœnæ Domini singulis annis legi consueuit, fuerint, plenariè, totiès, quotiès opus fuerit; iniunctâ sibi per modo culpæ pœnitentiâ salutari, quo ad reatum homicidij, in foro conscientiæ tantum, absoluendi, & liberandi, ac in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, & fuerunt, statum reintegrandi, omnemq; inhabilitatis, & infamiæ maculam, seu notam, inde quomodolibet insurgentem ab eis, & eorum quolibet prorsus abolendi, secumq; quod præmissis non obstan. non promoti, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoueri, atq; Monasterijs eiusdem Congregationis in Abbates, Priores, & Prælatos præfici; necnon ad quascumq; alias dictæ Congregationis Prælaturas eligi, & assumi, munusque benedictionis suscipere; & tàm illi, quàm, qui iā ante, vel post præmissa sint, vel fuerint promoti, præfecti, & electi, etiā si munus benedictionis huiusmodi scientèr susceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, censuris, & pœnis huiusmodi, vel alijs quibuscunq; criminibus irretiti, & innodati, scientèr Missas, & alia Diuina Officia celebrassent, simuluè, seu aliàs munere benedictionis huiusmodi quomodolibet vsi essent, in Altaris ministerio ministrare, & dicto munere vti, necnon omnes, & quascumq; Prælaturas, Obedientias, Administrationes, & Officia Ordinis, & Congregationis huiusmodi retinere, recipere, gerere, & exercere liberè, & licitè possint, & valeant; nullamque de præmissis in quibusuis priuilegijs, facultatibus, dispensationibus, & concessionibus, etiam gratiam, vel iustitiam, seu mixtim concernentibus, etiam per Sedem Apostolicam, sibi pro tempore concessis mentionem facere teneantur, misericordi-tèr in Domino dispensandi licentiā, & facultatē liberā, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, & elargimur. Statuentes absolutiones, liberationes, reintegrationes, dispensationes, necnon omnia alia, & singula, quæ harum vigore fient, & inde perpetuò sequentur, valida, & efficacia fore, omnibusq; & singulis nunc, & pro tempore existentibus, Monachis, Conuersis, Commissis, Oblatis, Donatis, & alijs personis Congregationis huiusmodi, ita demum suffragari, si, & dummodo donec vixerint in habitu, & professione Regulari eiusdem Congregationis, virtutum Altissimo famulati fuerint, sub Obedientiàq; Prælatorum, & Superiorum dictæ Congregationis permanserint. Decernentes quoq; præsentes litteras perpetuâ roboris firmitate subsistere, & nullo vnquam tempore sub quibusuis similium, vel dissimilium facultatum, & licentiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, prohibitionibus, moderationibus, aliisue contrarijs dispositionibus, etiam in dictâ Bullâ Cœnæ Domini pro tempore contentis, minimè comprehensas esse, aut comprehendi debere, sed semper ab illis exceptas esse, & censeri, & quotiens contraria huiusmodi emanabunt, totiens easdem præsentes, & in eis contenta in pristinum, & validissimum statum restituta, & perpetuò reintegrata esse. Sicq; in præmissis omnibus, & singulis per quoscumq; iudices, & Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs, editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in specie concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenore huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ obseruatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis, elargitionis, statuti, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1571 Idibus Iulij Pontificatus Nostri Anno sexto. H. Carlerius.

CON-

## CONSTITVTIO CLXXXXVIII.

### SVMMARIVM.

1571. Octob. 5.

### PIVS PAPA V.

*Facultatem alienandi, vsque ad summam quinquaginta millium scutorum auri, concedit Congregationi Casinensi; pro solutione debitorum contractorum in solutione subsidiorum impositorum.*

*Ex impresso.*

PIVS Papa V. Ad futuram rei memoriam. Decet ex benigno Apostolicæ Sedis prouenire subsidio, vt personę Regulares, ac sub Religionis iugo, Christo Saluatori, in castitatis holocausto, famulãtes, in suis necessitatibus aliquod suscipiant releuamen. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius modernus Præsidens Generalis Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduã, Ordinis Sancti Benedicti, ob malas temporum conditiones, atque plura, & diuersa Subsidia, quæ pro subleuandis oneribus Sedi præfatæ, & alijs Catholicis, etiam sæcularibus Principibus incumbentibus, à certis annis per Nos, & alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, Congregationibus Ordinum Regularium Italiæ imposita fuerunt. Dilecti filij Congregatio Casinen. præfata, seu illius particulares Abbates, Monasteria, & Conuentus, adeò ære alieno grauata sint, vt nequaquam ad illud, debito tempore persoluendum, ordinarij Congregationis, Monasteriorumque; & Conuentuum huiusmodi redditus sufficiant; dictus modernus Præsidens Generalis, Nobis humilitèr supplicari fecit, quatenùs sibi, dictæque, Congregationi, de alicuius subuentionis auxilio succurrere, de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos qui fidelium quorumcunque, & præsertim Religiosarum personarum votis libentèr annuimus. Præsidentem, ac Congregationem huiusmodi, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi, ac eorum indigentijs paternâ pietate consulere volentes, ipsosque, & dictæ Congregationis singulares personas, & quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, siquibus, quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium, dumtaxat, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, eidē moderno, ac pro tempore existenti eiusdem Congregationis Præsidenti generali, ac cuicunque alteri, vel alijs, quem, seu quos dictus modernus, & pro tempore existens Præsidens generalis, etiam solus, absque aliquorum aliorum consilio, interuentu, vel consensu, sed pro eorum cuiuslibet libito voluntatis, & totiēs, quotiēs duxerit constituendos, & remouendos, quod vltrà summas, quantitates, pretia, & valorem, ad quæ, vigore quorumcunque priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum in specie, vel genere ipsi Congregationi, illiusque pro tempore Præsidenti generali, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Conuentibus, Prælatis, alijsque Superioribus, & præsertim literarum Nostrarum, pro faciliori præstatione Subsidij vltimò per Nos, ipsis Congregationibus indicti editarum licentiâ, & facultas, similes, vel dissimiles infrà dicendas alienationes faciendi concessa reperitur, super quibusuis, etiam immobilibus bonis, & rebus ad eandem Congregationem Cassinensem, seu vnum, duo, plura, vel omnia, & singula illius particularia Monasteria, Prioratus, Mensas, tàm Abbatiales, quàm Conuentuales, & alia regularia loca, etiam ære alieno huiusmodi nequaquam grauata, quocunque iure, vel titulo spectantibus, & pertinentibus, vbicunque consistentibus, & cuiusuis naturæ, & qualitatis existentibus, coniunctim, vel diuisim, ac in vna, pluribusue, & diuersis vicibus, ac temporibus nullâ aliâ in id Nostrâ, & Sedis Apostolicæ, seu Ordinariorum locorum, aut Capituli generalis Visitatorum, Definitorum, vel aliorum Prælatorum, & Superiorum dictę Congregationis, aut Abbatuum, Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum regularium huiusmodi requisitâ licentiâ, aut consensu; immo illis expresse contradicentibus, & inuitis, etiam absque tractatibus, omnibusque solemnitatibus, & alijs de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, seu iuxtâ statuta, & ordinationes, dictæ Congregationis, & Regulæ Beati Patris Benedicti, illiusque particularium Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum, etiam in illorum fundatione, vel à testatoribus, & alijs pijs benefactoribus, Imperiali, Regali, Ducali, aut aliâ maiori dignitate, & præeminentiâ, dum in humanis fuerunt pollentibus, à quibus bona ipsa peruenerunt in eorum vltimis voluntatibus, seu alijs dispositionibus requisitis, & appositis, in similibus quomodolibet necessarijs, penitùs omissis; quoscunque annuos, etiam perpetuos census, redditus, canones, liuellos fictus, vsus, feuda, & alias responsiones vsque ad summam quinquaginta millium scutorum auri in auro imponere, & cōstituere, illosque & illa immo ipsa quoque bona, & res etiam si Castra, Vassallagia, & iurisdictiones existant, quibusuis personis Ecclesiasticis, vel secularibus, Communitatibus, & Vniuersitatibus, Collegijs, Capitulis, Conuentibus, vel alijs locis in emphyteusim, Liuellum, vsum, censum, precariam locationem, alioue quouis modo, titulo, & causâ similibus, aut dissimilibus, ad vnam, vel plures generationes, seu perpetuò, vel ad tempus, quantumuis diuturnum, etiam ad meram nudam, omnimodam, & perpetuam hæreditatem, ac proprietatem pro se, hæredibusque, & successoribus quibuscunque, pro precio, seu precijs reperibilibus, quod dictam, quinquaginta millium scutorum auri in auro summam, non excedat concedere, vendere, distrahere, locare, pignorare, atque alienationis vocabulo latissimè sumpto, etiam nullo penitùs vsu iure, vel actione desuper ipsis Congregationi, vel Monasterijs, Prioratibus, Conuentibus, Mensis, & alijs regularibus locis, ad quæ spectant, illorumuè pro tempore Abbatibus, Prioribus, Conuentibus, Prælatis, aut alijs Superioribus, & personis reseruatis alienare, necnon bona, & res huiusmodi, si quæ in feudum, emphyteusim, liuellum, censum, vsum, precariam, locationem, seu aliàs perpetuò, vel ad tempus, ac ad vnam, vel plures generationes, aut nominationes iam concessa sint, & annui canonis, liuelli, pensionis, fictus, vsus, census, responsionis, alteriusuè recognitionis perpetuâ, vel temporali solutione, vel præstatione, etiam per modum tituli honorarii ipsis Congregationi Casinen. aut alicui ex eius Monasteriis, Prioratibus, Conuen-

uentibus, & mensis, ac alijs regularibus locis, quomodolibet obnoxia sint plurium annorum pensione, seu aliâ quâuis præstatione pro illis anticipatâ, aut alterius precii quantitate propterea receptâ liberare, & affrancare, francaque, & libera perpetuò apud illorum feudatarios, emphyteutas, liuellarios censuarios, vsuarios, precarios, conductores, omnesque alios, & singulos illa pro tempore obtinentes, quocunq; modo nuncupatos, ac eorum hæredes, & successores quoscunque, dimittere, necnon prætium, & prætia, ex concessionibus, locationibus, distractionibus, alienationibus, alijsque omnibus, & singulis suprascriptis prouenientia, exigere, recipere, seu recepisse confiteri, de exactis, receptis, seu confessatis in formâ iuris validâ quietare, absoluere, & liberare, ac pro euictione, atq; legitimâ defensione impositionis, & constitutionis, censuum, canonum, liuellorum, fictuum, vsuum, feudorum, & aliarum responsionum, bonorumq; & rerum huiusmodi etiam perpetuò, vt præfertur, locandorum, vendendorum, alienandorum, seu liberandorum, euictione, & legitimâ defensione, necnon fructuum, & emolumentorum inter modernum præfatum, & Præsidentem, generalem pro tempore eiusdem Congregationis, seu illum, vel illos, quem, seu quos, ad id, vt præfertur, constituet, ex vnâ, atque præmissorum emptores partibus ex altera conueniendorū, solutione, loco, & tempore congruis facienda, ac perpetuâ, & inuiolabili obseruatione, omnium, & singulorum aliorum in instrumento, seu instrumentis desuper conficiendis, promittendorum dictæ Congregationis, ac singulorum, etiam omnium illius Monasteriorum, Prioratuum, Conuentuum, Mensarum, & aliorum quotumcumq; locorum, regularium vbilibet existentium, bona quæcunque, pręsentia, & futura, particularia, & vniuersalia, vbicunque existentia, necnon ipsam Congregationem, ac illius pro tempore Præsidentem Generalem, Visitatores, Desinitores, Abbates, Priores, Conuentus, aliosque Prælatos, Superiores, & personas, etiam in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ, cum iuramento Procuratorum, constitutionibus, renunciationibus, & alijs de stylo Notariorum, vsu, & consuetudine Roman. Curiæ, in similibus apponi solitis, & necessarijs, obligare, & solemnitèr hipothecare; personis vero ipsis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegijs, Capitulis, Conuentibus, locis, & alijs supradictis, vt census ipsos, etiam â quibusuis grauaminibus, & oneribus, liberos, & penitùs immunes, aliaque omnia, & singula supradicta, etiam in perpetuum emere, acquirere, liberare, affrancare, fructusque, & emolumenta quæcunque inde, præsertim ex censuum, fructuum, vsuum, & liuellorum huiusmodi constitutione, & impositione, in sortem principalem nequaquam computando, vt est moris exigere, percipere, ac in suos, & alios sibi bene visos vsus, & vtilitatem conuertere, ac de illis, quæ sic acquisiuerint, emerint, & affrancauerint, prout de alijs eorum bonis proprijs, liberis, franchis, & allodialibus disponere. Necnon scripturas, & quæcunque instrumenta publica, vel priuata desuper opportuna, cautelis, pactis, promissionibus, renunciationibus, iuramento, & alijs in id necessarijs, vallata, & firmata celebrare, liberè, ac licitè possint, & valeant, licentiam facultatem, & auctoritatem omnimodas, Apostolicâ Auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus; constitutionesque, impositiones, concessiones, locationes, venditiones, alienationes, etiam perpetuas, liberationes, promissiones, obligationes, hypothecas, renunciationes, ac alia præmissa, & quicquid vigore præsentium fiet, & inde pro tempore sequetur, exnunc, prout ex tunç & econtrà, auctoritate, & tenore præmissis, approbamus, & confirmamus, illisque, perpetuę, ac inuiolabilis firmitatis robur, adiicimus, omnesque, & singulos, tam iuris quam facti, & obmissarum quarumcunq; solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui in illis interuenient, etiam si tales fuerint, qui non generali sermone comprehendantur, sed notâ, & expressione speciali indigeant, supplemus; nec non restitutionis in integrum, aut enormis, aut enormissimę læsionis, siue alio quouis remedio, beneficio, aut prætextu, nullo vnquam tempore, in toto, vel in parte rescindi, reuocari, annullari, infringi, limitari, moderari, ad terminos iuris reduci posse; sed valida, & efficacia fore, esse, & perpetuò subsistere, eosdemque prorsus operari effectus, ac vniuersam Cógregationem, antedictam, atq; illius pro tempore Præsidentem, Generalem, Visitatores, Desinitores, Abbates, Priores, Prælatos, Superiores, Monasteria, & Conuentus, ad illorum inuiolabilem obseruantiam, perpetuò teneri, & obligatos esse, ad idque etiam censuris, & alijs pœnis Ecclesiasticis, cogi, & compelli posse; necnon eam, eos, & illa ac illorum, & cuiuslibet eorúm vniuersalia, & particularia loca, & bona quæcumque præsentia, & futura, æquè, afficere, ac illis omnibus, & singulis cum quibus contraxerint, eorumque hęredibus, & successoribus quibuscunque perpetuò suffragari, & suos plenarios, & integros effectus, sortiri debere, perinde ac si iusta, vrgens, & à iure approbata, præmissaq; alienandi causa verè subesset, & in Capitulo generali eiusdem Congregationis, cum interuentu, ac de consensu, non solum pro tempore illius Præsidentis Generalis, Visitatorum, Definitorum, necnon omnium, & singulorum aliorum in eodem Capitulo quomodolibet de iure, priuilegio, consuetudine, seu aliàs vocem habentium, sed singulorum, Abbatum, Priorum, & Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum regularium, Congregationis huiusmodi capitularitèr, preuiâ licentiâ Apostolicâ, ac debitis tractatibus, alijsque solemnitatibus in id, de iure, & iuxtâ formam Statutorum, seu Constitutionum eiusdem Congregationis, & Ordinis, aut aliàs requisitis seruatis, & adhibitis, peracta fuissent, statuimus. Ad hæc Præsidentem pro tempore generalem dictæ Congregationis, ac illum, vel illos, quem, seu quos ad præmissa deputabunt, & constituent, eosue, cum quibus contraxerint, ac illorum hæredes, & successores quoscunque, nullo vnquam tempore teneri, aut obligatos esse ad docendum, seu aliquo pacto iustificandum, quod æs alienum, & necessitas huiusmodi, vel aliæ causæ probabiles alienandi subsint, vel adfuerint; aut prætium, & pecunias inde pro tempore redigendas, in extinctionem dicti æris, alieni conuersas, seu vsq; ad summam, & quantitatem, supradictorum quinquaginta millium scutorum auri in auro dumtaxat, & non vltrà de bonis, & rebus suprascriptis alienatum fuisse, præsentiumque solam narratiuam, ad plenam omnium, & singulorum præmissorum, in iudicio, & extrà probationem. Ita vt nulla alia in contrarium probatio admitti possit, vel debeat, sufficere; quinimo etiam quod de contrario, quouis modo vnquam appareret, præmisſâque superius narratâ, veritate non subsisterent, vel plus, aut minus earundem, præsentium vigore, de bonis, & rebus vnius tantum, seu duorum

rum, vel plurimarum, ac aliorum omnium eiusdem Congregationis Monasteriorum, & locorum regularium, etiam ære alieno non grauatorum æqualitèr, vel inæqualitèr, quam fieri debuisse videatur alienarum, & distractum fuisse constaret, præsentes literas, & quicquid illarum vigore pro tempore sequeretur, & fiet, de surreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, seu alio nullitatis defectu notari, argui, & impugnari non posse. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios, quàuis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, & si secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Irritum & inane decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus, generalibus, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpositis Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, aliisque quarumcunque Ecclesiarum Prælatis, & personis vbilibet existen. ac aliis ad quos id quomolibet spectat, & spectabit per presentes committimus, mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès pro parte nunc, & pro tempore existètis, Presidentis Generalis dictę Congregationis, & ab eo deputandorum, aut personarum cum illis contrahentium, vel alicuius eorum, fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, ac illis in præmis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate Nostrâ, easdem præsentes, & omnia in eis contenta ab omnibus, quos illa concernũt integrè, & inuiolabilitèr obseruari; ac Præsidentem præfatum, illosque ab eo deputandos, & personas prædictas, & eorum quælibet, præmissis omnibus iuxtà præsentium continentiam, & tenorem, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes illum, seu illos, aut eorum aliquem desuper à quoquam, quomodolibet indebitè molestari, perturbari, & inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliàque opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ compescendo; necnon legitimis super his habendis seruatis processibus illos, censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarando, necnon eas; etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. record. Simmachi, quæ incipit. Non liceat Papæ, & Pauli Secundi, ac Pauli Quarti, & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, ac etiam Nostris de rebus Ecclesiæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, necnon quatenùs opus sit, aliâ Nostrâ de non tollendo iure quæsito, ac aliis Apostolicis, & in quibusuis generalibus, Prouincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum, & illius particularium Monasteriorum, Prioratuũ, & aliorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon testamentis, codicillis, donationibus, legatis, fideicommissis aliisque dispositionibus, & contractibus, etiam laycorum causâ mortis, seu inter viuos de bonis, & rebus supradictis in fauorem dictæ Congregationis, & Ordinis eiusque Monasteriorum, Prioratuũ, Mensarum, & aliorum regularium locorum quomodocunque factis, illorumque alienationes, immutationes, aut alias conditiones fieri specialitèr, & expresse prohibentibus, & in euentum alienationis, immutationis, aut alterius dispositionis, pia, aut alia loca etiam plura, ordine successiuo, ipso facto substituentibus, vel illa ad hæredes redire omninò volentibus, ac aliàs in contrarium quomodolibet conditis, supradictisque iuramenti, & confirmationis Apostolicæ, seu quocunque alio vinculo roboratis, & firmatis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam per Nos, motu proprio, consistorialiter, seu aliàs, etiam iteratis vicibus concessis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiã si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret, illorumque tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, specialitèr, & expressè derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspẽdi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod earundem presentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut Curiæ Ecclesiasticæ obsignatis, eadem illis prorsus fides in Iudicio & extrà illud vbique adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris. Die quintâ Octobr. M.D.LXXI. Pontificatus Nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO CLXXXXIX.

### SVMMARIVM.

*1571. Nouembris 25.*

### PIVS PAPA V.

*Monachis Monasterij S. Pauli de Vrbe visitantibus septem Altaria eiusdem Basilicæ, Indulgentias septem Ecclesiarum præcipuarum Vrbis concedit.*

*Ex Archiuio Sancti Pauli de Vrbe.*

IOANNES Paulus, Miseratione diuinâ tituli Sancti Pancratij Sanctæ Romanæ Presbyter Cardinalis ab Ecclesiâ nuncupatus. Vniuersis, & singulis præsentes litteras visuris paritèr, & audituris, fidem facimus, & attestamur, quod Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Pius diuinâ prouidentiâ Papa Quintus, Viuæ vocis oraculo nobis facto. Venerabilibus, & Religiosis viris Abbati Priori & Monacis, singularibusq; alijs personis Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis commorantibus nunc, & qui in posterum commorabuntur in Monasterio Sancti Pauli extrà Vrbem Romam, vt commodiùs eorum diuinis Officijs assiduè

siduè, & sine intermissione vacare possint, quotiescunque septem Altaria priuilegiata in eiusdem Sancti Pauli sita deuotè inuiserint, easdem Indulgentias, Indulta, & Priuilegia, quæ habere & consequi valerét, & possent, si Septem Ecclesias priuilegiatas inuiserent & adirent, quę intrà, & extrà huiusce Vrbis mœnia constructæ reperiuntur, parisormitèr, & absque vllâ penitùs differentiâ cócessit, indulsit, paritèr, & elargitus est. In cuius rei fidem & testimonium, has præsentes Nostras Patentes litteras, nostrâ manu propriâ subscriptis, exinde fieri, & per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi, sigillique nostri, quo in talibus vtimur infimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ in Palatio Apostolico, & stantijs nostræ solitæ habitationis, sub anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Indictione decimâ quartâ, die vero vigesimâ quintâ Mensis Nouembris, Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri Domini Pij, Diuinâ prouidentiâ Papæ Quinti Anno sexto. Io: Paulus Cardinalis ab Ecclesiâ. Michael Crottus Secretarius.

## CONSTITVTIO CC.

1572. *Aprilis*. 11.

*Decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini; Quod Abbates habentes vsum Mitræ, & Baculi possint conferre primam tonsuram, ac Ordines Minores Sæcularibus, & Regularibus non sibi subditis, de licentiâ tamen Ordinariorum ac Superiorum suorum.*

*Ex Actis Curiæ Archiepiscopalis Bononiensis.*

## BONONIENSIS.

SVNT Aliqui Abbates Regulares in Ciuitate Bononiensis, qui habent ius deferendi Mitram, & Baculum, cum alijs multis priuilegijs. Quoniam autem Concilium Tridentinum sess. 23. c. 10. prohibet Abbatibus, ne possint Tonsuram, vel Minores Ordines, cuique, qui Regularis sibi subditus non sit, intrà fines alicuius Diœcesis conferre. Quæritur à sacrâ Congregatione, an de consensu proprij Episcopi intra cuius Diœcesis fines existunt, permittendum sit eis vt Tonsuram, ac Minores Ordines alijs conferre possint, non solum scilicet Sæcularibus subditis ipsius Episcopi, sed etiam alijs Regularibus aliarum Religionum, nec non alijs sæcularibus subditis aliorum Episcoporum.

All' Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor mio Osseruandissimo, Monsignor, Il Cardinal Paleotto.

Illustrissime, & Reuerendissime Domine. Ex sacrâ Congregatione Cardinalium, qui Præpositi sunt decretis Tridentini Concilij interpretandis, quæsitum est Illustrissime amplitudinis tuæ nomine, per libellum coniectum cum his litteris. An Abbates Regulares, habentes ius deferendi Baculum, & Mitram, possint ex decreto Concilij sess. 23. c. 10. intrà fines alicuius Diœcesis, cuiquè, qui Regularis sibi subditus non sit, tonsuram, vel Minores Ordines conferre. Quod vbi in consultationem venit, Congregatio censuit huiusmodi Abbates, postquam benedictionis munus, & Sacerdotalem Ordinem susceperint, tonsuram, & Minores Ordines Sæcularibus Episcopi iurisdictioni subiectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, hicq; pro se quisque ab eodem Episcopo fuisse concessum; sed hâc semper concessione singulis opus sit, Posse. Item eosdem Ordines conferre alijs Regularibus, qui litteras dimissorias speciales Superiorum suorum, nec non specialem consensum Episcopi loci habuerint; Ac præterea alijs Sæcularibus, qui aliorum Episcoporum sint iurisdictioni subiecti, dummodò, & ipsi attulerint speciales litteras Dimissorias suorum Ordinariorum, & specialem consensum Episcopi loci illius. Quod Illustrissima amplitudo tua, pro suâ prudentiâ integrè seruandum curabit, cui Deum benignum, & propitium exoptamus. Romæ die 11. Iulij 1572. Illustrissimę & Reuerendissimę Amplitudinis tuæ Humilis seruus Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Sixti.

## CONSTITVTIO CCI.

### SVMMARIVM.

1572.

### PIVS PAPA V.

*Regulares quoscumque ab Hospitio, seu Hospitatione militum, etiam pro bello aduersus Turcas collectorum, prorsus eximit.*

*Bull. t. 2. Pij V. Const.* 148.

PIVS Papa V. Motu proprio &c. Cum sicut, non sine graui dolore, Nobis innotuit, omnia, & singula, seu quam plurima huius Almæ Vrbis, ac etiam Status Nostri Ecclesiastici Conuentus, & Monasteria, ac alia Ecclesiastica, & pia loca, tàm Sæcularia, quàm Regularia, & à personis Religiosis quomodolibet inhabitata, eo tempore, quo equites, & milites eiusdem Almæ Vrbis, ac Status Ecclesiastici præfati pro defensione ipsius Vrbis, & Status aduersus infestissimum Turcarum Tyrannum, vel ob aliàs, quæ pro tempore se se offerunt causas expediri, & ad diuersa eiusdem Status, loca, transmitti contigerit, ab eisdem equitibus, & militibus perturbentur, & molestentur, ipsiq; Conuentus, Monasteria, & alia Ecclesiastica, & pia loca, in eorumdem equitum, seu militum distributione, nonnullos eorundem equitum, & militum intra eorum domos, & Monasteria hospitio excipere, & recipere cogantur, in maximum eorum detrimentum, Diuini cultus perturbationé, grauissimũ Religionis dedecus, Dei Optimi Maximi offensam, & nó solum præter omné Nostrã intentionem, verum etiam intolerabilem animi Nostri amaritudinem. Quapropter Nos in præmissis, quantũ cum Deo possumus, de oportuno remedio, celeri manu, prouidere, ac Monasteriorum, & aliorum Ecclesiasticorum, & piorum locorum huiusmodi personarum Deo Altissimo die, noctuq; famulantium quieti, integritate, & decori consulere volentes. Motu simili, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vniuersis, & singulis, tàm dictæ Almæ Vrbis, quàm totius Status præfati Gubernatoribus, Potentatibus, Ducibus, & Capitaneis, Communitatibusq; & Vniuersitatibus, & alijs ad quos spectat, pertinet, & spectabit, & pertinebit quomodolibet in futurum, nè deinceps, perpetuis futuris temporibus, in eorumdem militum, & equi-

e quorum distributione, tàm in transeundo, quàm inibi commorando, Communitatibus, & Vniuersitatibus videlicet, nè dictos equites, ac milites in eisdem Monasterijs, Cœnobijs, Domibus, ac alijs Ecclesiasticis, & pijs locis, sub duorum millium ducatorum auri, Cameræ Apostolicæ ipso facto applicandi, & alijs arbitrij Nostri pœnis, quouis quæsito colore, causâ, ingenio, siue prætextu distribuere, siue assignare, vel ac illos recipiendum, & hospitio excipiendum cogere. Ipsis verò Capitaneis, & Ducibus, nè eosdem suos equites, & milites, sub indignationis Nostræ, ac priuationis officiorum suorum, alijsq; etiam arbitrij Nostri pœnis, in dictis Monasterijs, Cœnobijs, Domibus, & alijs Ecclesiasticis, & pijs locis, etsi Communitates ipsæ, & Vniuersitates eadem loca eisdem assignassent, distribuant. Gubernatoribus verò, & ipsarum Ciuitatum, & locorum Prætoribus, ac alijs Officialibus quibuscunque, quorumuis, præmissa ab ipsis Communitatibus, & Vniuersitatibus, ac Capitaneis, & Ducibus fiant, sub eiusdem indignationis Nostræ, ac etiam priuationis officiorum suorum præfatorum respectiuè pœnis, auctoritate Apostolicâ, sinant, vel permittant, inhibemus, præcipimus, committimus, & mandamus. Et insuper, tàm illis, quàm equitibus, & militibus præfatis, nè Monasteria, Cœnobia, & loca pia huiusmodi in personis, rebus, & bonis, aut aliàs desuper molestare, perturbare, impedire, & inquietare, seu molestari, perturbari, vel aliàs inquietari facere audeant, seu præsumant, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub iam dictis pœnis eâdem auctoritate inhibemus, præcipimus, committimus, & mandamus, ipsa Monasteria, Cœnobia, Domos, & alia Ecclesiastica, & pia loca, ex nunc ab eisdem militibus, & equitibus ab onere illos hospitio excipiendi, motu, & auctoritate similibus eximendo, totalitèr liberando, ac libera, & immunia faciédo. Necnon Dilectis Filijs Nostris Vitellotio Cardinali Vitellio nuncupato, & pro tépore existéti S.R.E. Camerario, ac Præsidétibus, & Clericis Cam. Apost. vt eisdem Monasterijs, & pijs locis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant, illa, seu eorum personas à prædictis militibus, & equitibus, illorumque hospitio grauari contra præsentium tenorem, sed litteras, & exemptiones huiusmodi eis desuper concedant, ac fauorabilitèr defendant, etiam præcipimus, & mandamus. Et sic per quoscunq; Iudices, sublatâ &c. iudicari &c. debere; irritum quoque &c. decernimus. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, etiam iuramento &c. roboratis priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis etiam prædictis, ac alijs quibusuis personis, sub quibuscunq; tenoribus, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, & concedendis. Quibus omnibus illorum tenores &c. latissimè derogamus; cæterisq; contrarijs quibuscumq; cum clausulis opportunis. Et cum absolutione ad effectum &c. & de commissione, mandato, inhibitione, præcepto, exemptione, liberatione, decreto, derogatione, alijsq; præmissis extendendis perpetuò in formâ gratiosâ; & si videbitur cum opportunâ executorum deputatione, qui assistant, ac sub censuris, & pœnis etiam pecuniariis &c. cum facultate grauandi &c. inuocato &c. sæcularis; cum opportunâ dictarum derogatione latissimè extendéda, & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam maior, & vberior specificatio, & expressio fieri possit in litteris, etiam ad partem pro quolibet Monasterio, & pio loco, si videbitur per Breue Nostrum expediendis, seu si videbitur præsentis Nostri Motus proprij solâ signaturâ sufficiat, & vbiq; fidem faciat, in iudicio, extràq; regulâ contrariâ non obstante. Placet Motu proprio, & ita mandamus M.

# CONSTITVTIO CCII.

## SVMMARIVM.

1572. Iunij 13.

## GREGORIVS PAPA XIII.

*Reualidat Decimas, Subsidia, & alia onera à Pio V. imposita.*

*Ex Bull. Rom. Gregorij XIII. Constit. 3.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Et si in crastinum Assumptionis Nostræ ad Summi Apostolatus apicem, Nostrorum Prædecessorum more, quascunque Decimarum, Subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones, quæ à felicis recordationis Pio Papa V. Prædecessore Nostro, ex quauis causâ, etiam in Subsidium expeditionis contrà Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes emanauerant, & quascunque facultates super Decimarum, vigesimæ, & onerum huiusmodi exactione quibusuis fructuum, & prouentuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nuncijs ab eodem Prædecessore concessas, inter alia, reuocauimus; In hoc tamen, in quo versamur grauissimo contra Turcas bello, cui de pecunijs, & alijs rebus properè subueniendum est, & præterea in multis impendentibus necessitatibus incommodum Nobis, & Cameræ Nostræ fore rati, nouas ad id rationes conquirere, quæ negocium hoc, vel difficilius redderent, vel certè in longius protraherent; de Nobis attributæ potestatis plenitudine, omnes, & quascunque huiusmodi impositiones à prædicto prædecessore quomodocunque vbicunq; & ex quibusuis causis factas, & facultates propterea concessas, nec non Collectorum, Subcollectorum, & aliorum Ministrorum constitutiones, litterasque desuper confectas, & processus habitos per easdem, ac inde secuta quæcunque, aduersus reuocationem Nostram prædictam, editamque desuper constitutionem reualidamus, & in pristinum robur, eundemque vigorem in omnibus, & per omnia restituimus, reponimus, & reintegramus, perinde, ac si constitutio Nostra prædicta minimè emanasset. Decernentes exactiones, solutiones, & quæcunque alia huiusque facultatum, & litterarum prædictarum vigore gesta; & deinceps quandocunque facienda valere, suosque plenarios effectus sortiri, & ab omnibus obseruari, sicque per quoscunque iudicari debere, nec non irritum, & inane quicquid secus per quoscunq; scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quin etiam Decimas, Subsidia, & onera omnia prædicta rursus modo, quo priùs indicimus, & imponimus. Non obstantibus constitutione prædictâ, quam quo ad hoc penitùs abrogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volentes præsentium exemplis, etiam impressis manu Notarij publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ obsignatis, eandem illam prorsus fidem adhiberi, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo

ſimo ſeptuageſimo ſecundo, Idibus Iunii, Pontificatus Noſtri Anno primo. Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

## CONSTITVTIO CCIII.

### SVMMARIVM.

*1572. Decembris.*

## GREGORIVS PAPA XIII.

1 *Bonifacij VIII. & Pij V. Constitutiones circà Monialium quarumcunque Clauſuram obſeruandam, & per Ordinarios locorum cuſtodiendam, & reparandam, confirmat.*

2 *Eleemoſynas pro victu earumdem per Conuerſas, ſeu Tertiarias colligi ſolitas, per Epiſcopos colligendas in poſterum, eaſdemque Conuerſas, vel Tertiarias Clauſuram paritèr ſeruare decernit.*

3 *Congregationi Caſinenſi, cæteriſque Regularibus, dimidium eleemoſynæ per eoſdem ex conſuetudine, ſeu quàcumque obligatione, pauperibus tribui ſolitæ, eiſdem pauperibus Monialibus, quouſq; ad numerum, ex proprijs Monaſteriorum earum prouentibus, ſubſtentandum, redigantur, tribuere mandat.*

4 *Conuerſis, ſeu Tertiarijs prædictis oſtium ad Eccleſiam extrà Clauſuram Monialium patens, habere prohibet.*

*Bullar. Rom. Greg. XIII. Conſt. 13.*

GREGORIVS Papa XIII. Deo Sacris Virginibus, quæ contemptis illecebris ſæculi, diuinis ſe obſequijs manciparunt, æquiſſimum eſt præcipuâ quadâm à Nobis, ac ſingulri ſollicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quæ ſanctum ipſarum propoſitum impedire poſſent, remoueantur, tum etiam, vt eis in cultu Dei caſtè, ac religioſè permanentibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſubmini-
1 ſtrentur. Et quidem poſt Sacri Concilij Tridentini decretum, quo Conſtitutio felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit, Periculoſo, renouatur, prohibens nè, aut ipſis Monialibus ex Monaſterijs ſuis egredi, aut illi cuiuſcumque ſexus, aut Ordinis perſonæ, ad eas ingredi liceat. Et præterea vniuerſis Epiſcopis præcipitur, vt in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis, in alijs verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Clauſuram Sâctimonialium, vbi violata, diligenter reſtitui, vbi verò inuiolata, conſeruari maximè procurent. Piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædeceſſor Noſter, victui quoque, & neceſſitatibus ipſarum proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet, atq; innouaſſet, eademq; omnia, etiam in Monialibus quarumcunque Militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, omnibuſque aliis tacitè, vel expreſsè Religionem profeſſis, quocunque nomine cenſerentur, locum habere
2 decreuiſſet; 2 Ne illæ quidquam detrimenti in neceſſitatibus ſuis hâc occaſione paterentur, etiam pręcepit locorum Ordinarijs, & Superioribus illarû, vt fidelium eleemoſynas per Conuerſas non profeſſas, vel profeſſas quidem, ſed ætatis ſaltęm quadraginta annorum, & iam pridem Conuerſas, quæ in domibus, contiguis, extrà tamen Monaſterium degerent, colligendas curarent; ita tamen vt prædictæ Conuerſæ, neque clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus permiſſis ingrederentur, nec ex illis ipſis habitationibus ſuis ad tales eleemoſynas colligendas, ſine permiſſu Ordinariorum, aut Superiorum ſuorum, exire poſſent. Quod ſinè hoc quidem ſufficere viderentur, idem Pius prædeceſſor mandauit ipſis Ordinarijs, & Superioribus, vt negotium darēt aliquibus perſonis pijs tales eleemoſynas colligendi, aliaque arbitratu ſuo proſpicerent, quæ ad ſublenandam Monialium inopiam expedire iudicarent. Cum autem, ſicut accepimus, multę Moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur, ſub ſolemni religionis voto, perpetuâq; Clauſurâ degentes, alięque talibus litteris comprehenſæ, & in ipsâ Clauſurâ permanentes, multis pręterea ad ſe ſuſtentandas, neceſſarijs egeant, neque vſque ad hoc tempus vllo ſufficienti remedio, earum neceſſitatibus ſubuentum ſit. Quin etiam aliæ Tertiariæ citrà vllum ſolemne huiuſque votum viuant, quæ ad ſuas, ſuorumue domos, neutiquam redituræ eſſent, ſed ſub ſolemni religionis voto, & Clauſurâ prædictis permanerent, ſi
3 earum congruæ ſuſtentationi prouideretur. 3 Nos qui illas neceſſarijs rebus deſtitui nolumus, certioreſque facti ſumus in multis ciuitatibus, oppidis, villis, aut alijs locis, tàm in Eccleſiis, & Monaſterijs, quam Hoſpitalibus, Collegijs, Confraternitatibus, & alijs locis pijs, etiam quæ à priuatis hominibus, tùm Eccleſiaſticis, tum Laycis, multas, ac diuerſas eleemoſynas Chriſti pauperibus erogari; Conſiderantes in eiuſmodi perſonas, vel in primis exercendam eſſe charitatem, quæ voluntariâ paupertate ſuſceptâ, ab omni hominum commercio ſegregatæ, Deo ſeruiunt, & aſſiduis præcibus, iram ipſius, ob peccata, conceptam, à Chriſtiano populo arceri deprecātur, illud quoque cogitantes, ſi eis ad tales eleemoſynas petendas, ad loca prædicta conferre ſe liceret, vix fore, vt prædicta Monaſteria, Eccleſię loca, ac perſonæ eis ſingulis, non tantum ſaltem tribuerent, quantum ſingulis alijs pauperibus eodem concurrentibus ſolent; vniuerſo illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ, ac ſufficientis ſubuentionis auxilio prouidere cupientes, de Nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicumque Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, nec non Abbates, Priores, Præpoſiti, & alii Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Eccleſias, nec non Monaſteria, Prioratus, Prepoſituras, Canonicatus, Præbēdas; Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, cœteraque Beneficia Eccleſiaſtica, cum curâ, & ſine curâ, ſecularia, & Sancti Benedicti, Sancti Auguſtini, Ciſtercien: Cluniacen: Præmonſtraten: Cartuſien: Camaldulen: Sancti Baſilii, Caſinen: aliàs Sanctæ Iuſtinæ, Montis Oliueti, Sancti Saluatoris, ac Lateranen: & Cruciferorum, ſeu Fratrum Sancti Hieronymi, necnon Prædicatorû, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiuſdem Sancti Auguſtini, Seruorum Beatæ Mariæ, Sanctæ Claræ, & quorumcumq; aliorum tàm virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium Ordinû, & Cōgregationum, & Militiarum Regularia, etiam de iure patronatus Laycorum, etiam Nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum exiſtentia, in titulum, commendam, adminiſtrationem, & aliàs quomodocunq; obtinentes, nec non Rectores, Gubernatores, Confratres, Adminiſtratores, cœteriq; omnes, qui ratione illorum, nec non Capitulorum, Conuentuum, Menſarum, Hoſpitalium, etiam Laycorum, & per Laycos adminiſtrari ſolitorum, Chriſti fidelium Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum loco-

locorum quorumque nomine nuncupatorum,& in quibusuis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis,mensibus,hebdomadis,vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Officiorum,Dignitatum,& Beneficiorum,ac Congregationum,Hospitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum,piorum, & aliorum locorum prædictorum fructibus, redditibus, & prouentibus pauperibus Christi aliquas Eleemosinas in pane,frumento,farinâ,vino,eduliis,pecuniâ, seu aliis ad victum,vel vestitum pertinentibu,setiam ad supplicationem,& preces,& per cedulas, & bolettina, aut aliàs distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt,aut alio quocunq;iuretenentur, ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quoad Hospitalia prædicta ex iis, quæ seruata in illis actuali hospitalitate supersunt,seu supererint,nec non quæcumq;personæ particulares etiam Laycæ, vel Vniuersitates etiam Laycorum, quæ testamento,vltimâ voluntate,vel aliâ dispositione, etiam inter viuos,aliquas tales Eleemosynas facere tenētur, dimidiam partem omnium, & quorumcunq;Eleemosynarum, & largitionum huiusmodi,quocunq; nomine nuncupatarum,quocunq;tempore, & modo distribui solitarum,etiam si speciali notâ dignæ, & secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates,sub certâ formâ ab eis in testamento, vel aliâ quacunq;dispositione, distribuendæ sint; dummodò non in certas personas,nec ad certos vsus pios alios, quam victus, & alimenta pauperum distribuantur, quibuslibet prædictarum Monialium, etiam Tertiariarum sub solemni Religionis voto, & perpetuâ Clausurâ de cœtero viuentibus,& in terris,& locis, quorum pauperibus huiusmodi Eleemosynæ distribuuntur, consistentibus vere,realitèr, & cum effectu, & absq;vlla Eleemosynarum, & largitionum huiusmodi petitione,exactione, & conquisitione, aut aliâ desuper à Nobis expectatâ iussione, aut mentis Nostræ declaratione, ac quibusuis morâ, subterfugio,& exceptione cessantibus,& eiectis, dare atq;distribuere omninò teneantur,& quam dimidiam partem Nos illis applicamus. Vt autem præmissa omnia cum charitate,& pietate procedant, & efficacitèr suum effectum sortiantur, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per Apostolica scripta mandamus,vt quisq;per se, vel alium, seu alios ad præsentium executionem in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus procedens, ab Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus,Confraternitatibus,Scholis, Collegijs, locis,& Ecclesiasticis, ac Laycis personis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium Eleemosynarum huiusmodi exigant, ac proportione,vt Ordinarijs ipsis locorum equum esse videbitur,singulis pauperum Monialium, etiam Tertiariarum Monasterijs huiusmodi suarum Ciuitatum,& Diœcesum, etiam si alijs Superioribus subiectæ sint,cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinarijs,etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, ac cuilibet illorum,tàm per se, quàm alium, vel alios præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, & rebelles per pœnas pecuniarias eorundem Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas,& applicandas,ac in subsidium, sententias, censuras,& pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia,quâcunq; appellatione postpositâ respectiuè compescendi, auxiliumq; brachij sæcularis inuocandi,aliaq;in præmissis, & circâ ea necessaria,& opportuna faciendi,mandandi,& exequendi,plenam,& liberam facultatem,& auctoritatem concedimus,& impartimur. Insuper,quia valdè rationi consonum est,vt etiam ij, qui ipsis Monialibus,etiam Tertiarijs indigentibus præfatis, consanguinitate aliquâ sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis, & honestatis id expostulet, singulis locorum Ordinariis committimus, vt omni eos officio, & diligentiâ monere, eisque persuadere studeant,parentes verò, & fratres, ac alios, ad quos illas,si in sæculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona,& successiones deuenerunt,& qui si eas nuptui tradidissent, multò amplius, quam ingredientibus Monasterium dedissent, vel qui,si eas nunc domi retinerent,vel si ad illorum domos redirent,eas alere tenerentur, quibuscunq; vijs ipsis benè visis inducant, vt Monialibus, etiam Tertiariis prædictis iuxtà eorum facultates charitatiuè subueniant; scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum. Cœterum,quod attinet ad Conuersas professas,quas prædictus Pius prædecessor per prædictas litteras sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extrà Monasteria pro colligendis Eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, vt quibus Monasteriis prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradictâ, vel aliâ quâlibet ratione, sufficienti subuentione,& sustentatione prouisū esse cognouerint,easdem Conuersas sub eadē Clausurâ,cū alijs Monialibus reducant, neque à suis Monasterijs ampliùs exire permittant, Conuersas verò non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu,domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetuâ clausurâ mansuras, in Monasteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius Prædecessor statuit de cœtero, nullas alias Conuersas professas recipi ampliùs,etiam de consensu suorum Superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas Conuersas, quæ extrà Monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum verò prædictarum contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium,etiam Tertiariarum huiusmodi(quem per ipsos locorum Ordinarios, etiam in Monasterijs ab eorum curâ, & regimine quomodocunque exemptis, cum illarum Superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum aliàs recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales, & Tertiariæ, & proprijs redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commodè sustentare queant, super quo eorundem Ordinariorum conscientiam oneramus; ita tamen,vt decedentibus singulis ex tribus earundem Monialium partibus, tertiæ quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic successiuè in totum extinguatur,atque in pristinū statum sub debitis, aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. 4 Declaramus prætereà 4
nullis Monialibus etiam Tertiarijs licere habere ostium per quod ex Monasterio introiri possit ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas, & diuina Officia patere solet accessus,sed omninò muro obstruendum:neque icidem licere Monialibus etiam Tertiarijs egredi à ianuâ Monasterij,quæ est pro Clausurâ ipsius Monasterij,etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, quæ patere solet aditus sæcularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquijs

quijs destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausuræ, quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extrà Clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. Insuper quoscunque Dominos, & Magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipsorum Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem, illis in præmissis assistentes omnem opportunum fauorem, & auxilium præstent, & exhibeant. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs præcipimus & mandamus, vt has præsentes Nostras litteras (quarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eamdem vbique fidem in iudicio, & extrà adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ (singuli in suâ Ciuitate, & Diœcesi publicent, ac publicari, easque iuxtà earum continentiam, & tenorem vnà cum prædictis, ac alijs prædicti Pij V. & aliorum prædecessorum Nostrorum litteris, & constitutionibus, & iussionibus pro integrâ Clausuræ instauratione, custodiâ, & firmitate editis inuiolabilitèr obseruent, & obseruari faciant. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacij prædicti de vnâ, & Concilij generalis de duabus, non tamen tribus dietis, ac quibusuis alijs Apostolicis, necnon in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus cõstitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Ordinũ Hospitalium, Militiarum, Confraternitatum, Collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, exemptionibus, libertatibus, gratijs, & litteris Apostolicis, Ecclesijs, Monasteriis, & Ordinibus, Hospitalibus, Confraternitatibus Collegiis, & piis locis, ac eorum Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & pluriès innouatis, etiam si in eis caueatur expresè, quod illis, nisi sub certâ inibi expressâ formâ, aut aliàs derogari non possit. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro plenè & sufficientèr expresis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, specialitèr, & expresè derogamus, contrariis quibuscunque, ac si supradictis vel quibusuis aliis ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ ordinationis, statuti, applicationis, concessionis, impartitionis, commissionis, iniunctionis, declarationum, decreti, voluntatis, onerationis, hortationis, monitionis, requisitionis, præcepti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, tertio Calendas Ianuarij, Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CCIV.

### SVMMARIVM.

1574. Aprilis 16.

## GREGORIVS PAPA XIII.

*In Abbatissæ Monialium Congregationis Casinensis electione, nisi duæ ex tribus partibus Monialium conuenerint per duo scrutinia, posse Abbates, sub quorum curâ degunt eligere, seu nominare, duas vel tres ex ipsis Monialibus, quas ad regimen aptiores iudicauerint, & illã ex dictis duabus, vel tribus propositis, in quã plura Monialiũ vota conuenerint, in Abbatissam eligere, ac pro tali habendam à Monialibus fore decernit, sub pœnis, &c.*

*Ex Impresso.*

GRegorivs Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Ex Nostri Pastoralis Officij debito, ad ea libentèr attendimus, per quæ Monasteriorum quorumlibet, præsertim verò Sanctimonialium, quæ relictis huius mundi illecebris, sese earum Sponso Iesu Christo Saluatori, & Domino Nostro perpetuò manciparunt, prospero statui, & felici directioni consulitur, quod potissimum ex animi Nostri voto successurum conspicitur, si in Abbatissarum ipsorum Monasteriorum Monialiũ, dum pro tempore vacant, electionibus, omnis dilatio, & tergiuersatio, quantum fieri possit, remoueatur, & ad electionem ipsam, quantò citiùs procedatur, nè aliàs Monasteria ipsa diutinæ vacationis Abbatissarum sentiant incommoda. Cum itaque, sicut accepimus, in electionibus Abbatissarum Monasteriorum Monialium sub curâ, regimine, & gubernio Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti existentium, dum eorum vacatio pro tempore occurrit, duę partes ex tribus partibus vocum, seu votorum, vel suffragiorum Monialium ipsorum Monasteriorum requirantur, & eâ de causâ sæpenumero multæ difficultates, & discrepantiæ, ac scandala oriantur, priùs quam vota, seu suffragia vnita, & concordantia, vsque ad dictum numerum requisitum inueniri, & haberi possint. Nos in præmissis opportunum remedium adhibere volentes; Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc factæ petitionis instantiam, sed ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, dilecti filij nunc, & pro tempore existentes dictæ Congregationes Visitatores, ac Abbates, seu Prælati respectiuè, quibus Moniales ipsorum recommendatæ, seu sub quorum regimine, gubernio, & curâ, vt præfertur, existunt, totiès quotiès faciendarum electionum Abbatissarum huiusmodi

modi pro tempore casus euenerit, in euentũ quòd dictæ Moniales prædictorum Monasteriorum, in electionibus ipsarum Abbatissarum faciendis, per duo scrutinia non conuenerint, possint, valeant, & debeant ipsorum Monasteriorum Monialibus proponere duas, vel tres eiusdem Monasterij Moniales, quas ad regimen, & gubernium aptiores esse iudicauerint, grauantes in hoc eorum conscientiã, & illa ex dictis duabus, vel tribus Monialibus sic propositis, quæ plura Monialium vota, siue suffragia in sui fauorem habuerit, sit, & esse censeatur legitimè, & canonicè electa in Abbatissam ipsius Monasterij, & tanquam talis in Abbatissam Monasterij huiusmodi per eos, ad quos spectat, & spectabit omninò institui, seu confirmari debeat: neque de cœtero electiones dictarum Abbatissarum, aliàs quam, vt prefertur, & per presentes disponitur, fieri possint, nec debeant, Apostolicâ auctoritate, tenore presentium, perpetuò statuimus, & ordinamus; necnon etiam Visitatoribus, & Abbatibus, seu Prælatis prefatis, vt duas, vel tres Moniales modo, & formâ premissis, ac ad effectum predictum proponere, necnon Moniales dictorum Monasteriorum ad easdem duas, vel tres Moniales sic pro tempore eis propositas acceptandum, & vnam ex ipsis duabus, vel tribus, vt præfertur, eligendum, aliàque premissa omnia, & singula, necnon per presentes dispositа obseruandum, etiam sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis etiam sepiùs aggrauandis, cœterisque iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis, etiam quàcunque appellatione, recursu, & reclamatione postpositis penitùs, & semotis auctoritate Nostrâ cogere, & compellere, aliàque in premissis, & infrascriptis, ac circà ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, & exercere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate, & tenore predictis, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac plenam, liberam, amplam, & omnimodam desuper licentiam, potestatem, facultatem, & auctoritatem impartimur, necnon etiam dictis Monialibus ipsorum Monasteriorum, vt præsentibus Nostris, ac Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis prædictis, in præmissis omninò pareant, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis Nostræ, necnon alijs pœnis prædictis districtè præcipiendo mandamus, præsentes quoque de surreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quouis alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari nullatenùs vnquam posse, sed eas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios effectus, sortiri, & ab omnibus, quos præmissa concernunt, & in futurum concernent, perpetuò inuiolabilitèr, & ad vnguem obseruari, sicque in premissis ab omnibus censeri. Ac ita per quoscunque Iudices, & Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, sublatà eis quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac quicquid secùs super his à quo quam, quâuis, auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus. Non obstantibus fel.record. Bonifacij Papæ VIII. predecessoris Nostri de vnà, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vltrà tres dietas, vigore præsentium, ad iudicium non trahatur, & quibusuis alijs Apostolicis, prouincialibusque & Synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Monasteriorum, & Ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicà, vel quâuis firmitate alià roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis illis, illorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in spetie ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ac expressa, & indiuidua mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice duntaxat specialitèr, & expresè derogamus; Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab Apostolicà sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis. 1574. Pontificatus Nostri Anno secundo. Cæ. Glorierius.

## CONSTITVTIO CCV.

### *SVMMARIVM.*

*1574. Apr. 17.*

## GREGORIVS PAPA XIII.

1 *Abbatum, & Officialium Congregationis Casinensis electionem, eorumque destitutionem, absque alicuius causæ cognitione, ad Regimen dictæ Congregationis pertinere confirmat.*

2 *Appellationes Abbatum, vel Monachorum ab ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli generalis, Præsidis, Visitatorum, vel Rectorum dictæ Congregationis ad quemcumque, etiam ad Sedem Apostolicam factas, nisi de speciali dictæ Sedis indulto, abrogat.*

3 *Causas tàm Ciuiles, quam Criminales in dictà Congregatione, summariè, sine strepitu, & figurà iudicij peragendas.*

4 *Appellantes à sententijs, & Decretis dictæ Congregationis, priuatione officiorum, carceris mancipatione, alijsque pœnis coercendos, decernit.*

5 *Iuris peritos consulentes in his, quæ obedientiam, correctionem, vel regimen dictæ Congregationis concernunt, similibus pœnis afficiendos, statuit.*

6 *Fauores Principum, vel Prælatorum extrà gremium dictæ Congregationis, ad Prælaturas, & Officia dictæ Congregationis captanda, vel pactis, pollicitationibus, alijsque vijs directè, vel indirectè, palam, vel occultè eadem aucupantes, eorumque complices, & fautores, ad eadem perpetuò inhabiles, voceque actiuà, & passiuà priuatos, excommunicationique latæ sententiæ illigatos decernit; Promotiones tali modo factas irritat, & contra tales delinquentes procedendum fore statuit subla-*

*Sublatâ facultate huiusmodi litteras cuicumque alias interpretandi. Derogando paritèr obsistentibus Constitutionibus, & Decretis. Præsentesque litteras anno quolibet in Capitulo generali legendas statuit.*

*Ex impresso.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Nihil in vnâquâque religiosâ familiâ, in quâ obedientiæ firmissimè iactis fundamentis, plerique fideles in claustris altissimo famulari student, æque arbitramur esse vtile, quàm supremam in eisdem auctoritatem gerentibus, omni contentione exclusâ, ea quâ decet reuerentia, vniuersos parere, eorumque dictis audientes esse, necnon à regularis obseruantiæ professorum pectoribus, bonorum assequendorum nimiam cupiditatem exulare. Vtq; hęc, Diuinâ assistente gratia, maximè in Congregatione Monachorum de Obseruantiâ Congregationis Casinen aliàs S. Iustinæ de Paduâ Ordinis S. Benedicti, quæ vitæ sanctitate claruit, ex sententiâ Nostrâ succedant, antiquas Cõstitutiones approbandas, & in illarum transgressores duriores pœnas proponendas, & alias opportunè prouidendum esse censemus, prout in domino conspicimus expedire. Accepimus enim, quod licet alias felicis recordationis Eugenius Papa IV. prædecessor Noster, sub Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigentesimo secundo, Nono kal. Decembris, Pontificatus sui Anno secundo, Inter alia voluerit in Capitulo generali eiusdem Congregationis singulis annis celebrando, Nouem Definitores ex Monachis dictæ Congregationis eligi, qui vocem in Capitulo haberent, sicque electos totum Capitulum præfatum repræsentare, eorundemque Definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus, definitionibus, & correctionibus, singulos Cõgregationis eiusdem Monachos, cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, siue conditionis existerent, in omnibus efficacitèr parere, ac huiusmodi Definitores de Monasteriis, & locis, illorumq; bonis (prout viderent expedire) disponere: Necnon ex Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos iudicauissent, in Abbates, pro tempore vacantium Monasteriorum, ac Prioratuum huiusmodi aliàs, iuxtà dictæ Congregationis, Cõstitutiones, ordinationes, & statuta eligere, siue nominare: Necnon ad eorum beneplacitum talitèr electos, absq; aliquâ etiam causæ cognitione, à regimine etiam dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censerentur, absoluere, & amouere posse. Idemq; per alias litteras datas Florentię, Pontificatus sui Anno quarto, decreuerit, dum occurrente vacatione Monasteriorum, & Prioratuum dictæ Congregationis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantium, quâ illis ratione prouidendum esset ordinauit, prout in singulis eiusdem prædecessoris litteris pleniùs continetur. Nihilominus nonnullos dictæ Congregationis Monachos, eius, quam Deo vouerunt, Obedientiæ planè oblitos, præfatis Superioribus in electione, & amotione Abbatum, & aliorum ad eorundem nutum, & beneplacitum Monasterijs, & alijs Officijs absoluendis, & liberandis, aut ad illa eligendis, & nominandis aduersari, & contradicere, & cum illis ad contentiones deuenire, alios verò, nè contra eos veluti inobedientes, vel aliâ etiam ex causâ, aut ex quantumuis graui crimine, & excessu procedi possit, contra eiusdem Congregationis statuta, & ordinationes varias appositiones, & subterfugia, aut alia impedimenta afferre, vel interponere. Necnon, absq; eorundem Superiorum licentiâ, in his, quæ ad morum correctionem, & regimen, administrationemq; Congregationem eiusdem pertinent, Iurisperitos, & alios consulere temerè ausos fuisse, & nunc præsumere; quosdam etiam professionis, & Regulæ, quam sub humilitatis habitu professi sunt, penitùs immemores reperiri, qui sic ambitione Dignitatum, & Officiorum Ecclesiasticorum, in dictâ Congregatione consequendorum, quò faciliùs de Congregationis rebus, & personis ad eorum libitum disponant, se efferri patiuntur, vt ad Ecclesiasticorum, & Sæcularium Principum auxilia, vel occultè, vel palam recurrant, & à S. R. E. Ecclesiæ Cardinalibus, aliisq; Prælatis commendaticias litteras propterea expetant, & noui aliquid semper, vt optati compotes fiant, in eorũ animæ perniciem parando, ac moliendo, eiusdem Congregationis quietem, cum animarum illorum periculo non modico, perturbent.

1 Nos igitur præmissis occurrere, ac eiusdem Congregationis Monachorum honori, & quieti, quos in visceribus gerimus charitatis; Necnon ad deterrenda maleficia, grauioribus, etiam pœnis propositis, consulere cupientes, ac dictarum prædecessoris litterarum seriẽ, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes; Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientia, singulas prædecessoris præfati litteras, eâ in parte, quâ illæ auctoritatem illorum, qui pro tempore regendæ Congregationi deputati erunt, respiciunt, quòd ad eorum nutum, & beneplacitum Abbatis, & alios quonis nomine nuncupatos dictæ Congregationis Prælatos, vel Officiales eligere, & electos similitèr absque aliqua causæ cognitione, seruatis aliàs ipsius Cõgregationis Constitutionibus, ab Officio amouere, & absoluere possint, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, & quatenùs etiam opus sit, easdem quoad præmissa dumtaxat innouamus; quodque contra eos, qui in præmissis eisdem Superioribus in electionibus, vel amotionibus huiusmodi contradicere, vel se opponere, aut cum illis contendere præsumpserint, per pœnam priuationis Officiorum, quæ obtinuerint, ac personæ coercitionem, & carcerationem animaduertatur, statuimus.

2 Cumque idem prædecessor districtiùs inhibuerit, nè cui Prælatorum, vel Monachorum dictæ Congregationis ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mãdatis Capituli Generalis, siue Pręsidentis, aut Visitatorum, vel Rectorum eiusdem Congregationis ad quemcumque, etiam Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceret appellare, quamcumque appellationem, si aliquam quandoque interponi contigeret, cum inde sequutis, irritam decernendo.

3 Si autem contrà aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis ciuilitèr, aut criminalitèr ageretur, secundum statuta, & consuetudines Congregationis præfatæ, iuris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus ommissis, procedi debere mandauerit; eiusdem prædecessoris exemplo adducti, Quòd quãdocunq; contrà Monachos iudicium ex quauis causâ institui contigerit, summariè, simplicitèr, & de planò, ac solâ facti veritate inspectâ, necnon omni, & quâcunq; appellatione remotâ agi.

4 Appellantes verò, aut de nullitatibus, sententiarum, processuum, & aliorum quorumcunque contra se decretorum, vel actorum, dicentes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes, illis non obstan. priuatione Officiorum, & carceris pœnis itidem

dem affici, & ad vlteriora in causis, quas pro tempore agitari continget, priuationisq; carceris, & aliarum pœnarum propterea inflictarum executio-
5 ne procedi posse volumus. 5 Easdemq; pœnas ad eos etiam Monachos,qui à Iurisperitis,aut alijs quibusuis personis extrà dictam Congregationem, absq; eorum Superiorum licentiâ, in his, quæ ad Obedientiam,aut Correctionem eiusdemuè Congregationis regimen pertinebunt, cōsilium capient,
6 extendimus. 6 Ac omnes, & singulos Monachos Congregationis præfatæ,cuiuscunq;ætatis, gradus, conditionis,præeminentiæ,& litteraturæ existentes, & quâcunque dignitate præfulgentes,qui ad Prælaturas, & alia Officia dictæ Congregationis assequenda intenti ad Principum, & Prælatorum,de gremio dictæ Congregationis non existentium, fauores recurrerint,vel etiam pactis,pollicitationibus, aliisq;viis directè,vel indirectè, palam, vel occultè, ad Dignitates,seu Officia in Congregatione præfatâ obtinenda aspirauerint,vel aliis minùs legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiuerint, illorumq;complices,& fautores,ad quascunque Prælaturas,Dignitates,& Officia spiritualia,vel temporalia,& præsertim in ipsâ Congregatione obtenta, & obtinenda,perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, Dignitatibus, Administrationibus,vel Officiis,eo ipso priuamus,ac priuatos voce, tùm actiuâ, tùm passiuâ carere decernimus, & declaramus; in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis latę sententię omnibus dictę Congregationis Monachis, qui pro tempore regimini dictę Cōgregationis deputati erunt,pręcipientes,districtèq; mandantes,nè aliquos precibus, literis,vel fauoribus Principum, vel Prelatorum, aut aliorum extrà dictum gremium existentium adductis,ad cuiusuis generis Prælaturas,Dignitates,Officia,Administrationes,& Gradus promouere præsumant: Imo promouendorum meritis, & virtutibus tantum inspectis,quod Dei causam agant,memores sint,quo magis puro,& sincero corde,nullâ priuatâ, aut mundanâ affectione commoti, in electionum negotio procedant. Decernentes electiones,& promotiones ad Monasteria sic litteris, aut alijs fauoribus Principum,& Prælatorum, vel aliorum extrà gremium (vt prędfertur) existentium, eorumq; precibus,aut pollicitationibus iniustè, ac indebitè exortas,nullas,inualidasq;esse, & aduersus eos, qui his minùs legitimis rationibus ad regenda Monasteria, vel Prioratus,aut alia Officia se eligi,aut assumi obtinuerint, per eiusdem Congregationis Superiores, quandocunq;procedi,& rei veritate cognitâ, condignis pœnis,tanquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores,affici posse, & debere. Et ita per quoscunq;Iudices,& Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores,ac S.R.E.Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi auctoritate,& facultate,iudicari,& definiri debere. Irritum quoq;& inane, si secùs super his à quoquam,quâuis auctoritate,scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Apostolicis,ac in Prouincialibus,& Synodalibus Concilijs, editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus,& ordinationibus,ac dictorum Congregationis,& Ordinis,etiam iuramento,cōfirmatione Apostolicâ,vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis,& consuetudinibus,priuilegijs, quoq;indultis, & litteris Apostolicis,illis, & illorum Superioribus, sub quibuscunq;tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis,& decretis concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis,eorumq; totis tenoribus specialis,specifica,expressa,& indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret;illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis,& insertis habentes,illis aliàs in suo robore permansuris,hâc vice,Motu,& scientiâ similibus latissimè derogamus, ac derogatum esse volumus, contrarijs quibuscunque. Aut si præfatis Congregationis,& Monachis,vel quibusuis aliis communitèr, vel diuisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam,& expressam,ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Ac vt harum litterarum notitia ad omnes dictæ Congregationes Monachos faciliùs deueniat, volumus illas in Generali dictæ Congregationi Capitulo singulo quoq; anno publicè legi,illasq;in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitimè vnicuique intimatæ fuissent, illorumque exemplis,vel impressis, manu scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præsidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate Ecclesiasticâ constituti obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eadem exhiberentur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris,die xvii. Aprilis 1574. Pontificatus Nostri Anno secundo. Cæ. Glorierius.

*Forma obligationis Congregationis Casinensis (quæ renouatur de triennio in triennium) soluendi ratam Subsidij triennalis ad fauorem Cameræ Apostolicæ. Cum protestatione, quod solutio ista procedat absque præiudicio redimendi, tàm Montem Nouennalem, & Pium, quàm etiam quoscunque alios Montes. Item, quod dicta Congregatio sit libera, & exempta ab omnibus Decimis impositis, & imponendis, per dictum triennium. Insuper gaudeat omnibus Priuilegijs, & Exemptionibus dictæ Congregationi concessis; Aliàs protestatur de nullitate,ac de non soluendo dicto Subsidio.*

*Ex Actis Tydei de Marchis Not. Cam.*

DIE 10.Decembris 1574.R. P. D. Ioannes Baptista Stella Monachus, & Procurator Generalis Cōgregationis Casinensis,aliàs S.Iustinę de Paduâ, Ordinis S.Benedicti,asserens habere notitiam, quod fel:rec:Marcellus Papa II. Subsidium quartæ partis fructuum à fel. recor.Paulo Papâ III. ad triennium Congregationibus Regularibus impositum, & per eum,ac fel. rec. Iulium etiam III. sæpiùs prorogatū ad aliud triennium, & deinde ad Sedis Apostolicæ beneplacitum prorogauit. Quodque fel. rec. Pius Papa IV.ratam,seu portionem dicti Subsidii,dictam Congregationem Casinensem tangen: Monti Nouennali nuncupato,pro vnâ, & pro reliquâ partibus Monti Pio recuperationum per fel. rec. Pium Papam IV. erecto,assignauit, seu applicauit, ac Magnifici DD.Iulius Boscus,Paulus Gauottus,& Socij mercatores,Romanam Curiam sequentes, Nouennalis,& Magnificus D.Hieronymus Ceulus Ciuis, & Mercator Pisanus, Pij Recuperationum, Montium huiusmodi, respectiuè, Depositarij deputati fuerunt. Cupiens, & intendens se, nomine dictæ Con-

Congregationis Casinensis, de soluendo ratam eamdem Congregationem tangentem ex dicto Subsidio, iuxtà mentem, & intentionem, ac promissionem in fauorem Collegiorum prædictorum Montium, seu dictorum Dominorum Depositariorum factam, pro triennio proximo obligari; Vice, & nomine dictæ Congregationis, pro quâ de rato &c. promisit, ita quod dicta Congregatio, hinc ad Capitulum ab eâ proximè habendum, & interim infrà mensem, ab hodie proximum Reu. D. Præsidens Generalis, hoc Instrumentum, & omnia in eo contenta ratificabunt, & approbabunt; cupiens ordinationibus, ac menti, & intentioni S. Sanctitatis inhetere, spontè &c. promisit soluere, & pagare Reu. Cameræ Apostolicæ, & pro eâ dictis Magnificis DD. Iulio Bosco, Paulo Gauotto, & Socijs prædicti Montis Nouennalis, ac D. Hieronymo Ceuli prædicti Montis Pij Recuperationum, ac alijs illorum nunc, & pro tempore Depositariis absentibus, me Notario &c. anno quolibet, durante triennio, à Calendis Mensis Nouembris proximè elapsi, cœpto, & vt sequitur finiendo, ducatos octomille auri in auro de Camerâ nouos, videlicet ducatos termille quingentos, & quadraginta similes dictis DD. Iulio Bosco, Paulo Gauotto, & Socijs dicti Montis Nouennalis, & reliquos ducatos quatuormille quadringentos, & sexaginta paritèr similes dicto D. Hieronymo dicti Montis Pij Recuperationum, & aliis eorumdem Montium pro tempore Depositarijs, stipulatione, quâ suprà interueniente, hoc modo videlicet, quoad summam pro præsenti anno debitam, quatenùs, adhuc soluta non fuerit, ad omnem simplicē dictorum Dominorum Depositariorum requisitionem, & beneplacitum, pro reliquis verò duobus annis, in singulis Cal. Mensis Nouembris cuiuslibet anni. Et insuper, quibus suprà nominibus, promisit singulis futuris temporibus, de triennio in triennium, & per sex menses ante finem cuiuslibet triennij similem obligationem facere, seu renouare liberè, & sine aliquâ exceptione, morâ, aut retardatione; aliàs voluit dictam Congregationem teneri ad omnia damna &c. de quibus &c. & promissa fecit, & facere se dixit dictus R. D. Io. Baptista Procurator dicto nomine, sine præiudicio facultatis dictæ, & alijs Congregationibus Regularibus, vt asseruit concessis, redimendi, tàm Montem Nouennalem, quàm alios quoscumq; Montes, cum facultate redimendi erectos, iuxtà formam Motus proprij S. D. N. Papæ, contractuum cum Reu. Cam. Apostolicâ celebratorũ, & etiam cum pacto, & conditione, quod præfata Cōgregatio sit libera, & exempta ab omnibus Decimis hactenùs impositis, & non exactis, & dicto triēnio durante imponendis in Statu Ecclesiastico mediatè, & immediatè subiecto, & in statu, & Dominio Mediolani, & Illustriss. Dominij, & Senatus Venetorum, & quocunq; alio loco, & Statu in Italiâ existente, quâcunq; de causâ, & potissimum ab illis, quæ pro munimine sunt imposita, & dicto triennio durante imponentur. Et quod debeat frui, & gaudere Priuilegiis, & Exēptionibus, quibus est solita gaudere, & frui; alioquin in euentum, in quem dicta Congregatio, aut aliquod illius Monasterium cogeretur ad soluendum aliquas ex dictis Decimis; liceat, sibi de dictâ annuâ summâ octomillium ducatorum, retinere quantum dictæ exemptiones importabunt. Pro quibus &c. obseruandis &c. idem R. P. D. Ioannes Baptista dictam Congregationem, & illius personas, necnon omnia, & singula illius Monasteria, loca, bona &c. in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ obligauit, cum constitutione Procuratorum, & alijs clausulis opportunis, & consuetis, iurauitq; tacto pectore, more Religiosorũ; Rogan &c. Actum Romæ &c. in Officio, & domo habitationis mei Notarii, Regionis Parionis; præsentibus ibidem DD. Sancte Salicio de Bucino Aretin. Diœcesis, & Iulio Cęsare de Abbatibus Bononien. testibus &c. Tydeus de Marchis Not.

## CONSTITVTIO CCVI.

### SVMMARIVM.

1575. Ianuarij 15.

GREGORIVS PAPA XIII.

*Abbatissas, & Priorissas Monialium Congregationis Casinensis ad annum, vel biennium tãtùm, & non vltrà in dictis administrationibus permanere decernit, sub priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, ac excommunicationis pœnâ.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin. lib. A. fol. 14.*

GREGORIVS Papa Decimus tertius. Dilectis filijs Præsidenti, & Definitoribus Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut Nobis exponi fecistis, in plerisque Monasterijs Monialium Ordinis S. Benedicti, & curæ Vestræ Congregationis Casinensis subiectis, Dilectæ in Christo filiæ illorum Conuentus, Abbatissas, seu Priorissas sibi eligant, quæ per Vos post modum, aut alios Prælatos, & superiores confirmantur, & fine anni adueniente, officia Abbatissatus, & Priorissatus sibi sic iniunctum, spontè quidem, & liberè in manibus eorundē Conuentuum dimittunt. Mos tamen, & vsus, etiam forsan prætextu priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum, a diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris concessorum, ibidem inualuerit, vt in alterum subsequentem annum, & fine huius secundi anni etiam adueniente, dimissione de officiis huiusmodi, vt præfertur, iterum factâ, ad alium tertium annum, electione, & confirmatione similibus præuiis, seu aliàs permittantur in illis perseuerare, & sic ad triennium in effectu eorundem Monasteriorum regimini præficiantur. Experientiâ vero compertum sit, non eos, ex ministerio, & opera Abbatissarum, seu Priorissarum triennalium, qui forsan ab initio sperabantur salubris regiminis fructus prouenire, quinimmò paci, & tranquillitati, ipsarum Monialium Conuentuum longe magis expedire, vt Abbatissarum, & Priorissarum officia non vltrà biennium durent. Nos paci, & tranquillitati, simulque salubri regimini singulorum Monasteriorum Monialium, præsertim curæ, & visitationi vestræ commissarum, quę abnegatis huius transitorii mundi illecebris, eorum Sponso, qui est Christus, celebri Voto se deuouerunt, consulere, & noxia quæcunque ab illis auertere summo studio cupientes. Quod nulla Abbatissa, seu Priorissa Monasteriorum huiusmodi de cœtero eligatur, seu postuletur, quæ etiam spontaneâ, & liberâ dimissione supradictâ interueniente, illorum regimini, nisi ad annum, aut ad summum biennio dumtaxat, vllo pacto præesse permittatur; immo, quæ iam vltrà biennium in Abbatissas, seu Priorissas electas, atque Monasterijs ipsis, etiam dictâ dimissione interueniente, præfectę sunt, si biennio in regimine, & administratione eorundem Mona-

Monasteriorum adhuc, perseuerarunt, vel quam primum finis bienii aduenerit, ab officio Abbatissæ, seu Priorissæ ex nunc, prout ex tunc, & è contrà absolutas, & destitutas eo ipso esse; atque Abbatissatus, seu Priorissatus officia vacasse, & vacare, ad electionemque, seu postulationem, & præfectionem aliarum Abbatissarum, & Priorissarum, aliàs iuxtà antiquos, & laudabiles ritus, mores, & instituta regularia Ordinis, & Congregationis, priuilegiorumque Apostolicorum huiusmodi formam, pro salubri regimine, & administratione eorundem Monasteriorum, per Conuentum Monialium illorum, cæterosque alios, ad quos spectat, procedi debere, Apostolicà auctoritate, harum seriè perpetuò statuimus. Districtè Monialibus ipsorum Monasteriorum in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac priuationis actiuè, & passiuè vocis in illis, necnon excommunicationis maioris, pœnis inhibentes, Ne de cætero aliquam in earum Abbatissam, seu Priorissam eligere, vel postulare contrà harum nostrarum formam, vel tenorem audeant, vel præsumant. Vobis verò, & aliis omnibus, ad quos similium electionum, & postulationum confirmatio, & admissio quomodolibet spectat, expressè iniungentes, nè pro tempore alitèr factas, quouis prætextu confirmetis, & admittatis; immo, quæ iam biennio, munere, & officio Abbatissæ, seu Priorissæ in eisdem Monasteriis perfunctæ sunt, queuè in futurum perfunctæ fuerint, ab illo remouere quamprimum studeatis. Contradictores, & rebelles per suprascriptas, & alias censuras, & pœnas, quàcunque appellatione postpositâ compescendo. Decernentes insuper irritum, & inane quicquid secùs super hiis à quoquam, quàuis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictorumque Ordinis, & Cõgregationis, ac Monasteriorũ statutis, vsibus, naturis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicà, vel quàuis firmitate aliâ roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, ac eorum Conuentibus, Superioribus, & personis, in specie, vel in genere, per Romanos Pontifices, videlicet Sixtum IV, Innocentium VIII. Alexandrum VI. Iulium II. & alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac etiam per Nos, & Sedem Apostolicam, Motu proprio, seu ad instantiam, vel intuitum Imperatorum, Regum, Ducum, Dominorum, aut aliorum Principum, etiam per modum legis, & statuti perpetui, iteratis vicibus, & aliàs contrarium quomodolibet, sub quibuscunque verborum, & decretorum formis, & tenoribus concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, expressa, & indiuidua mentio, non autem per clausulas generales, habenda esset, illorum, atque aliorum hic de necessitate magis forsan exprimendorum tenores, formas, litteras, & compendia veriora, pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialitèr, & expressè derogamus, & cæteris contrariis quibuscunque. Et quoniam non facilè erit has Nostras ad singula loca deferre; volumus, quod earum exemplis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo Præsidentis prò tempore eiusdem Congregationis obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis originalibus, si ostenderentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, Die quintadecimà, Ianuarii, Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno tertio Cæsar. Glorierius.

## CONSTITVTIO CCVII.

### SVMMARIVM.

1575. Apr. 10.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Scrutiniorum formam pro electione Definitorum, & Præsidentis Congregationis Casinensis, à Leone Papa X. præscriptam restituit, ac confirmat. Scrutinia, & electiones hactenùs celebrata contra dictam formam conualidat, ac defectus supplet.*

*Ex lib. Priuil. Congreg. Casin.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Pro Nostri muneris Officio, & paternâ charitate, quâ omnes Religiosorum Ordines prosequimur, quæcunque ad illorum statum, salutaremque tranquillitatem pertinere arbitramur, præsertim in eligendis eorundem Ordinum Prælatis, seruatâ, quoad fieri possit, Sacrorum Canonum formâ, eâ, coadiuuante Domino, constituere nitimur, atque studemus. Inter eos autem ad Ordinem S. Benedicti Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ inspeximus, in quo, ex antiquis forsan eius Congregationis Constitutionibus, aut minùs laudabiliùs consuetudinibus, vel quâcunque aliâ ratione ab Apostolicâ Sede minimè approbatâ, vsus inoleuit, eligendi Definitores eiusdem Congregationis; cuius electionis formâ, & ratio Iuri Communi, ac Sacris Canonibus auersatur. Nos igitur eam eligendi formam penitùs ex eàdem Congregatione, tamquam Sacris Canonibus aduersantem, abolendam, tollendam, ac penitùs abrogandam esse censentes, prout abrogamus; in eorundem Definitorum electione, eam formam aliàs penitùs omissam, sub infrascriptis conditionibus adhibere præcipimus, quæ à fel. record. Leone Papa X. Prædecessore Nostro per suas litteras sub Dat: duodecimo Calendas Martij, Pontificatus sui Anno tertio editas, quarum seriem præsentibus haberi volumus pro expressâ, præscripta fuit. Videlicet quod nomina Prælatorum, qui in Capitulo Generali pro eorundem electione de more statutis temporibus celebrando interesunt, & per eiusdem Congregationis Constitutiones, & Romanorum Pontificum statuta, & ordinationes eligi poterunt, in vrnam, aut saccum iniiciantur, & inde super eorum singulis, prout ex vrnâ, vel sacco huiusmodi educentur, Scrutinium fiat per suffragia secreta. Denunciato Scrutinio, Nouem ipsorum, qui maiori suffragiorum numero, supra dimidiam eorundẽ Suffragiorum partem, adiuuabuntur in Definitores electi erunt; si autem facto, & publicato Scrutinio eàdem ferenda suffragia vltrà dimidiam in minori numero, quam Nouem cõuenerint, iterùm Scrutinium fiat, & denuncietur, ac publicetur, vt præfertur; quod si suprascriptus numerus adhuc adimpletus non fuerit, Scrutinium tertio loco erit faciendum, in quo Nouem per suffragia vltrà dimidiam partem, non electis, tunc, nè electio, ac Capitulum nimium, quam par sit, in longum, graui cum eiusdem Congregationis, illiusque Monachorum incommodo protrahatur, diligentèr consideratis omnibus Scrutinijs, Illi in Definitores electi censentur,

sentur, in quos plura suffragia conuenerint, etiam si integra dimidia illorum pars in eandem sententiam non venerit. Rursus ex ipsis Nouem tunc, vt præfertur electis, de eligendo eo, qui Præsidentis Capituli munus gerat, Scrutinium celebretur, & ille ex Nouem præfatis eâ vice eidem Capitulo præsit, in quem, etiam infrà dimidiam suffragiorum partem, plura suffragia conuenerint. Infrà quod biennij tempus, eos, qui idem munus antea obierint, vt ad illud iterum deligantur, inhabiles esse statuimus, ac eligentibus facultatem illos eo casu & tempore eligendi, adimimus. Cæterum si in Definitorum, vel Præsidentis Capituli huiusmodi electionibus duos, aut etiam plures, suffragiorum numero pares esse contingat, ille alteri præferatur, quem constiterit, in professionis emissionem, cæteris cum eo concurrentibus, fuisse priorem. Demum præcipimus, suffragia ipsa, tum in præfatis, Præsidentis Capituli, tum in Definitorum electionibus ferenda, non vt antea per cedulas, at verum per fabas, aut ballottas, colore, vel formâ distinctas in pixide secretè præstari. Decernentes nihilominùs ad tollendas perturbationes, & confusiones, quæ in eàdem Congregatione oriri possent, Præsidentis, Capituli, & Definitorum, etiam contra formam litterarum Prædecessoris præfati hactenùs factas electiones, canonicas fuisse, sicque electos legitimè electos extitisse, ac omnia per eos gesta valuisse, & valere, perinde ac si dicta forma in eisdem electionibus exactè obseruata fuisset, prout Nos illa, auctoritate Nostrâ approbamus, & confirmamus, supplentes omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti, & solemnitatum, etiam substantialium defectus, qui in eisdem electionibus quomodolibet interuenerint, aut interuenisse dici, siue quomodolibet censeri poterunt; ac quascunque alitèr, quàm vt præfertur, Præsidens, Capituli, & Definitorum imposterum faciendas electiones nullas, irritas, & inanes esse, præsentesque litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quoquam alio defectu notari, vel impugnari, nec sub vllis reuocationibus suspensionibus, limitationibus, aut alijs cõtrarijs dispositionibus similium, vel dissimilium ordinationum ab ipsâ Apostolicâ Sede, quandocunque; vel quomodocunque emanandis comprehendi, sed semper ab illis exceptas; & quotiès ille emanabunt, totiès in pristinum, & validum statum restitutos, & plenariè reintegratas esse, & censeri, sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiã causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, necnon dictæ Congregationis Protectores in quàuis causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; necnon irritum decernimus, & inane quicquid secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Districtè eiusdem Congregationis Monachis, & personis quàcunque auctoritate fungentibus, & dignitate prædictis; cæterisque ad quos spe ctat, aut imposterum spectabit, tàm coniunctim, quàm diuisim præcipientes, vt præsentes Nostras litteras humilitèr recipiant, & quæcunque in eis expressa, aut quæ per eas statuta, & ordinata sunt, etiam à Nobis desuper non expectatâ iussione, aut mentis Nostræ declaratione, obseruent, & in omnibus illis studiosè obedire procurent; quoscunque contradictores, & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium, vel fauore m publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio præstantes, tàm Ecclesiasticos, quàm Laycos, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; inuocato etiam ad hoc auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus Dietis, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictæ iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris eidem Congregationi, illiusque Superioribus personis, ac eorum singulis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, & in specie concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, cœterisque contrarijs quibuscunque. Denique etiam volumus, quod ipsarum præsentium litterarum exempla etiam impressa Capituli Generalis, vel eiusdem Congregationis Protectoris, aut Præsidentis Sigillo, & Secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata, eamdem illam fidem, vbique locorum in iudicio, & extrà faciant, quam ipsæ præsentes exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimâ Aprilis M. D. LXXV. Pontificatus Nostri Anno tertio. Cæs. Glorierius.

## CONSTITVTIO CCVIII.

### SVMMARIVM.

1575. Iunij 13.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Reuocat omnes licentias ingrediendi Monasteria Monialium, & Monachorum, seu Regularium, concessas mulieribus; prohibet ne habentes licentias ab Episcopis, vel Superioribus Regularibus, ingrediantur Monasteria Monialium, nisi vrgentibus necessitatibus.*

*Ex Impresso.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. Vbi gratiæ, & indulta ab hâc Sede concessa, successu temporis, incommodum afferre noscuntur: expedit illa salubri præsidentis consilio submoueri. Proinde Sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia, quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præsentium reuocamus, & abolemus omnes, & quascunque licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumuis Ordinum, quibusuis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscunque status, & conditionis Mulieribus, ac etiam omnes, & quascunque licentias ingre-

ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscunque viris etiam eiusdem status,& dignitatis tàm à Prędecessoribus Nostris, quàm etiam à Nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut alijs ex quibusuis quantumcunque vrgentibus causis sub quibuscunque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatorijs, reuocatoriarum restitutorijs, alijsque efficacioribus clausulis, irritantibusque & alijs decretis etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumuè Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas: Cassamusque & annullamus litteras desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super quà à nemine, nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, nè ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant. Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac alijs Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur,districtè præcipimus sub eàdem excommunicationis pœnà, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, nè in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam, prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque etiam Mendicantium Regularibus,nè prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantum ex decreto Concilij tribuitur, nè Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neuè Moniales sub eisdem pœnis illos alitèr admittere præsumant. Non obstantibus præmissis,ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus prædictis, ac alijs quibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & dictam Sedem, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis: quibus omnibus eorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxat specialitèr & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Quoniam autem difficilè esset præsentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis manu Notarij publici, & sigillo personę in dignitate Ecclesiasticà constitutę munitis, eandem fidem in Iudicio, & extrà illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ reuocationis, abolitionis, cassationis, annullationis, inhibitionis, præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrū Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Idibus Iunij,Pontificatus Nostri Anno quarto. M. Datarius. Cæs. Glorierius. A. de Alexijs. Registrata apud Cæsarem Secretarium.

*Bull.Casin.Tom.1.*

## CONSTITVTIO CCIX.

### *SVMMARIVM.*

*1575. Aug. vlt.*

*Decretum Sac.Congregationis Concilij Tridentini. Pro Puellis ad educationem admittendis in Monasterijs Monialium de licentiâ Superiorum dictorum Conuentuum,ac etiam Monialium. Quibus Puellis non liceat famulas secum ducere, nec ibidem vltrà vigesimum quintum ætatis annum permanere, neque Clausuram egredi, sicuti Monialibus non licet.*

*Peyrin.Priuil.Reg.fol.261.*

REVERENDISS: D Ex Sacrâ Congregatione Cardinalium Trid:Concil:interpretum,Amplitudinis tuæ nomine quæsitum est. An Puellæ in Monasterijs Monialium, educationis causâ, permanere possint. Ij verò sic censuerunt ad te scribendum. Iamdudum ab eâdem Congregatione statutum esse,nullo Concilij decreto prohiberi,quominùs Puellæ in Monasterijs Monialium educentur, si tamen eadem Monasteria ante Concilium consueuerint huiusmodi Puellas recipere, siq; à Superioribus Monasteriorum scriptam licentiam impetrarint; atq;Abbatissæ, & reliquarum Monialium consensus accesserit. Tum verò,hæc ipsæ Puellæ eo vestitu in Monasteria intromittantur,qui Virginali pudore,ac modestiæ conueniat; nullamq; secum famulam adducant,nec manere in eis possit, nisi vsque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atque in eis dum erunt,eamdem seruent Clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint,nullam habeant ad ea reuertendi facultatem. Proinde Sacra Congregatio his litteris impertiendam tibi hanc facultatem duxit,vt quotiescunque in ista tuâ Ciuitate,& Diœcesi Hieracensi id expedire Amplitudo tua iudicauerit,possit permittere, Puellas in Monialium Monasterio,in quibus piè, & honestè instituantur, introduci;adhibitis tamen conditionibus suprascriptis, & benè in Domino valebit. Romæ die vlt. Augusti 1575. Amplitudinis tuæ vti Frater, Philippus Boncompagnus Cardinalis S.Sixti.

## CONSTITVTIO CCX.

### *SVMMARIVM.*

*1577. Feb. 12.*

## GREGORIVS PAPA XIII.

1 *Definitores Congregationis Casinensis,post biennalem*

*dicti Definitorij administrationem, bieunio vacare decernit, litterasq; Apostolicas Eugenij IV. Leonis X. Adriani VI. abrogat.*

2 *Duos Definitores eiusdem Monasterij professos eodem anno, vel simul esse non posse constituit.*

3 *Definitorem à Capitulo electum eodem anno Visitatorem gerere non posse.*

4 *Visitatores, peracto Visitationis munere, sequenti Capitulo Definitores eligi prohibet.*

5 *Visitatoribus Conseruatores consignare debent mandata exequenda pro bono Congregationis, & singulorum Monasteriorum.*

6 *Conseruatores non eligendos ex Abbatibus, qui Superiori Capitulo, vel anno Definitores, vel Visitatores fuere. Hi acta Capituli, & Visitationum scrutentur, & si quid inuenerint contra Regulam, & Constitutiones facta, rescindant, transgressores puniant; sententiamq; de prædictis proferant in scriptis, proprijs manibus subscriptam, à Præside post acta Capituli publicè legendam. Horum locum post Definitores assignat.*

7 *Decanos, attestatione Visitatorum sex, qui per tres annos eorum Monasteria Visitauerint, eligendos decernit.*

8 *Conseruatorum acta in sequenti Capitulo disquirenda, eorumq; errata per Procuratorem generalem ad Sedem Apostolicam, vel Protectorem deferenda.*

9 *Excommunicationem latæ sententiæ, priuationes, inhabilitatesq; in contrauenientes huic Constitutioni promulgat.*

10 *Derogari non posse præsenti Constitutioni, nisi per tres distinctas Sedis Apostolicæ litteras eiusdem tenoris tribus vicibus eidem Congregationis intimatis, totidemq; ab eàdem receptis. Sublatâ cuicumq; aliàs interpretandi facultate.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Commissum Nobis ex alto regendi militantis Ecclesiæ ministerium, coadiuuante Domino, salubritèr exequi cupientes, circà illa versari libentèr Nos oportere credimus, per quæ Ordinum quorumlibet, Religiosarumq; Congregationũ prospero statui, feliciq; directioni consulatur. Quo fit, vt si noxia quædam in illis, tàm circà vitæ Regularis, quam debitã suorum Prælatorum electionem offendamus, illa, nè in Ordinum, & Congregationum ipsarum detrimentum, & iacturam latiùs serpant, per solertis Nostræ prouisionis remedium ita resecare studeamus, vt deinceps singularum Regularium personarum singulis suis muneribus purè, & laudabilitèr intendentium, omni ambitus dignitatis, & preeminentiæ suspicione semotâ, sui instituti conseruandi, studium Religionis, item zelus, ac deuotionis feruor, moresq; desuper probati, cœteris fidelibus transeant in exemplum, ac exinde gratior Omnipotenti Deo famulatus accrescere dignoscatur. Quod, vt faciliùs succedat, aliqua Congregationũ, & Ordinũ huiusmodi statuta, cõsuetudines, & priuilegia diuersis, diuersâ ratione, tẽporibus emanata, interdum augeri, moderari, & alia condere consultissimum fore summus arbitrati. Nos itaq; animaduertentes, quod à fel. rec. Eugenio Papâ IV. Prædecessore Nostro, Dilectis Filijs Definitoribus Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, ratione sui Definitoriatus Officij, tanta est attributa potestas, vt ipsi statuta, & Constitutiones condere, & ordinare, necnon de ipsius Congregationis Monasterlis, Prioratibus, & locis, eorumq; bonis, ad ipsius tamen Congregationis vtilitatem, disponere, ac eos ex illis Monachis, quos ad id idoneos iudicauerint, in Abbates, & Priores, pro tempore vacantium Monasteriorum, & Prioratuum eligere, & pro libito eorum voluntatis, etiam absq; aliqua causæ cognitione, eos à regimine, & administratione Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi, quibus præfuerint absoluere, destituere, & amouere, aliaq; multa in eiusdem Eugenii Prędecessoris desuper confectis litteris expressâ, facere possint. Quodq; à piæ memoriæ Adriano Papâ VI. etiam Prædecessore Nostro, in hunc vsq; diem, Abbates ipsi Definitores, non alitèr, quam morte preuenti à suo Definitoriatus Officio remouentur, sicq; Congregatio ipsa, veluti iisdem perpetuis administrata Rectoribus continuò gubernatur. Hinc fit, vt Definitores pro suâ huiusmodi perpetuitate conseruandâ, factionibus, aliisq; malis artibus vti, ab omnibus facillimè iudicetur. Nam vbi, qui semel Abbates Definitores sunt electi, Abbatum aliorum vitia dissimulando, & si quæ in medium ab aliis proferantur, ea tuendo, illos ita sibi deuincere nituntur, vt ipsi vota sua, non solum sibi semper deferant, sed alios etiam, vt illud idem faciant hortentur, vrgeant, & prehensent; vtpote, qui amicos secretos, errorumq; suorum fautores, ac defensores perpetuos in Capitulis Generalibus habituros, certo sciãt, sicq; Congregationis ipsius Constitutionibus, Definitores huiusmodi superiores se, vel solutos existimantes, ambitione, aut dominandi auiditate adducti, prauè potiùs imperare velle videntur, quam Regularibus statutis obtemperare. Præterea nonnullorum Monasteriorum, ex quibusdam Prouinciis, satis iustæ quærelæ audiuntur, quod licet ipsorum Abbates non minùs, quam cœteri ad Definitoris Officium debitè, & salubritèr exercendum apti esse videantur, ac perinde, atq; aliarum Prouinciarum Monasteria dictæ Congregationis onera sustineant, ab huiusmodi tamen Definitorum Officij segregentur, & excludantur electione; aut si forsitan quempiam ex eis eligi contingat, is pari perpetuitatis pretextu fretus, sic Monasteriis illius Prouinciæ dominatur, vt in eis nihil, nisi quod ipse solus arbitratur, fieri, aut exequi possit. Quodq; Abbates, Priores, Decani, Cellerarii, & Nouitiorum Magistri, non pro Monasteriorum vtilitate, vel decentia, sed personarum meritis nusquam attentis, pro Abbatum Definitorum huiusmodi liberâ, & forsan deprauatâ voluntate deputentur; hinc fit, vt discordiæ, seditiones, & odia, inter eiusdem Congregationis Monachos, & personas oriri, ac proinde Monasteria ipsa malè administrari sæpènumero contingat, in grauem totius Ordinis, & Congregationis iacturam, vilipendium, perniciosumq; exemplum.

1 Nos igitur perpetuitatem in Definitoriatus Officio Congregationis huiusmodi, veluti prędictorum malorum radicem, hucusq; ab vsu quodam, & corruptelâ, diutiùs, quam par extitit, obseruatâ, penitùs abrogare, & amputare, ac nimiæ auiditatis notam prorsùs tollere; immò concordiam, & vnitatem inter Monachos ipsos stabilire, & confouere; nec non dictæ Congregationis salubriori directione, prouidi Pastoris more, consulere volentes. Motu pro-

propriò, non ad alicuius ipsius Congregationis, vel
alterius pro eâ Nobis super hoc oblatæ petitionis
instantiam, sed de Nostrâ merâ deliberatione; Quę-
cunque Priuilegia, litteras, constitutiones, consue-
tudines, ac indulta etiam Apostolica, & præsertim
dicti Eugenii, Leonis X. & Adriani VI. prædecesso-
rum hactenùs superinde quomodolibet emanata,
quo ad ea dumtaxat, quæ his præsentibus in toto,
vel in parte aliquâ, rationi contrariari videbuntur,
primitus, & ante omnia reuocando, moderando, &
alterando, hæc, quæ sequuntur, perpetuis futuris
tēporibus inuiolabilitèr obseruanda statuta, & ordi-
nationes facimus, atq; cōdimus. In primis videlicet,
Quod deinceps Officiū Definitoriatus Capituli Ge-
neralis dictæ Congregationis, elapso biennio vacet;
itaut, qui Superiori Capitulo Generali Definitores
fuerint, duobus immediatè subsequentibus Capitu-
2 lis Definitores eligi nō possint; 2 Ac vnus tantū, & nō
plures dictum Ordinem in eodem Monasterio pro-
fessi, simul in eodem Capitulo Definitores esse va-
leant. Quoniam autem ipsi Definitores, etiam
Visitatores creari possunt, ac se ipsos quodammodo
eligentes, in officio, & administratione totius Con-
gregationis, ratione sui Visitationis officij, per an-
num perseuerare velle videntur, & accidere posset,
vt ipsi Definitores, & Visitatores pro creandis Ab-
batibus, ac Prioribus, aliisque ipsius Congregatio-
nis, illiusque Monasteriorum officijs demandandis
inter se conuenirent, & paciscerentur, adeo vt hu-
iusmodi Visitatorum electio non ad Congregatio-
nis, ac Religionis profectum, sed Definitorum im-
3 plendam cupiditatem facta, videri possit; 3 Idcir-
co, quod de cætero qui in vno Capitulo fuit Defini-
4 tor, illo anno Visitator esse non possit. 4 Deinde,
cum officium ipsum Visitatoris pro Monasterio-
rum reformatione, & morum correctione institu-
tum esse noscatur, nè hominum malitia, quod
plerumque fit, illud ad proprij affectus executio-
nem, & ad captandos animos Abbatum pro ele-
ctione Definitoriatus, vitia dissimulando, traducere
possit. Quod imposterum, qui superiori anno Visi-
tatores fuerint deputati proximo subsequenti Capi-
5 tulo in Definitores eligi non possint. 5 Vt autem
Visitatores ipsi officium sibi commissum diligen-
tiùs exequantur, nec de ignorantiâ se valeant quo-
modolibet excusare. Quod Definitores Capituli ge-
neralis singulis annis tradant binis quibusque. Visi-
tatoribus cedulam, in quâ descripta sint, non solum
ea, quæ de Visitatoribus dictæ Congregationis Cō-
stitutiones mandant obseruari, sed etiam alia, quæ
ipsi Definitores, tam in genere, quam in specie, ac
particulari cuiusque Monasterij decentia, & vtilita-
te expedire iudicauerint; ad hoc vt de hijs omnibus,
tam Definitores ipsi, quam infrascripti Conseruato-
res, ab eisdem Visitatoribus, adimpleto eorum Visi-
6 tationis officio, possint exquirere. 6 Et nè contin-
gat, vt quibus Regulæ dicti Ordinis, & Congrega-
tionis illorum Constitutionum custodia, atq; exe-
cutio commissa est, cum in maximâ sint potestate,
nisi ex alijs pendeant, ipsi etiam quandoque leges
egrediantur, dissimulent, soluant, obliuiscantur, &
ignorent, nè vllus itâ auctoritate cæteris præstare se
putet, vt aliquid temerè contrà Regulam, & Ordi-
nem huiusmodi audere, & Constitutiones omnibus
propositas impunè violare posit, atque Definitores
officia sua diligentiùs exequantur, cæterique Abba-
tes omnes Regulæ, & Constitutionum omnium
scientiam, & cognitionem ampliorem acquirant,
cum earum rationem alij sint reddituri, alij vero
exacturi. Quod electis, & renunciatis Definitoribus
Capituli Generalis, singulis annis eligantur ab ipsis
Abbatibus de eorum numero (his exceptis, qui supe-
riori Capitulo, Definitores, & illo anno Visitatores
extiterint) in quos plura conuenerint suffragia, quos
Conseruatores Regulæ, & Constitutionum dictæ
Congregationis appellari, ac locum immediate post
Definitores, in Capitulo Generali, habere volumus,
qui superiorum Definitorum, & Visitatorum acta
diligentèr perpendant, scilicet, an iuxtà Regulam, &
dictæ Congregationis Constitutiones, secundum
Dei timorem, ac animarum salutem, & Religionis
profectum omnia administrauerint; quibus ritè in-
spectis, suam desuper sententiam in scriptis redigant,
& singuli eam propriâ manu confirment, & sub-
scribant, in quibus si aliqua reprehensione digna in-
uenerint, pro qualitate culpæ, expressâ causâ, in eos
pœnas decernant. Illorum autem sententiam Præsi-
dens dum absoluitur Capitulum Generale, coram
omnibus legat, & quæ desuper opportuna fuerint
7 exequatur. 7 Insuper, cum Definitores, & Visita-
tores ex Abbatum, Abbates vero ex Priorum, &
Priores ex Decanorum numero eligantur. Quod
posthâc Definitores, aut Visitatores quempiam ad
quamcunque dignitatem, seu officium promouere
aut proponere nequeant, nisi promouendi ipsi à sex
Visitatoribus, qui tribus annis continuis ea Mona-
steria visitauerint, in quibus dicti promouendi habi-
tabant, eo munere seu dignitate, vel officio digni
fuerint iudicati; hinc enim efficietur, vt omnes cu-
iuscunq; gradus Monachi studiosiùs in officio per-
sistant, dum reprobari quisque in mandandis oneri-
8 bus turpiùs ducet, quam præteriri. 8 Tandem, vt
Conseruatores prædicti eò liberiùs, ac maiori curâ,
& sollicitudine officio suo fungantur, quò illius ra-
tionem sibi reddendam fore perpexerint, præter-
quam quod à Definitoribus, & Conseruatoribus se-
quentis Capituli erunt iudicandi. Quod Dilectus fi-
lius modernus, & pro tempore existens dictæ Con-
gregationis Procurator Generalis in virtute Sanctæ
obedientiæ, & priuationis suæ procurationis Offi-
cij, necnon inhabilitatis ad illud, & alia quæcunque
ipsius Congregationis dignitates, gradus, & officia
deinceps obtinenda, aliisque grauioribus arbitrio
Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existen-
tis infligendis pœnis, si aliquos ex Conseruatoribus
præfatis sui muneris oblitos, pręmissorum obserua-
tionem negligere, vel exequutioni debitæ non de-
mandare animaduerterit, eos quanto citiùs poterit
fieri, Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore exi-
stenti, vel ipsius Congregationis Cardinali Prote-
9 ctori denunciare omnino teneatur, & debeat. 9 Di-
strictiùs inhibentes, singulis Abbatibus, Definitori-
bus, Visitatoribus, Conseruatoribus, Procuratori-
bus, Prioribus, Decanis, ac aliis quibuscunque ipsius
Congregationis Monachis, quâcunque dignitate,
gradu, vel præeminentiâ fungentibus, ne sub indi-
gnationis Nostræ, nec non excommunicationis la-
tæ sententiæ, quam contrâfacientes eò ipso incur-
rere volumus, ac prædictis priuationis, & inhabili-
tatis, & alijs etiam grauioribus, Nostro, & Romani
Pontificis arbitrio huiusmodi infligendis pœnis, au-
deant, sinè præsumant quouis prætextu, seu colore,
vel ingenio directè, vel indirectè, per se, vel alium,
seu alios, voluntati, ordinationibus, & statutis, per
præsentes factis, in aliquâ, etiam quantumuis mi-
nimâ sui parte contrariari, aut illorum obseruatio-
nem differre, seu reuocationem, vel annullationem,
aut moderationem aliquo vnquam tempore pro-
curare; quinimmo districtè præcipiendo manda-
mus eisdē quatenùs illâ, vti salubria, & ad felicem,

prosperumque tuæ Congregationis statum, tendentia, recipiant, obseruent, ac penitùs exequutioni de-
10 bitæ demandent. 10 Decernentes statuta, & ordinationes per Nos, vt præfertur facta, & condita, præsentesque literas, sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, à Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus Nostris, quâcunque ratione, causâ, vel intuitu, ac etiam Imperatoris, Regum, ac aliorum Principum instantiâ, vel contemplatione pro tempore emanatis comprehendi, illisque per quascunque literas Apostolicas, etiam quæuis clausulas generales, ac etiam irritantia decreta, sub quâcunque verborum expressione in se continentes derogari, aut derogatum esse censeri, nullatenùs posse, seu debere, nisi earundem præsentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso insertus, & causa vrgens, ac sufficiens expressa, & per trinas distinctas litteras eundem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus dictę Congregationis Capitulo Generali, illiusque Definitoribus, Conseruatoribus, Visitatoribus, & alijs Monachis legitimè intimata fuerit, ac expresè appareat Romanum Pontificem illis expresè derogare velle, & alitèr factæ reuocationes, derogationes, suspensiones, vel alterationes nemini suffragari, ac Definitores, Visitatores, Conseruatores, Abbates, & alij Congregationis Monachi huiusmodi, eisdem litteris derogatorijs reuocatorijs, ac suspensionem, vel alterationem inducentibus, & decretis super illarum processibus, nec non executoribus, subexecutoribus, eorumque mandatis, & monitionibus parere minimè teneri, sed eis firmitèr resistere, & huiusmodi litterarum reuocatoriarum, seu derogatoriarum exequutionem impedire, nec ratione resistentiæ huiusmodi censuris Ecclesiasticis per eosdem executores, & subexecutores innodari posse. Et nè in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios quâuis auctoritate fungentes, & causarum Palatij Apostolici Auditores, seu eorum loca tenentes, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque & inane quicquid secùs super hijs à quoquam, quâuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis prædictorum, illorumq; Monasteriorum, & locorum singulorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis Ordini, & Congregationi singulisque Monasterijs, & locis, nec non Abbatibus, & Definitoribus, Visitatoribus, & alijs Monachis, tam per eosdem Eugenium, Leonem, & Adrianum, quam alios quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, aut etiam contractus, eu quasi, vel aliàs quomodolibet, ex quibusuis causis, etiam motu simili, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon cum quibusuis efficacissimis, & insolitis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam iteratis vicibus in genere, & in specie, etiam consistorialitèr, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, & quocunque tempore largissimo, etiam forsan immemorabili, obseruatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc seruanda foret; illorum tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus comunitèr, vel diuisim à predictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cœterum quia difficilè foret has Nostras ad singula quæque loca, vbi opus esset deferri; Volumus quod illarū exemplis, manu Cardinalis Protectoris, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut etiam eiusdem Congregationis Præsidentis, subscriptis, sigilloque eiusdem Protectoris, siue personæ Ecclesiasticæ, aut Præsidentis huiusmodi obsignatis, eadem prorsus fides, vbique adhibeatur, quæ ipsis originalibus, si exhiberentur, adhibenda esset. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die duodecimâ Februarii, Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Pontificatus Nostri Anno quinto. Cæ. Glorierius.

## CONSTITVTIO CCXI.

### *SVMMARIVM.*

1578. *Iulij* 2.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Cappellanos, seu Vicarios sæculares amouibiles, posse deputari per Monasterium S. Petri de Perusio in proprijs Beneficijs, concedit.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin.*

BEATISS. Pater. Abbas & Monachi Ven. Monasterii S. Petri de Perusio, Congregationis Casinen. humilitèr S. V. exponunt, quod in Sacra Congregatione Concilii Tridentini fuit Superioribus diebus per illius Sacræ Congregationis Illustriss., & Reuerendiss. DD. deputatos statutum de Vicarii perpetuis pro dicto Monasterio S. Petri, vt scilicet seruentur litteræ fel. recor. Pii Papæ Quinti. Quoniam in graue damnum, & detrimentum hoc cederet illius Monasterii, absque vllo augumento, quinimò detrimento cultus Diuini, si exequutioni mandaretur. Nō dubitauit propterea Prcurator generalis Congregationis Casinensis, rem ex integro ad S. V. supplici isto libello referre; humilitèr postulans, vt habeat rationem, non solum, quod Beneficia illa vnita, sunt de Mensa Monachorū, quodq; pro eis soluuntur Quindennia, simulque quo annis quarta pars fructuum Reu. Cam. Apost. Hospitalitasque, Eleemosinæ, atque alia charitatis opera exercentur iuxtà narrata in dictis litteris, sed multò magis, quod post earum litterarum emanationem imposita fuit Congregationibus Regularium à præfato Sanctissimo Subsidium 400000 scutorum; quodq; Beneficia, vt præfertur, vnita ipsi Monasterio sunt numero decem, adeo vt, si in eis duo Monachi ad minus sint de-

deputandi, vt ipsis Illustriss., & Reuerendiss. DD. videbatur, cultus Diuinus in Ecclesiâ Monasterij, maximò cum scandalo, multum minueretur; si vero deputentur Vicarij perpetui ad voluntatem Reuerendiss. Episcopi iuxtà pręfatas litteras, constituendi, sunt ad minus scut. 50. pro quolibet, & sic de Mensâ Monasterij detrahendum ad minus scut. 500. & tamen onera, & solutiones non minuentur. Petit igitur, quâ decet humilitate, & reuerentiâ, vt supradictis de causis, declarare dignetur S. V. posse dictis Ecclesijs deseruiri per Presbyteros sæculares Vicarios ad nutum Superiorum amouibiles, à Reuerendissimo Episcopo approban: cum assignatione honestè portionis, quæ Superioribus Monasterij, & Vicarijs ipsis placuerit. Hodie facto verbo cum Sanctissimo placuit S. Suæ suprascriptam petition. conceden., & ita obseruari, prout hactenùs obseruatum fuit. Videlicet, quod Presbyteri Sæculares Vicarij ad nutum suprascriptorum amouibiles, vt suprà, deputentur, approbati tamen ab Episcopo Ordinario. Io. Cardinalis Moronus Protector. Locus sigilli. Dat. Romæ Transtyberim in Palatio Illustriss. Moroni, die Lunæ secundâ Iunij 1578. Io. Franciscus Sortulus Secretarius præfati Illustrissimi Cardinalis in fidem.

## CONSTITVTIO CCXII.

### SVMMARIVM.

1579. Aprilis 13.

### GREGORIVS PAPA XIII.

1 *Conuentuales sorte electos, & à Monasterio per secreta suffragia confirmatos, vocem actiuam tantū in Capitulo generali Congregationis Casinensis habere, declarat.*

2 *Censuras, & pœnas à Summis Pontificibus statutas contrà facientes Practicas pro Definitorum electione, non afficere eos, qui non ambitus, vel prauæ intentionis causà de idoneitate eligendorum sermonem habent, explicat.*

*Ex Priuil. Cong. Casinen.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum in cunctis rebus ea sit humani iudicij incertitudo, vt nulla prorsus lex, constitutione, maturâ quantumuis consideratione, pio studio componi, & excogitari possit, quin tam propter varietatem, & multitudinem rerum emergentium, in quibus omnis huius sæculi operatio constituta est, plerumq; etiam, quæ Apostolicâ auctoritate fuerint approbata, & confirmata, reformari, & alia de nouo vtilitèr statui, & prouideri, experientia rerum magistra suadeat. Mirum esse nō debet, si quibus præteritis temporibus, etiā à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris consulta statuta fuerunt, ac ex sanioris instructione consilij, cum ea pro Regularium, præsertim à noxijs præseruatione, & feliciori in spiritualibus, & temporalibus incremento, moderari, vel reuocari expedire Nobis constat, in meliùs reformamus; vt Regulares ipsi de virtute in virtutem progredientes, gratiam Diuinam consequi, & ad cœlestem patriam feliciùs peruenire mereantur. Sanè sicut accepimus cum Dilecti Filij Præsidens, Definitores, & Abbates Congregationis Monachorum Casinensium, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, hoc prudentèr considerantes, & paterno zelantes affectu (vt sicuti Congregatio ipsa ab eius primæuâ erectione optimis, & salubribus Institutis, & Constitutionibus, vsq; ad hæc tempora recta, & gubernata fuit; id quoque de cætero omni solerti vigilantiâ, & studio, Gratiâ Diuinâ sibi assistente, eueniat) in eorū vltimo generali Capitulo, nonnullos Prælatos ex gremio eiusdē Cōgregationis deputauerint, qui Cōstitutiones, Ordinationes, Declarationes, & Instituta Regularia dictæ Congregationis exactè inspicerent, & quæ emendatione, correctione, vel additione indigerent, reformare, corrigere, addere, & alia in id opportuna, iuxtà discretionē à Deo Optimo Maximo sibi datam, facere studerent; Prælatiq; ipsi munus sibi iniunctum, promptâ deuotione, suscipientes post maturam Institutionum, & Constitutionum huiusmodi à se habitam examinationem, nonnulla pro quiete, & felici statu huiusmodi Congregationis nupèr ordinauerint, ediderint, & statuerint, aliqua vero iam abrogata innouauerint, & quę emendatione, vel additione, seu mutatione digna, sibi visa fuerint, emendauerint, addiderint, & immutauerint.

1 1 Et præcipuè, quod Monachi Conuentuales nuncupati, quos singuli Conuentus Monasteriorum ipsius Congregationis, cum eorum Prælatis ad Capitulum Generale pro electione illius Definitorum mittere tenentur, de cætero, non sorte duntaxat, iuxtà morem à pluribus annis obseruatum, & dudum à fel. recor. Iulio Papâ II. Prædecessore Nostro, suis in formâ Breuis litteris, Apostolicâ auctoritate, approbatum; sed postquam sorte extracti, & ad id per singulos Conuentus, ad quos spectabit, suffragijs secretis, & aliàs iuxtà formam Ordinationum, vt præfertur, nouitèr editis, approbati fuerint, eligantur. Qui sic extracti, & approbati, & demum Conuentuales electi, cum paci, & quieti ipsius Congregationis plurimum consuli verisimile sit, si in illius precipuis membris constituendis reliquæ partes, quibus mysticum corpus eiusdem Congregationis constat conueniāt; etiam quod ab omni voce actiuâ, & passiuâ in huiusmodi Definitorum electione alijs litteris fel. rec. Clementis Papæ VII. similitèr Prædecessoris Nostri exclusi videantur, vocem in eâ actiuam dumtaxat, & nequaquam passiuam, nè homines noui, & in experti, regimini eiusdem Congregationis admoueantur, & auctoritas Superiorum minuatur, ac licentia delinquendi præbeatur, habeant. Quos quidem Ordines, Statuta, & alia prænarrata, Præsidens ipse, & regimen eiusdem Congregationis per Nos, & Sedem Apostolicam approbari, &

2 cōfirmari summoperè cupiant. 2 Rursus declarationis Nostræ oraculo dilucidari perplexitates, quæ in plerumque huiusmodi Congregationis Abbatibus, & alijs Monachis oriuntur Si excommunicationes latæ sententiæ, & aliæ pœnæ litteris Sanctæ memoriæ Leonis Papæ X. & Prædecessoris Nostri aduersus eos, qui circà Definitorum electionem Practicas per se, vel alios directè, seu indirectè quocunq; tempore fecerint, ab alijsue practicatos, seu alitèr conscios, aut quomodolibet dictorum notitiam habentes, & non reuelantes, inflictæ, afficiant eos, qui tempore celebrationis Capituli Generalis imminente, in sermonibus, quos ad inuicem, cum aliis de negotiis in illo pertractandis, conferre contigerit, non ambitus, vel alicuius alterius improbæ intentionis causâ, sed vt verè ad istud Definitorum Officium eligantur, consilio, & operâ quorum Congregatio

gatio ipsa confidentèr innixa, diuino auxilio, in aduersis operare, atque tranquillitatis tempore in suo statu felicitèr perseuerare possit, explicant liberè, quos idoneos, vel insufficientes ad tale munus obeundum esse existimant. Nos zelum, & studium huiusinodi, tanquam pium, & laudabile, plurimum commendantes, & pro Nostra ergà eandem Congregationem, illiusque Prælatos, & professos vniuersos propensâ voluntate, honesto huic desiderio, quantum cum Deo possumus, benignè annuentes, necnon prænarratarum Iulii, Leonis, & Clementis prædecessorum litterarum ipsorum, tam antiquorum etiam abrogatorum, quam nuper, sic ordinatorum, innouatorum, & immutatorum, ac aliorum premissorum, cæterorumq; de necessitate magis forsan exprimendorum tenores, modos, formas, causas, qualitates, & compendia veriora, ac si de verbo ad verbũ insererentur pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, Cõstitutiones, Ordinationes, & statuta quæcunq; vt præfertur, seu aliàs quomodolibet edita, innouata, emendata, addita, immutata, & reformata, cum omnibus quibusuis inde pro tempore secutis Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, ex certâ scientiâ confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus; supplentes omnes, & singulos iuris, & facti, ac ommissarum solemnitatum quantumuis, etiam substantialium defectus, qui in eisdem quomodolibet interuenerint; illaque valida, & efficacia fore, & esse, & suos plenarios effectus sortiri debere; necnon omnes, & singulos, quos concernunt ad illorũ obseruantiam perpetuò teneri decernimus. Ad serenandas verò dictorum Abbatum, vel Monachorum conscientias, & ab eis, ac alijs quibuslibet omnem prorsùs ambiguitatis scrupulum remouendum, quod per sermones, qui insimul, non ambitus, vel alterius improbæ, sed bonæ intentionis causâ, de idoneitate, vel insufficientiâ ad Definitoriatus Officium eligendorum habiti, vt prefertur, fuerunt, seu quos in futurum habere contigerit supradictas, aliàsque sententias, censuras, & pœnas non incurrerint, aut incurrant, declaramus. Non obstantibus præmissis, ac alijs quibusuis, etiam Apostolicis confirmationibus, constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum statutis, vsibus, naturis, & cõsuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, priuilegijs quoque indultis, ac litteris Apostolicis, etiam prædecessorum huiusmodi in contrarium quomodolibet, sub quibusuis verborum formis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, latissimè derogamus, & cæteris contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die tertiadecimâ Aprilis 1579. Pontificatus Nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO CCXIII.

*SVMMARIVM.*

1579. *Aug.* 13.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardinalium S. Concilij Trid. Interpretũ pro exemptione Monachorũ Monasterij Cauensis sub Congregatione Casinensi, ad interessendum Processionibus.*

*Ex Arch. Casinensi.*

Reuerendo in Christo Patri Abbati Monasterij Sanctiss. Trinitatis de Caua vocati Congreg. Casinen. Reuerende in Christo Pater. Anno præterito, cum diù, & diligentèr in Sacrâ Congregatione Cardinalium Tridentini Concilij Interpretum agitata fuisset controuersia, quæ inter Episcopum Cauensem, ac Monasterium istud Sanctissimæ Trinitatis vertebatur super eo, An illius Monachi ad Processiones euocandi essent. Congregatio censuit euocari non posse, sicut in litteris tunc ad Episcopum datis pleniùs fuit expressum. Cùm autem Congregationi insinuandum proximè curaueris, Episcopum post acceptas illas litteras, à molestijs inferendis non cessare; sed etiamnum infestum Monasterio esse, eamque ob causam supplicaueris exemplum Decreti Congregationis ad te transmitti; quo tù, & cæteri deinceps futuri Abbates, immunitatem vestram tùeri valeretis. Congregatio petitioni tuæ duxit satisfaciendum. Ideò sequitur tenor Decreti.

Die 13. Augusti 1579. Congregatio Generalis censuit. Monachos Monasterij Sanctiss. Trinitatis, non posse ex Decreto Concilij sess. 25. cap. 13. de Regular. cogi ad Processiones; tum quia nullius, tum quia Non possunt dici Exempti, qui nunquam subditi fuerunt. Item propter pactum confirmatum à Sede Apostolicâ, quod non tollitur, cap. 22. De Regular. Vale in Domino. Die 13. Sept. 1580. Tuus ex animo Philippus Boncompagnus, Card. S. Sixti.

## CONSTITVTIO CCXIV.

*SVMMARIVM.*

1579. *Nouembris* 4.

## GREGORIVS PAPA XIII.

*Indulgentiam plenariam concedit Monachis, & personis Congregationis Casinensis singulo die recitantibus Psalmum Miserere, cum Orationibus Deus omnium fidelium &c. & Deus qui inter Apostolicos, &c. vel quinquies Pater Noster, & totidem Aue Maria.*

*Ex Impresso.*

Ioannes, Miseratione Diuina, Episcopus Ostiensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Moronus nuncupatus, & Sacri Collegij Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decanus, Necnon Venerabilis Congregationis Casinen. Monachorum Sanctæ Iustinæ de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti Sedem Apostolicam Protector. Vniuersis, & singulis præsentes litteras inspecturis, lecturis, vel audituris salutem in Domino sempiternam. Fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis attestamur, Qualitèr Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Gregorius, diuinâ prouidentiâ Papa Decimus tertius de Omnipotentis Dei, cuius vices gerit in terris, misericordia, & auctoritate Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum confisus, viuæ vocis oraculo nobis desuper facto, atque iterum confirmato, Omnibus & singulis dictæ Casinen. Congregationis Abbatibus, Prælatis, Prioribus, Decanis, Monachis, Conuersis,

sis, Commissis, Oblatis, Nouitijsque, necnon & Monialibus, quocunque appellentur nomine, sub eiusdem præfatæ Congregationis curâ, & regimine constitutis, præsentibus, & futuris, dum tamen in eâdem, & sub eâdem perstiterint, Qui ad Altare maius, siue aliquod aliud suarum Ecclesiarum, aut alienarum, si in itinere fuerint constituti, vel etiam infirmitate, seu alijs necessarijs negocijs, & occupationibus præpediti, aut præpeditæ, ad particulare sui cubiculi Oratoriũ, debitâ cũ deuotione, ac cordis contritione semel Psalmum Miserere mei Deus &c. cum orationibus, Deus omnium fideliũ pastor, & rector, &c. Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c. Aut si prædicta Psalmum, & orationes nesciuerint, Quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitauerint, singulis diebus, quibus prędicta fecerint, Plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & Indulgentiam misericorditèr in Domino concessit. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes Nostras litteras fieri iussimus, illasque manu propriâ subscripsimus, sigillique Nostri quo in talibus vtimur impressione communiri mandauimus. Datum Romæ in Palatio Nostræ solitæ Residentiæ apud Sanctam Mariam Transtyberim, Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Indictione septimâ, die verò quartâ Mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi eiusdem Domini Nostri Papæ Anno octauo. Ioannes Cardinalis Moronus Protector &c. Ioan. Francisc. Sirtolus Secr.

## CONSTITVTIO CCXV.

### *SVMMARIVM.*

1580. *Sept.* 9.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Monachos Congregationis Casinensis, & eorum ministros à Censuris & pœnis propter Bannitorum receptationem, rerumque Monasterij subministrationem, metu factam, incurrendis, perpetuò eximit.*

*Ex impresso.*

IOANNES Miseratione diuina Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Moronus nuncupatus, & sacri Collegii Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum, & eiusdem S. R. E. Cardinalium Decanus, nec non Venerabilis Congregationis Monachorum Casinensiũ, aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis Sancti Benedicti apud Sedem Apostolicam Protector. Vniuersis & singulis significamus, quod cum Reuerendi & deuoti in Christo Patres Abbates, Priores, & Prælati Montis Casini, aliorumque Monasteriorum & locorum Regularium dictæ Congregationis admodum perplexi, & dubij essent, si ipsi ac Cellerarij, & alij eorundem Monasteriorum, & locorum Regularium Monachi, Conuersi, & Religiosi, censuras & pœnas à diuersis Romanis Pontificibus, & nouissimè litteris Apostolicis à Sanctissimo in Christo Patre, & D. N. D. Gregorio, diuinâ prouidentiâ, Papâ XIII. editis aduersus receptantes, aut quod receptent quoquomodo permittentes, cibisue, & commeatu iuuantes homicidas, & alios facinorosos de capitalibus criminibus, & excessibus Bannitos, exitiosos, vel diffamatos, inflictas incurrerunt, ob cibaria, & alia humana auxilia, quæ ab eis huic exitiali hominum generi subministrare oportuit, & oportet, non quidem voluntariè, sed timore, si illa efflagitantibus denegarent, nè sibi ac Grangijs, prædijs, pagis, possessionibus, & domibus suis in agris apertis consistentibus, ac animalibus quæ retinent, necnon factoribus, custodibus, villicis & ministris, quorum opera vtuntur, ab istorum sceleratorum rapinâ, & violentijs deteriùs contingat: Vehementerque sicut a Patre Procuratore generali eiusdem Congregationis in Romanâ curiâ residente, certiores nuper facti sumus, optarent, vt ipsorum nomine, eidem Sanctissimo D. N. Papæ pro absolutione ad cautelam, à censuris, & pęnis, si quas propterea hactenùs incurrerunt, concessioneque & indulto, quod de cætero aliquas non incurrant, ad serenandas eorum conscientias, & animos, supplicare vellemus. De negotio isto, & vniuersis illius circumstantijs, plenâ, & exactâ relatione a nobis suæ Beatitudini factâ, & pro intercessione gratiæ prænarratarum absolutionis, concessionis, & indulti humilitèr supplicato. Supplicationibus, vt præfertur à nobis sic porrectis, ipse Sanctissimus D. N. Papa benignè annuens, atque eorundem Abbatum, Priorum, Prælatorum & aliorum Religiosorum Congregationis Casinensis angustias, in hoc, paternâ pietate miseratus, suæ viuæ vocis oraculo nobis super pręmissis facto, Illos omnes & singulos, ac eorundem factores, custodes, & alios ministros, quocunque nomine nuncupatos, a quibuslibet sententijs, censuris, & pœnis spiritualibus, vel temporalibus, & præsertim dictis litteris Apostolicis contentis, quas ob receptationem, subministrationem, aliaue præmissa quomodolibet adhuc incurrerunt, aut incurrisse dici possunt, plenariè in vtroque foro, ad cautelam, Apostolicâ auctoritate absoluit, quodque de cætero propterea aliquas non incurrant, aut incurrisse censeri debeant, misericorditer in Domino concessit, & indulsit. Dummodo, non sponte, sed prænarrati timoris necessitate subsistente, præmissa fecerint, & faciant. Voluit insuper quod pęnitentiam salutarem, quam confessor ab eorum singulis eligendus, ob præmissa, sibi iniunxerit, adimplere omnino teneantur. Contrarijs non obstantibus quibuscunque. Mandans vt hac de re, has Nostras patentes litteras confici curaremus, quas manu propriâ à nobis subscriptas per Secretarium Nostrum paritèr subscribi, Sigilliq; nostri appensione obsignari iussimus. Datum Romæ in ædibus nostræ residentiæ apud Sanctam Mariam in Transtyberim, Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo, indictione octauâ, die vero nonâ Mensis Septembris, Pontificatus eiusdem D. N. Papæ Anno Nono. Ioannes Cardinalis Moronus Protector &c. Io. Francisc. Sirtolus.

## CONSTITVTIO CCXVI.

### *SVMMARIVM.*

1581. *Sept.* 13.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardd.*

*Sacri*

*Sacri Concilij Tridentini interpretum Pro iure Monasterij S. Petri de Regio Congregationis Casinensis in institutione, & destitutione Parochi, seu Cappellani pro dicta Ecclesia ad nutum Monachorum facienda.*

*Ex Arch. S. Petri Regiens's.*

REVERENDISSIMO Domino vti Fratri, Domino Episcopo Regiensi. Reuerendissime Domine. In sacrâ Congregatione Cardinalium Tridentini Concilij Interpretum proximè habitâ, proposita fuit causa illa Capellani Ecclesiæ S. Petri Regiensis contrà Monachos Casinense s, vbi deducta fuerunt ea, quæ, tam ad nominationem eiusdem Capellani roborandam, quàm ad eam infringendã, facere videbantur. Itaque illis omnibus diligentèr consideratis, Cardinalium hæc fuit sententia. Ad Abbatem, & Conuentuum spectare nominationem Capellani pro exercendâ curâ in Ecclesiâ Monasterij S. Petri Regiensis, ex Decreto Conc. sess. 25. c. 11. De Regular. Talemque Capellanum approbandum esse ab Episcopo, & ab ipso Abbate remoueri posse ad nutum. Tua igitur Amplitudo, quod officij, ac fidei suæ erit, in exequutionem huius Decreti sedulo aget, & benè in Domino valebit. Romæ Die 13. Septembris 1581. Amplitudinis tuæ vti Frater. Philippus Boncompagnus. Card. S. Sixti.

## CONSTITVTIO CCXVII.

### SVMMARIVM.

1581. Dec. 23.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Declarat facultatem, quam habent Ordinarij, & alij Monialium Superiores ingrediendi earum Monasteria.*

*Bullar. Rom. Greg. XIII. Const. 75.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Dubijs, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo, quod, optimâ primum ratione, Concilium sanxit Tridentinum, deinde in Constitutione fel. record. Pii Papę V. Prædecessoris Nostri Nonis Iulij Pontificatus sui anno tertio, atque item Nostrâ Idibus Iunij, Pontificatus Nostri Anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentiâ non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potiùs seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam. Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore, auctoritate Apostolicâ, declaramus, Prælatos omnes tàm Sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium, quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati. Quocircà vniuersos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis ordinum Abbates, Præpositos, Priores, Ministros, & alios quoscunque Superiores Regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, vt præfertur, necessarijs neutiquam vtantur. Quod si contrafecerint, eâdem auctoritate Apostolicâ statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro primâ vice, quâ contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secundâ à munere Pontificali, & à Diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto, absque aliâ declaratione, excommunicatos existere; Regulares verò, omni officio, ac ministerio priuatos, excommunicationi similitèr subiacere. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus, & Prouincialibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusuis Ecclesijs, earumuè Prælatis, aut Ordinibus in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, quouis modo concessis, approbatis, & innouatis, etiãsi in illis caueretur expressè, quod nemo interdici, suspendi, vel excommunicari posset per litteras Apostolicas non faciẽtes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem; quibus, eorumque totis tenoribus, perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur, specialitèr, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscunque. Quoniam verò difficilè esset præsentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, manuque Notarii publici, ac personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extrà illud vbique locum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 2. Decembris. M.DLXXXI. Pontificatus Nostri Anno decimo.

## CONSTITVTIO CCXVIII.

### SVMMARIVM.

1582. Apr. 20.

### GREGORIVS PAPA XIII.

1 *Conuentuales Congregationis Casinensis, sorte tantum, eligendos, iuxtà antiquum ritum; eosque voce, ne dum passiuâ, verum actiuâ carere in Capitulo generali, decernit.*

2 *Definitores sex, qui Superiori Capitulo generali electi fuerunt à dicto Officio vacare debere, & sic singulo anno faciendum, itaut tres tantummodò ex Definitoribus olim electis in dicto Officio, pro aliorum instructione, possint permanere; alij verò per tres annos vacare.*

3 *Præsidens, elapso suæ administrationis anno, non posse denuo eligi, neque confirmari in eadem administratione. Excommunicationes ipso facto incurrendas,*

*rendas, ac inhabilitates in contrafacientes comminatur.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

GRegorivs Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam plerumque in futurorum euentibus, sic humani fallitur incertitudo iudicij, vt quòd modò attenta consideratio vtile polliceri videtur, sæpè numero contrarium succedere contingat. Mirum non est, si quandoq; quod maturè statui creditur, ex sanioris inspectione consilij, moderationi, atq; correctioni maturiùs subijciatur. Sanè aliàs, postquam, sicut accepimus, pro tempore existentes Præsidens, Definitores, & Abbates Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinę de Paduâ, in eorum Capitulo generali, nonnullos Prælatos ex gremio dictæ Congregationis, qui Constitutiones eiusdem Congregationis inspicerent, & quæ reformatione, & mutatione indigerent, reformare, & mutare studerent, deputauerant, ipsiq; Prælati, vt præfertur, deputati nonnulla ex constitutionibus, & statutis huiusmodi reformauerant, & mutauerant, & alia de nouo ediderant; Ordinantes inter alia, quod de cætero Monachi Conuentuales nuncupati, quos singuli Conuentus Monasteriorum ipsius Congregationis, cum eorum Prælatis ad Capitulum generale eiusdem Congregationis, pro illius Definitorum electiõnem mittere tenentur, non sorte dumtaxat, iuxtà morem à pluribus annis inter eos obseruatum, & à fel. rec. Iulio Papâ II. Prædecessore Nostro, per quasdam ipsius Iulij prædecessoris litteras, Apostolicâ auctoritate, approbatum, & confirmatum; sed etiam quibusdam suffragijs secretis, & aliàs iuxtà formam Constitutionum, & institutorum reformatorum, & mutatorum, & de nouo editorum huiusmodi, eligerentur. Quodq; ipsi Monachi Conuentuales sic electi ab omni voce actiuâ, & passiuâ in huiusmodi Definitorum electione, prout piæ memoriæ Clemens Papa VII. etiam Prædecessor Noster, per alias suas litteras, dictâ auctoritate, constituit, non excluderentur, sed vocem actiuam dumtaxat haberent. Nos piâ consideratione moti Constitutiones, & statuta reformata, & mutata, ac de nouo edita huiusmodi, existimantes illa dictæ Congregationi profutura, per quasdam Nostras in formâ Breuis litteras approbauimus, & confirmauimus, ac postmodum inter alia, quod Officium Definitoriatus dicti Capituli elapso biennio vacaret, ita vt, qui in præcedenti Capitulo generali Definitores fuissent, in duobus immediatè subsequentibus Capitulis Definitores eligi non possent, per aliàs Nostras similitèr in formâ Breuis confectas litteras eâdem auctoritate decreuimus, prout in singulis litteris, ac constitutionibus, ac institutis prædictis pleniùs continetur, & contineri dicitur respectiuè. Cum autem, sicut etiam accepimus ea, quæ circa Monachos Conuentuales, & Officium Definitoriatus huiusmodi reformata, & mutata, ac de nouo edita, nec non per Nos approbata, & confirmata, ac decreta fuerunt, vt præfertur, non prout sperabatur prodesse, sed potiùs obesse reperiantur.
1 1 Nos igitur optimo regimini, & gubernio Ordinis, & Congregationis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, consulere, & felicitèr prouidere volentes, habitâ priùs super hoc cum Venerabilibus Fratribus Alexandro Farnesio Episcopo Ostien. Vicecancellario, dictæ Congregationis Protectore, necnon Iulio Antonio Sanctæ Seuerinæ, tituli Sancti Bartholomæi in Insulâ, & Felice S. Hieronymi Illyricorum de Monte alto, ac Vincentio tituli Sanctæ Sabinæ Iustiniano Presbyteris, & Antonio Sanctæ Mariæ in viâlatâ Carafâ Diacono, nuncupatis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, maturâ deliberatione, omnia, & singula Constitutiones, ac instituta reformata, & mutata, atq; de nouo edita, ac per Nos approbata, & confirmata, ac decreta, Nostrasq; litteras huiusmodi, quo ad infrascripta duntaxat, illis, in reliquis omnibus, & singulis, vt priùs in suo robore permansuris, modo subsequenti moderantes, atque corrigentes. Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ Nostrâ scientiâ perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd in posterum Monachi Conuentuales nuncupati huiusmodi, non eligantur iuxtà reformationem, & ordinationem superinde per dictos Prælatos, vt præfertur, factas, & per Nos approbatas, & cõfirmatas; sed iuxtà morem antiquum aliàs seruatũ, ac à Iulio prædecessore huiusmodi approbatum, & confirmatum, vt præmittitur: ipsique Monachi sic electi, in Definitorũ, & Præsidentis præfati Capituli electione, ac alijs actibus Capituli huiusmodi, voce non solum passiuâ, sed etiam actiuâ penitùs, & omninò careant, ac ab eâdem excludantur, & aliàs iuxtà formam litterarum Clementis VII. prædecessoris
2 huiusmodi. 2 Et insuper, quod sex ex Nouem, qui in præcedenti Capitulo generali Definitores fuerint, tribus immediatè subsequentibus Capitulis Definitores eligi nullo modo possint, sed tres tantum ex illis, qui in præcedenti Capitulo huiusmodi Definitores fuerint, in sequenti Capitulo præfato rursùs in Definitores eligi debeant, vt ab illis vti meliùs informatis de illis, quæ in præcedenti Definitorio gesta fuerunt sufficiens, & vera instructio, ac informatio habere possit. Quorum trium Definitorum electio fiat modo infrascripto videlicet. Quod omnes Nouem Definitores prędicti prædecentis anni, votis Prælatorum huiusmodi subijciantur, & illi tres ex dictis Nouem Definitoribus, qui plura vota, & suffragia pro se habuerint, censeantur in Definitores anni sequentis electi. Datâ autem paritate votorum ille præferatur, qui primò professus fuerit. In reliquorum autem sex Definitorum quolibet anno vltrà præfatos tres creandorum electione, remaneat forma hactenùs obseruata. Volumus autem, quod isti tres Definitores, qui denuò, vt præfertur electi fuerint, similitèr in tribus etiam subsequentibus Capitulis Definitores eligi nullo modo possint, sed reliqui sex tantũ vltimò ingressi, votis Prælatorum, vt proximè dictum est, subijciantur; ad effectum vt tres ex illis in Definitores Capitulo sequenti eligantur.
3 3 Cæterum, quotiescunque euenerit, quod inter illos tres denuò Definitores electos, vt præfertur, existat vnus, qui anno præcedenti ipsius Congregationis Præsidens fuerit, ille non possit aliquo modo esse Præsidens anno sequenti: sed eo casu vnus ex reliquis octo Definitoribus in Præsidentem anni sequentis huiusmodi eligi, & fieri debeat. Districtè eiusdem Congregationis Præsidenti, Abbatibus, Definitoribus, Visitatoribus, Conseruatoribus, Procuratoribus, Prioribus, Decanis, ac alijs quibuscunq; ipsius Cõgregationis Monachis, & personis, quâcunque dignitate, gradu, vel præeminentia fulgentibus, cæterisque ad quos spectat, ac in posterum spectabit, & cuilibet eorum, tàm coniunctim, quàm diuisim præcipientes, sub indignationis Nostræ, necnon excommunicationis latæ sententiæ, quam contrafacientes eo ipso incurrere volumus, ac priuationis, & inhabilitatis, & alijs etiam grauioribus, Nostro, & Romani Pontificis arbitrio infligendis.

gendis pœnis audeant, siue præsumant, seu audeant, vel præsumat quouis prætextu, seu colore, vel ingenio, directè, vel indirectè, per se, vel per alium, seu alios, voluntati, ordinationibus, & statutis per præsentes factis in aliquâ quantumuis minimâ sui parte contrariari, aut illorum obseruationem differre: quinimo districtè præcipiendo mandamus eisdem, quatenùs illa vti salubria, & ad felicem, prosperumq; suæ Congregationis statum tendentia, recipiant, obseruent, & penitùs debitæ executioni demandent; quoscunq; contradictores, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisq; auxilium, consilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio præstantes, tam Ecclesiasticos, quam Laycos cuiuscunq; Dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, vel facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Præsentesq; litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, nec alio quopiam defectu notari, vel impugnari posse; nec sub illis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus similium, vel dissimilium ordinationum ab ipsâ Apostolicâ Sede quandocunque, vel quomodocunque emanandis comprehendi debere, sed semper ab illis exceptas, & quotiès illæ emanabunt, totiès in pristinum, & validum statum restitutas, & plenariè reintegratas esse censeri. Sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, nec non dictæ Congregationis Protectores in quâuis causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari decernimus. Non obstantibus præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis prædictorum, illorumque Monasteriorum, & locorum singulorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs, quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordini, & Congregationi, singulisq; illorum Monasterijs, & locis, necnon Præsidenti, Abbatibus, & Definitoribus, Visitatoribus, & alijs Monachis, tam per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, quam etiam Nos, & Sedem Apostolicam, & consistorialitèr, & per viam generalis, & perpetuæ legis, constitutionis, vel statuti, aut etiam contractus, seu quasi, vel aliàs quomodolibet, ex quibusuis causis, etiam motu, & scientiâ similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum quibusuis derogatoriarum, derogatorijs, alijsque efficacioribus, & efficacissimus, & insolitis clausulis, necnon irritan., & aliis decretis, etiam iteratis vicibus in genere, vel in specie, etiam consistorialitèr, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, & quocunque tempore longissimo, etiam forsan immemorabili obseruatis, etiam de non parendo, vel secundâ, aut vlteriori iussione expectandâ. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, & per trinas, seu alias etiam vlteriores distinctas vices, tribus, seu aliis etiam vlterioribus distinctis vicibus mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs obmisso, & formâ in illis traditâ obseruatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permansuris, quoad supradicta tantum, præsentibus perpetuò valituris, specialitèr, & expressè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterum quia difficile foret, has Nostras ad singula quæq; loca, vbi opus esset deferri; volumus, quod illarum exemplis manus Cardinalis Protectoris, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut etiam eiusdem Congregationis Præsidentis subscriptis, sigilloq; eiusdem Protectoris, siue personæ Ecclesiasticæ, aut Præsidentis eiusmodi obsignatis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus, si exhiberentur, adhibenda esset. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Aprilis M.D.LXXXII. Pontificatus Nostri Anno decimo. Cæsar Glorierius.

## CONSTITVTIO CCXIX.

### *SVMMARIVM.*

1582. *Nouembris* 10.

## GREGORIVS PAPA XIII.

*Itinerantes Monachos Casinenses Missam celebrare posse post mediam noctem, seu ante auroram, indulget.*

*Ex Priuil. Cong. Casinen.*

NOs Alexander, Miseratione diuina, Episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis Farnesius nuncupatus, Monachorum Ordinis Sancti Benedicti de Obseruantiâ Venerabilis Congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Paduâ Protector, Vniuersis, & singulis præsentes litteras nostras inspecturis, lecturis, vel audituris, salutem in Domino sempiternam. Fidem indubiam facimus, & in verbo veritatis attestamur; Qualiter Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster, Dominus Gregorius, diuinâ prouidentiâ, Papa XIII. viuæ vocis oraculo nobis desuper facto, die octauo præsentis mensis, in audientiâ consistoriali, apud Sanctum Petrum, Omnibus, & singulis dictæ Congregationis Casinensis Abbatibus, Prælatis, Prioribus, Decanis, & Monachis, potestatem, & facultatem Missam celebrandi ante auroram, & post mediam noctem, si tamen in itinere fuerint constituti, annuit, & concessit. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes litteras Nostras fieri iussimus, illasque benignè manu propriâ subscripsimus, sigillique Nostri, quo in talibus vtimur appensione communiri mandauimus. Datum Romæ in Palatio Nostræ residentiæ Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Indictione vndecimâ, Die vero X. Mensis Nouembris, Pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Anno vndecimo. Alexander Cardinalis Farnesius Protector. Franciscus Linus Secretarius.

CON-

CONSTITVTIO CCXX.

*SVMMARIVM.*

1582. *Dec.* 15.

GREGORIVS PAPA XIII.

*Carnium esum, etiam in Refectorio, vbi Regularis viget obseruantia, in Monasterijs, in quibus consuetudo est comedendi, concedit Monachis ac Monialibus Casinensibus.*

*Ex impresso.*

ALEXANDER, miseratione diuinâ, Episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis, Farnesius nuncupatus, Monachorum Ordinis Sancti Benedicti de Obseruātiâ Venerabilis Congregationis Casinēsis, aliàs Sanctę Iustinę de Paduâ Protector. Vniuersis & singulis præsentes litteras nostras inspecturis, lecturis, vel audituris, Salutem in Domino sempiternam. Fidem indubiam facimus, & in verbo veritatis attestamur: Qualiter Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster, Dominus GREGORIVS Diuina prouidentia Papa XIII. viuæ vocis oraculo Nobis desuper facto, die primâ præsentis mensis, in audientiâ Consistoriali apud Sanctum Petrum, Monachis omnibus, Monialibusque, & Commissis, ac Oblatis dictæ Congregationis Casinensis, potestatem & facultatem absque culpa, atque peccato carnes comedendi conuentualiter in refectorio, in quo vigere solet obseruantia Regularis, cum lectione tamen, & silentio, in illis Monasterijs dumtaxat, in quibus consuetudo est edendi carnes, benignè annuit & concessit. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium, præsentes litteras Nostras fieri iussimus, illasque manu propriâ subscripsimus, sigillique nostri, quo in talibus vtimur appensione imprimi mandauimus. Datum Romæ, In Palatio Nostræ Residentiæ, Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo Indictione vndecima. Die vero 15. Men. Decembris, Pontificatus eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ Anno Vndecimo. Alexander Cardinalis Farnesius Protector.

CONSTITVTIO CCXXI.

*SVMMARIVM.*

1582. *Dec.* 18.

GREGORIVS PAPA XIII.

*Indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus Monasteria, & Ecclesias Congregationis Casinensis, in Festo S. P. N. Benedicti visitantibus concedit.*

*Ex Impresso.*

GREGORIVS Papa XIII. Vniuersis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris, pia charitate, intenti. Et vt infrascriptæ Ecclesiæ Monachorum, Ordinis Sancti Benedicti de Obseruantiâ, Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduà congruis frequententur honoribus, & deuotiùs visitentur. De Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Omnibus vtriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, qui Sancti Martini Panormitan. Diœc. & Sancti Spiritus de Panormo, Sanctæ Mariæ de Ciambris, Sanctæ Mariæ de Fondrono, Sanctæ Mariæ de Gange, Sanctæ Mariæ Montis Regalis, S. Placidi, Sanctæ Mariæ Magdalenę de Messanâ, Sanctæ Mariæ de Paterno, Sancti Benedicti Castri Villarum, Sanctæ Mariæ Miraculorum, de Andriâ, Sancti Angeli de monte Caueoso, Sanctissimæ Trinitatis Cauæ, Sancti Ioannis de Roccâ, Sancti Seuerini de Neapoli, Sancti Renati de Surrento, Sancti Laurentij de Auersâ, Sanctissimæ Trinitatis, & Sancti Angeli de Caietâ, Sancti Benedicti de monte Casino, Sancti Liberatoris in Aprutio, Sanctæ Annæ de Roccâ Montis Dragonis, Sancti Cosmę de Tagliacozio, Sancti Benedicti de Sacro Specu, Sanctæ Scholasticæ, S. Ioannis de Sublacu, Sanctæ Mariæ in Silice Vallis Montonis, Sancti Pauli de Vrbe, Sanctæ Mariæ de Campo Martio, Sancti Ambrosij de Maximâ, Sancti Manni de Ameliâ, Sanctæ Mariæ militiarum de Tuderto, S. Mariæ de Farfâ, S. Saluatoris maioris, S. Petri de Perusio, S. Apollinaris, S. Margaritæ, S. Catherinæ, S. Margaritæ vulgaritèr Sperandio, S Mariæ Magdalenæ de Perusio, SS. Floræ, & Lucillæ de Aretio, S. Mariæ in Abbatiâ de Florentiâ, S. Mariæ de Boiano, S. Mariæ de Thedaldâ, S. Eugenij de Senis, S. Proculi de Bononiâ, & S. Mariæ in Monte, S. Petri de Mutinâ, S. Petri, & S. Mariæ Magdalenæ de Regio, S. Ioannis Euangelistæ, & S Alexandri de Parmâ, S. Mariæ de Turre clarâ, aliàs de Niue, S. Mariæ Gratiarum Castri de Tertijs, S. Sixti, & S. Hieronymi de Placentiâ, S. Columbani de Bobio, S. Benedicti de Cremonâ, S. Saluatoris, & S. Spiritus extrà muros Papiæ, Monasteriorum Senatoris, & Posterulę, de Papiâ, S. Honorati Insulæ Lerinen: S. Catherinæ, & S. Marthæ de Ianuâ, S. Benigni de capite phari, S. Nicolai de Buschetto, S. Martini de Peio, S. Hieronymi de Siluariâ, S. Iuliani extrà muros Ianuen S. Simpliciani de Mediolano, S. Petri in Glassiate, Monasterij maioris, S. Radegundę, S. Vincentij, & S. Margaritę de Mediolano, S. Iacobi de Pontidâ, S. Pauli de Argon, S. Eufemię, SS. Faustini, & Iouitę, SS. Cosmi, & Damiani, & S. Iulię de Brixiâ, S. Marię de Maguzano, SS. Nazarij, & Celsi de Veronâ, SS. Viti, & Modesti de Calauenâ, S. Iuliani de Alepiâ, Sancti Thomæ propè Corianum, S. Marię de Triniaco, SS. Fœlicis, & Fortunati, S. Petri de Vincentiâ, S. Marię de Prataleâ, S. Iustinę de Paduâ, S. Fortunati de Bassano, S. Saluatoris Montis Silicis, S. Georgij Maioris de Venetijs, S. Marię de Piro, SS. martyrū de Targesto, S. Nicolai de Littore, S. Nicolai de vltrà, S. Marię de Ragusio, SS Omnium de Mantuâ, & S. Ioannis, & S. Benedicti de Padolyrono, S. Bartholomęi de Ast, S. Petri de Sauigliano, S. Marię in monte de Cęsenâ, S. Vitalis de Rauennâ, S. Marię Rotundę, S. Benedicti, & S. Siluestri de Ferrariâ, & S. Marię de Pomposiâ, ac reliquorum locorum dictę Congregationis Ecclesias, seu earum quamlibet die Festo S. Benedicti 21. Martij celebrari soli-

to, à primis Vesperis vsque ad occasum solis eiusdem Festi, singulis annis, in perpetuum deuotè visitauerint, & ibi pro pace inter Christianos Principes conseruandâ, & hęresum extirpatione, ac eiusdem Congregationis conseruatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditèr in Domino concedimus, & elargimur. Pręsentibus in perpetuum valituris. Volumus autem quod pręsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alterius personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutę munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quę ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 18. Decembris. MDLXXXII. Pontificatus Nostri Anno vndecimo. Cæs Glorier.

## CONSTITVTIO CCXXII.

*SVMMARIVM.*

1583. *Ianuarij* 1.

GREGORIVS PA PA XIII.

*Abbatissas Congregationis Casinensis, cæterorumque Ordinum, in administratione Abbatissatus vltrà triennium perdurare prohibet.*

*Bullar. Rom. Greg. XIII. Co 1?. 84.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum Pastoralis officij, quod disponente Domino gerimus, vt ad ea sollicitè intendamus per quę Monasteria, & alia Religiosa loca, præsertim Deo dicatarum Sanctimonialium, secundum Regularis disciplinæ normam regantur, & gubernentur. Perpendentes igitur varia, & multiplicia damna, quibus plerumq; afficiuntur Monasteria Monialium, quæ per Abbatissas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, econtrà verò Abbatissas, & aliàs Præfectas triennales, scientes se, lapso triennio suæ administrationis, rationem esse reddituras, ac sperantes de benè gestis laudem promereri, pœnam verò, si malè gesserint, metuentes; maiori studio, ac diligentiâ regimen, & administrationem Monasteriorum sibi commissorum gerere. His, & alijs rationabilibus causis adducti, hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione statuimus, & ordinamus. Quod de cœtero perpetuis futuris temporibus, in omnibus, & singulis Monasterijs Monialium S. Benedicti, Cistercien. Carthusien. & aliorum quorumcumque Ordinum in vniuersâ Italiâ, & præsertim in vtriusque Siciliæ Regnis consistentibus, quæ nunc per Abbatissas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, & gubernantur, cum primum Abbatissæ, aut aliæ Præfectæ huiusmodi regimini, & administrationi ipsorum Monasteriorum cesserint etiam apud Sedem Apostolicam, vel decesserint, earum Abbatissatus, seu Præfecturas vacare contigerit, Abbatissæ, aut aliæ Præfectæ, non amplius perpetuæ, seu ad vitam (quarum nomen, ac titulum, ex nunc, prout ex tunc, Apostolicâ auctoritate, ex certâ Nostrâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, perpetuò extinguimus, & abolemus) sed triennales tantùm à Conuentu vniuscuiusque Monasterij, & aliàs iuxtà decreta Sacri Concilij Tridentini, & Regularia suorum Ordinum instituta eligantur, & præficiantur; quæ postmodù elapso triennio, suis officijs perfunctæ, præesse desinant, omnique prorsus careant auctoritate, ac à regimine, & administratione Monasterij per triennium, à die finitæ administrationis incohandum, abstineant: quo elapso, seruatâ eâdem formâ Concilij Tridentini, iterùm, & pluriès eligi possint. Districtiùs inhibentes omnibus, & singulis dictorum Monasteriorum Conuentibus, Superioribus, & personis, aliquam Abbatissam, aut aliam præfectam perpetuam, seu ad vitam, sed triennalem tantùm, eligere, & præficere vllo modo audeant, vel præsumant. Quod si secùs à quoquam, quàuis auctoritate fuerit attentatum, electionem, & præfectionem huiusmodi, ac omnia, & singula, quæ inde sequentur, irrita, nulla, & inania, nulliusque roboris, vel momenti fore, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, quàuis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublatà eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quàuis causâ, & instantiâ iudicari, & definiri debere decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Monasteriorum, & Ordinum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Monasterijs, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrariu m quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, eorum tenores, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterum, quia difficilè foret præsentes Nostras ad singula, quæque loca, vbi necessarium fuerit, deferre, volumus quod illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die Prima Ianuarij 1583. Pontificatus Nostri Anno Vndecimo.

## CONSTITVTIO CCXXIII.

*SVMMARIVM.*

1583. *Apr.* 15.

GREGORIVS PAPA XIII.

1 *In Decanos Cong. Casinen. eos fore eligendos, quos sui Prælati & Visitatores idoneos iudicauerint, absq; trinâ eorundem approbatione.*

2 *Procuratorem Generalem ab onere deferendi Conseruatorum errata ad Sedem Apostolicam, vel ad Procuratorem.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

GREGORIVS Papa XIII. Dilectis filiis Præsidēti, Definitoribus, & Abbatibus, Cōgregationis Monachorum Casinensium aliàs S. Iustinæ de Paduà Ordi-

Ordinis S. Benedicti. Dilecti filii salutem, & Apostolicã benedictionem. Cum sicut Nuper Nobis exponi fecistis licet aliàs fuerit statutũ in generali Capitulo etiã per Nostras literas in formâ Breuis sub datum. Die 12. Februarii 1577. confirmato, vt ad dignitates, seu officia, nullus ex dictis Monachis promoueriri possit, nisi trinâ Visitatorũ approbatione præuiâ. Tamen postea, experientiâ compertum sit, expedire, vt huiusmodi statutum immutetur, & reformetur. In generali Capitulo, vltimo loco celebrato statutum & ordinatum fuit, prætermisso prædictæ approbationis modo, & formâ, Definitores eos tantum promouere curent, qui à suis Prelatis simul etiam, & à Visitatoribus digni fuerint iudicati, ob meritum vitæ laudabilis, sapientiæque doctrinam, non autem eos, qui per ambitionem se ingerunt. Super hoc tam ipsorum Prælatorum quã Visitatorum conscientiam onerando. Quarè pro parte Vestrâ Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt statutum, & ordinationem, seu reformationem huiusmodi, Apostolicâ auctoritate approbare, & confirmare aliasque in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos, licet, non solum prædicti Præsidens, & Capitulum generale facultatem habeant nouas ordinationes faciendi, vigore præteritarum Constitutionum, & in Institutionum nouitèr æditarum, & per Nostras litteras in formâ Breuis sub Datum die 13. Aprilis 1573. confirmatarum; sed etiã Nouem Definitores iuxtà formam debitam electi, totum capitulum repræsentantes, pro salubri ipsius Congregationis successu statuta, Constitutiones, & Ordinationes, ac omnia & singula, quæ in spiritalibus, & temporalibus ipsius Congregationis, ac prædictæ Regulæ statum, obseruantiam, & indemnitatem, nec non circa Diuini Officii directionem, & ordinationem, absque tamen ipsius Regulæ variationis substantiæ, vel effectus, interpretationem, seu declarationem quomodolibet concernentes, poterunt, auctoritate prædictâ Instituendi, Ordinandi, Interpretandi, declarãdi, nec non ea, quæ sic Instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto, vel in parte, prout rerum, & temporum qualitates exegerint, amouendi, alterandi, & in meliùs commutandi, plenam, & liberam in omnibus habeãt facultatem, iuxtà litteras in formâ Breuis re. me. Eugenii IV. prædecessoris Nostri, sub Dat. Romæ Nono Cal. Decemb. 1432. zelum, & studium huiusmodi, tamquam pium, & laudabile plurimum commendantes, & pro Nostra ergà eamdem Congregationem, illiusque Prelatos, & professores vniuersos propensâ voluntate, honesto huic desiderio, quantum cum Deo possumus, benignè annuentes. Nosque omnes, & singulos à quibuluis excommunicationis, suspẽsionis, & interdicti, aliisq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quàuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodati existitis, ad effectũ presentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutionem, ordinationem, & statutum predictum de Monachis ad Officia, seu Dignitates à Prælatis, & Definitoribus, vt præfertur, approbatis, promouendis, in vltimo Capitulo generali prædicto, vt præfertur, editum, & innonatum, emendatum, immutatum, & reformatũ, Apostolicâ auctoritate, tenore presentium, ex certâ scientiâ, confirmamus, & approbamus; supplentes omnes, & singulos iuris, & facti, ac ommissarum solemnitatum, quantumuis etiam substantialium defectus, qui in eo quomodolibet interuenerint; illudque validum, & efficax fore, & esse, & suos plenarios effectus sortiri debere decernimus. 2 Ad exonerandam etiam conscientiam Dilecti Filii moderni, & pro tempore existentis dictę Congregationis Procuratoris Generalis, licet aliàs per Nostras litteras predictas in formâ Breuis, sub Dat. die XII. Februarii M.D.LXXII. statutum fuerit, quod Procurator Generalis dictę Congregationis, pro tempore existens, in virtute S. Obedientię, & priuationis suę Procurationis officii, necnon inhabilitatis ad illud, & alia quęcunq; ipsius Congregationis dignitates, gradus, & officia, deinceps obtinendum, aliisq; grauioribus, arbitrio Nostro, & Romani Pontificis, pro tempore existentis, infligendis pœnis, si aliquos ex Conseruatoribus, sui muneris oblitos, obseruationũ contentarum in dictis litteris in formâ Breuis, negligere, vel executioni debitę non demandare animaduerterit, eos quantociùs fieri poterit, Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, vel ipsius Congregationis Cardinali Protectori denunciare omninò teneatur, & debeat. Nihilominùs considerantes plurima, & grauia onera, ad quę prefatus Procurator, pro dictâ Congregatione tenetur, & quod istud est munus particulare Conseruatorum dictę Congregationis, pro tempore existentium, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, de Apostolicę potestatis auctoritate, & plenitudine, Dilectũ Filium modernum, & pro tempore existentẽ Procuratorem generalem dictę Congregationis ab huiusmodi onere eximimus, & liberamus, & huiusmodi onus Dilectis Filiis modernis, & pro tempore existentibus Conseruatoribus dictę Congregationis relinquimus; quorum conscientiam in hoc oneramus. Non obstãtibus pręmissis, & quibusuis Nostris litteris, & aliis quibusuis Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Congregationis predictorum statutis, vsibus, naturis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliã roboratis; priuilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis, etiam Prædecessorum Nostrorum huiusmodi in contrariũ quomodolibet sub quibusuis verborum formis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, latissimè derogamus; cæterisq; contrariis quibuscunq;. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Aprilis M.D.LXXXIII. Pontificatus Nostri Anno 11. Cæsar Glorierius.

## CONSTITVTIO CCXXIV.

### SVMMARIVM.

1585. *Nouemb.* 30.

### SIXTVS PAPA V.

*Abbates Congregationis Casinen. perpetuò omnium Christifidelium confessiones audire, & eos à peccatis absoluere posse concedit.*

*Ex Impresso.*

ALEXANDER Farnesius, Miseratione diuinâ Episcopus Ostiensis Sacri Collegij Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum, S. R. E. Cardinalium Decanus, Cardinalis Farnesius nuncu-

nuncupatus, & eiusdem S. R.E. Vicecancellarius, Necnon venerabilis congregationis Monachorum Casinensium, aliàs S. Iustinæ de Paduà, Ordinis S. Benedicti Protector. Vniuersis & singulis has Nostras inspecturis fidem indubiam facimus, & in verbo veritatis attestamur. Qualitèr Sanctissimus in Christo Pater, & D.N.D.Sixtus Diuinà prouidentià Papa V. in audientià Consistoriali die 15. pręsentis mensis, Nobis recensentibus pręstantes, & nūquam satis laudatas vitę regularis, & morum exēplarium dotes, necnon doctrinę congruentis abundè sufficientiam, quibus omnibus Reuerendi Patres Abbates eiusdem Congregationis, Dei Opt. Max. beneficio insigniti esse comperiuntur ornati, Apostolicà auctoritate, omnibus, & singulis Abbatibus ipsius Congregationis Casinensis, tàm nunc quàm in futurum existentibus perpetuò, etiamsi ab Archiepiscopis, Episcopis, alijsuè locorum ordinarijs, ad id examinati, & approbati non fuerint viuę vocis oraculo suę Beat. hàc de re nobis specialitèr, & expresè facto benignè annuit, & concessit: vt Christifidelium quorumuis vtriusque sexus, tàm laycorum, quàm Clericorum ad eos spontè quandocunque accedentium, Confessiones diligentèr audire, necnon ipsos (postquam ore confessi fuerint, & corde contritos esse adinuenerint) ab omnibus, & singulis eorum peccatis, & excessibus, si id humilitèr petierint, quemadmodum alij Catholici Sacerdotes Confessarij examinati, vt prefertur, & approbati possunt, misericorditèr in Domino absoluere, & pro commissis, & erratis, pœnitentiam salutarem ipsis iniungere possint, & valeant. Nobis quoque iniungens, vt hàc de re nostras patentes litteras huiusmodi confici curaremus. Quas in fidem præmissorum manu proprià subscriptas per Secretarium Nostrum paritèr subscribi, sigillique nostri appensione muniri. Datum Romæ in Palatio Nostrę Residentię apud S Laurentium in Damaso sub Anno à Natiuitate Domini 1585. Inditione 13. die verò 30. Mensis Nouembris, Pontificatus eiusdem S.D.N.Sixti Papę Anno primo. A. Card. Farnesius Protector. Franciscus Linus Secretarius.

## CONSTITVTIO CCXXV.

### SVMMARIVM.

1586. Apr. 1.

### SIXTVS PAPA V.

*Decretum Capituli generalis Congregationis Casinensis pro numero votorum, seu suffragiorum in electione Præsidentis, & Definitorum à Scrutatoribus perpetuò secreto seruando, sed tantummodo electione publicanda, confirmat. Constitutionemque Gregorij XIII. de anno 1475. die 10. Aprilis datam, in hàc parte abrogat.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

IO: Franciscus Gambarà, Miseratione Diuinà, Episcopus Præn estinus, & S. R. E. Cardinalis. Vniuersis, & singulis, notum facimus, & in verbo veritatis attestamur, quod Sanctiss. in Christo Pater, & Dominus Noster D.Sixtus, diuinà prouidentià, Papa V. Supplicationibus nostris, vice Illustrissimi, & Reuerendissimi in Christo Patris Domini Alexandri Farnesij eâdem miseratione Episcopi Ostiensis, & Sacri Collegij Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium S. R. E. Cardinalis Decani, necnon Venerabilis Congregationis Monachorum Casinensium, Ordinis S.Benedicti apud Sedem Apostolicam Protectoris. Pro parte dictæ Congregationis sibi humilitèr porrectis, benignè annuit, eiusque viuæ vocis oraculo Nobis super hoc facto, Confirmauit decretum Capituli Generalis eiusdem Congregationis celebrati in Monasterio S.Petri Perusij de Mense Maij proximi præteriti; statuens, & mandans, vt de cœtero perpetuis futuris temporibus in electione Pręsidentis, & Definitorum ij tantummodo publicentur à Scrutatoribus, qui maiorem præ cœteris numerum votorum habuerint, ad effectum, vt electi sint, & esse censeantur, iuxtà prædictæ Congregationis Constitutiones ad munus, & officia Præsidentis, & Definitorum obeunda, & quot vota in huiusmodi Scrutinijs quilibet habuerit secretum semper apud Scrutatores omninò permaneant. Nō obstantibus litteris in formà Breuis fel: rec: Gregorii Papæ XIII. quibus in hàc parte tantum, in suo tamen robore aliàs permansuris latissimè derogauit. Cœterisque contrariis quibuscunque. Nobis expressè iniungens, vt præmissorum omnium testimonii causâ patentes litteras concederemus. Has igitur manu proprià Nostrâ subscriptas à Secretario itidem Nostro subscribi, sigillique Nostri appensione obsignari mandauimus. Datum Romæ in Palatio Nostræ residentiæ sub Anno a Natiuitate Domini M.D.LXXXVI. Indictione quintâ 1. Mensis Aprilis, Pontificatus eiusdem S. D.N.Sixti Papæ V. Anno primo. Io: Franciscus Cardinalis Gambarâ Episcopus Prænestinus.

## CONSTITVTIO CCXXVI.

### SVMMARIVM.

1586. Maij 7.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR.DD. Cardinalium, qui negotijs Episcoporum, & Regularium Præfecti sunt. Renuens postulationi Commissorum Congregationis Casinensis de Professione solemni emittenda.*

*Ex Impresso.*

ADMODVM Reuerendis Patribus Casinatibus, in Capitulo Generali congregatis. Admodum Reuerendi Patres. Cum actum esset apud Illustrissimos Patres (qui Regularium causis cognoscendis præfecti sunt,) de Professione qua in Ordini vestro Commissi facere postulauerant. Re diligentèr perpensâ, in eam sententiam ierunt Patres, vt Commissi antedicti manentes in vocatione, quà vocati sunt, in eâdemmet vitæ ratione, quàm à principio (iuxtà Ordinis vestri Regulam instituerant) deinceps quoque perseuerent. Id, quando ad vniuersam Casinatem familiam pertinet, pro mea ergà illam perpetuà charitate compertum vobis esse volui. Valete in Domino, & vestris apud ipsum me precibus iuuate. Romæ 6. Non. Maij M.D.LXXXVI. Vti frater A. Cardinalis Carafa.

CON-

## CONSTITVTIO CCXXVII.

SVMMARIVM.

1586. Aprilis 6.

SIXTVS PAPA V.

*Abbati Casinensis Monasterii, eiusque in spiritualibus Vicario literas Dimissorias pro Ordinibus suscipiendis à quocumque Episcopo, suis Clericis saecularibus concedere posse, indulget.*

*Ex Archiuio Casinensi.*

SIXTVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Totis desiderantes affectibus, vt Monasteriorum, & Ecclesiarum quomodolibet status, prout Apostolicæ seruitutis Officio astringimur, salubritèr dirigatur, libentèr illa concedimus, per quæ status huiusmodi de bono in meliùs, laudabilitèr augeatur. Cum itaque celebre Monasterium Sedi Apostolicæ immediatè subiectum in Monte Casino Ordinis S. Benedicti, Nullius Diœcesis Prouinciæ Capuanæ, plures habeat Ciuitates, Terras, & Oppida in quibus iurisdictionem temporalem, & spiritualem exercet; Et quia confidimus Abbatum pro tempore existentium in eligendis, & approbandis idoneis Deo Ministris, timoratam conscientiam, discretum iudicium futurum. Motu proprio, non ad illorum, vel aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex merà deliberatione, & ex certà scientià Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; Abbatibus, qui pro tempore Monasterio Casinensi huiusmodi præfuerint, illorumq; in spiritualibus Vicariis Generalibus, vt eorum subditis sæcularibus existentibus, scilicet intrà fines proprios Terrarum, quæ pro maiori parte ad radices Montis Casini positæ, Terræ Monasterij, siue Abbatiæ nuncupantur Litteras Dimissorias, tàm pro Clericali charactere, ac Minoribus, quàm pro alijs, etiam Presbyteratus, Ordinibus à quocunque maluerint ex Episcopis vicinis eidem Monasterio, etiam si non sit proximior, suscipiendis, concedere possint, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, plenam, & liberam licentiam concedimus, & facultatem, eisq; paritèr indulgemus. Nos tamen licentiam, & facultatem ad eos, qui in Diœcesi sunt alicuius Episcopi, etiam si Abbatum iurisdictioni in spiritualibus, & temporalibus alioquin subsint, nullatenùs extédi, sed horum omnium Ordinationem ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, omninò pertinere volumus præuijs tamen litteris testimonialibus Abbatis Casini, vel eius in spiritualibus Vicarij. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus, constitutionibus, & ordinationibus, statutis quoque, & consuetudinibus Monasterij, & Ordinis præfatorum iuramento confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 6. Augusti 1586. Pontificatus Nostri Anno secundo. Tho. Thoma: Gualterutius.

## CONSTITVTIO CCXXVIII.

SVMMARIVM.

1587. Apr. 29.

SIXTVS PAPA V.

*Archiuium generale in Vrbe erectum supprimit, missionemque inuentariorum pro bonis Ecclesiasticis ad dictum Archiuium abrogat. Inuentaria tamen prædicta à singulis Ecclesiasticis confici infra annum à die inchoatæ administrationis, eaque in loco tuto, ac clauso asseruari mandat.*

*Ex impresso.*

SIXTVS Papa V. Motu proprio &c. Prouida Romani Pontificis circumspectio, reuocat interdum, iustis suadentibus causis, atq; abrogat ea, quæ licet ab initio vtilia fore viderentur, vsus tamen, & experientia docet nimium incommodi, nimium difficultatis, molestiæ, aut perturbationis afferre. Quod nuper in erectione Archiuij generalis Ecclesiastici, in quo omnia inuentaria rerum, bonorum, ac iurium, & scripturarum pertinentium ad Ecclesias, & pia loca per vniuersam Italiā constituta recondere, & in Palatio Nostro Apostolico asseruare meditabamur, rei ipsius difficultas satis apertè monstrauit: Ideoq; ne ipsis personis Ecclesiasticis minimè necessario labore, curâ, & impensâ in conficiendis huiusmodi inuentarijs, & ad Venerab. Fratrem Nostrum Iulium Cæsarem Episcopum Triuentin. qui nuper à Nobis Archiuista generalis deputatus fuerat, deferendis, seu mittendis, consignandis, & præsentandis molestiam, aut grauamen aliquid inferamus, seu conquerendi occasionem præbeamus, & quod ad commodum, & vtilitatem Ecclesiarum efficere nitebamur, ex hoc ipso contrarius consequatur effectus; aliâ ratione commodiùs conseruationi inuentariorum huiusmodi per complures locorum Ordinarios in suis Diœcesibus, sine impensâ cuiuspiam iampridem consultum esse intelligentes, sicuti nuper audiuimus, quòd in multis Ecclesijs, & locis huiusmodi Archiuia antiquitùs instituta reperiuntur, & in nonnullis Italiæ Prouincijs per Archiepiscopos, Episc. aliosq; Prælatos, & locorum Ordinarios, in visitationibus ordinarijs, seu generalibus, quas in suis Ciuitatibus, Diœcesibus, Districtibus, & Prouinciis ordinaria, vel alia auctoritate faciunt, inter alia omnium bonorum mobilium, & stabilium, iurium, censuum, & redditeuum, ad singulas Ecclesias, & quæcunque Beneficia Ecclesiastica, quas, & quæ visitant spectantium inuentaria, & instrumenta conficere solent, & in eorum Curijs asseruant: Idemque, & à reliquis etiam Episcopis, & Prælatis per Italiam constitutis, haud magno incommodo, labore, & negotio fieri posse sperantes, & alijs rationabilibus de causis, atque ad publicam quietem, & commodum vniuersi Cleri Sæcularis, & Regularis totius Italiæ erectionem, & institutionem, tàm Archiuij generalis Ecclesiastici, quàm ipsius Officij Archiuistæ generalis, necnon constitutionem, & deputationem dicti Iulij Cæsaris Episcopi in Archiuistam generalem, ac litteras Apostolicas desuper confectas, processusq; habitatos per easdem, ac

ac edicta illarũ vigore, tàm in Rom. Cu. quàm extrà eam promulgata, atque in litteris, & edictis huiusmodi contenta, & inde secuta quæcunque, Motu simili, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuò reuocamus, cassamus, abrogamus, irritamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti, fore, & esse, viresque, & effectum de cætero non habere, ac pro cassis, irritis, & nullis, perinde, ac si ab initio non emanassent, haberi, neminemque ad illorum obseruationem vnquam teneri, cogi, vel compelli, neque propter non paritionem, censuras, aut pœnas Ecclesiasticas in litteris Nostris, ac in edictis ipsius Iulij Cæsaris Episcopi super institutione dicti Archiuij editis, contentas, aut vllas aliàs incurrisse, vel incurrere; neque ad executionem dictarum Nostrarum litterarum procedi posse decernimus, & declaramus; Officiumque ipsius Archiuij, & Archiuistæ generalis, ac illius nomen motu, & scientiâ, & potestatis plenitudine similibus perpetuò supprimimus, & extinguimus. Mandantes vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, alijsque Prælatis, & Præsidentibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Vniuersitatum, Collegiorum, & Præceptoriarum maiorum, ac similium Ecclesiasticarum, Dignitatum quocunque nomine censeantur, Sæcularium, & quorumuis Ordinum, ac Militiarum Regularium, Nobis, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, siue nullius sint Diœcesis, siue aliàs quomodolibet exempta existant, dum tamen ordinariã in subditos, aut quasi Episcopalem iurisdictionem, de iure, consuetudine, aut priuilegio habeant, aut exerceant, per Italiam constitutis, vt loco Archiuij generalis Ecclesiastici, sic per Nos suppressi, ipsi, & eorum vnusquisque, qui hactenùs inuentaria huiusmodi non confecerunt, debeant omninò intra annum, à die quo præsentes Nostræ ad eorum notitiam peruenerint, omnium, & quorumcunque bonorum immobilium, censuum, canonum, liuellorum, prouentuum annuorum, iurium, iurisdictionum, ac priuilegiorum, & scripturarum, quæ eis, eorumque arbitrio annotatione digna videbuntur, ad Ecclesias, Monasteria, Collegia, Vniuersitates, Præceptorias, maiores, & dignitates, quibus ipsi respectiuè præsunt, pertinentium, & in quorum possessione existunt inuentaria diligentèr conficere; & deinde quicunque eorum in regimine, seu administratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Vniuersitatum, & Præceptoriarum maiorum, seu in dignitatibus huiusmodi successores fuerint, similitèr intra annum, à die habitæ possessionis similia inuentaria de nouo conficere, seu renouare teneantur. Curent præterea sine vllâ impensâ, grauamine, exactione, aut solutione suorum subditorum per omnes, & singulos, qui vel eorum iurisdictioni quomodolibet subiecti sunt, vel in eorum Ciuitatibus, Diœcesibus, & districtibus respectiuè existunt, etiamsi exempti, & pariter Nobis, ac dictę Sedi immediatè subditi esse noscuntur, Abbates, Præpositos, Priores, Vicarios, Guardianos, Abbatissas, Priorissas, & cuiuscunque Ecclesiæ, vel pij loci Sæculares, vel Regulares, & alios quocunque titulo, & nomine præfectos vtriusque sexus, bona stabilia, iura, census, redditus, & prouentus quomodolibet possidentes, cæterasque personas Ecclesiasticas qualcunque dignitates, personatus, administrationes, vel officia, aut Beneficia Ecclesiastica, cum curâ, & sine curâ Sæcularia, & quorumuis Ordinum Regularia, in quibusuis Ecclesiis, seu ipsas Parochiales, aut alias Ecclesias, in titulum, vel commendam, aut aliàs quomodolibet obtinentes; Præceptores quoque minores, & alij qui Beneficia, quarumcunque Militiarum obtinent; denique per omnes, & quoscunque Administratores, Rectores, Custodes, Officiales, Operarios, & quocunque nomine nuncupatos Superiores, quorumcunq; Hospitalium, Sodalitatum, Confraternitatum, Seminariorum, Montiũ Pietatis, Collegiorum, Studiorum generalium, Fabricarum Ecclesiarum, & piorum, vel Religiosorum locorum, etiam quæ per Laycos, seu Clericos coniunctim, vel diuisim regi, aut gubernari solent, per modernos quidem intra eundem annum, vt præfertur, eorum verò singulorum pro tempore successores, etiam intra annum, vt dictum est, inuentaria huiusmodi bonorum, ac aliorum supradictorum, quæ eorum curæ, seu administrationi commissa sunt, similitèr accuratè, & diligenter confici, & ad se deferri, eosque, ad id per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia sibi beneuisa cogant, & compellant. Ac demum inuentaria omnia prædicta, tam à seipsis, quàm ab alijs confecta, similitèr gratis, & sine vllâ etiam minimâ impensâ, aut exactione, in loco congruo, ad id deputato, ac tuto, & benè clauso reponant, atque perpetuò custodiant, & conseruent; laudabilemque hanc consuetudinem, vbi iam viget prosequantur, vbi verò non est, quamprimum introducant. Cum autem ipse Iulius Cæsar Episcopus, in Nostram, & Sedis Apostolicæ subuentionem summam tredecim millium scutorum auri iam persoluerit, & quasdam aliàs pecunias intra certum tempus soluere promiserit; Nos, qui pro obseruatione omnium, quæ in dictis nostris litteris super dicti officij erectione, institutione, & concessione expeditis, certa tunc expressa, & taxata emolumenta, ex eodem Archiuio prouentura, & ab ipsis personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, locisque pijs exigẽda, eidem Officio Archiuij, & dicto Iulio Cæsari Episcopo, ac pro tempore existenti Archiuistæ applicauimus, & appropriauimus, & pro obseruatione omnium, quæ in eisdem litteris continentur, ac pro securitate, & cautelâ eiusdem Iulij Cæsaris Episcopi, nedum dicta emolumenta, sed omnia, & quæcunque Cameræ Apostolicę iura, res, & bona, in eius fauorem, ex causâ, & titulo onerosò, atque in vim validi, & efficacis contractus vltrò, citroque obligatorij inter Nos, sedemque Apostolicam, ac dictam Cameram, ex vnâ, & Iulium Cæsarem Episcopum, ex altera partibus, solemnitèr initi, iurati, & stipulati, etiam in ampliori eiusdem Cameræ formâ, sub certis modo, & formâ, tunc expressis, obligauimus, & hypothecauimus; ac deinde volentes eidem Iulio Cæsari Episcopo, nè quid propterea detrimenti patiatur opportunè prouidere; Venerabili Fratri Nostro Io. Antonio, Episcopo Tusculano S. Georgij, ac Dilectis filijs Nostris Michael. S. Marię supra Mineruam Alexandrino, Iulio Antonio Sancti Bartholomæi in Insulâ Sanctæ Seuerinæ & Antonio SS. Ioannis, & Pauli Carafæ, nuncupatis Titulorum Presbyteris Cardinalibus, dedimus in mandatis, vt vel restitutione pecuniarum, ab eo, vt præfertur solutarum, seu quâcunque aliâ commodiori ratione, quam incundam esse censuerint, eiusdem Iulij Cæsaris Episcopi indemnitati consulant, eique super præmissis satisfieri curent: ex nunc Motu, & potestatis plenitudine similibus rescindimus, annullamus, ac omni prorsus effectu, & viribus carere decernimus, omnes, & quoscunque contractus, scripturas conuentiones, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in formâ Cameræ, ac iuramento, & quauis alia firmitate roboratâ, inter nos, & dictam Cameram,

meram, seu pro ea dilectos filios Thesaurarium, seu Commissarium Nostros, & eiusdem Cameræ generales, aliosue ministros, quâcunque auctoritate suffultos ex vnâ, & eundem Iulium Cæsarem Episcopum, eiusue Procuratorem, ex alterâ partibus, de anno proximè præterito, siue alio veriori tempore inita, & stipulata, literasque Nostras prædictas super huiusmodi assignatione, applicatione, appropriatione, obligatione, & hypothecatione confectas, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatorijs, aliisque fortioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, vel aliàs quomodolibet concessas, etiam si in eis caueatur expresse, quod per Nos, & successores nostros, sedemq; Apostolicam, intrà certum tunc expressum, nec dum elapsum tempus de Officio Archiuistæ prædicto, eiusque emolumentis, per Nos, & successores Nostros, sedemque Apostolicam, ex quâuis causâ disponi, nullo modo possit, nec debeat, etiam si illud, quomodolibet interim vacare contingat, nisi priùs integrè satisfacto ipsi Iulio Cæsari Episcopo, eiusq; hæredibus, vel cessionariis de precio prædicto; Quòdque dicta Camera ad conseruandum indemnem Iulium Cæsarem Episcopum ac de pecuniis, & redditibus eiusdem Cameræ, omnia detrimenta, damna, & impensas ei reficienda efficacitèr obligata sit, & teneatur. Quibus omnibus specialitèr, & expresse derogantes, tam Nosmetipsos, & successores Nostros Romanos Pontifices, & Cameram Apostolicam, quàm eundem Iulium Cæsarem Episcopum, Nostraque, & dictæ Cameræ, ac illius bona, iura, & redditus respectiuè ab obseruatione, & vinculis contractus, conuentionum, pactorum, obligationum, & hypothecarum huiusmodi prorsùs eximimus, & totalitèr liberamus, & neque illum ad obseruationem eorum, quæ præmissorum occasione Nobis, & dictæ Cameræ promisit, neque nos, ac dictam Cameram ad alia in illius fauorem promissa adimplenda, vllo vinculo, aut obligatione teneri, aut cogi, vel compelli posse; neque ex præmissis ciuilem, aut naturalem obligationem, actionem, exceptionem, aut aliquod iuris, vel facti remedium oriri, sed ipsum Iulium Cæsarem Episcopum, & quoscunque ab eo causam habentes, satisfactione, & assignatione, ei per dictos Cardinales concedenda, contentum esse, atque illi acquiescere, & omni, & quâcunque appellatione, reclamatione, & recursu postpositis, stare debere, neque quicquam aliud, etiam prætextu grauissimæ, & enormissimæ læsionis à Nobis, ac successoribus Nostris, & dictâ Camerâ aliaue personâ, petere, exigere, & prætendere posse, præsentemque Nostrum Motum proprium, ac desuper conficiendas litteras, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, etiam ex eo quòd in manifestum præiudicium eiusdem Iulij Cæsaris Episcopi, & sine illius consensu emanauerint, aut alio quouis defectu notari, vel impugnari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduersus illas aliquod iuris, vel gratiæ remedium impetrari non posse, sed illas perpetuò validas, & efficaces fore, ac perpetuâ roboris firmitate subsistere, sicque per quoscunque &c. etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublatâ &c. irritum &c. decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac Nostrâ de non tollendo iure quæsito, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque, &c. Quibus omnibus illorum tenores, &c. Motu simili latissimè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque, cum clausulis opportunis, & consuetis.

Fiat Motu proprio F.

Et quòd tenores dictarum Nostrarum litterarum super Archiuij prædicti erectione, institutione, & Iulij Cæsaris Episcopi in Archiuistam constitutione, & deputatione, necnon super assignatione, applicatione, appropriatione emolumentorum, ac super obligatione, & hypothecatione iurium, ac redditiuum Cam: ad eius fauorem confectarum, necnon contractuum, scripturarum, pactorum, conuentionum, obligationum, instrumentorum, inter ipsum, & Cameram, seu Thesaurarium, vel Commissarium prędictos initorum, processuumque habitorum, & edictorum, ab eodem Iulio Cæsare Episcopo promulgatorum, aliorumque præmissorum habeantur pro expressis, ac ad verbum plenè, & sufficientèr insertis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in litteris, & de perpetuis reuocatione, cassatione, abrogatione, irritatione, annullatione, decretis, declaratione, suppressione, extinctione, mandato, rescissione, exemptione, liberatione, alijsque præmissis, quæ hic pro sufficientèr ad partem repetitis habeantur, vt suprà latissimè extenden. in litteris cum clausulâ. Ad perpetuam rei memoriam, super præmissis in simul, vel ad partem si videbitur expedien. etiam cum decreto, quòd præsentium sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, tam in iudicio, quàm extra illud, ac in Romanâ Curiâ, & extrâ eam Regulâ contrariâ, non obstan: ; quodque idem Motus proprius, seu litteræ in Camerâ Apostolicâ, omnino registrentur. Fiat F. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, tertio, Kal. Maij, Anno secundo. Ad Vulcanium. Die octaua Iunij, 1587. præsens cedula Motus proprij, ex decreto Cameræ, maturâ deliberatione præhabitâ, facto in eâdem Camerâ admissa fuit, & registrata penès me Notarium infrascriptum; libro secundo diuersorum S. D. N. fol. 24. Stephanus Latinus.

Bull.Casin.Tom.I.

## CONSTITVTIO CCXXIX.

### SVMMARIVM.

1588. Febr. 17.

### SIXTVS PAPA V.

*Regulares in Collatione propriarum Ecclesiarum Parochialium Concursum indicere non teneri, neq; Episcopos indicere posse; sed tantummodò Rectores ab eisdem Regularibus electos, ab Episcopis approbandos, fore decernit.*

*Ex Collect. Priuil. Apostol. Roderic. Sixti V. Const. 22.*

SIXTVS Papa V. ad futuram rei memoriam. Ex iniuncto Nobis desuper, Apostolicæ seruitutis officio, ad ea, quæ pro Ecclesiarum, præsertim regularium personarum quiete, & tranquillitate, statuta, & declarata sunt, fouenda, & quantum in Nobis est, conseruanda, libentèr intendimus, vt omnium querelarum, & litium occasionibus amputatis, liberiùs Creatori Nostro, iuxtà laudabilia eorum statuta famulentur. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum, Generalis, Abbatum, & aliorum Superiorum, Congregationis Ordinis S. Benedicti, in Portugalliæ, & Algabiorum Regnis Apostolicà auctoritate instituta, Nobis expositum fuit,

Quod licèt aliàs per Dilectos Filios Nostros, S.R.E. Cardinales, super declaratione, & interpretatione Decretorum Concilij Tridentini deputatos, in eorum congregatione fuerit declaratum, Parochialium Ecclesiarum, & Regularium Beneficiorum, quibus animarum curà incumbit, necnon Vicariarum etiam perpetuarum Monasterijs, & alijs Regularibus locis, etiam perpetuò vnitarum, quæ Regularibus personis conferri, siuè per sæculares Præsbyteros, & perpetuos Vicarios regi, & gubernâri consueuerunt, vacatione pro tempore occurrente, minimè licere locorum Ordinarijs edicta proponere, & examen per Concursum, iuxtà Concilij Decretum, Sessione 24. cap. 18. facere: sed satis tunc esse, vt Regulares quidem personæ, Ecclesijs prædictis præficiendæ, à dictis locorum Ordinarijs examinentur, & approbentur, sæculares verò in Vicarijs, & alijs Beneficijs prædictis instituendi à Superioribus Regularibus prædictis nominentur: examen autem, & approbationem, ad dictos tantùm Ordinarios, iuxtà felic: record: Pij Papæ Quinti Prædecessoris Nostri, constitutionem pertinere. Nihilominùs nonnulli ex dictorum locorum Ordinarij præfatorum Regnorum, declarationi huiusmodi minimè, vt par esset acquiescentes, & Decretorum dicti Concilij verba, ad eorum sensum, & voluntatē trahentes, Abbates, & alios dictæ Congregationis Superiores, in præmissis inquietare, & desuper molestare, ac eorum iuribus priuare nō verentur. Quarè Nos, honestis, & iustis huiusmodi precibus inclinati, oportunum præmissis remedium adhibere volentes, declarationi prædictæ inhærentes, eamque, harum serie, approbantes, & confirmantes, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, in Regnis prædictis consistentibus, præcipimus, & mandamus, vt Parochialibus, & alijs Ecclesijs, in quibus per dictæ Congregationis Fratres animarum cura exercetur, & Vicarijs etiam perpetuis Parochialium Ecclesiarum, in quibus pro earum curà sæculares Clerici deputari consueuerunt, Monasterijs, & aliis locis Congregationis eiusdem perpetuò vnitis, pro tempore vacantibus, edicta proponere, & concursum iuxtà dictum Concilii Decretum (quod de sæcularibus Ecclesiis tantùm intelligendum est) minimè de cœtero facere præsumant, sed Regulares Ordinis, & Congregationis præfatæ, ac sæculares Clericos ab eiusdem Congregationis Abbatibus, & aliis dictorum Monasteriorum Superioribus, iuxtà dictam Constitutionem Pii V. debito tempore nominandos, si ab ipsis idonei reperti fuerint absque edictis, & aliorum Concursu, in Parochialibus Ecclesiis, & Vicariis præfatis admittāt, & instituāt, prout Nos admittendos, & instituendos esse, decernimus, & statuimus. Insuper etiam volumus, & iuxtà eiusdem Concilij dispositionem, & mentem, statuimus, & mandamus, quod in Parochialium Ecclesiarum, & Beneficiorum curam animarum habentium, quæ de eiusdem Ordinis, & Congregationis, iurepatronatus ecclesiastico extiterint, & sæcularibus Clericis conferri consueuerunt, earum vacatione, quandocunque occurrente, quamuis per dictos Episcopos ad concursum, & examen admitti possint, alij vltrà eos, qui per eiusdem Congregationis Abbates, & alios Superiores patronos erunt, nominari, nequeat tamen per eosdem Episcopos, si ad eos institutio, & non ad alium pertineat, institui, & ordinari, nisi illi tantùm qui inter approbatos, & ab examinatoribus, idoneos repertos, ab eiusdem Ordinis, & Congregationis Prælatis, patronis, & digniores, & magis idonei iudicati, & pro institutione recipienda, eisdem Episcopis præsentati fuerint. Quod si institutio, non ab ipsis Episcopis, sed ab alijs fuerit facienda, tunc quidem soli Episcopi, ex dignis digniorem eligere debeant, sed non ante, ab eo, ad quem spectat, institui possint, quam ab eisdem patronis, ei fuerint præsentati: sicque in præmissis per eosdem, & alios quoscunq; Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, in quâuis causâ, & instantiâ sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, quicquid secùs super his, à quoquam, quâuis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, statutis quoque, & consuetudinibus Ecclesiarum, & Monasteriorum præfatorum iuramento, confirmatione Apostolicâ roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Februarii 1588. Pontificatus Nostri, Anno tertio.

## CONSTITVTIO CCXXX.

### *SVMMARIVM.*

1588. *Februarij 27.*

### SIXTVS PAPA V.

1 *Gregorij XIII. Constitutionem, quoad Definitorum electionem reuocat, eosdemque Definitores, semper eligi posse, ac durare, declarat.*

2 *Eamdem Gregorij Constitutionem in reliquis confirmat.*

3 *Visitatores in Definitores vno, eodemque anno, nec plures in eodem Monasterio professos simul Visitatores, vel Definitores eligi posse prohibet.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

Sixtvs Papa V. Dilectis filijs Præsidenti, Definitoribus, Abbatibus, Prælatis, & Regimini Congregationis Casinensis. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Ea est humanarum, rerum publicarum præsertim, vicissitudo, & naturalis quædam conuersio, vt vno, & eodem statu diutiùs esse nō possint, quo fit, vt, nec mirum videri debet, si cum in tali dispositione versatur, incerta item, atque anceps humani acies ingenij, perfectam rationem non assequatur, quin etiam vni parti, dum studet esse prosperum, multis incommodasse, plerumque
1 deprehendatur. 1 Significatum sanè Nobis fuit pro parte vestrâ, quòd aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII. Prædecessor Noster, litteris suis in formâ Breuis, sub Datum Romæ die 12. Februarij, Pontificatus sui Anno quinto, pro Conggregationis vestræ salubriori regimine, & præcipuè Capituli Generalis directione, quædam reformauit, & innouauit, & inter cœtera, Quod Officium Definitoriatus Capituli Generalis, elapso biennio vacaret, ita vt qui Superiori Capitulo Generali Definitores fuissent,

sent, duobus immediatè sequentibus Capitulis Definitores eligi non possint. Quod quidem cum experientià ipsâ compertum esset, eam vtilitatem, & quietem Religioni vestrę non afferre, quam sibi ipso ab initio persuasit; Idem postea alijs litteris suis in formâ Breuis, sub Datum Romæ die 20. Aprilis, Pontificatus sui Anno decimo, priores moderando, declarauit, quod sex ex nouem, qui in præcedenti Capitulo Generali Definitores eligi nullo modo possunt, sed tres tantùm ex illis, qui pręcedenti Capitulo huiusmodi Definitores fuerint, in sequenti Capitulo rursus in Definitores eligi debeant, & quod isti tres Definitores sic de nouo, vt prefertur, electi, similitèr in tribus etiam subsequentibus Capitulis Definitores eligi nullo modo possint, & prout in dictis litteris latiùs continetur. Verum cum vsus ipse vos docuerit, neque hâc ratione satis consultum esse optimo Congregationis vestrę regimini, quia plurima exinde incommoda prouenire, ea pręsertim de causâ, quod peritiores, vt plurimum, & in Congregationis negotijs exercitatissimi necessariò pretereãtur, & electi, Magistratus illius, vt par esset, auctoritatem, & decus sustinere vix possint. In Capitulo verò Generali proximo pręterito, re inter vos maturè perpensâ, atque contractâ, in eam sententiam frequentissimè conuenistis, vt electionem Definitorum Capituli Generalis tunc demum saluberrimam fore iudicaueritis, si libera vnicuiusque vestrum relinquatur facultas, quos voluerit ex Prælatis habentibus vocem in Capitulo Generali, eligendi: Cùmque Nobis supplicari humilitèr feceritis, vt in præmissis opportunè prouidere de Apostolicâ benignitate dignaremur. Nos zelum, & studium vestrum plurimum considerantes, & pro Nostrâ ergà Congregationem vestram propensâ voluntate, honesto huic desiderio benignè annuentes, necnon prænarratarum Gregorij Prædecessoris litterarum tenores, & formas, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, sententiam huiusmodi vestram electionis Definitorum approbantes, Apostolicâ auctoritate, ex certâ nostrâ scientiâ, tenore pręsentium statuimus, vt in posterum perpetuis futuris temporibus libera sit vnicuique vestrum facultas, quos idoneos iudicauerint, ex Prælatis habentibus vocem in Capitulo ad Officium Definitoriatus eligendi, nullâ habitâ ratione, quòd in vno, alteroue Capitulo Generalibus præcedentibus successiuè fuerint Definitores, quodque triennio non vacauerint.
2 Non obstantibus præfatis Gregorij Prędecessoris litteris, quibus in hâc parte dumtaxat illis, quoad alia in eis contenta in suo robore permansuris, harum serie specialitèr, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque.
3 Volumus autem ad omnem opportunitatis suspicionem, quod nec Visitatores, in Definitores vno, & eodem anno, nec plures in eodem Monasterio Professi, simul Visitatores, & Definitores eligi possint vnquam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 27. Februarij, M.D.LXXXVIII. Pontificatus Nostri, Anno tertio.

## CONSTITVTIO CCXXXI.

### SVMMARIVM.

1588. Apr. 13.

### SIXTVS PAPA V.

*Illegitimos Congregationis Casinensis antę Constitutionem dicti Sixti emanatam contrà Illegitimos Regularium, promotos ad dignitates, ad alias etiam maiores habilitat, secùs autem nondum promotos.*

Bullar. Casin. Tom. I.

SIxtvs Papa V. Ad futuram rei memoriam. Quoniam in proximè celebrando Capitulo Generali Congregationis Casinensis, à nonnullis reuocari posset in dubium, an Illegitimi, existentes in possessione obtinendi gradus, honores, & dignitates huius Congregationis, de cœtero valeant, propter quãdam Nostram perpetuò valituram Constitutionem 6. Kalend. Decembris Pontificatus Nostri Anno tertio contrà dictos Illegitimos editam, gradus, honores, & dignitates obtinere. Nos omnem de animis Monachorum prædictæ Congregationis ambiguitatem remouere, ac vnumquemque meritis honoribus attolli cupientes, tenoremque dictarum litterarum præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus Venerabilis Fratris Nostri Alexandri Episcopi Ostiensis Cardinalis Farnesij nuncupati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij, qui dictæ Congregationis Protector per Sedem Apostolicam deputatus est, hàc in parte inclinati; Harum serie declaramus omnes, & singulos dictæ Congregationis Monachos Illegitimos, qui tempore emanatæ Constitutionis præfatæ in possessione obtinendi gradus, honores, dignitates, & officia huiusmodi erant; in eàdem suà possessione manutenendos, & conseruandos esse, illaque, necnon etiam maiores gradus, & dignitates eiusdem Congregationis potuisse, & posse consequi, obtinere, & exercere, perindè ac si dicta Constitutio non emanasset, nec in eàdem Constitutione compræhendi. Illos verò, qui licèt ante huiusmodi Constitutionem professi, nullum officium, aut dignitatem habuerunt, dictæ Constitutioni subiacere, sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios, quàuis auctoritate fungentes sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secùs super his, à quoquam quàuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari decernimus. Non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die 22. Aprilis 1588. Pontificatus Nostri Anno tertio. Tho. Thom. Gualterutius.

## CONSTITVTIO CCXXXII.

### SVMMARIVM.

1588. Iuly 20.

### SIXTVS PAPA V.

*Constituit, quod inuentaria bonorum, & annuorum introituum Congregationis Casinensis, cœterarumque Congregationum non Mendicantium deferantur ad Archiuia Monasteriorum suorum in Vrbe existentium, ibiq; perpetuò conseruentur, & custodiantur.*

*Ex impresso.*

SIxtvs Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Regularium personarum pro commisso Nobis Officio quieti consulere cupientes, ad ea remouenda,

quæ Religiosum eorum propositum impedire possunt curam Nostram libentèr impendimus. Et si equidem Nos nuper ex certis rationabilibus causis ad publicam quietem,& commodum vniuersi Cleri Sæcularis, & Regularis totius Archiuij generalis Ecclesiastici, atq; Officii Archiuistæ generalis erectionem,creationem, institutionem, & deputationē de persona Venerabilis Fratris Iulij Cęsaris Episcopi Triuentin. in Archiuistam generalem anteà per Nos factas,litterasq; Apostolicas desuper confectas, & inde secuta quæcunq;Motu proprio, & ex certâ scientia,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuò reuocauerimus,officiumque ipsius Archiuij, & Archiuistæ generalis, ac illius nomen perpetuò suppresserimus,& extinxerimus: Mandantes vniuersis,& singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,Episcopis,Abbatibus,alijsque Prælatis, & Præsidentibus Ecclesiarum,Monasteriorum, Vniuersitatum, Collegiorum, Præceptoriarum maiorum, ac similium Ecclesiasticarum dignitatum, quocunque nomine censerentur Sęcularium,& quorumuis Ordinum, & Militiarum Regularium Nobis, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum per Italiam constitutis, vt loco Archiuij generalis Ecclesiastici huiusmodi ipsi,& eorum vnusquisque,qui hactenùs inuentaria huiusmodi non confecissent, deberent omninò intra annum à die, quo Nostræ litteræ desuper confectæ ad eorum notitiam peruenissent omnium,& quorumcunq; bonorum immobilium, censuum,canonum, liuellorum, prouentuum annuorum,iurium,iurisdictionum, priuilegiorum, & scripturarum,quæ eis,eorumque arbitrio digna annotatione viderentur,ad Ecclesias,Monasteria,Collegia,Vniuersitates,Præceptorias maiores,& Dignitates,quibus ipsi præessent pertinentium, & in quorum possessione existerent, inuentaria diligentèr conficere, & deinde quicunq; eorum in regimine, seu administratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Vniuersitatum, & Præceptoriarum Maiorum,seu in Dignitatibus huiusmodi successores forent similitèr intra annum à die habitæ possessionis similia inuentaria de nouo conficere, seu renouare tenerentur, curarent prætereà sine vllâ impensâ,grauamine, exactione, aut solutione suorum subditorum per omnes,& singulos, qui vel eorum iurisdictioni quomodolibet subiecti essent, vel in eorum Ciuitatibus, Diœcesibus, & districtibus existerent,etiam si exempti,ac Nobis,& dictæ Sedi immediatè subditi esse noscerentur Abbates, Præpositos,Priores,Vicarios,Guardianos, Abbatissas, Priorissas,& cuiuscunq; Ecclesiæ Pij loci Sæculares, vel Regulares, & alios quocunque titulo, & nomine Præfectos vtriusq; sexus bona stabilia, census, iura, redditus, & prouentus quomodolibet possidentes intra dictum tempus inuentaria huiusmodi bonorum,& aliorum supradictorum similitèr accurratè, & diligentèr confici,& ad se deferri, eosq; ad id per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia sibi beneuisa cogerent, & compellerent, & demum inuentaria omnia prædicta in loco congruo ad id deputato,ac tuto, & bene clauso reponerent, prout in cedulâ Motus proprii manu nostrâ signatâ, cuius solam signaturam sufficere voluimus, pleniùs continetur. Cum autem, sicut accepimus, Dilecti Filii Fredianus Cremonensis Congregationis Lateranensis, & Dauid Paduanus Casinensis, necnon Iosephus Neapolitanus Carthusianorum, ac Petrus de Bagnacauallo Camaldulensis, & Barnabas Riccobonus Montis Oliueti, ac Laurentius Vrbeuetanensis Sancti Petri ad Vincula, & Stephanus Leone Crucifferorum, ac Marcus Antonius Pozzonaus Sancti Saluatoris de Lauro Sancti Georgii in Algâ Venetiarum Congregationum Procuratores generales, qui sua peculiaria Archiuia rite ordinata, & à suis Visitatoribus singulo quoque anno reuideri solita habent multas, & magni momenti difficultates in consignatione suorum inuentariorum per eas iam formatorum locorum Ordinariis, & aliorum præmissorum executione fienda inuenerint. In primis etenim Monasteria dictarum Congregationum multa bona in terris ditioni Principum Sæcularium subiectis possident, quorum nonnullorum tituli propter bella, incendia, ac temporis diuturnitatem non satis elucescunt,& verendum est,nè,dum illorum scripturæ diuulgantur,graues lites, & controuersiæ suscitentur,ita vt bona Ecclesiastica fiant Laycalia,idemque contingere potest in nonnullis eorum bonis, quæ, seu eorum maior pars industriâ Religiosorum aucta,meliorata,& ad culturam redacta fuerunt, quorum confinia similitèr propter temporis diuturnitatem incerta sunt. Ad hoc, publicatio scripturarum huiusmodi suscitabit antiquas prætensiones, quæ locum apud Sæculares,nullâ præscriptionis ratione habitâ facilè,obtinebunt. Prætereà hæc scripturarum consignatio libertati Congregationum Sedi Apostolicæ immediatè subiectarum, & propter multas prætensiones, quas locorum Ordinarii in bonis Religiosarum personarum habent, magnum ipsis Regularibus præiudicium est allatura. His deniq; accedit, quòd Congregationes prædictæ in Terris Dominio Principum Sæcularium subiectis existentes ijsdem legibus viuunt, ac in nonnullis locis,vt plurimum postpositis legibus Pontificijs, & Imperialibus,iuxtà statuta,particularia viuitur. Nos huiusmodi incommodis,ac litibus,& expensis, quæ inde verisimilitèr nasci possunt, obuiare, ac indemnitati Religiosarum personarum consulere cupientes,ac dictarum litterarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu simili, non ad dictorum Procuratorum,aut alicuius eorum,aut aliorum pro eis Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed de merâ deliberatione, ac scientiâ certâ Nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Congregationibus præfatis, ac earum Abbatibus,Præpositis,Prioribus,Vicariis, necnon Abbatissis,& Priorissis, & quibusuis aliis personis quacunq;auctoritate,& dignitate, ac officio fungentibus,vt inuentaria omnium, & quorumcunq; bonorum immobilium, censuum, canonum, liuellorum, prouentuum annuorum,iurium, iurisdictionum, ac priuilegiorum, & scripturarum suorum Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum Regularium,quatenùs nondum confecerint,debeant omninò intra annum à die,quo præsentes litteræ ad eorum notitiam peruenerint, conficere, illaq; etiam confecta ad Archiuia Monasteriorum suæ Congregationis in Vrbe existentium deferri, & inibi perpetuò custodiri,& conseruari facere,liberè,& licitè,& absq;vllo censurarum,aut pœnarum in dictis litteris comminatarum incursu valeant, Apostolicâ auctoritate,tenore præsentium perpetuò concedimus, & permittimus: Nec eas, aut earum aliquam ad reponenda inuentaria prædicta in locis per dictas litteras designatis teneri,aut obligatas esse, seu censeri, nec ad id cogi,seu compelli sub censuris, aut pœnis præfatis posse,aut debere volumus. Inhibentes omnibus,& singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopi, alijsq;maiori dignitate fungentibus in quorum videlicet Ciuitatibus,Diœcesibus, & distri-

strictibus ipsæ Congregationes existunt, in virtute S. Obedientiæ, & sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum suspensionis pœna, nè dictas Congregationes, ac earum personas Abbates, Priores, Præpositos, Vicarios, Abbatissas, & Priorissas, & aliàs quascunque personas super confectione inuentariorum, & illorum delatione, aliisque præmissis ratione facultatis sibi per dictas litteras attributæ, aut aliâ quâcunq; ratione, seu prætextu molestare, perturbare, vel inquietare audeant, seu præsumant. Ac decernentes præsentes litteras nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius, vel controuersiam reuocari non posse, nec debere. Sicq; per quoscumq; Iudices, & Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbiq; iudicari, ac diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenùs per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque firmitèr obseruari, contradictores, quoslibet, ac rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, ac pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus litteris prædictis, ac omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, & decretis, quæ, quoad dictas Congregationes omninò reuocamus, cassamus, & annullamus, ac fel. recor. Pii Papæ Quarti Prædecessoris Nostri de registrandis gratiis interesse dictæ Cameræ concernentibus in libris eiusdem Cameræ infrà certum tunc expressum tempus, ac nostrâ de non tollendo iure quæsito, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, ac sigillo suæ Congregationis munitis, ac manu Notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Datum Romę apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 20. Iulii 1588. Pontificatus Nostri Anno Quarto. Tho. Thom. Gualterutius.

## CONSTITVTIO CCXXXIII.

### SVMMARIVM.

1588. *Nouembris* 13.

### SIXTVS PAPA V.

*Præcipit Festum SS. Placidi, & Sociorum Martyrum celebrari, & in Calendario Romano reponi, Et concedit Indulgentiam pro visitantibus Ecclesiam Sancti Ioannis Baptistæ Messanen. vbi eorum Corpora inuenta fuerunt.*

*Bullar. Rom. Sixti V. Const. 88.*

SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dominus omnipotens, qui suauitèr cuncta disponit, misericordiarum Pater, & Deus totius consolationis, SacroSanctam eius Ecclesiam precioso Vnigeniti Filij sui Sanguine acquisitam, & in Apostolicæ Confessionis Petra solidatam voluit nedum inter mundi aduersa, & turbines Sanctis Martyribus, quasi fortissimis propugnatoribus tueri, verum eorundem gloriosis tropheis ita in dies illustrari, vt non modo illi fœlicissimas de impijs persequutoribus, & Christianæ Fidei hostibus in hoc sæculo victoriâ reportando, candem propagarent, sed mox ad æternam ipsi cœlestis Patriæ beatitudinem euecti, piè apud Deum intercedendo, illam, vel maximè iuuarent, ac perpetuo iuuent. Vnde nõ immeritò, Sacræ eorum Reliquiæ, & eorumdem passionum, monumenta in terris relicta, Christianum populum ad laudandam in eis Diuinam Maiestatem, ad eorum salutaria exempla imitanda, ad rerum humanarum, & prætereuntis huius sæculi despicientiâ, ad eorum denique opem, & patrocinium in tribulationibus, & necessitatibus inuocandum, mirum in modum excitant. Inter hos vero, ipsos, quos Martyrij corona donatos, Catholica inuocat, & veneratur Ecclesia, merito insigni honore celebranda est memoria Sanctorum Placidi, & sociorum Martyrum, qui Iustiniani Magni, Imperatoris temporibus, cum Sancti Benedicti, tunc adhuc viuentis, Religionis zelum, & vitæ Sanctitatem admirati, sub illius Regula se Dei obsequijs dicauissent, & in Monasterio, cum Ecclesiâ Sancti Ioannis Baptistæ propè muros Messanæ ciuitatis, tunc recentèr ab ipsomet Placido in paterno fundo extructo, & instituto, cui idem Placidus à Sancto Benedicto, eò missus, tanto Magistro dignus Discipulus, præerat, gratum Altissimo exhiberent famulatum, ad eam perfectionem breui peruenerunt vt cum eorum Sanctimoniæ fama longè, latèque diffusa, etiam in Vrbem Romam peruasisset, impulerit pios ipsius Placidi Fratres germanos Eutychium, & Victorinum, & Virginem Flauiam eorumdem sororem ad iter suscipiendum, Placidi Fratris visendi causâ: sed diuinâ prouidentiâ factum est, vt cum Messanam venissent, & apud eum vix per paucos dies morati essent, crudelissimi Sarracenorum Regis, vel potiùs Tyrãni Abdalæ classis, Christiano nomini nefarium bellum, Insulæ vero Siciliæ vastitatem, incendia, rapinas inferens, ad eandem ciuitatem ex improuisò appulerit, vbi eius classis Dux Mamucha cum in Monasterium irrupisset, cœpit mirâ feritate contrà omnes in vincula coniectos sæuire, & acerbissimis quibusdam cruciatibus, exquisitisque tormentorum generibus conari, si quâ ratione posset eos à Christianâ religione dimouere. Verumtamen ipsi, adiuuante Spiritus Sancti gratiâ, & non modo in Religiosis viris, sed in alijs quoque Placidi Fratribus atque adeo in sexu fragili, & Virgineo pectore, suam diuinam virtutem mirabilitèr, ostendente, cuncti, in Christianę Fidei pręclarâ confessione fortitèr perseuerantes, agonem suum Glorioso Martyrio cõsummarunt; cumque eorum quidem Animę triumphalem palmam adeptæ in cœlum euolassent, Corpora vero multis, vt antiquę testantur historiæ, magnisq; Miraculis illustria, in Ecclesiâ Sancti Ioannis Baptistæ Messanen. quę postmodum successu temporis in Prioratuum Hospitalis eiusdem Sãcti Ioannis Hierosolymitani fuit erecta, piè sepulta, & recondita, tem-

temporum iniuriâ, per multa sæcula, ita inibi occulta latuissent, vt iã nostrâ ętate, licet ex pluribus antiquitatis monumentis constaret ea, in præfata Ecclesiâ Sancti Ioannis Baptistę sepulta fuisse; tamen certus eius Ecclesiæ locus, vbi sita forent, penitùs ignoraretur: placuit tandem Diuinæ Misericordię, Sacra nonnullorum ex eis monumenta, & Reliquias, dum pro fundamentis in reparatione ipsius Ecclesiæ iaciendis humus effoderetur, post longum temporis interuallum, nuper in lucem proferre. Quarè, cum primum ex relatione Venerabilis Fratris Antonij Archiepiscopi Messanensis, compluribus desuper examinatis testibus, ac processu formato, & ad Nos transmisso, id Nobis significatum fuit; Nos attendentes iuxtà antiquissimum Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ vsum, à primæuis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum vnanimem consensionem, & Sacrorum Conciliorum ac nouissimè Oecumenici Tridentini decreta, Beatorũ Martyrum, & aliorum cum Christo in cœlis regnantium Sancta Corpora, per quæ multa beneficia a Deo mortalibus præstantur, congruo quidem honore veneranda esse; sed eam adhibendam cautionem in Sacrarum Reliquiarum veneratione, vt omnis superstitio tollatur, nec nouas Reliquias recipiendas esse, nisi prius ab Episcopo recognitę, & approbatę fuerint, recognitionem processus huiusmodi Venerabilibus fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus, super interpretatione, & exequutione dicti Concilij Tridentini deputatis duximus comittendam; qui ipso processu diligentèr, prout rei grauitas postulabat, considerato, & recognito, nec non vocato, & audito eodem Antonio Archiepiscopo; qui & Sacras Reliquias, & alia complura antiquitatis monumenta in eâ Ecclesiâ inspexit, & deinde ad Nos, & Beatorum Apostolorum Limina visitanda in Vrbem venit, cum Nobis retulisset, satis constare de aliquorum ex dictis Sãctis Corporibus inuentione: Nos, primum quidem ingentes Deo Omnipotenti gratias egimus, quod inter cœtera, quę hijs calamitosis & turbulentis temporibus Christiano populo in dies largitur, plurima, & maxima beneficia, hoc quoque insigni munere, quasi preciosissimo thesauro detecto dignatus sit, dictorum, Placidi, & sociorum Martyrum memoriam renouare. Nunc autem, vt pro Nostro pastorali officio, quantum in Nobis est curemus, nè inuictorum Martyrum corpora, Diuinę erga Nos charitatis pignora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templa Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam, suscitanda, & glorificanda, diutiùs inobscuret vetustas, aut ex animis Christifidelium deleat obliuio, sed vt potiùs eis, omnium gentium, & sæculorum prædicatione dignissimis, honor debitus, si non pro ipsorum dignitate, ac meritis, saltem pro Nostrâ tenuitate tribuatur: simulque excitentur ijdem fideles ad eorum vestigia, pro cuiusque captu, prosequenda, & ad inuocandam opem illorum, quos, & ipsius Ecclesiæ amantissimos, & propter Religiosæ vitæ professionem, & obseruationem, castimoniam, sanctitatem, & constantem Christianæ Fidei Cõfessionem Martyrio consumatam, Deo acceptissimos esse intelligimus, ac denique, vt in eorundem veneratione Dei (qui se per os Dauid in Sanctis suis laudari pręcipit) immensa bonitas glorificetur, & piæ Christifidelium mentes ad eorum memoriam recolendã anniuersaria commemoratione, & celebritate admoneantur. Habitâ prædictorum Cardinalium relatione, de eorum consilio, & assensu authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, pręcipimus, vt eorundem Sanctorum Martyrum Placidi, & Sociorum Dies Festus, quo ipsi bono, & legitimo certamine pro Christi gloria absoluto, cursu consummato, fide seruatâ, nobilissimâ Martyrij Coronâ decorati ad cœlestem Patriam migrauerunt, nimirum 3. Nonas Octobris, in omnibus Christiani Orbis partibus, sub Officio simplici; in Messanensi verò Ciuitate, Diœcesi, & Prouinciâ, duplici, & pretereà alter dies Festus Inuentionis eorundem Pridie Nonas Augusti in Ecclesiâ præfatâ S. Ioannis Baptistę Messanensis dumtaxat, sub duplici paritèr Officio, à cũctis personis Ecclesiasticis sæcularibus, ac quorumuis Ordinum Regularibus, de communi, plurimorum Martyrum, vbi proprium deerit, perpetuò celebretur. Volumusque, vt in Calendario, quo nunc vtimur, sicut in Romano Martyrologio, vt anteà, in quibusdam Calendarijs habebatur, ad eum diem eorundem Sanctorum nomina adscribantur, etiam si in nouissimâ Missalis, & Breuiarij Romani editione, ea fuerint prętermissa. Hortantes vtriusque, sexus Christifideles Ciuitatis Messanensis incolas, vt eorundem Martyrij Diem Festum, piè, ac religiosè colant, & obseruent, & sicut in reliquis diebus Festis de pręcepto Sanctę Matris Ecclesię moris est, à seruilibus operibus abstineant; ac demum ad augendam Christiani populi ergà eosdem inclytos Martyres deuotionem, vtque eò frequentiùs, & ardentiori pietatis studio, confluant ad Sacrã eorum Sepulchra, quò vberiùs cognouerint, se per hoc cœlestis gratię donis esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordiâ, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, eisdem Christifidelibus verè pœnitentibus, qui peccata sua Sacerdotibus idoneis, ab Ordinariis locorum approbatis, confessi fuerint, ac Sanctissimum Eucharistię Sacramentum susceperint, & predictę Inuentionis die Festo dictam Ecclesiam, vbi eadem Sacra Corpora requiescunt, deuotè visitauerint, atque inibi pias ad Deum preces fuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem perpetuò concedimus, & elargimur. Quocircà mandamus vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cœterisque Ecclesiarum Prelatis, vt pręsentes litteras in suis quibuslibet Prouincijs, Ciuitatibus, & locis solemnitèr publicari, & ab omnibus personis Ecclesiasticis sęcularibus, & Regularibus, vbique gentium, & locorum inuiolabilitèr obseruari curent. Volumus autem, vt earumdem pręsentium exempla etiã impressa, Notarij publici manu subscripta, & sigillo personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ obsignata, eandem prorsus vbique fidem faciant, quam ipsę pręsentes facerent, si ostenderentur, vel exhiberentur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostrorum pręcepti, voluntatis, hortationis, concessionis, elargitionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, M.D.LXXXVIII. Idus Nouembris, Pontificatus Nostri Anno quarto. E. Card. Prodat. Io. Ang. Papius. S. de Vrsinis.

CON-

## CONSTITVTIO CCXXXIV.

### SVMMARIVM.

1589. Feb. 20.

### SIXTVS PAPA V.

*Abbati Monasterij Casinensis Synodum congregare, Examinatores Synodales eligere, Concursum pro Parochialibus Ecclesijs conferendis instituere, etiam in Mensibus Sedi Apostolicę reseruatis, examinare, & approbare dictarũ Ecclesiarũ Rectores à se electos, Oeconomos in eisdem deputare, Sacramentum Chrismatis conferre, Commissiones Apostolicæ Sedis, pręcipuè circà Dispensationes Matrimoniales recipere, easq; debitæ executioni demandare posse, confirmat.*

*Ex Arch. Casin. Monasterij.*

SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Apostolicę Sedis consueta, ea, quę per Romanos Pontifices pro Religionis incremẽto, & decore facta fuisse noscuntur, libentèr approbat, eisque Apostolici muniminis robur adiicit, illaque de nouo concedit, prout conspicit in Domino salubritèr expedire. Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Abbatis, & Conuentus Monasterii in Monte Casino, Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinẽsis, nulliùs Diœcesis, exhibità Nobis petitio continebat, quod dictum Monasterium, per diuersos Romanos Pontifices Prędecessores Nostros multis, & variis gratiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, & indultis cumulatum, & decoratum fuit, illiusque Abbas pro tempore existens nemini subest, sed omnimodam iurisdictionem Episcopalem, ac proprium territorium, ac ius congregandi Synodum habeat, prout illam congregasse, & in eâ Examinatores elegisse, ac posse Cõcursum constituere, examinare, approbare; Oeconomos deputare, necnon Sacramentum Chrismatis contulisse, & Commissiones gratiarum Apostolicarum debitę executioni demandasse constat, iuxtà declarationem Venerabiliũ Fratrum Nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando Præfectorum, desuper factam. Cum autem ea quibus dictę Sedis intercedit auctoritas meliùs obseruentur, ac proinde, sicut eadem petitio subiungebat, ipse Abaas, & Conuentus cupiant pręmissa omnia, dictę Sedis patrocinio communiri; Pro parte eorumdem Abbatis, & Conuentus Nobis fuit humilitèr supplicatum, quatenùs eorum desiderio in pręmissis annuere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Abbatem, & singulares personas Conuentus huiusmodi, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quãuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; necnon tenores omnium, & singulorum priuilegiorum prędictorum, pręsentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, gratias, facultates, & indulta pręsertim cõferendi Sacramentum Chrismatis, dummodo illud sit priùs per Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem dictę Sedis habentem, consecratum, Concursum pro conferendis Beneficiis Ecclesiasticis curatis in Mensibus Apostolicis faciendi, ac Commissiones gratiarum, tam iustitiam, quam gratiam, etiam quoad Dispensationes Matrimoniales concernentes, Abbati Monasterij Casinensis pręsenti, siue suo Vicario Generali pro tempore directarum, debitę executioni demandandi, aliaque desuper necessaria, & opportuna faciendi, iuxtà decreta dicti Concilii, Apostolicâ auctoritate, tenore pręsentium approbamus, & confirmamus, illiusque perpetuę, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper interuenerint, supplemus. Necnon pro potiori cautelà, moderno, & pro tẽpore existenti Abbati dicti Monasterij, vel suo Generali Vicario, vt cũ Parochiales Ecclesię iurisdictionis dicti Monasterij vacare contigerint, concursum instituere, examinare, approbare, & magis idoneos eligere, & Ecclesias huiusmodi legitimè conferre, ac in Mensibus Nostris, & successorum Nostrorum Romanorum Pontificum collationi reseruatis, personas in concursum electas, Nobis, & dictæ Sedi pro collatione obtinenda significare, Necnon Sacramentum Chrismatis, dummodo illud priùs sit per Antistitem prædictum consecratum, vt pręfertur, conferre, ac quascumque litteras Apostolicas, tam iustitiam, quam gratiam, etiam quoad dispensationes Matrimoniales, personarum dictę iurisdictionis concernentes, sibi tamen, & nulli alteri dirigendas, debitę executioni demandare liberè & licitè valeat, iuxtà decreta eiusdem Concilij, dictà auctoritate, tenore pręsentium, concedimus. Decernentes ex tunc irritum, & inane si secùs super his, à quoquam, quãuis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & alijs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiã si de illis specialis mentio habẽda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dũtaxat specialitèr, & expresse derogamus, cęterisq; contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, concessionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autẽ hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotẽtis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quingentesimo octuagesimo nono, Decimo Kalend. Martij Pontificatus Nostri Anno Quinto.

## CONSTITVTIO CCXXXV.

### SVMMARIVM.

1589. Martij 2.

### SIXTVS PAPA V.

*Alexandrum Montaltum Cardinalem in Protectorem Congregationis Casinensis eligit.*

SIXTVS Papa V. Dilecto filio Nostro Alexandro S. Laurentij in Damaso Diacono Cardinali Montalto nuncupato S.R.E. Vicecancellario. Dilecte fili Noster salutem, &c. Cum nuper bon.me. Alexander Cardinalis Farnesius nuncupatus, Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, apud Sedem eandem diem clauserit extremum; Nos de condigno eidem Congregationi Protectore prouidere volentes, ac sperantes, quod Tu, qui secundũ carnem ex Sorore, germanâ, Pronepos Noster existis, tradita tibi, & Domino circumspectione, ad ipsius Congregationis vtilitatem, & dignitatem, piâ, ac prudenti solertiâ apud Nos, & Sedem prædictam Protectionis huiusmodi munus laudabilitèr, & salubritèr curabis exercere. Motu proprio, non ad Tuam, vel alterius pro Te Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Te, quoad vixeris, vniuersæ Congregationis prædictæ, illiusque Domorum, Monasteriorum, personarum, rerum, ac iurium apud Nos, & Sedem eandem, cum omnibus, & singulis auctoritatibus, iurisdictionibus, honoribus, prærogatiuis, cœterisque facultatibus, tàm dicto Alexandro Cardinali, quam quibusuis alijs eius in huiusmodi Protectionis officio Prædecessoribus, quomodolibet concessis, & quas illi, quouis modo de Iure, vel de consuetudine habuerunt, vel habere potuerunt, seu debuerunt, ac etiam quotiès tibi videbitur expedire, illius Superiores, & personas in spiritualibus, & temporalibus circa ea, quæ reformatione indigere cognoueris iuxtà Sacri Tridentini Concilij decreta, & dictæ Congregationis Regularia instituta reformandi, & corrigendi, inobedientesque, & rebelles censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac alijs tibi benè visis, arbitrio tuo, ac etiam per personas idoneas ad hoc per te specialitèr deputandas coercendi, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, constituimus, facimus, deputamus. Tibique paritèr per te, vel alium, seu alios, quem, vel quos ad id duxeris deputandos, omnia, & singula, quæ ad huiusmodi protectionis officium de Iure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet pertinent, & quæ cœteri Ordinum, & Congregationum Regularium in Romanâ Curiâ apud Nos, & eandem Sedem Protectores faciũt, statuunt, ordinant, & exequuntur, seu facere, & exequi possunt, & debent, faciendi, statuendi, ordinandi, & exequendi plenam, liberam, & omnimodam facultatem, auctoritatem, & potestatem concedimus. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientię Presidenti Generali, Abbatibus, Visitatoribus, & Definitoribus, ac vniuersæ Congregationi, illiusque Prelatis, Monachis, & personis, vt tua salubria monita, & mandata humilitèr, & efficacitèr adimplere procurent, & adimpleant. Tibique tamquam eorum Protectori in his, quæ ad dictum Protectionis officium, & alijs præmissis spectant promptè pareant, & obediant, ac obsequia cœteris Protectoribus per eos præstari debita, & consueta, sedulò præstent, & exhibeant. Hortamur autem Te in Domino, vt in hoc munere obeundo sic Te geras, & per laudabilia gesta tua Charitas, prudentia, atque dexteritas sic eluceat, vt à Nobis, & ab hâc Sanctâ Sede, vt speramus, commendationem, à Deo verò Omnipotente bonorum operum retributore cœlestem gloriam consequi merearis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis eiusque Monasteriorum, & locorum quorumlibet, etiam Iuramento, &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, ac Regularibus institutis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Congregationi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam motu simili, ac etiam consistorialitèr concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permãsuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cœterisq; contrarijs quibuscunq;. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimâ secundâ Martij. M. D. LXXXIX. Pontificatus Nostri Anno quarto.

## CONSTITVTIO CCXXXVI.

### SVMMARIVM.

1590. *Maij* 4.

*Sac. Congr. EE. & RR. DD. Cardinalium Sac. Concil. Trid. Interpretum. Confirmatio decreti Gregorij Papæ XIII. pro Cappellanis, seu Vicarijs amouibilibus, deputandis à Monasterio S. Petri de Perusio Congregationis Casinensis in proprijs Beneficijs.*

*Ex Arch. S. Petri Perusin.*

Al Reuerendiss. Signore come Fratello Monsignore il Vescouo d'Assisi.

REuerendiss. Signore come Fratello. Circa la deputatione dei Vicarij à i Benefitij vniti al Monasterio di S. Pietro di Perugia della Congregatione Casinense, quando à V.S. legitimamente costi della mente di Papa Gregorio di fel. mem. per fede sottoscritta dal Cardinale Morone di buona mem. Protettore all' hora di detta Congregatione, non hà dubio che V.S. deue esseguir il sopradetto ordine, & prestando credito alla detta fede, lasciando, che in detti Beneficij si deputino Vicarij amouibili ad nutum Superiorum Regularium. Che è quanto mi è parso d'auuertir à V. S. con occasione de gl'inclusi memoriali presentatemi, & à lei mi raccomando. Di Roma li 4. di Maggio 1590. D. V. S. Reuerendiss. come Fratello A. Card. Caraffa.

## CONSTITVTIO CCXXXVII.

### SVMMARIVM.

1590. *Iulij* 3.

*Decretum EE. & RR. DD. Card. Sac. Congregationis Sac. Concilij Tridentini Interpretum. Quod liceat Visitatoribus Monialium Casinensium, etiam extrà actum Visitationis, ad Monasteria dictarum Monialium simul accedere non autem seiunctim.*

Illustriss., & Reuerendiss. Signore.

COncedendo le SS. loro Illustriss. nel loro decreto per le Monache, che il loro Superiore, il Visitatore, ò Visitatori, & il Confessore vi possono senz' altra particolar licenza andare. Si dubita d'alcuni scrupulosi, se i Visitatori, che pure stanno vn' anno intiero, ancorche vna volta sola in dett' anno facciano la sudetta visita, possano per altr' occasione emergente ad vtilità d'essi Monasteri andarui fra detto

detto tempo del loro Officio, ò se pure fatta quella sol volta visita attuale, debbono poi totalmente astinersene, e per qualsiuoglia emergente occasione non può andatuene, per quiete della conscienza de quali è per sapete, come legitimamente procedere, se ne supplica per la resolutione dalle Signorie loro Illustrissime, quas Deus &c. In Congregatione lecto dictum fuit, quod omnes Visitatores simul possunt, sed singuli non. Die 3. Iulij 1590. Card. Alex.

## CONSTITVTIO CCXXXVIII.

### SVMMARIVM.

1590. Dec. 8.

### GREGORIVS PAPA XIV.

*Sixti V. Constitutionem, quâ confirmatur Abbati Monasterij Cauensis Synodum congregare, Examinatores Synodales eligere, Cōcursum pro Parochialibus Ecclesijs, etiam in Mensibus Sedi Apostolicæ reseruatis instituere, Rectores dictarum Ecclesiarum à se electos examinare, approbare, Occonomos in eisdem deputare, Chrismatis Sacramentum conferre, Commissiones Apostolicæ Sedis, præcipuè circa dispensationes Matrimoniales recipere, easque debitæ executioni demandare posse, conualidat.*

*Ex Arch. Cauensi.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus, & rationi consonum, vt ea, quæ de Romani Pontificis prouidentiâ processerunt, licet eius superueniente obitu litteræ Apostolicę super illis confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem fel. rec. Sixto Papâ V. Prædecessori Nostro pro parte Dilectorum Filiorum Abbatis, & Conuentus Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cauæ, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis, nullius Diœcesis, Prouinciæ Salernitanæ; exposito, quod dictum Monasterium multis ex tunc annis per diuersos Pontifices Romanos Prædecessores Nostros, multis, & varijs gratijs, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, & indultis cumulatum, & decoratum fuerat, illiusque Abbas pro tempore existens nemini suberat, sed omnimodam iurisdictionē Episcopalem, ac proprium territorium, & ius congregandi Synodum habebat, prout illa tunc Congregasse, & in eâ Examinatores elegisse, ac posse concursum instituere, examinare, approbare, Oeconomos deputare, necnon Sacramentum Chrismatis contulisse, ac Commissiones gratiarum Apostolicarum debitæ executioni demandasse constabat, iuxtà declarationem Dilectorum Filiorum Nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando Præfectorum, desuper factam, & in eâdem expositione subiuncto, quod Abbas, & Conuentus prædicti cupiebant præmissa omnia Sedis Apostolicæ patrocinio communiri; Ac pro parte dictorum Abbatis, & Conuentus eidem prædecessori humilitèr supplicato, quatenùs præmissis robur Apostolicæ confirmationis adijcere, aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaretur. Idem Prædecessor Abbatem, & singulas personas Conuentus huiusmodi à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptum dumtaxat consequendum absoluens, & absolutos fore censens, necnon tenores omnium, & singulorum Priuilegiorum prædictorum pro expressis habens, sub Dat. videlicet 16. Kal. Septembris, Pontificatus sui anno sexto, omnia, & singula, quæ per Congregationem dictorum Fratrum, super interpretatione, & executione Concilij Tridentini deputatorum, visa, & examinata, tanquam nihil Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, & præsertim eiusdem Concilij decretis repugnans continerent, approbata fuerant, Priuilegia, immunitates, gratiæ, facultates, & indulta, præsertim conferendi Sacramentum Chrismatis, dummodo illud foret priùs per Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, consecratum. Et Concursum pro conferendis Beneficijs Ecclesiasticis curam animarum habentibus, etiam in mensibus Apostolicis, faciēdi, ac Commissiones gratiarum Apostolicarum, tàm iustitiâ, quàm gratiam, & Matrimoniales Dispensationes concernentes, dicti Monasterij Abbati, seu eius in spiritualibus Vicario Generali pro tempore directarum, debitæ executioni demandandi, aliàque desuper necessariâ, & opportunâ faciendi, iuxtà decreta Concilij prædicti, Apostolicâ auctoritate, perpetuò confirmauit, & approbauit; illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiecit, ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper interuenissent, suppleuit. Necnō pro potiori pro cautela Dilecto Filio moderno, ac pro tempore existenti Abbati dicti Monasterii, vel suo Vicario in spiritualibus Generali, vt cum Parochiales Ecclesiæ iurisdictionis ipsius Monasterii vacatio contingeret, Concursum instituere, Examinare, & approbare, ac magis idoneos eligere, & Ecclesias huiusmodi, quatenùs ad eius collationem legitimè pertinerent, cessantibus reseruationibus, & affectionibus Apostolicis, seruatâ formâ dicti Concilij, conferre, ac in mensibus dicti Prædecessoris, & successorum suorum Romanorum Pontificum collationi reseruatis, personas in concursu electas eidem Prædecessori, & dictæ Sedi pro collatione obtinenda significare, necnon Sacramentum Chrismatis, per Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, consecratum, conferre, & quascunque litteras Apostolicas, tàm iustitiam, quàm gratiam, etiam quoad Matrimoniales Dispensationes personarum dictæ iurisdictionis cōcernentes, sibi tantum, & dicto Vicario, & nulli alteri dirigendas, debitæ executioni demandare liberè, & licitè valeret, iuxtà decreta dicti Concilii, dictâ auctoritate perpetuò concessit; Decernens ex tunc irritū, & inane, si secùs super his à quoquā, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contingeret attentari. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis specialis mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, eà vice dumtaxat, specialitèr, & expresse derogauit, cæterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de absolutione, confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, concessione, decreto, &

& derogatione prædictis, pro eo, quod super illis dicti Prædecessoris, eius superueniente obitu litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari, dictique Abbas, & Conuentus illarum frustrentur effectu, volumus, & similitèr Apostolicâ auctoritate decernimus, quod absolutio, confirmatio, approbatio, adiectio, suppletio, concessio, & decretum, ac derogatio dicti Prædecessoris, perinde à dictâ die suum sortiantur effectum, ac si super illis dicti Prædecessoris litteræ, sub eiusdem diei datæ confectæ fuissent, prout superiùs enarratur. Quodque præsentes litteræ ad probandum plenè absolutionem, confirmationem, approbationem, adiectionem, suppletionem, concessionem, & decretum, ac derogationem Prædecessoris huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alteriùs adminiculum requiratur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. sexto Idus Decembris Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CCXXXIX.

### SVMMARIVM.

1591. *Martij* 15.

## GREGORIVS PAPA XIV.

1 *Sixti Papæ V. Constitutiones contra Illegitimos Regularium limitat.*
2 *Priuilegia Regularium pro dispensatione, seu habilitatione Illegitimorum, vsu recepta, confirmat.*
3 *Disquisitionem exactiorem faciendam à Regularibus in receptione Illegitimorum, quam legitimorum circa eorum vitam, & bonos mores, præcipit.*
4 *Filium Illegitimum in eadem Religione, in quâ Pater viuit, recipi non posse, viuente Patre.*
5 *Dispensationes seu habilitationes Illegitimorum ad Gradus, & Ordines factas, & faciendas a suis Superioribus confirmat, & conualidat.*
6 *Assensum Superiorum Monasterij, in locis, seu Monasterijs vbi fit Filiatio, sufficere ad receptionem Illegitimorum; seruatis tamen alijs Ordinum consuetudinibus quæ in receptione legitimorum seruari solent, constituit; additâ clausulâ sublatâ &c.*

*Bullar. Roman. T. 2. Greg. XIV. Const. 2.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis, prouidentia, ea, quæ rationabilibus causis, auctoritate Apostolicâ, sancita fuerunt, ipsâ rerum experientiâ suadente, ex alijs interdum non minùs iustis causis moderatur, & immutat, prout in Domino conspicit salubritèr expedire.
1 1 Sanè, licèt aliàs fel. recordat. Sixtus Papa Quintus prædecessor Noster, nonnulla circâ qualitates, modum, & formam admittẽdi Religiosos ad quoscumque Ordines, salubritèr statuerit, prout in duabus desuper, prima videlicet sub datum sexto Calendis Decembris Anno tertio, & altera sub datum Duodecimo Calendis Nouembris, Anno Quarto sui Pontificatus editis constitutionibus, latiùs continetur. Quia tamen vsu comprobatum est, multa inuenta fuisse impedimenta, propter quæ ea, quæ in præmissis statuta fuerunt, executioni mandari minimè potuerunt. Vnde quamplures litteris, & pietate insignes viri à sancto proposito Regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alij diu, cum maximâ eorum laude in Religione versati, ab illius dignitatibus, honoribus, Prælaturis cum nõ modico Religionis, & Ordinum huiusmodi detrimento repulsi, & inhabiles penitus redditi fuerint. Nos igitur eò quâ docuit experientiâ salubritèr fuisse constituta, confirmare: quæ verò moderatione aliquâ indigere, moderari volentes, ac dictarum constitutionum, & inde sequutorum quorumcumque tenores, etiam veriores præsentibus, pro expressis habentes. Habitâ cum Venerabilibus Fratribus Nostris, S.R.E. Cardinalibus, super negocijs, & consultationibus Regularium deputatis, maturâ deliberatione de eorundem consilio prædictas Constitutiones in eâ parte, quâ cauetur, nè Illegitimi ex certo inibi expresso damnato thoro, vel complexu ad quamcunque Religionem, neque ad habitum, aut professionem Regulares, sed tantum ad habitum Conuersorum, aut Famulorum in Monasterijs, alijsque locis Regularibus seruientium admittantur, etsi post dictam Constitutionem, professionem emitterent, voluit illam nullius esse momenti. Et in alterâ parte, in quâ illegitimè genitos, etiam ante ipsas constitutiones professos, vigore priuilegiorum, aut indultorum Apostolicorum, cuiuis Ordinis Religioni, Monasterio aut Congregationi, eorumve Superioribus in genere, vel in specie concessorum, etiam ipsi per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores legitimatos, seu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, seu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuscunque, tam antiquis, quàm alijs priuilegijs, litteris Apostolicis, indultis, aut declarationibus non obstantibus, excludi, ac dispensationes quascunque, aut legitimationes non suffragari, neque in futurum cum his, nisi à Sede Apostolicâ, Priuilegijs, quibuscunque non obstantibus dispensare posse voluit; auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, ad terminos iuris reducimus, &
2 moderamur. 2 Ac omnes dispensationes, & habilitationes, vigore priuilegiorum, aut indultorum Apostolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumue Superioribus in genere, vel in specie, vt præfertur, concessorum, quę tempore constitutionum huiusmodi vsu recepta, & non sub vllis alijs reuocationibus comprehẽsa erunt per quoscunque eorum Superiores facta, in pristinum statum, & validitatem, in quibus ante ipsas constitutiones existebant, restituimus, & reintegramus. Volentes ijsdem Constitutionibus non obstantibus, eos qui quouis modo Illegitimi procreati fuerint ad habitum, & professionem Regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supra-
3 dictæ Constitutiones editæ nõ fuissent. 3 Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocunque illegitimè natis, ad habitum, & professionem Ordinum quorumcunque agetur, ij ad quos huiusmodi receptio spectat, præter alia, de quibus ex dictarum constitutionum præcepto circâ quoscunque, etiam legitimos disquirere debent, diligentèr eorum vitam, &

mores

mores inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem,& virtutis specimen preseferant,ac tot eis merita suffragentur, vt Natalium suppleant defectum, eorumque receptis Religionis commodo,& vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso, ij,ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio,maturâ deliberatione habitâ, ita censuerint, &
4 iudicauerint. 4 Dummodo tamen filius illegitimus,in Religione, in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod expresse prohibemus.
5 5 Volumus quoque,ac statuimus, licere generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio,spectat iuxtà tenorem priuilegiorum,& indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodo vsu recepta,nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa fuit,vt præfertur, in hâc parte reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis,cum Generali,Prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs, suffragantibus meritis,dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde sequuta quæcunque,vt antea valere & tenere, perinde ac si
6 supradictæ constitutiones non emanassent. 6 Cæterùm cum acceperimus, nonnullarum Religionum,& Ordinum,præsertim Monachalium Monasteria,ita instituta esse, vt in eis perpetua quædã Filiatio constituatur; Ideoq; receptio Nouitiorum in vnoquoque Monasterio ad superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem Monasterij tantùm pertineat, quæ etiam Monasteria, vt plurimum inter se longè distant,nec Generalia,Prouincialia,aut intermedia Capitula,nisi raro celebrare solent. Ideo statuimus, vt Superiores illorum Monasteriorum, de consensu sui Capituli,præhabitâ simul cum his, de quibus in vnaquaque Religione, aut Monasterio, iuxtà eius constitutiones,recipiendus interrogari solet,aliquâ informatione super his,quę in dictis constitutionibus continentur,ad receptionem huiusmodi procedere valeant; dum tamen, antequam ad professionem admittatur,plenaria,& eo modo,prout in dictis constitutionibus habetur,inquisitio fiat, quæ postea ab his,a quibus in prædictis Monasterijs examinari solent, diligentèr examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo, coram Superiore referantur. Volentes, quòd Superiores prædicti,cum eorum Capitulo, aut vbi consuetudo non fuerit celebrandi Capitula,cum tribus,aut quatuor, ad id in generali Congregatione, per vota secreta deputatis,seruatis eorum Regularibus institutis, ac supradictis omnibus, eandem in recipiendis Nouitijs habeant auctoritatem,quæ per dictas constitutiones, Prouincialibus Capitulis est attributa. Decernentes sic, & non aliter per quoscunque Iudices, & Commissarios,quâuis auctoritate fungentes, etiam eiusdem Romanæ Curiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores,sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate,vbique iudicari,& diffiniri debere. Irritum quoque,& inane, quidquid secùs super his à quoquam,quâuis auctoritate,sciẽter,vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis,etiam impressis,manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrâ illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ reductionis,moderationis,restitutionis, reintegrationis, prohibitionis,reualidationis, statutorum, voluntatum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit,indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo,Primo,Idus Martii,Pontificatus Nostri Anno Primo. L. Dat. M. Vestrius Barbianus. A. de Alexiis.

## CONSTITVTIO CCXL.

### SVMMARIVM.

1591. Apr. 20.

## GREGORIVS PAPA XIV.

*Sixti Quinti litteras circa Visitatorum electionem, durationem, & vacationem irritat: modumque eorumdem imposterum eligendi, vacandi, & durandi, ad Capitulum Generale liberè remittit. Pari modo electionem Professorum eiusdem Monasterij simul, in Visitatores, concedit.*

*Ex Priuil. Cong. Casinen.*

GREGORIVS Papa XIV. Dilectis filijs Præsidenti, Definitoribus, & alijs Prælatis in Capitulo Generali Congregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti existentes. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem, &c. Cum sicut Nobis exponi fecistis, litteris Apostolicis in formà Breuis fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris Nostri, sub Datum die 17. Februar. M.D.L.XXXVIII. sui Pontificatus Anno tertio, Inter alia expresse cautum sit, quod Congregationis vestræ, nec Visitatores in Definitores, nec Definitores in Visitatores, nec plures in eodem Monasterio professi, simul Definitores, & Visitatores in eodem Capitulo eligi vnquam possint; & iuxtà eiusdem vestræ Congregationis Constitutiones,qui vno anno fuerit Visitator, ad simile Visitationis Officium, nisi biennio elapso, non valeat, vsu, & experientià, quæ est rerum magistra compertum sit, hàc eligendi formà adeò restrictà, non leuia incommoda,plerumque prouenire. Nos litterarum, ac Constitutionum prænaratarum tenores, ac formas, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficientèr expressis habentes,pro Nostrà ergà Congregationem vestram propensà volũtate,Motu proprio,& ex certà Nostrà sciẽtià,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; Vobis,vt quod ad electionem dumtaxat Visitatorum attinet, ea decernere, & statuere,in Capitulo generali proximè futuro possitis, quæ eiusdem Congregationis salubriori directioni, & conseruationi magis expedire iudicaueritis, seruatà nihilominùs formà in Constitutionibus vestris, de condendis legibus, seu ordinationibus præscriptà,liberam facultatem,& licentiam concedimus. Modum verò, sic, vt præfertur, per vos in dictà Visitatorum electione statuendum. Nos paritèr ex nunc,prout ex tunc, simili Apostolicà auctori-

ctoritate approbamus, & inuiolabilis firmitatis ei robur adijcimus. Non obstantibus literis Apostolicis Sixti Prædecessoris Nostri prædictis, quibus, in hâc tantum parte, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Aprilis MDXCI. Pontificatus Nostri, Anno primo. M. Vestrius Barbianus.

## CONSTITVTIO CCXLI.

### SVMMARIVM.

1591. *Iunij* 18.

*Decretum pro Officijs Funeralibus in Ecclesijs Casinensium faciendis ab eisdem Monachis tantum, non ab alijs, absque eorum licentiâ.*

*Ex Arch. S. Euphem. Brixien. Arm. 11. lib. 55.*

ALl'Illustriss. & Reuerendiss. Sig. mio Osseruandiss. Il Sig. Card. di Brescia. Illustriss. & Reuerendiss. Sign. Osseruandiss. Il Procuratore della Congregatione Casinense hà esposto à questi miei Illustrissimi, quanto V.S. Illustrissima vederà per l'inclusa copia di memoriale, & essendosi altre volte trattato di questo particolare, Se nel sepelire i morti nelle Chiese Regolari habbino da far l'Officio il Curato, e Preti, ò pur tocchi alli medesimi Regolari. Le Signorie loro Illustrissime hã risoluto, ch'io habbi da significarle, quel ch'in ciò è stato sempre determinato, & è che al Curato spetti guidar l'Officio; & all'arriuo dentro alla Chiesa, poi habbino (nello stato in che si troua) da proseguirlo, e gouernarlo essi Regolari in tutto, e per tutto; eccetto però se vi fusse consuetudine in contrario, in quel caso conforme ad essa deue osseruarsi, & non altrimente. Sarà dunque opera degna di Carità di V. S. Illustrissima, far che in questa conformità, si eseguisca, se non gl' occorrerà altro in contrario; & humilissimamente à V.S. Illustriss. bacio le mani, pregandoli felicità. Di Roma à di 18. Giugno 1591. Di V. S. Illustriss. & Reuerendiss. humiliss. Seruitore: Il Card. di Sen.

## CONSTITVTIO CCXLII.

### SVMMARIVM.

1591. *Octob.* 1.

*Decretum pro Officijs Funeralibus in Ecclesiis Casinensium faciendis ab eisdem Monachis tantum, non ab alijs, absque eorum licentiâ.*

*Ex Arch. S. Euphemiæ Brixien. Arm. 11. lib. 55.*

ALl'Illustrissimo, & Reuerendiss. Sig. mio Osseruandiss. il Sig. Cardinal Morosino. Illustriss. & Reuerendiss. Sig. mio Osseruandiss. Fù fatto relatione à questi miei Signori Illustriss. di quanto V. Signoria Illustriss. mi scrisse de 18. di Luglio, & insieme del cõtenuto, degl'esamini fatti ad instantia del Capitolo di cotesta Cathedrale, sopra la consuetudine, che si pretende contro i Regolari, per conto de i Funerali. Et essendo parso alle Signorie loro Illustriss. che la proua non sia bastante per l'intento; oltre che si è visto quanto a' i Monaci Casinensi, vn Priuilegio concesso loro da Eugenio Quarto, per il quale si prohibisce espressamente, à chiunque si sia il poter far qual si voglia sorte d'Officij Ecclesiastici nelle Chiese di quella Congregatione, & così anco l'attestatione di molti sopra l'osseruantia, di esso, Mi hanno ordinato, ch io lo faccia sapere à V. S. Illustriss. acciò resti contenta comandare, che per l'auuenire s'osse rui secondo il tenore del suddetto Priuilegio, che è cõforme all'vso comune, & alle resolutioni sopra à ciò fatte da questa Sacra Congregatione. Et humilissimamente bacio à V.S. Illustriss. le mani, pregandoli felicità. Di Roma il primo d' Ottobre 1591. Di V.S. Illustriss. & Reuerendiss. Hũmilliss. Seruitore, il Card. de Sen:

## CONSTITVTIO CCXLIII.

### SVMMARIVM.

1593. *Ianu.* 27.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. DD. Cardin. Sacri Concilij Tridentini Interpretum. Quod in Ecclesiis Parochialibus Casinensium possit deputari Vicarius Monachus ad nutum suorum Superiorum amouibilis, præuia examinatione Episcopi.*

*Ex Authentico.*

CONGREGATIO Concilij censuit, In Parochiali Ecclesiâ vnitâ alicui Monasterio Monachorum, posse ipsos Monachos in Vicarium nominare vnum ex eis, ad ipsorum nutum amouibilem, cum quo, alius dumtaxat Monachus habitare debeat; Episcopumque teneri illum deputare, præuio tamen examine, & eius approbatione. Hieron. Cardinalis Matthæius. expeditum fuit die 27. Ian. 1593.

## CONSTITVTIO CCXLIV.

### SVMMARIVM.

1593. *Ianuarij* 28.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardinalium Sacri Concilij Trident. Interpretum. Quod in Ecclesiis Regularium deputatio Cappellani pro exercendâ Curâ animarum, ad Superiores spectet, cum assensu tamen, & examinatione Episcopi.*

*Ex Authentico.*

CONGREGATIO Concilij censuit, deputationẽ Cappellani pro exercendâ Curâ annexâ alicui Monasterio Regularium, spectare ad Superiores illius Monasterij, de consensu tamen Episcopi, ac prẹuio examine, per ipsum, aut eius Vicarium faciendo. Hieron. Card. Matthæius. expeditum fuit die 28. Ianuarij 1593.

CON-

## CONSTITVTIO CCXLV.

### SVMMARIVM.

1593. *Martij* 6.

### CLEMENS PAPA VIII.

1 *Visitatores non eligendos comprofessos cũ Definitoribus. Definitores, & Visitatores extrà locum, vbi eos congregari contigerit ad exeundum cogendos, cum de ipsis, aut de aliquo comprofesso agetur, iuxtà id, quod in Constitutionibus præscribitur de Consanguineis, decernit.*

2 *In promotionibus ad Abbatiam, & Prioratum, licere pro bono Congregationis, tempus à Constitutionibus præscriptum, si omnes Definitores consenserint, dispensare.*

3 *Monasterijs vacantibus vsq; ad Septuagesimam, prouidendũ per Regimen in Dietis; a dicto tempore, per Definitores Capituli generalis.*

4 *Certum numerum Decanorum præscribendum fore, quem nec augeri, nec minui in posterum liceret.*

5 *In Decanum promoueri non posse, qui vita integritate, prudentià, & sufficienti doctrinà, Casuum saltèm conscientiæ præditus non sit, de cuius sufficientià, & meritis, Visitatores (medio iuramento) fidem faciant.*

6 *Decanos omnes ab administratione mẽbrorũ Monast. amouendos fore, nec posthàc in eisdẽ deputãdos, exceptis ijs, qui ob ætatem, vel imbecillitatem ad onera Regularia, & ad grauiora munera subeunda parum idonei æstimentur.*

7 *Priores Claustrales, & Decanos omnes, qui in Disciplinà Regulari, tàm in se ipsis, quàm in aliis negligentes reperti fuerint, officiis, & dignitatibus priuandos, Ac etiam quotannis in Capitulo generali pro singulis suffragia ferenda, ac si nunquam antea fuissent electi.*

8 *Idem modus, & forma viuendi in cunctis Monasterijs seruanda, iuxtà Constitutiones, super quibus, si aliquid fuerit dispensandum, id solà Definitorum, & Capituli generalis auctoritate, habità ratione indigentia, tùm locorum, tùm personarum, magnà tamen moderatione, faciendum.*

9 *Abbates, Definitorum præscriptum immutare audentes, & in curandà disciplinà Regulari negligentes, aut dissimulantes, arbitrio Regiminis suspendi, & à Titulo, & ab Administratione remoueri posse.*

10 *Monachos in posterũ non mutandos, nisi per consensum Præsidis, aut Visitatorum in actu Visitationis, cognità, & expressa causà, exceptis Officialibus, & ijs, quos pro bono Congregationis Regimen iudicauerit esse mutandos.*

11 *Expensæ mutationum pertineant ad Monasteria, e quibus Monachi discedunt, quorum Superiores necessaria eis subministrent, & itineris viam litteris patentibus præscribant, à quà non liceat deflectere.*

12 *Monachos incorrigibiles carceri mãcipandos, donec resipiscant, ac beneuolos Prælatos receptores inueniant.*

13 *A Prælatis non permittatur Monachos suos Curam animarum exercere, aut sæcularium quorumuis negotia tractare, seu coram quibusuis Iudicibus, pro eisdem comparere, sine expressà licentià Capituli generalis.*

14 *Administrationem rerum temporalium à Prælatis per se ipsos minimè exercendã, sed per Cellerarios à Definitoribus, vel Regimine deputatos.*

15 *Pecunias Monasterij cuiusque, apud Depositarum à Capitulo generali, vel Regimine eligendum, aut penès fidelem Campsorem deponendas; restituendas quidem cum mandato Cellerarij, & Abbatis subscriptione.*

16 *Rationes dati, & accepti, seu Computa, iuxtà Constitutiones reddenda, ac Prælati, & Superiorum subscriptione, ac iuramento firmandas.*

17 *Computorum Reuisores in Capitulo eligendos fore, qui Monasteriorum debita, & credita exactissimè examinent.*

18 *Munera, præterquã esculenta modici valoris inhibet.*

19 *Inuitationes sumptuosas, penitùs eradicandas.*

20 *Per aliam Reformationem à quocumq; Summo Pötifice, cuicunq; Ordini in posterum faciendæ, huic derogatũ non censeri, nisi de eà expressa, & singularis mentio fiat.*

21 *Præsentes Constitutiones sub formali, & Sanctæ Obedientiæ præcepto seruari iniungit.*

*Ex Arch. S. Io. Euang. Parmen.*

CLEMENS Papa VIII. Dilectis Filijs Præsidenti, & Definitoribus Congregationis Casinensis. Dilecti Filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Commissum Nobis ex Alto Apostolicæ seruitutis Ministerium, pro debito Pastoralis Officij adimplere cupientes, in eà præcipuè incumbendum arbitramur, quæ ad Cleri vniuersi reformationem, & Ecclesiasticæ disciplinæ integritatem constituendã pertinere dignoscuntur; id autem in Regularium personarum Congregationibus eò accuratius duximus prouidendum, quò vberiores ex ijs, dum in suorum institutorum obseruantià constantes perseuerabunt, Ecclesiæ Dei fructus prouenturos etiam confidimus. Et certè inter vniuersum Monachorum cœtum, ad Congregationem vestram Casinensem, aliàs S. Iustinæ de Paduà, quæ sub speciali Nostrâ, & Apostolicæ Sedis etiam protectione, oculos conuertentes, sicut eam florentem olim, & in Monasticæ perfectionis penè fastigio feliciter constitutam, & priscà virtute insignem comperimus; ita nunc, siuè vitio temporum, siuè hominum, & nimià forsitan Præpositorum indulgentià, à pristino suo splendore paululum inclinantem erigere, simulq; alijs partibus confirmare, & ad antiquum decus reuocare summoperè desideramus. In quo quidem, cum parem, desiderio Nostro, propensionem vestram, ex ijs, quæ Nobiscum egerunt Dilecti Filij Ordinis vestri Professores, à Regimine vestro eà de re ad Nos proximè

mè destinati deprehenderimus,commendamus eximiam pietatem vestram, & zelum; Vosque ad salutarem hanc reformationem sponte vestrâ incensos, paternâ, quâ vos semper complexi sumus charitate, hortamur, vt Beati Monachorum Patriarchæ Benedicti, Ordinis vestri Institutoris, aliorumque Sanctorum, qui ex eodem Ordine innumeri prodierunt,vestigijs insistentes,ad illam Monasticę disciplinæ perfectionem,omni studio,ita contendatis, vt tam in vobis, nostris temporibus, reuixisse omnes intelligant, & exemplo vestro, aliæ, quoque Regularium Congregationes ad eamdem reformationis normam amplectendam,alacriùs excitemus. Vt autem id faciliùs assequi valeatis,nonnulla, quæ post maturam consultationem, à probatissimis Viris,quibus hoc negocium mandauimus,Nobis proposita sunt pro Congregationis vestrę reformatione maximè vtilia,ac salutaria,constituenda censuimus.

1 I De Apostolicæ igitur potestatis plenitudine, ac Nostrâ perpetuo valiturâ constitutione,statuimus, & ordinamus, vt post hæc in vestrâ Congregatione Visitatores eligi non possint eiusdem Monasterij cum Definitoribus, quorum officiũ simul cum Capitulo Generali terminatur, professi: hâc moderatione adhibitâ,vt tam in Dietis,quam in Capitulo generali,non solum dum agitur de ipsis in Dietis, seu Definitorio interuenientibus, sed etiam de eo promouendo ad quamcumque dignitatem, aut assumendo ad aliquod officium,qui sit eorum alicuius professus, vt liberiùs eâ de rè tractari & deliberari possit,ij,de quibus, vel eorum comprofessis sic agetur,extrà locum Dietę,vel Definitorij exeant; & nè suffragia conferant, nec cęteris suffragantibus intersint, & quod de Consanguineis in examine Monasteriorum,Constitutiones Vestrę prescribunt,
2 id etiam ad comprofessos extendimus. 2 In promotionibus autem ad Abbatiam, & Prioratum, liceat pro bono Congregationis, tempus à Constitutionibus Vestris pręscriptum,omnium Definitorum
3 consensu dispensare. 3 Monasterijs præterea vacantibus,vsque ad Septuagesimam prouideat Vestri Ordinis Regimen in Dietis; à dicto tempore citrà,
4 Definitores Capituli Generalis. 4 Perscribatur insuper numerus certus Decanorum,quem nec augere,nec minuere vnquam liceat;quod si nũc plures sunt Decani, nemo in posterum eligatur, quoad id
5 numerus effectus sit. 5 Nemo autem ad Decanatum promoueri,possit,qui præter vitæ integritatem, quâ debet præstare, aliquid etiam ad vulgare specimen prudentiæ non exhibuerit, & doctrinæ congruentis adiumenta non habeat, casibusque saltem conscientiæ egregiè instructus non sit;quâ in rè,Definitorum iudicium,nè fallatur; Visitatores,promouendorum merita inquirant; deque ijs, Definitoribus,qui neminem ad vllum gradum valeant promouere,nisi habitâ de eo huiusmodi Visitatorum relatione,medio ipsorum iuramento,fidem faciant.
6 6 Ad hæc à membrorum administratione Decani remoueantur, nec post hâc deputentur; sed in Monasterijs in regulari disciplinâ pro sui muneris debito exerceantur,ijs exceptis,qui ob ætatem,vel imbecillitatem ad onera Regularia, & ad munera grauiora subeunda parum idonei existimantur; quibus huiusmodi administratio demandari poterit, cum onere,vt iis eam regularis disciplinæ obseruantiam curent exerceri, quæ vestris Constitutionibus
7 præscribitur. 7 Priores deinde Claustrales,& Decani,ab officiis,& dignitate, eâ etiâ vnâ ratione remoueantur, quod disciplinæ regulari, nec ipsi incumbunt, & alios ad eam amplectendam excitare negligant; ideoque quotannis in Capitulo Generali,electionis iudicio subiiciantur,& pro singulis suffragia ferãtur, ac si numquam antea fuissent electi,
8 vt eo pacto in officio retineantur. 8 In omnibus quoque Monasterijs per modus, ac forma viuendi seruetur, vt in regulari disciplinâ æqualiter Monachi exerceantur,ad Regulæ,& Constitutionum pręscriptum; quod si in communibus Regulis ex causâ aliquâ, ex parte dispensandum esse videatur, id singulis annis,authoritate Definitorum Capituli Generalis dumtaxat, fieri possit, habitâ ratione, tum locorum,tum personarum indigentiæ, & cum magno moderamine,prout iisdem Definitoribus expe-
9 dire videbitur. 9 Abbates, qui Definitorum præscriptum immutare auserint, & in curandâ disciplinâ Regulari admodum negligentes,aut dissimulantes depræhensi fuerint, hâc vnâ de causâ arbitrio vestri Regiminis suspendi,ac etiam à Titulo &
10 Administratione remoueri possint. 10 Monachi præterea non mutentur in posterum, nisi per consensum,vt aiunt, Præsidentis, aut Visitatorum in actu visitationis, ad præscriptum Constitutionum Vestrarum,cognitâ & expressâ causâ,exceptis Officialibus, & iis quos pro bono Congregationis Vestri Ordinis, Regimen iudicauerit esse mutandos.
11 11 Expensæ autem mutationum pertineant ad Monasteria, e quibus discedunt Monachi; Quare mutatis Fratribus, eorumdem Monasteriorum Superiores, quamprimum necessaria,secundum Constitutiones vestras subministrent, & itineris viam litteris patentibus præscribant,à quâ non liceat deflectere,sub pœnâ priuationis quorumcumque officiorum ac dignitatum,& vocis actiuæ,& passiuæ, ac etiam carceris, arbitrio eiusdem Regiminis, pro qualitate culpæ. 12 Si qui vero Monachi,ob petulantiam, & deprauatos mores à Prælatis omnibus recusentur, in carcerem recludantur, donec resipiscant,& emendentur, & quousque inueniant bene-
13 uolos receptores. 13 Non permittant præterea Prælati sub pœnâ priuationis quorumcumque officiorum,& munerum,& vocis actiuę,& passiuę, vt quouis colore Animarum Curam exerceant Monachi, nec Sæcularium, & Affinium, & Consanguineorum negotia tractent, sinè expressâ licentiâ Definitorum Capituli generali,rè bene cognitâ,& mature examinatâ,& maximè nè eorum causâ,coram Iudicibus compareant, vt omnis vagationi, & pro-
14 prietati occasio præcludatur. 14 In administratione autem rerum temporalium, ea cautio adhibeatur,nè Prælati ipsi per se eam exerceant, sed per Cellerarios à Definitoribus, vel Vestri Ordinis
15 Regimine deputatos. 15 Insuper Pecuniæ omnes, quâcumque ex causâ ad Monasterium prouenientes, deponantur penes Monachum à Definitoribus, vel Regimine Vestro eligendum, aut probatum, & fidelem Telonarium, cuius ea præcipuè cura sit, ea diligentèr describere. Earum quidem nè obolum quidem expendat, aut alicui, quouis prætextu,mutuet, nisi de mandato Cellerarij;huiusmodi autem mandata, in præparato codice describantur, & manu ipsius Cellerarij subscribantur,expressâ in ijs summâ pecuniæ, cui & quâ de
16 causâ sit persoluenda. 16 Rationes dati, & accepti, creditæ, ac debitæ pecuniæ, iuxtà Constitutiones vestras reddantur, quibus Prælatus, Prior, Cellerarius, & Decani, non solùm subscribant, sed etiam iuramento, confirment veras esse, nihilque fraudis continere. Quod si qui defraudasse inuenti fuerint,

& ve-

& veritatem prouentuum, & expensarum non expressisse, officijs, dignitatibus, & administrationibus, sine vllâ prouocatione remoueantur, & insuper tanquam periuri puniantur.
17 17 Eligantur quoque in Capitulo Generali à Definitoribus tres, qui rationes prouentuum, & expensarum singulorum Monasteriorum exactissimè videant, & examinent, & ea omnia exequantur, quæ in hàc parte per Constitutiones vestras, Auditoribus causarum sunt commissa.
18 18 Ne autem Monasteriorum redditus, & fructus in alios, quam par sit vsus conuertantur. Prohibemus munera, & largitiones Protectori, Viceprotectori, Ordinario, aut personæ quæuis tam Ecclesiasticâ, etiam Pontificali, aût aliâ maiori etiam S. R. E. Cardinalatus, quam mundanâ authoritate fulgenti, etiam occasione primi ingressus, aut ad benefi ciorum acceptorum gratique animi testificationem; exceptis ijs minusculis, quæ in esculentis modici valoris non honorum ambitu, aut priuatâ aliquâ cupiditate, sed ad comparandam & conseruandam Monasterijs beneuolentiam, prædictis Protectoribus, alijsuè Benefactoribus, & Officialibus, certis quibusdam temporibus, publico Congregationis, aut Monasteriorum, non priuato cuiusque nomine ex Superiorum præscripto moderatè fieri censuerunt.
19 19 Prohibemus etiam inuitationes, & superfluos, atque extraordinarius sumptus pro prædictis personis, aut alijs honorificè, lautè, & opiparè, suscipiendis, prætextu etiam hospitalitatis, quæ si quandoq; exercere contigerit, habitâ locorum, temporum, & personarum ratione, & moderatione, fieri debeat, quæ in vestris Constitutionibus laudabilitèr, & Monasticæ modestiæ congruentèr præscripta continentur.
20 20 Vt vero vestram hanc propensam ad reformationem voluntatem, specialibus fauoribus prosequamur. Volumus, vt si contingat per Nos, aut Successores Nostros Romanos Pontifices aliquam aliam reformationem, quorũuis Ordinum, seu Institutorum Regularium pro tempore fieri, per eam vestro Ordini nihil vlteriùs iniunctum, aut præmissis nullatenùs derogatum censeri possit, nisi de vestro Ordine nominatim mẽtio fiat, & nisi specialis, & expressa, de verbo ad verbum nihil penitùs omisso earundem præsentium expressio habeatur, & alitèr factæ reformationis vos minimè arctent, & derogationes nullius sint roboris, vel momenti.
21 21 Has autem Nostras Constitutiones vobis inuiolatè seruare, vt decet, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub formali Præcepto. iniungimus; Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs, editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, præsertim fel. recor. Gregorij XIII. & Sixti V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorũ; ac vniuersi Ordinis S. Benedicti vestræ Congregationis, & iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque, & litteris Apostolicis quantumuis amplis, & amplissimis, & sub quibusuis verborum formis, & tenoribus, etiam derogatoriarum, derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium concessorum, quomodocumq; concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, hàc vice duntaxat specialitèr, & expressè derogantes, cœterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Martij M. D. XCIII. Pontificatus Nostri Anno secundo. M. Vestrius Barbianus.

## CONSTITVTIO CCXLVI.

### SVMMARIVM.

1593. *Maij 26.*

## CLEMENS PAPA VIII.

*Casuum reseruationem ab omnibus Regularium Superioribus obseruandam præscribit.*

*Ex impresso.*

SANCTISSIMVS Dominus Noster, qui iam pridem accurratè perpendit, ac re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudentèr, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij disperationem. Ideo vt huic malo sanctitas sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudentèr in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extrà septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.

Nocturna, ac furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

Iuramentum falsum in iudicio Regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus.

Furtum de rebus Monasterii, seu Conuentus in eâ quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud prætereà peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non alitèr fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouinciâ, maturâ discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè, ac proprio motu id ab ijs petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, ijque sint docti, prudentes, ac charitate præ-

prædicti, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quàm de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quę subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam generalis decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut Regulis in Generalibus, seu Prouincialibus Capitulis, editis, statutis, & constitutionibus etiam Apostolicâ auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & concessionibus quorumcumque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cœterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maij Anno Domini 1593.

Sanctitas sua deinceps declarauit, & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominùs Confessarij, illâ vice, pœnitẽtes Regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, absoluere.

## CONSTITVTIO CCXLVII.

### SVMMARIVM.

1593. Octob. 27.

### CLEMENS PAPA VIII.

*Monachos Casinenses Sanctorum Reliquias in Ecclesiis, vel Sacrarijs Monasteriorum dictæ Congregationis asseruatas, donare prohibet, absque Sedis Apostolicæ assensu.*

*Ex Arch. Abbatiæ Florentinæ.*

AL Molto Reuer. P. Abbate del Monasterio N. della Congregatione Casinense. Molto Reuerendo Patre, io sono auisato dall'Illustrissimo Cardinale Alessandrino della facilità d'alcuni Prelati Nostri, che ardiscono di propria auctorità priuare i Monasterii delle Sante Reliquie, concedendone a' Secolari, ancora senza auertire alle prohibitioni che in tal materia sono vscite; & questo scriue di Ordine di N. S. cometendo à me, che sotto pena della depositione alli transgressori prouegga, che non segua più simile disordine. In virtù del che, si dichiara, intima, & commanda sotto l'istessa pena, che non sia lecito nè à lei Reuerenda, nè a' sudditi suoi, ouero suddite, dar via à richiesta d'alcuno, ò sia Religioso, ò Laico, ancora che Prencipe, benefatore, & del cui fauore si hauesse continuo bisogno, delle Sante Reliquie conseruate nelli Monasterij, nè per qual si voglia causa alienarle, nè permettere, che ne sia leuata dalla Chiesa, & luoghi doue sono ad effetto simile, vna minima particella d'esse, senza espresso consenso, & licenza della Santa Sede Apostolica, con che li prego ogni bene. Di Milano, li 27. Ottobre 1593. D. V. P. R. Quanto Fratello. D. Serafino Præsidente Casinense.

## CONSTITVTIO CCXLVIII.

### SVMMARIVM.

1595. Maij 5.

### CLEMENS PAPA VIII.

1 *Montem Nouennalem auget pro sexaginta millibus aureis super bonis Congregationum Non Mendicantium, pro Subsidio Romani Imperij in bello contra Turcas.*

2 *Priuilegia per Summos Pontifices concessa dictis Congregationibus, confirmat. A Decimis, & Impositionibus eximit. Executores deputat.*

*De Iure Abb. tom. 1. Disp. 15. quæst. 22.*

CLEMENS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum superiore Anno, vt Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo, aduersus Turcas in ipsius ditiones erumpentes, opem aliquam ferremus, nonnullas Decimas super Beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus in vniuersa Italiâ imponere coacti fuerimus, & vlteriùs Subsidium sexaginta milliũ scutorum monetę à duodecim Regularibus Congregationibus, quas exemptione à prædictis decimis aliàs illis à fel. record. Pio Papa V. Prædecessore Nostro concessa, gaudere voluimus, receperimus. Nunc verò iisdem, & forsan grauioribus, quam tunc circumuenti necessitatibus, licèt easdem Congregationes ab oneribus, quibus premuntur, potiùs subleuare cuperemus; aliud tamen ab ipsismet Congregationibus Subsidium sexaginta millium scutorum auri, in auro ad rationem duodecim iuliorum pro quolibet scuto, iterum exigere, & recipere compellamur. Cumq; Congregationes ipse Subsidium huiusmodi sexaginta millium aureorum Nobis præstare promptè consenserint, Nos illud, quanto cum minori fieri poterit eorum incommodo, & damno ab illis recipiendum duximus. Idcircò cum à ministris Nostris Cameralibus, qui negocium hoc cum earundem Congregationum Procuratoribus diligentèr discusserunt, Nobis relatum sit, non posse summam prædictam sexaginta millium aureorum expeditiori ratione congeri, quàm si, vt factum est in Subsidio anno superiori recepto, vt premissum est, Mons Nouennalis ad eam summam augeatur. Motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationibus prædictis Lateranensi Canonicorum Regularium sub Regulâ Sancti Augustini, Casinensi nimirum, & Montis Oliueti Ordinis Sancti Benedicti, Carthusianorum, Camaldulensiũ, Cœlestinorum, Sancti Saluatoris Bononiensis etiam Canonicorum Regularium, Vallis Vmbrosæ, Cruciferorum, Sancti Georgij in Algâ paritèr Canonicorum Regularium, Cistercensiumque, Lombardiæ, ac Sancti Hieronymi, eorum vè Generalibus Procuratoribus, quamuis ad hoc speciale mandatum

datum non habeant, vt dilecti filij Don Celsus de Rauennâ Canonicus Regularis dictæ Congregationis Lateranensis, & D. Marcus Antonius Rozzus, Monachus Congregationis Montis Oliueti, nomine omnium Procuratorum Generaliū prædictorū, cū interuētu dilecti filij Nostri, & Cameræ Apostolicæ generalis Thesaurarii, taxā aliquam inter se, pro cuiusq; ipsarū facultate redituum annuorum, constituere, aut aliàs ratam partem redituum, pro vt cuilibet ex Congregationibus prædictis minùs incommodum, & damnosum esse, nouo dicto Monti applicare, quæ sufficiens sit pro summâ sexaginta millium scutorum aureorum huiusmodi, quam ab eis hoc modo recipi volumus, congregandâ; factâque Taxâ huiusmodi, eandem Monti prædicto Nouennali, vltrà alias Taxas, seu ratam redituum dicti Montis, quas singulæ dictarum Congregationum soluere, vsque in hunc diem obligatæ existunt, assignare applicare, & incorporare, ac super Taxâ, seu ratâ sic faciendâ, assignandâ, & incorporandâ, postquam, vt præfertur, assignata, & incorporata fuerit, totidem loca, quorum fructus soluuntur, persoluantur, prædicto Monti addere, quot pro summâ prædictâ sexaginta millium scutorum aureorum congerenda, necessaria erunt. Necnon eisdem omnibus Procuratoribus Generalibus postquam per dictos duos Taxa, & assignatio prædictæ factæ fuerint, eam super Taxâ inter ipsas Congregationes, pro ratâ quamlibet suarum Congregationum respectiuè tangente nominatim dictas Congregationes, vnusquisque Procurator Generalis, videlicet suam, etiam si ab eâ speciale mandatum in Capitulo generali, vt aliàs iuxtà Constitutiones ipsarum Congregationum factum non habeant, suaque bona, ac redditus, & prouentus vniuersa, etiam in ampliori formà Cameræ Apostolicæ obligare, & hypothecare nominatim possint, debeant, & teneantur quàm super assignatione, & incorporatione illius dicto Monti faciendâ, ipsiusque Montis augumento; nec non super summâ prædictâ sexaginta millium scutorum inde redigendâ Nobis in subuentionem prædictam tradendi, & assignandi vnum, vel plura Instrumenta, cum conditionibus, renunciationibus, commissionibus, obligationibus, etiam in dictâ ampliori formâ Cameræ Apostolicæ, pactis, decretis, cautelis, & clausulis quomodolibet necessarijs, & opportunis celebrare, ac alia quæcunque super his, etiam pro maiori Montis prædicti, illiusque Collegij Montistarum, ac aliorum, qui pecunias in eodem Monte collocauerint, securitate necessariâ, & opportuna facere, & exequi, ac vberiùs ipsis modernis, & futuris pro tempore Congregationum prædictarum Procuratoribus Generalibus, vt in earum quisque Congregationibus, taxam, vt præfertur, statuens pro ratâ eas respectiuè tangente, inter Monasteria, & Conuentus earum diuidere, & ab illis exigere, & Depositario dicti Montis, quē ipsas Congregationes tàm pro præsenti additione, quā pro primâ dicti Montis erectione, & illius additione, anno superiori factâ, etiam Modernum Depositarium, nisi Depositariam ipsam titulo forsan oneroso obtineat, ad eorum libitum amouendo, deputare posse concedimus quotannis, prout de antiquis taxis, seu ratis fieri consueuerit, consignare; cum facultatibus, & auctoritatibus solitis liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, plenam, amplam, liberam, & vniuersam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Et nihilominùs omnia, & singula premissa, ac alia earum vigore per dictas Congregationes, seu earum Procuratores prædictos, cum interuentu dicti Thesaurarij Generalis facienda, & instrumenta desuper celebranda, cum omnibus in illis contentis ex nunc, prout ex tunc, postquam facta & celebrata fuerint, auctoritate, & tenore præmissis confirmamus, & approbamus, ac præsentium Nostrarum litterarum munimine roboramus; omnesque, & singulos, tàm iuris, quàm facti, & etiam solemnitatum forsan substantialium quomodolibet emissarum, si qui interuenerint in eisdem; præcipuè verò defectus Mandatorum specialium ad præmissa facienda requisitorum, motu, & scientiâ similibus, pari auctoritate, & tenore supplemus; eaque omnia, & singula valida, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtineri debere, ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas perindè, ac si ipsi Procuratores, illa cum speciali earum mandato, obligassent, ac alios, ad quos spectabit, firmitèr obseruanda esse; sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Præsidentes, Clericos, ac S. R. E. Camerarium Thesaurariumque prædictum, & alios ipsius Cameræ Ministros; sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; Irritumque, & inane, quicquid secùs, super his a quoquam, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Decernimus, & declaramus præterea, pro maiori Montis prædict. illiusque Collegio Montistarum, necnon eorum, qui pecunias suas in dicto Monte collocarunt cautelâ, & securitate ex nunc paritèr, prout ex tunc, postquam dictus Mons, vigore præsentium, ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit, quod tàm antiqua, quàm noua loca augenda huiusmodi, vnum; idemque Montis corpus, ac vltimorum locorum emptores, cum antiquis Montistis vnum, idemque Collegium, absque aliquâ prorsus ratione prioritatis, seu posterioritatis differentiâ constituatur, ac posteriora loca, illorumque emptores, omnibus, & singulis gratijs exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, priuilegijs, quibus antiquiora loca, illorumque possessores, iuxtà dicti Montis erectionis formam, vtūtur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere possunt, & poterunt, ac in futurum pariformitèr, & æquè principalitèr, vti, potiri, & gaudere possint, valeant, & debeant, in omnibus, & per omnia, absque aliquâ similiter differētia, statuimus, & ordinamus. Volumusque etiam eisdem Procuratoribus Generalibus, seu duo ab ipsis Procuratoribus deputatis dictarum Congregationum concedimus, vt loca prædicta Montis vigore præsentium, augendi, cum interuentu dicti Thesaurarij Generalis, cuicumque Mercatori, seu alijs personis meliorem cōditionem offerentibus, pretio inter eos conueniendo, vendere, & alienare, pretiumque inde redigendum penès Dilectum Filium Iosephum Iustinianum Depositarium Nostrum Generalem, seorsum ab alijs Nostris pecunijs deponere, ita vt inde, nisi pro præstandâ dicto Rodulpho Imperatori Electo, destinatâ ope, vel casu quo bellum, antequam dictæ pecuniæ in vsum prædictum conuertantur, cessaret, ad effectum restituendi ipsis Congregationibus, pro redemptione dicti Montis, percipi minimè valeant, nec in alios quoscunque, quam in prædictos vsus conuerti, nullatenùs possint, liberè similitèr, ac licitè possint, etiam opportunām ad hoc quoque illis facultatem impartimur.
2 Vt autem prædictæ Congregationes tali onere subiectæ, aliquâ in parte, alijs; si quæ

quæ imponentur imposterum alleuietur; Motu, & scientiâ similibus confirmantes, & auctoritate Apostolicâ approbantes in primis facultates, & exemptiones eisdem Congregationibus concessas, per felicis record. Pium V. Prædecessorem Nostrum, sub Datum Romæ Anno 1570. 14. Kalend. Aprilis, Pontificatus sui, Anno sexto, earum singulas, & ipsarum Superiores, Abbates, Præpositos, Patres, Monasteria, Capitula, Conuentus, Prioratus, Membra, Grangias, & bona omnia, & singula, tàm præsentia, quàm futura, cuiuscunque qualitatis, quantitatis, valoris, & naturæ, & vbicumque existentia, & consistentia, quocumque nomine nuncupentur, ab omnibus, & quibuscunque Decimis vniuersalibus, & particularibus, à Nobis, seu Successoribus Nostris quoquomodo, etiã ad eiusdẽ, vel alterius Imperatoris, Regũ, Ducum, etiam Sabaudię, Principum, seu aliorũ quorumcũq; instantiam, præterquã Dominij Venetorũ, & ex quibuscunque causis, etiam prædicta longè maioribus, vrgentissimis, & necessarijs, etiam hic nõ expressis, & de necessitate exprimendis, hactenùs impositis, & post hâc forsan imponendis. Et propterea ab omni contributione, collatione, taxâ, tàm ordinariâ, quàm Apostolicâ auctoritate, in quocumque loco Nobis, & Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto, ad instantiam Communitatum Castrorum, & Oppidorum pro extinctione, & liberatione debitorum, per easdem Communitates, & Vniuersitates, hactenùs contractorum, seu contrahendorum in futurum imponenda, liberamus; saluis tamen omnibus exemptionibus ab alijs Summis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, dictis duodecim Congregationibus concessis; ita vt illa, prout sunt, confirmata censeantur. Necnon saluis, exemptionibus, quæ de iure dictis duodecim Congregationibus competunt; easdem quoque, & earum singulas similitèr eximimus, & liberamus à quocumq; supplemento integræ quartæ partis fructuum secundum verum valorem, per dictas Congregationes, & prædictarum constitutionibus persoluendo. Si quidem tamen vltrà summam, quam hactenùs soluerunt, & in futurum soluent, prætendi à Nobis, & successoribus Nostris, & Camerâ Apostolicâ potest, quod totum illis benignitèr condonamus, & tam quo ad præterita, quam in futurum gratiosè in Domino elargimur. Necnon simili modo easdem eximimus, & liberamus ab omni obligatione extinguendi, seu redimendi, infra certum tempus nõdum elapsum, ratam portionem sibi tangentem dicti Montis Nouennalis, si quæ forsan, ex ipsis tali obligatione obstrictè tenentur, ex quâuis conuentione cum Camerâ Nostrâ Apostolicâ, siue in eius Ministris, quibusuis, quâcunque ex causâ hic non expressâ, & forsitan de necessitate exprimendâ, reponentes eas in pristinâ suâ libertate, & facultate dictum Montem Nouennalem extinguendi quando, & quotiescumque magis commodum fuerit, & libuerit. Et nihilominùs earum Abbates, Priores, & alios Ministros, & Officiales in Domino enixè rogamus, & hortamur, vt liberationi dictarum suarum Congregationum quanto citius studeant, & inuigilent. Decernentes prædictas litteras vllo vmquam tempore, etiam ex eo, quod prædictæ Congregationes præmissis expresè, & nominatim non consenserint, aut aliàs quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, inualidari, infringi, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut sub vllis reuocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus, aut modificationibus comprehendi, nisi de earundem præsentium toto tenore specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit, sicque per quoscunque paritèr supradictos, aut alios Iudices ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, sublatâ ijs similitèr, & cuilibet eorum, quâuis aliàs iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quo circà Camerario, & Thesaurario prædictis, & Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorũ per se, vel alios vbi, quãdo, ac quotiès opus fuerit, præsentes litteras, & in eis contenta quęcunque solemnitèr publicantes, & in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio, assistẽtes, faciãt auctoritate Nostrã, omnia, & singula in præsentibus expressa, ac illarum vigore facienda quæcunque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectare poterit, inuiolabilitèr obseruari. Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstante Regulà Nostrà de iure quæsito non tollendo, ac alijs quibusuis Apostolicis Constitutionibus, præsertim fel. recor. Simachi, Pauli II. Pauli IV. Pij V. & aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum De rebus Ecclesiæ nõ alienandis, ac Gregorii XIII. super reductione dicti Montis Nouennalis, ac quibuslibet obligationibus, de redimendo infrà certum tempus, Montem prædictum ab ipsis Congregationibus, aut quacunque ipsarum, factis, earundem quoq; Congregationum, & cuiuslibet earum Monasteriorumque singularium statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, ipsis Congregationibus, & Monasteriis in contrarium præmissorum quomodolibet, ac sub quibusuis verborum formis, etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliis insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis concessis, confirmatis, approbatis, & inuocatis. Quibus omnibus, & singulis; etiam si pro sufficienti earu m derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expresio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil prorsus ommisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent præsentibus pro expresis habentes, ad effectum præmissorum specialitèr expresè, ac latisimè derogamus, ac derogatum esse volumus, ac omnibus illis, quæ in erectione dicti Montis Nouennalis concessum est non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die .. Maii 1595. Pontificatus Nostri Anno quarto. M. Vestrius Barbianus.

## CONSTITVTIO CCXLIX.

### *SVMMARIVM.*

*1597. Iunij 3.*

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Card. Sac. Concilii Tridentini Interpretum. Quod licentiâ*

*centiæ ingrediendi claustra Monialium Congregationi Casinensi subiectarum, & à Superioribus eiusdem Congregationis Casinensis tantummodo, non ab Ordinariis locorum, eorumque Vicariis, concedantur.*

*Ex Arch. S. Euph. Brix. Arm. II. lib. 47. fol. 132.*

Illustriss., & Reuerendiss. Signori. Il Procuratore Generale della Congregatione Casinense humilissimamente supplica VV. SS. Illustriss., & Reuerendiss. che si degnino dichiarare con particolar decreto, à chi s'appartenga dare licenza à Medici, ò altri Laici, che in occasione di precisa necessità doueranne entrare nelli Monasterii delle Monache soggetti à Prelati della sua Congregatione; se appartenga à Signori Vescoui, ò suoi Vicarij, ouero à Prelati alla cui custodia sono gli Monasterij predetti.

Sacra Congregatio censuit huiusmodi licentias ex verà tantum necessitate concedendas, quoad Monasteria Regularibus subiecta, pertinere, tantum ad ipsos Regulares Superiores. Hieronymus Card. Mattheius. Locus † signi.

## CONSTITVTIO CCL.

### SVMMARIVM.

1599. *Iunij* 20.

### CLEMENS PAPA VIII.

*Renouat, & ampliat Decretum de Nouitijs ad habitum regularem non recipiendis, nisi in Monasterijs, & locis designandis.*

*Ex impresso.*

Sanctissimvs in Christo Pater, & D. N. D. Clemens, Diuinâ prouidétiâ Papa VIII. Cum iam dudum animaduerteret collapsæ Regularis disciplinę restitutioni, pro quâ potissimum, iuxtà sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre: quod in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis varijs Constitutionibus male affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa nouitèr profitentium germina, quotidie succrescant: cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua, omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque Religionis institutum redigendi, districtè prohibuerit, nè quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profiteretur uè, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodiùs, regularis obseruantia, secundùm reformationem à Sanctitate suâ institutam, introduci. Quia tamen, non obstante tali prohibitione, cognouit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate suâ obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos, præter mentis suæ sensum. Idcircò huic malo prospicere volens, nè licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis suæ irritum reddatur. Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscunque, cœterisque Superioribus, Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum quocunque nomine appellentur, intrà Italiam, & Insularum adiacétium fines existentium, quorumcunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia, necnon Capuccinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalciatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Foliensis Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, S. Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum, respectiuè Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quæ etiã antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) Ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per litteras in formâ Breuis duntaxat, & non aliàs, quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam Cõuersos, nisi in Conuentibus, Monasterijs, & Domibus, auctoritate eiusdem S. D. N. propediem in vnâquaque Prouinciâ designandis, recipere aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant. Quinimmò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum aut sine caputio gerant, post pręsentis Decreti in Romanâ Curiâ publicationem, omnino eijcere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuę & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, domos, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hactenùs permissione suâ constituerint.

Cæteras verò licentias, siue particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, priuilegijs, statutis, & constitutionibus quibuscunque in contrarium minimè obstantibus.

Datum Romæ apud S. Marcum, die 20. Mensis Iunii 1599.

## CONSTITVTIO CCLI.

### SVMMARIVM.

1601. *Feb.* 14.

*Decretum S. Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. super negotiis Regularium. Quod Canonici Regulares Lateranenses in linea veste, Clericaliq; habitu debeant*

*beant assistere Orationi Quadraginta horarum in Ecclesiâ S. Sebastiani de Rauennâ, ad hoc vt Monachos Casinenses præcedant.*

*Ex impresso.*

All' Illustrissimi & RR.SS.Cardd.della Congregatione de Vescoui,& Regolari. Per il Monasterio di San Vitale di Rauenna.

ILLVSTRISSIMI & Reuerẽdissimi Signori. Nella Città di Rauenna, à gratificatione della Mag. Città, il Lunedì Santo si fa vna Processione, nella quale interuiene tutto il Clero Secolare, & Regolare, & subito fornita s'entra all' Oratione delle Quarant' hore nella Chiesa chiamata S.Sebastiano; & nella prima hora entra il Reu.Clero, nella seconda hora entrano i Reu. Canonici Lateranensi, nella terza i Reu.Monachi Casinen. dell' Ordine di San Benedetto. Ma perche da alquãti anni in quà i Reu. Canonici Lateranensi nella seconda hora, sono entrati con la cappa negra; i Monachi Casinen. inherendo alla sentenza data, della quale se ne dà copia, hanno continuamente preteso contra i Reuer. Canonici; & acciò per l'auuenire non seguitino più proteste, & conseguentemente scandalo; Si supplica le SS.VV. Illustrissime, & Reuerendiss. per parte di detti Reu. Monaci Casinen. della Città di Rauenna, che vogliano con Decreto suo ordinare, che sia seruata la sentenza predetta, & i transgressori dall' Ordinario della Città siano puniti, conforme alla citata Constitutione, & di questo se ne prega le SS. VV. Illustrissime, & Reuerendissime per pace delle parti, & honore di Dio, quale si desidera felice alle SS. VV. Illustrissime, & Reuerendissime.

Ex Constitutione Pij Papæ IV.

Per Nostram diffinitiuam sententiam, sententiamus, & declaramus Abbates, Prelatos, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis, vti Clericos, dimissa superiori veste, pallio, seu cappâ, in lineâ veste, Clericaliq; habitu incedentes, in Processionibus, & omnibus alijs actibus publicis, & priuatis, tàm in Almâ Vrbe, quàm in alijs, & vniuersis Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & Locis, Abbatibus, Prelatis, & Monachis Ordinis Sancti Benedicti, & eorum Congregationi in omnibus, & singulis præmissis præferendos, & anteponendos, & in digniori loco collocandos fore, & esse.

Abbates verò dictarum Congregationum singularitèr, & de per se, absque eorum Conuentibus, in Concilijs generalibus, Prouincialibus, & Synodalibus, ac alijs actibus publicis, & priuatis in quibus de iure, vel de consuetudine locum, & vocem habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter se, iuxtà singulorum ipsorum Abbatum ibidem interuenientium priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illorum promotione dumtaxat, non autem Congregationi, & Ordini cuius sunt, attentis præcedere, & præferri, & in digniori loco collocari debuisse, & debere; prout ex nunc pretulimus, & collocamus, præferriq; & anteponi, & collocari mandamus &c.

Referente Illustrissimo Domino Cardinale Parauicino, Sacra Cõgregatio Episcoporum, & Regularium negotijs præposita, Decreuit Canonicos Lateranenses in lineâ veste, Clericaliq; habitu Orationi Quadraginta Horarum interesse debere. Sicque in posterum obseruari, mandat. Romæ 14. Februarij. MDCI. Alex. Cardinalis Florent. Hier. Agucchius Secretarius.

## CONSTITVTIO CCLII.

### SVMMARIVM.

1609. Apr. 19.

## CLEMENS PAPA VIII.

1 *Montem Nouennalem auget ad summam quinquaginta millium scutorum auri super bonis Congregationis Casinensis, cæterarumq; Non Mendicantium Congregationum, pro Subsidio Romani Imperij in bello contrà Turcas.*

2 *Immunitates, exemptiones, & gratias per Summos Pontifices concessas eisdem Congregationibus, confirmat. Executores huius Constitutionis deputat.*

*Ex Priuil. Congr. Casin.*

CLEMENS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum Nobis in tanto vniuersæ Christianæ Reipublicæ periculo, & necessitate ob iamiam imminentes bellorum procellas, Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Romanorum Regi Tertio in Imperatorem electo, ad ingentes Turcarum conatus, qui in illius ditionis fines dirumpere, minantur, reprimere arma paranti illam, quàm ferre possumus opem cupientibus, maxima sese offerat, præsentis, & numeratæ pecuniæ, quæ ad id necessaria est, comparanda, difficultas; quandoquidem illam, tum ob temporum calamitatem, tum ob redditiuum Cameræ, & Aerarij Nostri angustiam, etiam sub quibusuis interusurijs, maturè, prout opus est, reperire minimè possumus. Propterea duodecim Regularium Congregationes infrascriptas requiri fecimus, vt Nobis summam scutorum quinquaginta millium auri ad rationem iuliorum duodecim pro quolibet scuto, quâ nunc indigemus, tradere vellent, ipseque Congregationes hilari, ac prompto animo id præstituras obtulerunt. Nos itaque vt dictam summam minori, quâ fieri possit earumdem Congregationum incommodo congerere valeant, Montem Nouennalem aliàs in huiusmodi Sedis Apostolicæ necessitatibus per easdem Congregationes erectum, & pluriès auctum, iterum ad eandem summam scutorum quinquaginta millium augendi facultatem concedere decreuimus. Itaque, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ Nobis attributæ potestatis plenitudine, Congregationibus prædicti videlicet Lateranensi Canonicorum Regularium sub Regulâ Sancti Augusti, Casinensi, & Montis Oliueti, Ordinis Sancti Benedicti, Carthusianorum, Camaldulensium, Cœlestinorum S. Saluatoris Bononiensis Canonicorum Regularium, Vallis Vmbrosæ, Cruciferorum, Sancti Georgij in Algâ paritèr Canonicorum Regulariũ, Cistercensiumque Lombardiæ, ac S. Hieronymi, eorumue Procuratoribus, seu Viceprocuratoribus, quamuis ad hoc speciale mandatum non habeant, vt per Dilectos Filios Constantium Laudensem Abbatem, & Procuratorem Generalem Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, & Flauium Eugubinum Procuratorem Generalem Canonicorum Regularium Congregationi Sancti Sal-

Saluatoris, ad infrascripta per alios singularum Congregationum Procuratores Generales electos, & deputatos, nomine omnium, cum interuentu Dilecti Filij Nostri, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarij Generalis, taxam aliquam inter se, pro cuiusque ipsarum facultate redditituum annuorum, constituere, aut aliàs ratam partem redditituum, prout cuilibet ex Congregationibus prædictis minùs incommodum, & damnosum esse; ac magis expedire iudicauerint, assignare, dictamque ratam eidem Monti applicare, quæ sufficiat pro dictâ summâ scutorum quinquaginta millium congerenda, factâque taxâ huiusmodi, eamdem Monti Nouennali prædicto, vltrà aliàs taxas, quas singulæ Congregationes hactenùs soluerunt, ac soluere obligatæ sunt, assignare, applicare, & incorporare, ac super taxâ, seu ratâ sic faciendâ, assignandâ, & incorporandâ totidem loca prædicto Monti cedere, quot pro summâ prædictâ scutorum quinquaginta millium congerenda necessaria erant, necnon eisdem omnibus Procuratoribus, seu Viceprocuratoribus Generalibus, postquã per dictos duos taxa, & assignatio prædictæ factæ fuerint, tam super taxâ inter ipsas Congregationes pro ratâ quamlibet tangente, nominatim dictas Congregationes, vnusquisque Procurator Generalis, videlicet suam, etiam si ab eâ speciale mandatum in Capitulo Generali, aut aliàs iuxtà Constitutiones ipsarum Congregationum factum non habeant, suaque bona, redditus, & prouentus, ac iura vniuersa, etiam in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ obligare, & hypothecare nominatim possint, & debeant, quàm super assignatione, & incorporatione illius dicto Monti facidâ, ipsiusq; Montis augumento, necnon super summâ prædictâ quinquaginta millium scutorum inde regendâ, Nobis in subuentionem prædictam vnum, vel plura Instrumenta, cum conditionibus, obligationibus, & cautelis, etiam in eâdem Cameræ Apostolicæ formâ, & cum pactis, clausulis, & decretis necessarijs, & opportunis celebrare, & alia quæcumque super his, etiam pro maiori Montis prædicti, illiusque Collegij, & omnium, qui suas pecunias in eodem Monte collocauerint, securitate, necessaria, & opportuna facere, & exequi; ac vlterius ipsis modernis, & futuris pro tempore Congregationum prædictarum Procuratoribus, seu Viceprocuratoribus Generalibus, vt in earum quisque Congregationibus taxam, vt præfertur, statuendam, pro ratâ eas respectiuè tangentem, inter Monasteria, & Conuentus earum diuidere, & ab illis exigere, & Depositario dicti Mõtis pro præsẽti adiectione, quã pro primæuâ dicti Mõtis erectione, & alijs dicti Mõtis additionibus, etiam modernum Depositarium; nisi Depositariam ipsam titulo forsan oneroso obtineat; ad eorum libitum amouendum, deputare posse concedimus, quotannis, prout de taxis antiquis, seu datis fieri consueuerit, consignare, cum facultatibus, & auctoritatibus solitis, liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, plenam, amplam, liberam, & vniuersam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Et nihilominùs omnia, & singula præmissa, ac alia, eorum vigore, prædictas Congregationes, seu earum Procuratores, ac duos Deputatos prædictos, cum interuentu dicti Thesaurarij Generalis facienda, & Instrumenta desuper celebranda, cum omnibus in illis contentis, & continendis ex nunc, prout ex tunc, postquam facta, & celebrata fuerint, auctoritate, & tenore præmissis confirmamus, & approbamus, ac præsentium Nostrarum litterarum munimine roboramus, omnesque, & singulos, tàm iuris, quàm facti, etiam solemnitatum forsan substantialium quomodolibet omissarum, si quæ interuenerint in eisdem, præcipuè verò defectus mandatorum specialium ad præmissa facienda requisitorum, Motu & scientiâ similibus, pari auctoritate, & tenore supplemus, eâque omnia, & singula valida, firma, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas, perinde, ac si Procuratores illos cum speciali eorum mandato obligassent, ac alios, ad quos spectabit firmitèr obseruanda esse, sicque per quoscunque Indices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, ac S.R.E. Camerarium, Thesaurariumque prædictum, & alios ipsius Cameræ Ministros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quicquid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Prætereà pro maiori Montis prædicti, illiusque Collegij Montistarum, & eorum, qui suas pecunias in dicto Monte collocabunt, cautelâ, & securitate, ex nunc paritèr, prout ex tunc, postquam dictus Mons, vigore præsentium, ad prædictam locorum quantitatem auctus fuerit, quòd tàm antiqua, quàm noua loca augenda huiusmodi, vnum, idemque Montis corpus, ac vltimorum locorum emptores, cum antiquis Montistis, vnum ac idem Collegium, absque aliquâ prorsus ratione prioritatis, seu posterioritatis differentiâ constituatur, ac posteriora loca, illorumque emptores, omnibus, & singulis gratijs, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, priuilegijs, quibus antiquiora loca, illorumque possessores, iuxtà dicti Montis erectionis formam, vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pariformitèr, & æquè principalitèr vti, potiri, & gaudere possint, valeant, & debeant, in omnibus, & per omnia, absque aliquâ aliâ differentiâ, statuimus, & ordinamus. Volumusq; etiã, ac si eisdem Procuratoribus Generalibus, seu prædictis duobus ab ipsis, & Procuratoribus deputatis dictarum Congregationum, concedimus, vt loca prædicti Montis vigore præsentium augenda, cum interuentu dicti Thesaurarij Generalis, cuicumque Mercatori, seu alijs personis meliorem conditionem offerentibus, precio inter eos conueniendo vendere, & alienare valeant, preciumque inde redigendum, cui, vel quibus à Nobis, seu Thesaurario prædicto mandatum, & ordinatum fuerit titulo, & causâ subuentionis prædictæ soluere, & consignare debeant.

2 Declarantes, quod per huiusmodi subuentionem Nobis, vt præmittitur faciendam, priuilegijs, immunitatibus, exẽptionibus, & gratijs, tã per fel: re: Pium V. Prædecessorem Nostrum per eius litteras sub Datum Anno 1570. decimosexto kalendas Aprilis, Pontificatus sui Anno sexto, quam per Nos vigore litterarum Nostrarum sub annulo Piscatoris, die quintâ Maij 1595; ac etiam per alias Nostras litteras in forma Motus proprij de anno 1597. seu alias eisdem Congregationibus concessis, nullatenùs præiudicatum sit, aut esse censeatur. Ideo Priuilegia, immunitates, exemptiones, & gratias prædictas, ac etiam omnes, & quascumque alias gratias, immunitates, & priuilegia per quoscumque Prædecessores Nostros quomodolibet concessa, quatenùs tamen sint in vsu, & Decretis Sacri Concilij Tridẽtini

tini non aduersentur, harum serie, quatenùs opus sit de nouo confirmamus, approbamus, & innouamus, illosque eisdem Cõgregationibus inuiolabilitèr obseruari mandamus, etiam si tàm litteræ Pij Quinti; quam Nostræ, & aliæ quæcumque super præmissis in Camerà Apostolicà registratæ non essent. Non obstantibus constitutionibus Pii Quarti similitèr Prædecessoris Nostri, de quibuscumque litteris, & gratiis interesse Cameræ concernentibus registrandis. Volentes etiam quod præsentes Nostras in eàdem Camerà registrare, aut registrari facere, minimè teneantur. Decernentes prædictas litteras vllo vnquam tempore, etiam ex eo quod prædictæ Congregationis præmissis expresse, & nominatim non consenserint, aut alias quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, aut alio quocumque defectu, notari, impugnari, inualidari, infringi, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut sub illis reuocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus, aut modificationibus comprehendi, nisi de earumdem præsentium toto tenore, specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit, sicque per quoscumque paritèr supradictorum, aut alios Iudices ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, sublatà eis similiter, & cuilibet eorum quàuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Camerario, & Thesaurario prædictis, & Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes, committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alios, vbi, quando, & quotiès opus fuerit præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, & in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostrà omnia, & singula in præsentibus expressa, ac illarum vigore facienda quæcumque, ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectare poterit inuiolabilitèr obseruari. Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque iuris, & facti remedia necessaria, & opportuna, appellatione postpositâ compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstante Regulâ Nostrâ de iure quæsito non tollendo, ac aliis quibusuis Apostolicis Constitutionibus, præsertim fel. recor. Symmachi, Pauli Secundi, Pauli Quarti, Pii Quinti, & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Predecessorum Nostrorum. De rebus Ecclesię non alienandis, ac Gregorii Decimitertii, super reductione dicti Montis Nouennalis, ac quibuslibet ab ipsis Congregationibus, aut ipsarum qualibet factis, earundem quoque Congregationum, & cuiuslibet earum Monasteriorumque singularium statutis, & consuetudinibus, priuilegiis, quoque indultis, & litteris Apostolicis ipsis Congregationibus, & Monasteriis in contrarium præmissorum quomodolibet, sub quibuscumque verborum formis, etiam derogatoriarum derogatoriis, alisque insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis; concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica, expressa, & indiuidua mentio, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil prorsus omisso, & formâ in illis traditâ, & obseruatâ, insertâ foret, præsentibus pro expressis habentes ad effectum præmissorum specialiter, expresse, ac latissimè derogamus, ac derogatum esse volumus, ac omnibus illis, quæ in erectione dicti Montis Nouennalis concessum est, non obstare, cœterisque contrariis quibuscunque. Volumus etiam, quod præsentis Nostri Motus proprii cædulæ, sola signatura, & sine data, & registratura sufficiat, & tàm in iudicio, quàm extrà, Regulâ contrariâ non obstante, fidem faciat; Et nihilominus litteræ tam in forma Breuis sub annulo Piscatoris, quam sub plumbo expediri possint, cum clausulis necessariis, & opportunis.

Placet Motu proprio Hi.

Die vigesimanonâ Mensis Aprilis 1601. Supradicta Motus proprii cedula in stipulatione Instrumenti additionis, & venditionis supradicti Montis fuit mihi Notario infrascripto, exhibita, & consignata.

## CONSTITVTIO CCLIII.

### SVMMARIVM.

1602. Iunij 10.

*Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum, Dominorum Cardinalium Sacris Ritibus Præfectorum, pro exemptione Monachorum Casinensium ad interessendum Processionibus, præterquam in solemnitate Sanctissimi Corporis Christi.*

*Ex impresso.*

Pro Monacis S. Sixti Congregationis Casinensis Placentiæ commorantibus narratum fuit, quod ipsi Monaci nunquam in eàdem Ciuitate, nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, pręterquam ad Processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc verò Episcopus vult eos cogere, vt accedant etiam ad Processiones, quæ fieri solent pro Rogationibus maioribus, & minoribus singulis annis, ad quas nunquam anteà accesserunt; & propterea petierunt non astringi vltrà eorum solitum, & consuetum.

Congregatio Sacrorum Rituum respondit. Monachos prædictos, non esse vllo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, iuxtà eorum antiquam consuetudinem, quam tàm dictis Monacis Placętiæ commorantibus, quàm alijs eiusdem Congregationis Casinensis, vbique conseruandam esse censuit, & declarauit die 10. Iunij 1602. Dominicus Episcopus Ostiensis Card. Pinellus. I.P. Mucantius Secret. Congregationis.

## CONSTITVTIO CCLIV.

### SVMMARIVM.

1603. Martij 19.

CLEMENS PAPA VIII.

1 *Disquisitionem exactissimam fieri præcipit à Superioribus Religionum in Nouitiorum receptione, circa vitam, anteactam, mores, studia, natalia, crimina,*

mina, debita, administrationesque eorum.

2 Eâ litterarum scientiâ præditos fore recipiendos, ac in eâ ætate, quâ ad Sacros Ordines suo tempore accipiendos, per consequentinm studiorum habitum, reddantur idonei. Quod si annum vigesimum quintum excedere, nec eâ, tum sufficientiâ literarum, quam ad Sacros Ordines requiratur inueniantur imbuti, ad Conuersorum habitum, tantummodo recipiendos.

3 Circà motiuum suæ vocationis, quo scilicet spiritu, quâ mente, quo fine ad Religionem ducantur, diligentissimè exquirendum.

4 Ante receptionem, de Regulâ, ac formâ viuendi, & de trium Votorum substantialium efficaciâ esse edocendos.

5 Oblatos, Conuersos, & alios inferioris ordinis, iuxtà vniuscuiusque Religionis Constitutiones fore admittendos.

6 Generali peccatorum Confessione ante habitus receptionem, fore expiandos.

7 Nouitiatum à cæteris habitationibus Professorum segregatum, ac clausum requiri, cum singulis cellulis, & Clausurâ separatâ, Oratorio, Horto, alijsq; commoditatibus, prout decens fuerit; Magistro Nouitiorum, Socio, ac Nouitijs tantummodo inseruituris.

8 Nulli accessum patere ad Nouitiatum, nisi Magistro Nouitiorum, Socio, ac Superiori Monasterij, qui in ingressu, secum seniorem aliquem sociare tenetur.

9 Clauem Nouitiatus à Nouitiorum Magistro tantum asseruendam. Ipsiq; tantum ad alloquendum Nouitios, graui tantum ex causâ, quempiam admittere, licere.

10 Socium probatæ vitæ, si Nouitiorum numerus id exegerit, Magistro adiungendum. Vtrumque per Capitulum, aut Visitatores ad triennium ad minus eligendum.

11 Magistri Nouitiorum, ac Socij mores, doctrinam, ætatemq; præscribit.

12 Absolutam in Nouitios potestatem habere Magistrum.

13 Exercitia, ac Institutiones Nouitiorum præscribit.

14 Mentali Orationi bis quotidie incumbendum à Nouitijs.

15 Confessiones Nouitiorum à solo Magistro excipiendas. Licere tamen Superiori semel, aut bis in anno alium deputare.

16 Missæ Sacrificio, ac Choro diurnis, nocturnisque horis assiduè interesse.

17 Exercitationibus spiritualibus, modestas recreationes esse intermiscendas.

18 Cum Professis non conseruandum, nec cum eis, nisi in Choro, Refectorio, vel actibus publicis commorandum.

19 Nouitium, prouectiorē ætate, ac moribus, à Magistro sibi substituendum, aut Socio, pro clausuræ Nouitiatus custodiâ, & rebus leuioris momenti.

20 Conuersorū, seu Commissorum institutionem, statuit.

21 Clericos decimo sexto, Conuersos vigesimo primo ætatis anno, non ante, ad Professionē admittendos.

22 Conuersos in Clericorum numerum, etiam anno probationis, recipiendos non esse.

23 Professionem vniuscuiusq; in libro ad id deputato registrandam.

24 Monasterijs in quibus fiunt Filiationes, licere proprios Nouitios ad Monasteria pro Nouitiatibus deputata transmittere suorum Monasteriorum nomine educandos, ac profitendos.

25 Numerum Nouitiorum, à Capitulo generali præscribendum.

26 Professos, elapso probationis anno, in loco, vel Monasterio à Nouitijs, cæterisque antiquioribus Professis separatos, vel in eodem Nouitiatu, pro cuiusq; Religionis instituto, constituendos, ac iuxtà formam in Nouitiatu obseruatam exercendos; nec in externis officijs implicandos, ad ætatem vsque Sacrorum Ordinum suscipiendorum, vel ad triennium saltem.

27 In locis tantummodo pro Nouitiatu designatis, non alibi id exerceri decernit.

28 Contrauenientes, priuationi Officiorum, alijsq; pœnis subijciuntur.

*Ex impresso.*

CLEMENS Papa VIII. Cum ad Regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasterijs propagandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam, maiorem vim habuisse compertum sit, quàm vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem suprà numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo atque ex præcipuo desiderio illi inseruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Idcircò, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur; Præcipitur omnibus, & singulis ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitiis, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in Magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in Sacris Canonibus, & decretis præsertim Concilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuscunque Ordinis, aut Instituti, Constitutionibus continentur, tàm in aliàs designatis, quàm nunc, & in posterum designandis Monasterijs, & Conuentibus, hæc, quæ sequuntur, inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curent.

1 Primum quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltrà diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus corporis habitudine, moribus, & vitâ anteacta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxtà formam Constitutionis fel. record. Sixti V. & moderationum subsecutarum. Illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt quibus in Monasterijs, & Conuentibus, ex Apostolicâ facultate Nouitiatus fuerint instituti, in ijs ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones à Sacris Canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, iuxtà decretum super formâ recipiendi Nouitijs, die 19. Maii

Maij 1602. editum. 2 Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipitur regularia instituta,& ordinationes requirunt. Eam verò litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suis temporibus, maiores Ordines, inxtà Decreta Concilij Tridentini, suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens, ad habitum regularem admitti postulauerit,& talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum tantùm,quibus litterarum scientiâ non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum: & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.
3 3 Demum Superiores diligentèr exquirant, quo spiritu, quâ mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint,num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari possint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.
4 4 Prouideant quoque, vt omnes,etiam Conuersi, recipiēdi,priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs,quibus munus hoc incumbit,de Regulâ,quam professuri sunt, tribus Votis essentialibus,statuque regulari,& alijs cuiusque Ordinis peculiaribus Institutis, & Constitutionibus diligentèr instruantur.
5 5 Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conuersos ad professionem admittendos, verum, & Oblatos, vt vocant, recipere; circà ipsorum Oblatorum receptionem vnaquæq; Religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque instituta obseruare teneatur.
6 6 Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generale omnium peccatorum confessionem,totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant,& expurgent.
7 7 Quò verò ad loci qualitatem vniuscuiusque Nouitiatus spectat,locus huiusmodi propriâ clausurâ ab eà parte Conuentus, & Monasterij,in quà degunt professi, segregatus sit, àtque distinctus; habeatque tot ad dormiendum cellulas, separatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis, singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determiminatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur. In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hiemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant. Oratorium insuper, seu Cappellà, si commodè fieri poterit,ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in cæremonijs, Ecclesiasticisque functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque munitus adsit, sin minùs, hortum cæteris Fratribus communem, recreationis tempore, ingrediantur. Ipsis verò Nouitijs ibi commorantibus, curabit Magister, cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) nè in eundem quisquam alius ingrediatur.
8 8 Ad huiusmodi locum Nouitiatus, nemini eiusdem, vel alterius Ordinis Regulari etiam Conuentus, & Monasterij Officiali, vllo vnquam tempore, sub quouis prætextu, aditus pateat, præterquam Magistro, eiusque socio,ac etiam Monasterij,aut Conuentus Superiori,si quandocunque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus,vel Monasterij Patribus socium assumat.
9 9 Huius loci clausuræ clauis apud Magistrum semper asseruetur,illique soli liceat ex graui tantum causâ ingressum illuc alicui permittere. Si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit,Magistro præsente, & non alitèr alloquatur.
10 10 Nouitiorum Magistro, Socius (si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vitâ, & moribus, quoad fieri poterit consimilis) deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat. Eliganturque tàm Magister, quàm Socius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minùs,onus huiusmodi subituri. Quòd, si aliquo casu, extrà tempus capitulare, noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Nouitiorum, & Socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem: seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittitur: idemq; seruetur, si intrà triennium,alterum, vel vtrūq; vrgenti aliquâ de causâ ex illis locis amoueri,vel mori contigerit; in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.
11 11 Tam Nouitiorum Magister, quàm Socius ab ijs omnibus Officijs, oneribusque vacationem habeant,quę Nouitiorum curā, & regimen impedire valeāt. Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltē supra trigesimū ętatis suæ anno cōstitutus,& per decenniū à professione emissâ in religione perstiterit:Socius verò trigesimum annum excedat, sintq; ambo doctrinâ,& quantum,per superiorem diligentiam,& vires fieri poterit,vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes,orationis prætera, & mortificationis operibus addicti,prudentiâ,charitateq;referti,non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes:ab omni cordis,ac animi perturbatione, ita præsertim,& indignatione, quæ in se, & ergà alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni; & tales demum, qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum præbeāt;vt ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.
12 12 Habere etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem,ac Nouitiatus regimen; ita vt in illis nemini (Visitatoribus,ac Superioribus maioribus,vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.
13 13 Curam adhibeat diligentem, vt Nouitii omnes in regulari disciplinâ sedulo exerceantur, agnoscantq; præcipuè diuinæ,quâ digni facti sunt, vocationis præstantiam,& excellentiam, quæ vera sit atque perfecta Votorum solemnium, & quàm necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia,modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi,illicitas passiones & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata,omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam,& mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam,Confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianā motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem,per exercitium humilitatis circà viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus,
14 diuturnumq;silentium. 14 Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali,& vocali incumbat,vnusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluriès in die propriam conscientiam vnusquisque examinare con-

15 contendat. 15 Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum Confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori,etiam locali, si ita expedire iudicauerit,vel per se ipsũ, vel per aliũ ab eo deputandum,semel, aut bis in anno eorundem Nouitio-
16 rum Confessiones audire. 16 Quotidie Missæ Sacrificio intersint, & statutis horis in Choro,nocturnis,diuturnisq;Diuinis Officijs assistant. 17 Exer-
17 citationibus,etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales; modestam animi recreationem interponant,quæ in solitario loco, & commodo extrà Nouitiatum, semel in hebdomadà, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper Magistro præsente, vel Socio, qui multum inuigilent, nè duo ab alijs commorentur disiuncti,atque eo tempore, cuiusque, in quam na-
18 tura feratur, propensionem, scrutentur. 18 Non liceat eis,durante Nouitiatus,& probationis tempore,vnâ cum Professis,nisi in Choro,in Ecclesiâ tempore Officiorum,in Processionibus,aut in Cænaculo, causâ refectionis commorari,nec permittatur eis
19 Professos,domo exeuntes, comitari. 19 Pro communibus, & propriis cuiusque necessitatibus, quæ accidere possunt,vnus ex Nouitijs ipsis,ætate,moribusq;prouectior,deputetur,qui absente Socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat; cui etiam ianuæ custodia, & rerum leuioris momenti prouisio intrà Nouitiatum committi poterit.
20 20 Cum autem, licet Clericorum benè instituendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen Religiosa instructio non sit prætermittenda; quin potiùs æquanimitèr amplexanda; quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum Regulam profiteantur eandem, perfectam educationem,tum Religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Christifidelibus ędificationem,exemplum, atq;vtilitatem afferre,Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hâc separatione non obstante, Magistro Nouitiorum,seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum iuxtà cuiusque Ordinis statuta, & Constitutiones subditi esse,& obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circà corporalia obsequia probandi,& exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate,& commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentalitèr orandi, diligentèr instruendi erunt,quod,vt commodiùs fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitiis fieri solent,accersiri debeant, & in Ecclesijs,statutis horis conueniant, nisi tunc in suis Offi-
21 cijs actualitèr occupati fuerint; 21 Tempore verò probationis elapso,ij tantum, qui non solum Religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum, quo ad Clericos,decimumsextum,quo vero ad Conuersos, vigesimumprimum excesserint) ad professionem ad-
22 mittantur. 22 Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint,ad Clericorum statum transire, etiã
23 durante tempore probationis, non possint. 23 Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illamq;Nouitius professus propriâ manu,& duo testes,qui præsentes fuerint, subscribant. Conuersus verò litterarum ignarus,professus, in eorundem testium,qui se subscripserint, præsentiâ propriâ manu signum Crucis apponat,asseruetur,q;liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu Conuentuum pertinentes reponi consueue-
24 runt. 24 Quia verò in quibusdam Ordinibus Filiationis vsus est receptus,declaratur; quod licet decretum sit,vt Nouitijs educandis,certa Monasteria, aut Conuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum,& Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus Filiationis vsus receptus est,eos,quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint,in suorum locorum filios, iuxtà cuiusque Ordinis Constitutiones adscribere,sicq. adscriptos, cum iuxtà præsentes Institutiones,& aliàs,seruatis seruandis, ad Ordinem recepti fuerint,ad loca Nouitiatuum, cum testimonialibus litteris transmittere,vbi tanquam dictorum Conuentuum,seu Monasteriorum filij, eorundem nomine,& instantia recipi,ac in Nouitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conuentus Filiationis huiusmodi remittantur, in Professorio ad perfectionem,vt premissum est,exer-
25 ceri debebunt. 25 Porrò, nè loca vnius Monasterij,seu Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli generalis,aut Prouincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus,& eam similitèr rationem circà alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire,ac singulis Conuentibus, & Monasterijs præ-
26 scribere,quæ magis expedire videbitur. 26 Vt autem Nouitij iam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti,meliùs in bono spiritu, regularisq; disciplinæ obseruantiâ stabiliantur,& confirmentur; mandatur, vt statim post professionem emissam, si in Conuentibus, aut Monasterijs pro Nouitiatibus assignatis locus aderit secundi Nouitiatus,siue Professorij,ab eâ, quæ Nouitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus,& segregatus,ibi collocentur,si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat, sin minùs, in alium commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur,in quo is locus,cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur,vel accommodetur, aut de nouo construatur. Ab hoc tamen ille Religiones excipiuntur, quæ, suarum Constitutionum, seu Institutorum vigore,maioris tẽporis cursu nouos professos intrà Nouitiatum detinere consuescunt,quibus in hâc parte non derogatur; illis tamen permittitur, vt prædictis,earum Constitutionibus non obstantibus,id ipsum facere possint,si id rationi, ac Religioni magis expedire iudicauerint; quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam seruent antiquiores professi, ita quod in negotijs Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse,neque alicuius exterioris obedientiæ Officium exercere debeant;ibiq;permaneant, quousque ad ætatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint,vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt,quinimò, & debebunt litterarum studijs operam nauare sub directione, ac regimine Superioris,qui eas qualitates habeat,quibus Nouitiorum Magistrum præ-
27 ditum esse oportere dictum est. 27 Declaratur tamen, quod propter præmissa, non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præ-
28 scripto,vel præscribendo. 28 Deniq;si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij,ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint,seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresq; pro modo admissæ culpæ

pœnas, se subituros certò sciant. Dat. Romæ apud S. Petrum die 19. Martij 1603.

## CONSTITVTIO CCLV.

### SVMMARIVM.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. Sacri Concilij Tridentini interpretum.*

1 *Quod Regulares proprios ritus in Festis celebrandis exercere possint, nec ab Episcopis quicquam in contrarium præcipi possit. Conciones tamen, ac lectiones publicas ad vsum Cleri Sæcularis conforment.*

2 *Regulares, qui absque licentia Episcopi in alienis Ecclesiis prædicauerint, à suis Superioribus, non ab Episcopis sint puniendi.*

3 *Ad Processiones accedere non possint compelli Regulares, Monasteria vltrà medium milliare distantia à Ciuitate habentes.*

4 *Episcopi in Regularium Monasterijs, locis, & Ecclesijs quibus cura secularium animarum non imminet, nullam habeant facultatem, neque visitandi Sacristias, Paramenta seu Sanctissimam Eucharistiam.*

*Ex impresso.*

CONGREGATIO Concilii censuit. Decretum *Cap. 12. vers. dies etiam Festi, sess. 25. de Regul.* ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis diebus Festis semper permaneat, quoad Missas celebrãdas, & cœtera Diuina Officia, tàm publicè, quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda. Nec circà hæc ab Episcopis quoquo modo, quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse: Quod si de facto præceperint, Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verùm quoad Conciones, & Lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangelijs, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis vtitur illis diebus Festis.

2 Congregatio item Concilij censuit, Regulares, qui absque licentià Episcopi prædicauerint in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi decreto eiusdem Concilij *Cap. 2 sess. 5.* contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus Regularibus.

3 Congregatio Concilii etiam censuit, Regulares Monasterii vltrà medium milliare à Ciuitate distantis, non posse ab Episcopo compelli accedere ad Processiones.

4 Congregatio itidem Concilii censuit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios, vigore cuiusuis Decreti eiusdem Concilii, nullam habere facultatem quouis tempore in Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non imminet curam animarum personarum sæcularium, visitandi Sacristias, paramenta, Vasa sacra, Altaria, & cœtera huiusmodi, aut etiam Tabernaculum, seu Pyxidem in quà Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur. Hier. Card. Matthæius. Ioannes Franciscus Fagnanus Sacræ Cong. Concilii Secret.

## CONSTITVTIO CCLVI.

### SVMMARIVM.

*1603. Sept. 1.*

*Decretum Sacræ Congregationis Regularium super Præcedentià, tàm in Congregatione Patauinà, quàm in alijs, seruanda inter Monachos Casinenses, & Canonicos Regulares Lateranenses. Quod scilicet simplices Monachi, seu Canonici simul non admittantur in eàdem Congregatione, sed tantum Abbates, qui præcedant inuicem iuxtà antiquiorem promotionem ad Abbatiam. Vel si alter sit simplex Monachus, vel Canonicus, alter Abbas, Abbas semper præcedat Monachum, vel Canonicum simplicem. Item quod simplex Rocchettum sit habitus Clericalis.*

*Ex impresso.*

CVM inter Monachos Casinenses, & Canonicos Regulares Lateranen. annis præteritis orta fuisset controuersia, occasione præcedentiæ in quãdam Congregatione Patauinâ, prætendentibus Casinẽsibus, quod si Canonicus Lateran. præcedere velit, debeat Cottâ, seu Superpelliceo super Rocchetto indui, Canonicis autem contrarium asserentibus, & sententiam inter ipsas partes à Pio Papâ IV. felic. recor. latam allegantibus, re tunc delatâ ad Sacram Congregationem factum fuit decretum infrascripti tenoris.

Cum superioribus diebus die videlicet 4. Augusti præsentis anni 1603. S. D. N. Clemens Papa VIII. in Cõgregatione Illustrissimorum DD. Cardinalium super negociis Episcoporum, & Regularium, & ex voto eiusdem Congregationis super controuersiâ inter Canonicos Regulares Lateranen. & Monachos S. Benedicti Congregationis Casinen. ortâ occasione Præcedentiæ in Congregatione nuncupatâ, Sapientiâ, quæ in Ciuitate Pataui celebratur coram Episcopo, interuenientibus in eâ vno ex Canonicis, & vno ex Monachis prædictis, mandauerit obseruari, sententiam aliàs inter eosdem Canonicos & Monachos latam à felic. recor. Pio Papâ IV. prout iacet. Cumque deinde aliâ nouâ differentiâ in eadem Congregatione Patauinâ inter eosdemmet ortà sit, prætenden. Monachus Casinen, vt non solum Canonicus Regularis Lateranen. (ad hoc vt iuxtâ dictam sententiam sit præferendus, & anteponendus in digniori loco) teneatur dimittere superiorem vestem, pallium, seu cappam nigram: sed etiam induere super lineâ veste, quam Rocchettum vocant, aliud Superpelliceum lineum vulgò Cottam nũcupatam, quemadmodum solet fieri ab ipsis Canonicis Regularibus in publicis Processionibus. Eadem Sacra Congregatio, negotio maturè discusso declarauit sufficere, vt ipsi Canonici Regulares Lateranenses, in omnibus actibus publicis, & priuatis, & sic etiam in eâdem Congregatione Patauinâ remaneant (dimissâ tantummodo superiori veste nigrâ) in lineâ veste, videlicet in Rocchetto, absque alio Superpelliceo, & tunc intelligantur esse in habitu Clericali, iuxtà eandem sententiam Pij Quarti. Et ita obseruari mandauit. Romæ die primâ Septembris 1603. Alexander Cardinalis Florentin. Hieronymus Agucchius Secret.

Cumque

Cumque superioribus mensibus Monachi Casinen. huiusmodi decreto nequaquam acquiescerent iidem negocium denuò de ordine Sanctissimi in Sacrâ Congregatione propositum, & examinatum fuit; placuitq; ad tollendas lites, peculiaritèr illud committere Illustrissimis & Reuerendissimis DD. Cardinalibus Iustiniano, & Platto eiusdem Sacræ Congregationis Patribus, qui pro eorum singulari prudentiâ, viam, & rationem inirent, quâ, controuersiâ prædictâ aliquo modo componi, & dirimi posset. Ij autem, partibus sæpiùs diligentèrque auditis, ac per eas adductis omnibus, accuratè consideratis. Die vigesimâsecundâ Februarij 1606. totius causæ exactam relationem in eâdem Sacrâ Congregatione fecerunt, vbi post maturam consultationem ipsa Congregatio annuit, decreuit, & mandauit (sine preiudicio tamen Iurium partium, per modum prouisionis, & donec alitèr prouideatur, & mandatum fuerit) vt in posterum tam in eâdem Congregatione Patauinâ, quàm in alijs eiusmodi Congregationibus obseruetur, quod neque simplices Monachi, neque simplices Canonici, sed ipsorum Monasteriorum Abbates ad dictas Congregationes accedant, & conueniant, qui eo ordine, & loco sedere debeant, quo per sententientiam Pij Papæ Quarti dispositum, & statutum est. Quod si contingat vnius Monasterij Abbatem, alterius verò Monachum, seù Canonicum priuatum ad eas accedere, debeat Abbas semper præcedere; si verò eorum qui adfuerint neuter in Abbatiali dignitate fuerit constitutus, imò simplex vterque sit Religiosus, tunc neuter eorum ad Congregationem sit admittendus. Et ita statuit, decreuit, mandauit, & ab omnibus ad quos id pertinet obseruari voluit, sub pęnâ priuationis vocis actiuæ, & passiuæ præmisso decreto non obstante, omni alio meliori modo &c. Antonius Cardinalis Saulius. Berling. Gypsius Secret.

## CONSTITVTIO CCLVII.

### SVMMARIVM.

*1604. Septembris 6.*

*Decretum S. Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. consultationibus Regularium Præpositorum.*

1 *Quod Moniales Supranumerariæ locum semper extra numerum teneant.*

2 *Quod Supranumerariæ prædictæ duplicem eleemosynam, seu dotem tribuant.*

3 *Insuper quod loca decedentium, nisi effectu secuto, promittantur, sub pœnâ inhabilitatis.*

*Ex impresso.*

1 QVEMADMODVM Sacri olim Canones, & nouissime Sacrum Generale Concilium Trid. summâ ratione decreuit, vt in Monasterijs, & domibus, tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasterii, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari; ita quoque Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, quę negotiis, ac consultationibus Episcoporum, & Regularium præest; cui antiquiùs nihil est, quam salutaria huiusmodi decreta debitæ executioni demandari curare; sæpius locorum Ordinarijs rescripsit, vt certum numerum in singulis Monasterijs Monialium, etiam Curæ Regularium, seu Militiarum subiectis, iuxtà cuiusque Monasterij facultates præscriberent, & si quæ suprà statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam adferre, & supranumerarium locum tenere deberent. Verum, quia in dubium plerumque venit, num Supranumerariæ prædictæ, aliquibus ex numero in quolibet Monasterio definito decedentibus in earum locum subrogari possent aut deberent; eadem Sacra Congregatio, quæ peculiaritèr super eâ re sæpenumero rescripsit, prouidere volens, ne quis deinceps dubitationis locus relinquatur; huius generalis decreti tenore statuit, & declarat, Moniales, quæ suprâ numerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur, in locum Monialium decedentium, intrà numerum, nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quin aliæ in locum earumdem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis Monasterijs Moniales intrà numerum possunt admitti, quinimmò easdem, sic supra numerum receptas, Supranumerarias semper quo ad hoc remanere; etiamsi in cæteris ab alijs nihil differant sed illis in omnibus pares, & ęquales, iuxtà cuiusque Monasterij institutum esse debeant.
2 2 Declarat insuper eadem Sacra Congregatio, duplicis eleemosynę, nomine intelligi semper debere duplicatam summam eius, quæ in receptione cuiusque Monialis intrà numerum, in quolibet Monasterio constitutam erogari pro tempore consueuerit. Ita tamen, vt vbi summa, quæ confertur, minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosynæ soluenda sint scuta quadringenta & non minus.
3 3 Eadem quoque Sacra congregatio districtè prohibet, ne loca per obitum Monialium intrà numerum decedentium pro tempore vacatura, cuiquam Puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, nisi secuta vera, & reali illorum vacatione; atque ita demum, & non antea de eis disponi ac in Monialis demortuæ locum promissionem, aut receptionem in Capitulo, seu quouis alio modo fieri iubet, dummodo tunc temporis Puella ipsa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cœteras qualitates requisitas quibus etiam prædictas esse debere vult eas Puellas, quæ supra numerum recipiendæ sunt iam tunc, cum eis loca vel promittantur, vel dantur. Si quid verò contrà à quoquâm fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse decernit. Ac nihilominus Abbatissas, Priorissas, & alios quoscumque Monasteriorum Superiores, qui cuiusuis Puellæ receptioni, vel admissioni, aut locorum vacaturorum promissioni, seu concessioni aduersus præsentis decreti dispositionem consenserint, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, alijsque arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pœnis obstrictos, & obnoxios fore declarat; saluis etiam semper, & in suo robore permanentibus alijs quibuscumq; ipsius Congregationis decretis aliàs latis, præsenti decreto non contrariis, præsertim circà Monialium admissionem, & receptionem ad habitum, & professionem, & circa eleemosynarum depositionem, solutionem, & erogationem in bona stabilia, quibus nullatenùs derogare vult, & intendit. Romæ die 6. Mensis Septembris 1604.

## CONSTITVTIO CCLVIII.

*SVMMARIVM.*

1605. *Decemb.* 10.

## PAVLVS PAPA V.

*Certum Religiosorum numerum cuicumque Monasterio, Conuentui, ac Domui Regulari prefigendum esse, decernit.*

*Ex impresso.*

SANCTISSIMVS in Christo Pater, & Dominus Noster, Dominus Paulus, Diuinâ prouidentiâ Papa Quintus, Cum ex plurimis, iisque grauissimis Decretis, quæ fel. record. Clemens VIII. ad regularem disciplinam restituendam, & augendam condidit, illud maximi momenti esse animaduertit, quod à Sacro Concilio Tridentino multò ante cautum etiam fuerat, vt his tantum Religiosorum hominum numerus in singulis Monasterijs, Conuentibus, & Domibus Regularibus constitueretur, qui, vel proprijs redditibus, & obuentionibus, vel consuetis emolumentis, ac eleemosynis ali commodè possent; magnamque fortasse Obseruantiæ regularis iacturam inde factam esse, quòd Ordinum Superiores illud exequi nimium distulerunt: vt hoc etiam adhibito remedio, huiusmodi incommodo prospiceret, aditumque ijs Prælatis Regularibus præcluderet, qui plures ad suam Religionem admittentes, quàm Monasteriorum, & Conuentuum census, eleemosynæ, & qualitates ferant, non leuem subditis vitæ claustralis relaxandæ occasionem præbere videntur, Decreuit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute præcipit, & mandat omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum, quouis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum, & Institutorum, tàm Monachorum, quàm Mendicantium, & non Mendicantium Regularium quorumcunque existentium intrà fines Italiæ, & Insularum adiacentium, vt singuli, ad quos pertinet in quàlibet Prouinciâ, adhibitis duobus, aut tribus Monacis, Fratribusuè sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas, item eleemosynas, & obuentiones, tàm communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum diuersorum habitâ ratione, diligentèr ac maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliauè cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaque omnia scripto fidelitèr exarata, idem Superior cuius interest, in primo Capitulo, seu Congregatione Prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, vel Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, ac oneribus, vt superius detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo Regulari, iuxtà Religionis, & proprij Instituti morem victum, & vestitum in communi habentes competentèr valeant sustentari; Tum eorundem bonorum, redditiuum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Congregationi, Capitulouè Prouinciali exhibeant, vt in illo diligentèr omnibus discussis, cuicunque familiæ Conuentus, Monasterij, & Domus Regularis, quouis nomine nuncupatæ, in singulâ quàque Prouinciâ certus earum tantùm personarum numerus communi Patrum, Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superiùs, sufficientèr ali possint. Nè verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs aut remissiùs, quã par est, muneri suo satisfaciãt; Mandauit, ac mandat Sanctitas Sua, vt infrà annum à die dati præsentis Decreti computandum, omnia hoc de genere Capitularitèr gesta in autenticam formam redacta ad Congregationem Reformationis Apostolicæ singuli mittant, numerumque familiæ singulorum Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi Regularium, Capituli, vel Congregationis Prouincialis, sententiâ, & auctoritate præfinitum ijdem Superiores Ordinum, Congregationum, & Institutorum quorumcunque tàm Generales, & Prouinciales, quàm locales omnes perpetuò seruare omninò teneantur; eos autem Superiores cuiuscunque status, gradus, & conditionis existant, qui prædicta omnia præfixo termino non præstiterint, vel numerum huiusmodi præscriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam, eo ipso, incurrere, atque alijs etiam grauioribus ad Sanctitatis Suæ, & Successorum suorum arbitrium infligendis pœnis, subiacere voluit, & declarauit. Vult prætereà Sanctitas Sua per hoc Decretum eiusdem Congregationis Reformationis Apostolicę Secretarij manu subscriptum, consuetisque Almę Vrbis locis affixum, & publicatum omnes, & singulos Ordinum Regularium Superiores, ad quos spectat, perindè affici, ac si fuisset cuilibet personalitèr intimatum. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, priuilegijs, statutis, indultis, nec alijs contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum die 4. Decembris M. DC. V. Pontificatus eiusdem S.D.N. Anno Primo.

## CONSTITVTIO CCLIX.

*SVMMARIVM.*

1606. *Maij* 23.

## PAVLVS PAPA V.

*Indulgentias Regularibus per alios Summos Pontifices concessas abrogat, nouasque concedit, & declarat.*

*Tambur. de Iure Abbatiss. disp. 16. qu. 7. fol. 187.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in B. Petri sede constitutus, cui inter alia cœlestis Indulgentiarum thesauri dispensari cura incumbit, solicitè prospicere debet, ac solertèr, vt huiusmodi Indulgentiarum dispensatio, & vsus ad Dei gloriam, & animarum salutem præcipuè dirigatur, & nè ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur. Proinde cum fel. me. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster magnâ, cum diligentia, & solitudine, procurauerit

rauerit abusus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum thesauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere. Et propterea sua quadam Constitutione formam aggregandi, instituendi,& rectè administrandi Societates,& Confraternitates præscripserit, licet morte præuentus hanc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere,neque etiam,vt cogitauerat, circà Indulgentias à plerisq; Romanis Pontificibus Prædecessoribus, Religionibus, & Ordinibus Monasticis, & Mendicantibus, diuersis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit. Nos, qui nullis Nostris meritis,sed solà Dei benignitate ad Summi Apostolatus officium vocati sumus, susceptum à tāto Pontifice pium hoc opus,ad optimum finem perducere cupientes, vbi primum Catholicæ Ecclesiæ Regimen suscepimus, Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E.Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædecessore deputatis, de quorum numero, tempore ipsius Clementis Prædecessoris,eramus, iniunximus,vt in illo opere ad vlteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus concessa recognoscerēt, ijsq;recognitis rem Nobiscum communicarent. Cum itaque præfati Cardinales priuilegia, concessiones,& gratias prædictas Religionibus, & Ordinibus concessas diligentèr inspexerint, & examinauerint,ac eorumdem Ordinum Superiores, & Officiales pluriès audiuerint, ac circà easdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint, & ex iudicio eorundem,etiam Regularium, vel aliquorum ex illis Nobis proposuerint valdè expedire, pro eorum maiori securitate,& beneficio,vt Indulgentias ipsis Religionibus,& Ordinibus ad instar,vel per communicationem, aut alio modo hactenùs concessas annullaremus, & reuocaremus,ac aliàs particulares illis cōcederemus. Nos matura super hoc consultatione præhabitâ,cupientes personis Regularibus quibuscunq;quorumuis Ordinum, tàm Monasticorum, quàm Mendicantium spirituale solatium,& iuuamen afferre, infrascriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus intrà claustrà, aut extrâ, cum licentia tamen suorum Superiorum, legitimâ de causâ illis concessa,degentibus tantummodo suffragari debere declaramus,concedendas duximus. Omnibus igitur Christifidelibus,qui canonicè, & iuxtà Ordines cuiuslibet Religionis, & Cōstitutiones Apostolicas, habitum Regularem à legitimis Superioribus,causâ profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem,si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam. Ac cuilibet Nouitio, qui pœnitens,& confessus, ac Sacra Communione refectus,post completum probationis annum,professionem emiserit etiam Plenariam. Necnon cuilibet Religioso intrà claustra sui Monasterii viuenti, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & Sacrâ Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit,etiam plenariam. In cuiuslibet verò mortis articulo,si paritèr verè pœnitens,& confessus, ac Sacra Communione refectus,vel quatenùs id facere nequiuerit,saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit,sin autem corde, deuotè inuocauerit, etiam Plenariam. Qui verò ad Presbyteratus Ordinem canonicè promotus, & confessus,primam Missam celebrabit;necnon etiam ijs Religiosis, qui paritèr confessi,ac Sacrâ Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similitèr celebrabunt,etiam Plenariam. Ijs verò qui de suorum Superiorum licentiâ à negotijs per decē dies alieni in Cellâ cōmorabuntur,aut ab aliorū conuersatiōne separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animos ad deuotionem, & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpè considerationes, & meditationes mysteriorum Fidei Catholicæ Diuinorum beneficiorum, quatuor Nouissimorum, Passionis Domini Nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum, iaculatoriarum, aut vocalium saltem, per duas horas in die, & nocte, orationibus mētalibus sese exercendo,faciendo eodē tempore confessionē generalē aut annualē,vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebrauerint, quotiès pro quolibet prædictorum exercitiorum,Plenariam similitèr omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditèr in Domino concedimus. Prætereà ijdem Religiosi intrà claustra viuentes,qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur, orauerint, consequantur easdem Indulgentias,quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extrà eam diebus Stationum consequuntur in omnibus diebus, perindè, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personalitèr visitarent. Omnibus item Religiosis intrà claustrà, vt suprà viuentibus, qui quinquies Orationem Dominicalem, & toties Salutationem Angelicam ante Altare, eorum Ecclesiæ in quolibet die,quinque annos, & totidem quadragenas: ijs verò, qui suorum Superiorum licentiâ in itinere existentes, aut extrà claustra degentes, tanquam Prędicatores, & Lectores quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similitèr dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas; Necnon etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus; spacio medię horę Orationē mentalem fecerint, ac confessi, & Sacrâ cōmunione vltimâ Dominicâ Mēsis huiusmodi refecti fuerint,sexaginta annos,& totidē quadragenas Qui verò contrito corde,& pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt,& spiritualitèr communicabunt & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas. Quotiescunque autem,de licentiâ Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in Ditiones,& Terras Infidelium,aut Hęreticorum ad concionandum,aut Catholicos docendum,vel Infideles,& Hæreticos ipsos ad fidem Catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum,missi fuerint, si pœnitentes, & confessi, ac Sanctissimâ Communione refecti fuerint, vel Missam celebrauerint, vel meliùs ad huiusmodi opus sese parare valeant,pro duabus vicibus,videlicet quando itineri se accingent,& quando in Prouinciam,vbi prædicta opera eius exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditèr in Domino paritèr concedimus,& elargimur. Et in supèr,cum Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerint, ijs Religiosis, qui dictis orationibus,saltem spatio duarum horarum, in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ,hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & obseruantiæ Regularis augmento, pias ad Deum præces, vt suprà dictum est, effuderint,si confessi,& sacrâ Communione refecti

fuerint

fuerint, aut Missam celebrauerint, Plenariam similitèr omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, vt præfertur, concedimus. Volumus autem, vt omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cuiusuis Ordinis, tàm Monastici, quam Mendicantis dumtaxat, vt præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intrà claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tàm Ordinarijs locorum, quàm etiã Regularibus cuiuscunque Ordinis, Regulæ, & Instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Cœterum omnes, & singulas Indulgentias quibuscunque Ordinibus, & Institutis Regularibus huiusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tàm vigore Priuilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quàm viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenùs concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium Nostrarum litterarum præscriptum reducimus, & moderamur. Non obstantibus &c.

## CONSTITVTIO CCLX.

### *SVMMARIVM.*

*1606.*

*Decretum Sacræ Congregationis EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium Sacros. Trid. Concilij interpretum. Ad fauorem Monachorum Casinensium Pro vsu Pontificalium, & Sacrorum Vasorum Benedictionibus.*

*Ex impresso.*

ILLVSTRISSIME & Reuerendissime Domine. Fel. rec. Vrbanus Papa II. Priuilegium concessit Abbati Sacri Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cauen. Ordinis S. Benedicti, quod per Terras & Castra sua, Ecclesias cum Cruce signare, & omnia alia Pontificalia exercere posset, quæ Episcopi in suis Diœc. facere possunt (Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione dumtaxat exceptis) & aliâ, vt in dicto Priuilegio, sub Datum Salerni 18. Calen. Octobris anno 1092.

Eugenius Papa IV. eius motu proprio, sub datum Florentiæ Anno Incarnationis 1442. 7. Calen. Iunii, inter alia facultatem dedit Abbati Monasterii S. Pauli celebrandi Missas cum Mitrâ, & Anulo, Sandaliis, Tunicâ, Dalmaticâ, & conferen. Ordines Minores suis Monachis, & Benedicendi Indumenta, quæ ad vsum Altaris eiusdem Monasterii requirerentur.

Alexander VI. eiusmotu proprio sub datũ Romę Anno Incarnationis Dominicæ 1501. Calen. Aprilis, confirmat omnia Priuilegia dictæ Congregationi & cuilibet Monasterio illius per Summos Pontifices concessa, & cuiuslibet particularis Monasterij Priuilegia, toti Congregationi & eius particularibus Monasterijs communia esse, & ad illa extendi debere, voluit, & extendit.

De anno 1565. die 6. Iunij fel. rec. Pius Papa IV. eidem Congregationi, vt singuli illius Abbates, pro tempore existentes, Baculo pastorali & Mitrâ Pontificali in Ecclesijs Monasteriorum (in quibus pro tempore deputabuntur) vti, ac benedictionem Pontificalem post Diuina officia Christi fidelibus inibi existentibus elargiri, quoscunque Lapides marmoreos, & porfireos, aut alios ad vsum Altarium portatilium aptos, pro vsu quarumcunque vtriusque sexus dictę Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, super quibus ad Altaria intrà Claustra eorundem Monasteriorum & Prioratuum, seù septa Ecclesiarum, & piorum locorum huiusmodi dumtaxat Missæ celebrari possint, Consecrare & Benedicere, Ordinariorum locorum licentiâ desuper minimè requisitâ, liberè & licitè valeant, plenam, & liberam licentiam & facultatem, Apostolicâ auctoritate, concessit.

Et semper Abbates Congregationis huiusmodi liberè Mitrâ, & Baculo pastorali vsi fuerunt, Calices, Altaria, in quibus vnctio requiritur, Paramenta, Lapides consecrarunt, & benedixerunt, Minores Ordines suis subditis contulerunt, & alia Pontificalia exercuerunt, & in tali possessione semper extiterunt, & de præsenti sunt, vigore supradictorum & aliorum Priuilegiorum.

Modo à nonnullis nimis scrupulosis viris dubitari contigit, An Abbates prædicti Consecrationem, & Benedictionem supradictam facere, & Pontificalia exercere possint, sub prætextu assertæ resolutionis huius Sacræ Congregationis, declaran: quod Abbates benedicti non se ingerant in benedictionibus, in quibus vnctio requiritur.

Ad tollen. omnem difficultatem, Procurator Generalis dictæ Congregationis humilitèr supplicat DD. VV. Illustrissimis, & Reuerendissimis, quatenùs dignentur declarare, ipsis Abbatibus, stantibus dictis Priuilegiis confirmatis, & approbatis, quorum Summarium datur, ac de nouo concessis successiuis temporibus, etiam à Clemente VIII. fel. rec. facultatem prædictam Benedicendi, Consecrandi, Baculum & Mitram deferendi, & alia Pontificalia exercen. competiisse, & competere, non obstan. supradicto decreto, quod quidem non comprehendit Abbates Casinen. vt suprà priuilegiatos, sed tantum Abbates sęculares benedictos, qui non gaudent istis Priuilegiis, sed tantum habent quod illis ius commune concedit, &c.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declarauit, decisionem à se aliàs editam, quod Abbates vtcumque benedicti benedicere non possunt ea, in quibus vnctio requiritur, non obstare, quominus iidem, munus prædictæ benedictionis quoad ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ Priuilegiis, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. A. Cardinalis Vicecom.

## CONSTITVTIO CCLXI.

### *SVMMARIVM.*

*1607. Apr. 6.*

PAVLVS PAPA V.

1 *Congregationis Casinensis Monasteria in septem Prouincias diuidit. Romanæ Prouinciæ Monasteria*

*steria assignat, & enumerat.*

2 *Hætruscæ Prouinciæ Monasteria.*

3 *Neapolitanæ Prouinciæ Monasteria.*

4 *Siculæ Prouinciæ Monasteria.*

5 *Venetæ Prouinciæ Monasteria.*

6 *Lombardæ Prouinciæ Monasteria.*

7 *Ligusticæ Prouinciæ Monasteria.*

8 *Definitorum numerum eligendorum pro qualibet Prouinciâ eiusdem Prouinciæ Oriundorum decernit. Duoq; simul ex eodem Monasterio eligi prohibet.*

9 *Definitores tres ex antiquioribus singulo anno, per biennium, vacare constituit. Vnamquamq; tamen Prouinciam semper suum Definitorem, vel Definitores respectiuè, habere decernit.*

10 *Si ex vnâ Prouinciâ non adsint eligendi Definitores, ex viciniori eligendos.*

11 *Conseruatores quatuor, duo ex Prouincijs citrà, duo verò vltrà alpes, qui acta Capituli, Visitatorum, & Præsidentis, & Definitorum scrutentur eligendos. Qui, si quid contra Regulæ, & Summorum Pontificum Constitutiones inuenerint, rescindant, transgressores puniant, Censurasq; infligant, constituit. Eisdemq; dignitatum priuationem, & inhabilitatis ad easdem, à solo Pontifice dispensandæ, nisi munus suum fideliter exequantur, comminatur.*

12 *In Prouinciâ, quâlibet, tot, Abbates, Priores, Cellerarios, ac Magistros Nouitiorum ex eâ oriundos eligi mandat, quot fuerit eiusdem Prouinciæ Monasteria. Quod si in eadem Prouinciâ idonei non adsint, & vicinioribus Monasterijs alterius Prouinciæ eligantur.*

13 *Bona omnia dictæ Congregationis esse communia. Mutationum dispositionem circà Abbates, Officiales, & Monachos cuiuscunq; Prouinciæ, de vnâ in alteram, liberè exerceri posse à Regimine; dummodò Abbates, Priores, cæterique Officiales in eodem Monasterio vltrà quinquennium non permaneant, & durante eorum administratione à suis Monasterijs vltrà dietam itineris, absque Præsidis facultate, non discedant.*

14 *Abbates Diuinis Officijs diurnis, nocturnisque, & Mensæ Monachorum communi, præter quam legitimè impeditos, interesse decernit.*

15 *Lectores in Monasterijs constituendos, eisque, & Monachis studentibus necessaria, & decentia prouidenda.*

16 *In omnibus Monasterijs eadem viuendi, & vestiendi forma adhibenda.*

17 *Administratio rerum temporalium à Prælatis per se ipsos minimè exercenda, sed per Cellerarios à Capitulo, vel Regimine deputatos.*

18 *Visitatores duos ex Prouinciâ Siculâ, duos ex Prouincijs citrà, & duos ex Prouincijs vltrà Montes eligendos, qui extraneas Prouincias visitent.*

19 *Mutationes Monachorum, & Commissorum, qui per annum in vno Monasterio non permanserint, in eâdem Prouinciâ tantùm Visitatores facere; extrà verò, Capitulum generale.*

20 *Nouitiatus in quâlibet Prouinciâ pro eiusdem Prouinciæ Oriundis constituit. Oriundos verò extraneis, cæteris paribus, præferendos.*

21 *Nouitiatus in Monasterijs S. Proculi de Bononiâ, & S. Benedicti de Ferraria deputandos.*

22 *Nouitiorum numerum in quâlibet Prouinciâ, iuxtà redditus Monasteriorum constituendum.*

23 *In Monasterio S. Pauli de Vrbe sex Nouitios Romę, vel eiusdem Prouinciæ Oriundos, quolibet anno recipiendos, & ad Nouitiatum Sublacense mittendos, duos paritèr pro Farfensi, & duos pro eodem Sublacensi, vsq; ad numeri deputati complementũ.*

24 *Abbatem S. Pauli de Vrbe, & Procuratorem Generalem Romæ residentem, non ex eodem Monasterio, vel Prouinciâ, sed vnus ex Prouincijs vltrà, alius citrà alpes, eligendos.*

25 *Constitutiones Apostolicas Eugenij IV. Gregorij XIII. Clementis VIII. pro Definitoribus, & bono regimine dictæ Congregationis, confirmat.*

26 *Cardinali Protectori executionem præsentium committit.*

27 *Derogatoriis derogat.*

*Ex impresso.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus in Ordine Sancti Benedicti, Congregationis Casinen. aliàs S. Iustinæ Paduan., qui primò ab eodẽ S. Benedicto institutus, & deinde à tot, tantisque Patribus, Sanctitate, & disciplinæ Regularis exemplo, per diuersas totius Orbis Christiani Regiones propagatus, virtute Altissimi, ad laudem sui nominis, iam multis ab hinc sęculis floruit, nonnulli abusus exorti fuerint, quibus, nisi nostræ Pastoralis solicitudinis prouidentiâ celeritèr occurratur; dubitandum sit, nè huiusmodi morbo inualescente, Regularis disciplinę obseruantia, paulatim collabatur. Nos igitur attendentes, quod vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, vt Religio naufragetur; pro Nostri Pastoralis Officij debito, præmissa conniuentibus oculis pertransire nequiuimus. Quapropter re priùs maturè discussâ, & examinatâ, adhibitis viris grauitate, prudentiâ, & vsu rerum præstantibus, quibus negocium demandauimus; de eorum consilio huiusmodi abusibus, quantum cum Domino possumus, occurrendum
1 decreuimus. 1 Motu igitur proprio, non ad alicuius Nobis oblatæ petitionis instantiam: sed ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationis prædictæ, Ordinis S. Benedicti in vniuersâ Italiâ, Insulisque ei adiacentibus, septem Prouincias, nempè Romanam, Aetruriæ Neapolis, Siciliæ, necnon Venetiarum, Lombardiæ, ac Liguriæ, per præsentes perpetuò valituras, constituimus, & deputamus; illisque sic constitutis, & deputatis Romanæ, videlicet S. Pauli propè, & extrà muros Almæ Vrbis Nostræ, necnon S. Scholasticæ Sublaci, ac S. Mariæ Farfen. & S. Petri Perusin. necnon eiusdem S. Mariæ, etiam propè, & extrà muros Cęsenaten. ac S. Vitalis Rauennaten. & S. Proculi Bononien:
2 necnon eiusdem Sancti Benedicti Ferrarien. 2. Et Ætruriæ S. Eugenij Senen., necnon Sanctarum Floræ, & Lucillæ Aretin. necnon Sanctæ Mariæ Florentin. & S. Honorati Lerini, ac S. Mariæ Cromen. Ragusin. Diœc. & S. Petri Mutinen. ac S. Petri Regien.
3 3 Necnon Neapolitanæ ipsius S. Benedicti Castro Villa-

Villarum, S. Michaelis Montis Caueosi, S. Mariæ Andrien.& Sanctiss. Trinitatis Cauen. necnon S. Seuerini Neapolitan. ac S Angeli Caietan. S. Laurentij Auersan. & eiusdem S. Benedicti Montis Casini.
4 4 Siculæ, S. Placidi Messanen. necnon S. Nicolai Cathanien.& Sanctæ Mariæ Fondroni, necnon Sanctæ Flauiæ, ac Sanctæ Mariæ Montis Regalis,& S. Martini Panormitan. necnon eiusdem S. Mariæ de Gangio, & Sancti Philippi de Argirione. 5 Ac Venetæ,
5 S. Nicolai Lictoris, necnon S. Georgij Venetiarum, & Sanctæ Mariæ de Prataliâ, & S. Iustinæ de Paduâ, necnon SS. Felicis, & Fortunati Vicentin. & S. Nazarij Veronen. ac S. Pauli de Argon, necnon S. Iacobi de Pontidâ Bergomen. Diœc. & S. Faustini, ac S.
6 Euphemiæ Brixien. 6 Necnon Lombardiæ S. Simpliciani, ac S. Petri in Glassiate Mediolanen. S. Spiritus, & S. Saluatoris Papien. necnon S. Sixti Placentin ac S. Mariæ Gratiarum Placentin. Diœc. & Sancti Ioannis Euangelistæ Parmen. necnon S. Columbani Bobien. ac Sancti Benedicti de Padolirone.
7 7 Liguriæ verò Prouincijs prædictis, S. Nicolai Buschetti, S. Benigni, & S. Iuliani, ac S. Catherinæ, necnon S. Hieronymi Ceruariæ, Ianuen. Diœc. ac Sancti Bartholomæi Asten. ac S. Petri Sauiliani Taurinen. Diœc. dictorum Ordinis, & Congregationis Monasteria, etiam perpetuò subijcimus, & suppo-
8 nimus. 8 Et, vt deinceps in Definitorio æqualitas votorum habeatur; Quod de cæterò perpetuis futuris temporibus, in dictis septem Prouincijs, nouem Abbates, Definitores, ex quibus Romana vnum, Ætruriæ vnum, Neapolitana vnum, & Siciliæ aliû, & Liguriæ alium; Veneta verò, & Lombardiæ Prouinciæ prædictæ, ob illorum maiorum Monasteriorum numerum, pro quâlibet earum, duos Abbates huiusmodi, ex illis respectiuè oriundos habeant, eligantur, ac deputentur, dictique nouem Definitores, canonicè per vota, & scrutinia secreta, vt moris est, canonicè electi, in quibuscunque Capitulis Generalibus, omnes, & singulas, tàm spirituales, quàm temporales gratias, & facultates, ab hâc Sede Apostolicâ eis concessas,& quas hactenùs habuerunt, habeant; hâc tamen ratione, vt post hâc singuli Definitores septem Prouinciarum prædictarum, diuersarum nationum, & professionum, existant, nulloque modo duo ex eâdem natione, vel professione, vno, & eodem tempore in prædicto Capitulo, licet ex diuersis Prouincijs prædictis professi sint, esse patiantur, sed ex eisdem Prouincijs oriundi eligantur,
9 vt suprà, ac constituantur. 9 Et ad tollen: dictorum Definitorum perpetuitatem, quieti dictæ Congregationis maximè contrariam, quod singulo quoque anno, tres Definitores ex antianis, siuè antiquioribus, duo nempè ex Lombardiæ, Venetæ, & Liguriæ, ac vnus ex Romanâ, & Ætruriæ, Neapolitanâ, & Siculâ Prouincijs prædictis ab eodem Definitorio per biennium vacent, ac illorum loco, tres substituantur respectiuè ex eisdem Prouincijs, ità vt semper vnaqueque Prouincia suum, vel suos semper habeat Definitorem, seu Definitores præscriptû,
10 vel præscriptos. 10 At si aliquâ iustâ causâ Abbates alicuius Prouinciæ ad prædictum Capitulum nõ accederent, vel accedentes ab electione Definitorij exclusi remanerent, seu illo anno Visitatorum Officio functi essent, seu quod per biennium minimè vacassent, & eo casu in prædicto Definitorio ab huiusmodi electione exclusi essent, & tunc ex Prouinciâ illi viciniori Abbas, Definitor, seruatis tamen supe-
11 riùs narratis, pro illâ vice tantùm eligatur. 11 Conseruatores quoque, iuxtà Constitutiones dictæ Congregationis approbatas, nempè duo ex Romanâ, Ætruriæ, & Neapolitanâ, alij verò ex Venetâ, Lombardiæ, & Liguriæ Prouincijs prædictis eligantur; ipsiq; sic electi, cû Dei timore, omniq; diligentiâ, omnia illo anno à Definitoribus, Visitatoribus, ac Præsidente prædictis gesta,& præcipuè electiones Prælatorum, & Officialium, perspiciant, ac recognoscant, & quicquid contrà Romanorû Pontificû Prædecessorum Nostrorû decreta, ac Constitutiones dictæ Cõgregationis factum esse reperient, illud nullum, & irritum declarent, ac cum effectu, sub priuationis dignitatum, quas, pro tempore, obtinerent, ac inhabilitatis ad illas obtinen. pœnis, eò ipso incurren., illorum habilitationem Nobis, & successoribus Nostris Romanis Pontificibus quandocunque existentibus, omninò reseruando, & exequi mandent, & contrà inobedientes, etiam Definitores, nullâ habitâ personarum, vel dignitatum ratione, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, auctoritate Nostrâ procedant.
12 12 Et in quâlibet ex Prouincijs prædictis, tot Abbates, Priores, Cellerarij, ac Magistri Nouitiorum ex eâ oriundi, quot sunt in eâ Monasteria, vel Prælaturæ,& Officia, existant, & casu, quo in singulis Monasterijs idonei ad hoc munus subeundum minimè reperiantur, tunc idonei, alijs ex Monasterijs eiusdẽ Prouinciæ professi, subrogentur. Quod si in totâ Prouinciâ non sint tot Monachi idonei professi, qui ad prædicta officia suæ Prouinciæ assumi possint; tunc Monasterijs vicinioribus alterius Prouinciæ
13 idonei assumantur. 13 Nè autem facultas Regiminis dictæ Congregationis diminuta intelligatur, quod pro arbitrio dicti Regiminis Abbates, Priores, omnesque Officiales, ac singulos priuatos Monachos ex Prouinciâ in Prouinciam, prout expediens ei videbitur, vt anteà poterant, & valebant, ita vt omnia in dictâ Congregatione communia sint, & esse intelligantur, amouere, & destinare possint, & valeant, nullâ rationum, & personarum, seu Monasteriorum habitâ ratione, quinimò singuli Abbates cuiusque Prouinciæ Monasterijs Congregationis, Difinitorij,& Regiminis arbitratu, deputentur, & præficiantur, quodque Abbates, Priores, cœterique Officiales prædicti, iuxtà præscriptum vsum dictæ Congregationis alicui Monasterio non præficiantur, vltrà quinquennium, & ab illius administratione, etiam per quinquennium omninò vacent. Et, vt, tàm Abbates, quàm cœteri Officiales prædicti quot annis præfuerunt, tot etiam ab eius Monasterii, ac Officij administratione vacent,& quod singuli resideant, nec ab eis vllo quæsito colore vltrà vnam dietam,& per octo dies, sine licentiâ Præsidentis, iustam causam expressam Conseruatoribus, in proximo Capitulo Generali exhibendam, & examinandâ, an iusta fuerit causa discessus, abesse possint, & qui secùs fecerint, illorum arbitrio, puniantur.
14 14 Ne alijs prædicantes, Abbates prædicti reprobi inueniantur, quod ad vitã communem, necnon Diuina Officia, tàm diurna, quàm nocturna, omniaque alia Regulæ dictæ Congregationis instituta, cum Dei timore, habitâ tamen personarum, ac temporum qualitate, concurrant, vt si cum hospitibus im-
15 pediti sint, vel aliâ iustâ causâ excusentur. 15 Monachis verò litteris operam dantibus, de idoneis Lectoribus, ac alijs necessarijs, & decentibus rebus, ac
16 commoditatibus illis beneuisis prouideant. 16 In omnibus quoque Monasterijs parem formam viuendi, & vestiendi, ac Regularem Disciplinam ab
17 omnibus obseruari curent. 17 In administratione autem rerum temporalium, ea cautio adhibeatur, nè Prælati eam per se ipsos, vt causa vagandi tollatur exerceant, sed ea per Cellerarios à dictis Definitori-

coribus, vel prędicti Ordinis Regimine deputatos, corruptelà, & abusu, Cellerariam in pectus, vt dicunt, Abbatis conceden. penitùs sublaris, exerceatur; ac Constitutiones predicti Ordinis, vt Cellerarij à Regimine deputati Decani existant, omninò
18 obseruentur. 18 Duo autem Visitatores dictę Congregationis ex Romanę, Hetrurię, ac Neapolitanę, ac alij duo ex Lombardię, Venetę, necnon Ligurię Prouinciarum prędictarum Abbatibus, ex ipsismet Prouincijs oriundi eligantur, qui extraneas Prouincias visitent, non autem proprias, si id Definitores expedire iudicauerint, aliàs, Constitutiones dictæ Congregationis seruentur, & in Prouinciâ Siculâ duo Visitatores, iuxtà prescriptum vsum dictę Congregationis eligantur, dictique Visitatores, Deo iuuante, munus suum Visitationis, cum omni diligentiâ subeant, ac absoluant, singulosque Monachos de statu Monasterij, necnon Præpositorum, & Ministrorum qualitate, ac rerum spiritualium, & tem-
19 poralium statu, exactissimè examinent. 19 Monachos verò, vel Commissos ab aliquo Monasterio in quo, saltem per annum continuum, non permanserint, & quos amouen. necessariũ iudicauerint, super quo illorum conscientias grauamus, per illam Prouinciam tantùm mutare valeant; dicto Capitulo Generali mutationes de vnâ ad aliam Prouinciã (vt sumptibus superfluis parcatur) reseruando.
20 20 Et Noditiatus pro Nouitiorum educatione in singulis Prouincijs prædictis constituti, & constituen. in suo robore permaneant, ita tamen, quod in quibuslibet Nouitiatibus prædictis, ex eiusdemmet Prouincijs huiusmodi, oriundi, iuxtà Constitutiones Apostolicas, & Decreta Concilij Tridentini, idonei ad probationem admittantur; ac semper, & vbique Ciues Ciuitatum, & locorum, in quibus Monasteria huiusmodi sita sint, cæteris extraneis paribus,
21 præferantur. 21 Quodque in Prouinciâ Romanâ prædictâ etiam in Monasterijs S. Proculi Bononien. ac Sancti Benedicti Ferrarien. Nouitiatus constituantur, & in eis iuuenes ex eâdem Prouin-
22 ciâ oriundi, ad probationem recipiantur. 22 Quęlibet autem Prouincia, illum tantum numerum Nouitiorum recipiat, & ad professionem admittat, quem commodè alere poterit, si verò aliqua Prouincia, seu Monasterium plures Monachos, quam ex eius redditibus ali possint habere comperiantur, neminem recipiat, priusquàm ad numerum
23 præfixum, illius professi redacti fuerint. 23 Et quia in dicto Monasterio S. Pauli de eâdem Vrbe, ob illius aeris intemperiem (vt aiunt) Romani, vel ex eâdem Prouinciâ oriundi, in maximum eorum, dictæq; Congregationis detrimentum, minimè recipiuntur, quemadmodum præteritis temporibus recipere solitum fuit, & hoc in alijs Monasterijs seruatur. Quod deinceps, singulo quoque anno, saltem sex Nouitij ad probationem ibi recipiantur, sed in dictum Monasterium Sanctę Scholasticæ Sublaci ad probationem, & professionem emittendam, sumptibus tamen, & expensis dicti Monasterij S. Pauli, cuius professi sint, & esse intelligantur, mittantur. Hâcq; de causâ, saltem duo Nouitij, pro Monasterio Farfen. & alij duo, pro Monasterio Sublaci prędictis, ex eâdem Prouinciâ Romanâ oriundi, in dicto Nouitiatu Sublacen., vsq; ad numerum, qui, ex illorum Monasteriorum redditibus, ali, & sustentari possint, reducti fuerint, quibuscunque non ob-
24 stan. recipiantur. 24 Quodq; quotiès contigerit Abbatem dicti Monasterii S. Pauli, oriundum, vel professum esse ex Monasterijs Lombardiæ, Venetæ, & Liguriæ Prouinciarum prædictis, tunc Procurator Generalis dictorum Ordinis, & Congregationis oriundus, vel saltem professus ex aliquo Monasterio Romanæ, Hetruriæ, vel Neapolitanæ Prouinciarum prædictarum, & viceuersâ existat, & esse debeat, nec ambo, vllo vnquam tempore, ex Monasterijs earundem, sed diuersarum Prouinciarum prædictarum
25 esse debeant. 25 Similitèr perpetuò statuimus, & ordinamus, ac ità ab omnibus, & singulis, quos præmissa concernunt, & concernent quomodolibet in futurũ, sub pœnâ priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto incurren., inuiolabilitèr obseruari debere volumus, & mandamus, ac pro præmissorum cōplemento, omnia, & singula Priuilegia, libertates, immunitates, fauores, aliàsq; gratia, tàm spirituales, quàm temporales per fe. re. Eugenium Papam IV. & Gregorium XIII. necnon Clementem Octauum Rom. Pont. Prædecessores Nostros, sub quàcunque verborum formà, & expresione super dictorum Definitorum electione, dictæq; Congregationis felici statu, ac directione, & aliàs super præmissis quomodolibet concessa; necnon singulas litteras Apostolicas desuper expeditas, ac illarum formas, & continentiam, tenores, & effectus perindè, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta essent; dummodò præmissis contraria non existant; paritèr perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque, ac earum singulis perpetuæ, ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus; necnon omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti, ac solemnitatum in his quomodolibet requisitarum, ac necessariam defectus excogitatos, vel non cogitatos, si qui principalitèr, vel accessoriè, aut aliàs quomodolibet interuenerint in eisdem, & si de illis ad hoc, vt suppleri, & sanari posint specialis, specifica, & expressa mentio facien. esset, supplemus. Decernentes prędictas eorum Prædecessorum litteras, validas, & efficaces fore, & esse, suósque integros, & plenarios effectus sortiri, ac ab eis ad quos nunc spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, firmitèr obseruari debere, nec ab illis vllo vmquam tempore resilire posse, sed ad illarum obseruationem obligatos fore, & esse, ac sub eisdem maioris Excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis, cogi, & compelli. Presentes verò de subreptione, vel obreptione, seù nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, seù impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, aut inualidari, aut ad viam, & terminos Iuris reduci, seu in Ius, vel controuersiam vocari, aut aduersus eas quodcumque Iuris, vel facti, aut Iustitiæ, seu Gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenùs vmquam posse, sicque ab omnibus, & singulis censeri, & ità per quoscumque Iudices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere; irritumque, & inane, si secùs super his à quoquàm, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. 26 Quocircà Dilecto Filio Nostro Alexandro S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Montalto nuncupato S.R.E. Vicecancellario moderno, & pro tempore existenti dictę Congregationis Casinensis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, per præsentes, mandamus, vt premissa omnia, & singula per eos, ad quos spectat, vel in futurum spectabit, auctoritate Nostrà obseruari curet, & faciat; Contradictores quoscunque per censuras, & pęnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit,

27 rit, auxilio brachij sæcularis. 27 Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Ordinis, & Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quam ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1607. Pontificatus Nostri Anno secundo. Scipio Cobellutius.

## CONSTITVTIO CCLXII.

### SVMMARIVM.

*1607. Dec. 5.*

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. Sacri Concilij Tridentini Interpretum Pro exemptione Monialium Casinensium à iurisdictione Ordinariorum, præterquam in iis, quæ spectant ad Clausuram custodiendam, vel reparandam, & subscriptionem licentiarum ingrediendi Clausuram earumdem, à suis Superioribus concessarum.*

*Ex impresso.*

ALL' Illustre & molto Reu. Monsig. come fratello, il Vescouo di Reggio. Illustre, & Molto Reu. Monsig. come fratello. Essendosi inteso dalla Sacra Congregatione, che le Monache di S. Maria Maddalena di cotesta Città, soggette alli Monaci Casinensi, ricusano di mandar via vn Fattore, non ostante l'ordine espresso datoli in ciò, per giuste cause, da' loro Superiori, sotto pretesto, che dal Vicario di V. S. sia loro così stato commandato; è parso à questi miei Illustrissimi Signori, che se le scriua, Che non solo non permetta, che il suo Vicario s'opponghi in questo, come non deue; non hauẽdo egli da ingerirsi nel gouerno, che tocca à detti Monaci; ma anzi gli dia ogni braccio, & aiuto, che à loro bisognasse per l'essecutione di tal fatto; & questo ella esseguirà quanto prima; perche simili disobedienze apportano troppo gran pregiuditio al buon gouerno Regolare, sneruandosi in questo modo l'auttorità del Superiore. Nel resto in quello, che tocca specialmente alla cura di V. S. che è la sopraintendenza della clausura; la Sacra Congregatione non meno spera, che desidera, ch'ella non habbia da mancarui d'ogni diligenza, vsando particolare vigilanza circa quei due salutiferi rimedii già da essa statuiti, e somministrati à tutti gli Ordinarii, cioè che tutte le licenze d'entrare dentro la clausura de' Monasteri, & di parlare alle Monache di essi, ancorche i Regolari n'habbiano il gouerno, siano sottoscritte non solo da Superiori Regolari, ma anco da V. S. e che non si permetta ad alcuno Regolare di qualsiuoglia Religione d'andare à parlare à Monache, senza licenza in scritto di questa Sacra Congregatione; eccetto che al Confessore, & alli Superiori loro; & osseruandosi il contrario ella farà castigare i trasgressori; perche vsando ella buona diligenza nell'vno, e nell' altro rimedio, difficilmente potrà succedere inconueniente di momento, e così passarà bene non solo il gouerno de Monasteri di V. S. ma anco de gli essenti, e soggetti a' Regolari, il che le piacerà di esseguire, e Dio la contenti sempre Di Roma li 5. di Decembre 1607. Di V. S. Come Fratello, Il Cardinal Gallo.

## CONSTITVTIO CCLXIII.

### SVMMARIVM.

*1607. Dec. 12.*

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. Sac. Concilij Tridentini Interpretum contra Episcopum Bobiensem ad fauorem Monasterij S. Columbani Bobien. Congregationis Casinen. Quod non liceat Ordinariis iurisdictionem aliquam exercere in Ecclesiis seu locis Regularium, seu Congregationis Casinensis quibus Curà animarum sæcularium non imminet.*

*Ex impresso.*

ALL' Illustre & molto Reu. Monsig. come fratello il Vescouo di Bobio. Illustre, e Molto Reuer. Monsig. come fratello. La Santità di N. S. hà rimesso alla Sacra Congregatione la lettera di V. S. scrittali intorno il particolare dell' Interdetto da lei posto nella Chiesa di S. Martino di cotesta Città, della giuridittione de' Monaci di S. Colõbano, della Congregatione Casinense. E benche questi miei Illustrissimi Signori riconoscano in ciò il buon zelo di V. S. del seruitio di Dio, hanno tuttauia risoluto di scriuerle, Che non hauendo lei giuridittione alcuna sopra le cose, persone, e Chiese, di detti Monaci (come vedrà dall' alligato decreto della Congregatione del Concilio) se non in quelle, doue è la Cura delle anime di persone Secolari, non hà potuto manco mettere l'Interdetto in detta Chiesa, e perciò vuole, che lo debba leuare, come le piacerà di fare. E Dio la contenti. Di Roma li 12. di Decembre. 1607. Di V. S. Come Fratello, Il Cardinal Gallo.

Decretum Sacræ Congregationis Illustrissimorum, ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium Sacros. Trid. Concilii interpretum super intelligentia, & obseruatione Cap. 12. sess. 25.

Congregatio Concilij censuit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios, vigore cuiusuis Decreti eiusdem Concilij, nullam habere facultatem quouis tempore, in Monasterijs, Domibus, & Ecclesiis Regularium Exemptorum, quibus non imminet Cura animarum personarum sæcularium, visitandi Sacristias, Paramenta, vasa Sacra, Altaria, & cœtera huiusmodi, aut etiam Tabernaculum, seu Pyxidem, in quâ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur. Hier. Card Matthæius. Io. Franc. Fagnanus Sac. Cong. Concilii Secr.

## CONSTITVTIO CCLXIV.

### SVMMARIVM.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ*

*Sacra Concilij Tridentini Interpretum. Pro approbatione Confessariorum tam Ordinariorum, quàm extrà ordinariorum pro Monialibus Regularium seu Congregatione Casinensis, ab ipsis Regularibus, non autem ab Episcopis concedendà.*

*Ex impresso.*

ALL' Illustrissimo & Reuerendissimo Signore il Sig. Cardinal Panfilio, Per il Procuratore Generale Casinense. Illustriss. & Reuerendiss. Signore. Essendo stato altre volte dalla Sacra Congregatione dichiarato, che alli Superiori Regolari s'aspetti il mettere, & approbare i Confessori delle Monache che sono sotto il loro Gouerno, tanto gl' ordinarii, come gl' estraordinarii, & tãto per le confessioni di dette Monache, come per quelle delle zitelle, ch'entro de Monasteri loro vi stanno per educarsi, & non à i Vescoui, & Ordinari delle Città.

Per tanto il Procuratore Generale Casinense, humilmente supplica V. S. Illustriss. & Reuerendiss. degnarsi di farle gratia del decreto della sodetta Sacra Congregatione fatto in questo particolare, per ouuiar con esso à molte molestie, che per questo conto li vengono date da alcuni Ordinarii, per non hauer notitia del sopradetto decreto; che lo riceuerà à singolarissimo fauore da V. S Illustrissima, & Reuerendissima. Quam Deus, &c.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit Confessariorum deputationem ad audiendas Confessiones Monialium Regularibus subiectarum, nõ ad Ordinarium, sed ad ipsos Superiores Regulares pertinere, absque eiusdem Ordinarii approbatione. Hieronymus Cardinalis Pamphilius.

## CONSTITVTIO CCLXV.

### SVMMARIVM.

*1608. Februar. 16.*

## PAVLVS PAPA V.

1 *Nouitiatum Monasterij S. Pauli de Vrbe, in edibus S. Calisti, seu in Monasterio S. Pauli erigit, pro Romanis, seu Prouinciæ Romanæ oriundis.*

2 *Coadiutores, seu Conseruatores pro conseruatione dicti Nouitiatus, deputat.*

3 *Constitutionem præsentem conualidat, sublatà quacunque interpretatione.*

4 *Commissarios pro exequutione, & perpetuà manutensione eiusdem Constitutionis, statuit.*

*Ex Arch. S. Pauli de Vrbe.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Supernæ dispositionis arbitrio, in Apostolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, constituti, pro fidelium quorumlibet, præsertim Religiosorum, piæ vitæ, ac Diuini Numinis obsequijs, sub regularis obseruantiæ normà vacantium, salubritèr dirigendum, considerationis intuitum extendentes, ad ea, per quæ eorum profectui, ac propagationi, Religionis incremento prouideatur, Nostræ vigilantię partes propensiùs impartimur. Sanè cum Nos pridèm per alias Nostras in formà Breuis, sub Annulo Piscatoris, die 6. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno secundo confectas litteras; inter alia statuerimus, & ordinauerimus, quod in Monasterio Sancti Pauli propè, & extrà muros Almę Vrbis Nostrę, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinę Paduanę, ex tunc singulo quoque anno, saltè sex Nouitij ad probationẽ reciperentur, sed in Monasterium Sanctę Scholasticę Sublaci, nullius Diœcesis, Prouinciæ Romanæ, pro probatione, & professione emittendà, sumptibus, tamen, & expensis dicti Monasterij Sancti Pauli, cuius professi essent, ac esse intelligerentur, mitterentur; nihilominùs, saniori Iudicio, postmodum reperto, nimis dispendiosum eidem Monast. S. Pauli, dictos Nouitios in prædicto Monasterio Sublaci manutenere; dictis verò Nouitijs incommodũ, ac minùs decens esse ad dictum Monasterium Sublaci se conferre, & ab eo ad prædictũ Monast. S. Pauli totiès, quotiès se offerret occasio, reuerti; his expensis, ac incõmodis modo infrascripto, prouidendum esse duximus. Nos igitur in decus, ac propagationem dictæ Congregationis, quæ intèr Congregationes Regulares primaria existit, & ergà quam Nostri Progenitores, ac etiam Nos, dum in minoribus essemus, singularem gesserunt, ac etiam gessimus, & gerimus affectum, omni animi studio, omni pietate, ac diligentià incumbendo, dictarumque litterarum veriores, ac totos tenores pro expressis habentes.

1 Motu proprio non ad alicuius, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certà Nostrà scientià, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in eàdem Vrbe, ac Domibus propè Ecclesiam S. Mariæ Transtyberim de dictà Vrbe, nupèr hàc de causà Abbati, & Conuentui dicti Monasterij S. Pauli per Nos concessis, vnum Nouitiatum, in quo omnes Iuuenes, qui vitam Regularem ibidem ducere voluerint, vel saltem sex quolibet anno, donec numerus, qui proprijs dicti Monasterij Sancti Pauli redditibus manuteneri, & ali poterit, completus fuerit, iuxtà formam prædictarum literarum, recipiantur, & admittantur; ipsique sic recepti, & admissi, tàm hyemali, quàm æstiuo temporibus, in prædictis domibus, per Nos ad hunc effectum, vt præmittitur, concessis, permaneant, nisi Abbas, & Coadiutores deputati dicti Nouitiatus, prædictos Nouitios in dicto Monasterio Sancti Pauli, hyemali tantum tempore permanere necessarium, & expediens iudicauerint, omnibus rebus sibi ad studium bonarum literarum, ac Monasticam vitam benè, ac felicitèr ducendam, necessarijs, & oportunis, sibi assignatis, ad instar aliorum dictæ Congregationis Nouitiatuum, auctoritate Apostolicà, tenore præsentium, Dilectorum Filiorum Anastasij à Carpenedulo Abbatis dicti Monasterij S. Pauli, ac Ioannis Baptistæ Romani, ipsorum Ordinis, & Congregationis Procuratoris generalis, ad hæc accedente consensu, perpetuò erigimus, & instituimus.

2 Illoque sic erecto, & instituto, nè vllo vnquam tempore, ab aliquo interrumpi, vel impediri, sed semper in gloriam, & decus dictæ Congregationis manuteneri, & augeri valeat. Dilectos filios Bernardum Perusinum Abbatem, necnon dictum Ioannem Baptistam Romanum dictæ Congregationis Procuratorem Generalem, ac Cyprianum de Chiazzà etiam Abbatem Titularem, & Paulum de Assisio, ac Iulium, & Matthiam Romanos, necnon Cornelium de Ameliâ, ac Venantium etiam Romanum, ac Benedictum de Ameliâ Decanos, necnon Angelum de Caietà Decanum Titu-

Titularem, ac Paulum, & Iacyntum itidem Romanos, dictorum Ordinis, & Congregationis professores, in hoc primordio temporisque successu, prædicti Anastasij, & pro tempore existentium ipsius Monasterij Sancti Pauli Abbatum Coadiutores, deputamus. Qui diligentèr perquirant, an in numero, & qualitate statutis existant Iuuenes recipiendi ad probationem; curentque, ac inuigilent, vt postquam recepti fuerint, in bonis literis, disciplinâ Ecclesiasticâ, alijsque Spiritualibus, & Monachalibus exercitijs edoceantur, eorumque anno probationis complero, ad professionem, ibidem admittantur, ac alia quæ pro felici, & salubri dicti Nouitiatus, illiusque Iuuenum Professorum, ac aliarum personarum huiusmodi regimine, directione, & augumento necessaria, & oportuna videbuntur, vnà cum Abbate faciant, dicant, & exequantur; & casu, quo aliqua inter ipsos, super præmissis, vel eorum occasione, oriatur discordia, tunc per vota secreta procedatur, & maior pars suffragiorum præualeat, & datâ paritate votorum, ad infrascriptos præsentium Nostrarum literarum exequutores, pro oportuno desuper consequendo remedio, recurratur. Ita tamen, quod sex ex dictis duodecim, Superiorum dictæ Cõgregationis arbitrio, designati in eodem Monasterio S. Pauli, pro præmissorum exequutione semper resideant, omnibusque, & singulis alijs officijs, dignitatibus, præeminentijs auctoritatibus, alijsque gratijs, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, quibus filij, & professi aliorum Monasteriorum dictæ Congregationis vtuntur, potiuntur, & gaudent, ipsi paritèr, & pariformitèr, absque vllâ prorsus differentiâ, iuxtà formam, & tenorem aliarum Nostrarum litterarum in simili formâ Breuis, sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1607. ac die 21. Martij 1608. confectarum, vtantur, potiantur, & gaudeant; dictoq; Nouitiatui, necnõ Iuuenibus professoribus, & alijs personis Regularibus professis in eo, pro tẽpore existẽtibus, quod omnibus, & singulis priuilegijs immunitatibus, præeminentijs, indultis, exẽptionibus, libertatibus, prærogatiuis, antelationibus, fauoribus, licentijs, alijsq; gratijs, tã spiritualibus, quàm tẽporalibus, quibus alij ipsius Congregationis Nouitiatus, ac illorum Iuuenes professores, ac Regulares personæ de Iure, statuto, vsu, consuetudine, priuilegio, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipsi paritèr, & pariformitèr, ac æquè principalitèr, absque vllâ prorsus differentiâ, in omnibus, & per omnia, ac si illa nominatim, & expresè per præsentes concessa, & impartita forent; etiam si talia essent, quæ specialem, ac indiuiduam requirerent mentionem, & sub generali expresione non comprehenderentur, etiam vti, potiri, & gaudere possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis

3 itidem perpetuò concedimus, & indulgemus. 3 Præsentes verò Nostras litteras, ac in eis contenta quæcunq; de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut Intentiones Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu inualidari, aut in Ius, vel controuersiam vocari, aut aduersùs eas, & ea quodcumq; Iuris, & facti, vel iustitiæ, aut gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenùs, vmquam posse; sed ab omnibus, quos concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, inuiolabilitèr obseruari debere, sicut, & non alitèr ab omnibus, & singulis censeri, & ita per quoscumque Iudices Commissarios, quàuis auctoritate fungente, necnon S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac etiam Palatii Nostri Apostolici Causarum Auditores; sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quàuis instantiâ, iudicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, auctoritate, & tenore præmissis, decernimus, si secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contige-

4 rit attentari. 4 Quocircà Dilecto Filio Nostro Alexandro S. Laurentij in Damaso eiusdem S. R. E. Diacono Cardinali Montalto nuncupato, moderno, & pro tempore existentibus dictæ Congregationis Protectori, ac ViceProtectori, necnon Dilecto Filio Causarum eiusdem Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes perpetuò committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, ac vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes Nostras litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quandò; ac quotiès opus fuerit, ac pro dicti Nouitiatus Coadiutorum, & Promotorum, pro tempore existentium, ac cuiuslibet eorum parte, requisiti fuerint, solemnitèr publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostrâ, ab omnibus inuiolabilitèr obseruari, ac eos, dictiq; Nouitiatus Iuuenes professores, & aliàs regulares personas huiusmodi eis pacificè frui, & gaudere; non permittentes eos, vel quemlibet ipsorum, per quoscumque desuper quomodolibet molestari, vel perturbari. Contradictores quoslibet, & rebelles per quasuis Ecclesiasticas Censuras, & etiã pecuniarias, aliasq; pœnas, eorum arbitrio imponendas, moderandas, & applicandas, cœteraque opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; necnon legitimis super hoc habendis, seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio. Non obstantibus prædictis Nostris litteris, ac Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Priuilegiis ad instar non concedendi, ac quatenùs opus sit, piæ me. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de vnâ, necnon in Concilio generali editâ, de duabus dietis, dummodo vltrà tres dietas aliquis in Iudicium, vigore præsentium, non trahatur, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & etiam, quatenùs opus sit, dicti Monasterij S. Pauli statutis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicà, vel quàuis firmitate roboratis, cœterisque contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris die 16. Febr 1608. Pontificatus Nostri Anno tertio. Scipio Cobellutius.

## CONSTITVTIO CCLXVI.

*SVMMARIVM.*

*1608. Martij 25.*

### PAVLVS PAPA V.

1 *Monasteria S. Petri Mutinen., & S. Petri Regien. à Prouinciâ Hætruriæ disiungit, & Prouinciæ Lombardiæ vnit.*

2 *Professos non oriundos Monasteriorum easdem prærogar-*

rogatiuas, ac oriundos gaudere; cæterum oriundos eisdem, cæteris paribus, præferendos decernit.

3 Abbates, & Priores Prouinciarum Siculæ, Neapolitanæ, Romanæ, & Hetruscæ, in Abbates S. Pauli, vel in Procuratores generales eligi posse constituit.

4 Pro Monasterio quolibet vnum Graduatum, scilicet Abbatem, vel Priorem, vel Procuratorem generalem, vel Cancellarium Præsidis, pro quolibet numero tredecim Monachorum eligendorum, & pro singulo quinque Monachorum numero, vnum Decanum, Cellerarijs, Confessarijs Monialium, & Magistris Nouitiorum computatis, dummodo numerum trecentesimum non excedant.

5 Decanos eligendos ex ijs, qui ab Ordinarijs, vel Visitatoribus examinati, ad Confessiones audiēdas approbati, vita integritate præstantes, per Visitatorum inquisitionem, & suorum Superiorum attestationem, idonei fuerint inuenti.

6 Constitutiones pro dictà Congregatione à Gregorio XIII. approbatas, confirmat, easdemque seruari iniungit.

7 In Monasterijs in quibus saltem decem Monachi degunt, Diuina Officia in Choro recitanda, culpas audiendas, & Lectionem Casuum conscientiæ habendam, cum lectione ad Mensam.

8 Carnium esum in ijs Monasterijs, quibus permissum est, extrà Refectorium tamen obseruātiæ, concedit.

9 Decreta pro bono Congregationis à Capitulo facienda, per vota secreta Prælatorum approbanda, & à Summo Pontifice confirmanda, ad hoc, vt habeant vim præcepti.

10 Constitutionem præsentem, non moderandam, vel reuocandam, nisi de omnium Prælatorum dictæ Congregationis assensu, sub pœnà priuationis dignitatum, & officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis.

11 Constitutionem præsentem conualidat, eiusque interpretationem, Sedi Apostolicæ reseruat.

12 Executionem eiusdem Constitutionis, Protectori dictæ Congregationis, & Auditori Cameræ Apostolicæ committit.

13 Pœnas contrauenientibus imponit, & Derogatorijs derogat.

*Ex impresso.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis prouidentia circumspecta, nonnunquam aliqua ex eis, quæ pro bono regimine, & fœlici directione Religiosorum, sub Regularis vitæ obseruantiâ Altissimo famulantium concesserat, saniori iudicio mutat, alterat, ac alia disponit, prout rerum, temporū, ac personarum qualitatibus diligentèr pensatis, conspicit in Domino salubritèr expedire. Sanè cum Nos aliàs per quasdam in formâ Breuis sub Annulo Piscatoris die 7. Aprilis 1607. Pontificatus Nostri Anno secundo confectas litteras, inter alia in totâ, ac vniuersâ Italiâ, Insulisq; ei adiacen. Septem Prouincias Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ, nempè Romanam, Neapolitanam, Siculam, Venetam, ac Hetruriæ, necnon Liguriæ, & Lombardiæ perpetuò constituerimus, & deputauerimus, illisq; ac eorum singulis Monasteriis dictorum Ordinis, & Congregationis in Italiâ, ac Insulis prædictis consisten. suppositis S. Petri Mutinen. ac eiusdem S. Petri Regien. Monasteria dictorum Ordinis, & Congregationis, dictæ Prouinciæ Hetruriæ etiam perpetuò subiecerimus, & supposuerimus; Et quod ex tunc de cætero, perpetuis futuris temporibus, in dictis septem Prouinciis nouem Abbates Definitores ex illis respectiuè oriundi, diuersarum, tamen nationum, & professionum, ac quatuor dictorum Ordinis, & Congregationis Visitatores ex eisdemmet Prouincijs oriundi, eligerentur, & in quâlibet ex Prouinciis prædictis tot Abbates, Priores, Cellerarij, ac Magistri Nouitiorum ex eâ tamen oriundi quot sunt in ea Monasteria, vel Prælaturæ, & Officia essent. Quodq; quotiès contingeret Abbatem Monasterij S. Pauli propè, & extrà muros Almæ Vrbis Nostrę dictorum Ordinis, & Congregationis, oriundum, vel professum esse ex Monasteriis Lombardiæ, Venetæ, & Liguriæ Prouinciarum prædictarum, tunc Procurator Generalis ipsius Ordinis, & Congregationis, oriundus, vel saltem professus ex aliquo Monasterio Romanæ, Neapolitanæ, & Hetruriæ Prouinciarum huiusmodi, ac vice versâ esset, & esse deberet, nec ambo vllo vnquam tempore ex Monasteriis earundem, sed diuersarum Prouinciarum prædictarum esse deberent, similitèr perpetuò, prout in dictis litteris pleniùs continetur statuerimus, & ordinauerimus. Nihilominùs, ex relatione dilectorum filiorum Anastasii à Carpenedulo Abbatis dicti Monasterii S. Pauli, ac D. Io. Baptistæ Romani Ordinis, & Congregationis prędictorum Procuratoris Generalis ad Nos, per illorum Capitulum Generale superiori anno celebratū, vt ex litteris Nobis exhibitis constat, destinatorum, accepimus, prędicta Monasteria S. Petri Mutinen. ac ipsius S. Petri Regien. eidem Prouinciæ Lōbardiæ, quā Hetrurię viciniora esse, idque illorum Abbatibus, ac Conuentibus incommodum inferre, & illorum Regularibus institutis magis consonum esse, vt professi Monasteriorum dictorum Ordinis, & Congregationis, qui non sunt oriundi Ciuitatum, vel locorum, aut Prouinciarum, in quibus professionem emiserunt, omnibus illorum dignitatibus, & officijs priuentur, Abbates verò, & alij Prælati dictæ Prouinciæ Siculæ à Regimine ipsius Monasterij Sancti Pauli, ac officio Procuratoris Generalis, dictorum Ordinis, & Congregationis, cum de eis in prædictis litteris ad hæc nulla mentio facta fuerit, in eorum damnum, &
1 præiudicium excludantur. 1 Nos igitur in supremo dignitatis culmine, Diuinà disponente clementià constituti, in his remedium prouisionis Nostræ adhibere cupien. dictarum litterarum veriores, & totos tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, S. Petri Mutinen. ac eiusdem S. Petri Regien. Monasteria huiusmodi, illorumque Abbates, Priores, Conuentus, ac aliàs illorum personas, nunc, & pro tempore existentes, ab eâdem Prouinciâ Hetrurię perpetuò disiungimus, & separamus, illaque & illos prædictæ Prouinciæ Lombardiæ, etiam perpetuò subijcimus, & supponimus.
2 2 Quodque de cætero, perpetuis futuris temporibus illi, qui in Monasterijs dictorum Ordinis, & Congregationis Ciuitatum, & locorum, ex quibus nō sunt oriundi, ad præsens professi existunt, non autem qui de cætero ipsorum Ordinis, & Congregationis habitus susception. ac profession. regularem

larem admitterentur, omnibus, & singulis priuile-
gijs, libertatibus, immunitatibus, fauoribus, antela-
tion. prærogatiuis, alijsque gratiis, tàm spiritualibus,
quàm temporalibus, quibus oriundi Ciuitatum, lo-
corū, & Prouinciarū huiusmodi vtuntur, potiuntur,
& gaudēt, & ac vti, potiri, & gaudere possunt, & po-
terunt quomodolibet in futurum, paritèr, & pariformi-
tèr, ac æquè principalitèr in omnibus, & per om-
nia, perinde, ac si ex eis oriundi essent, vtantur potiā-
tur, & gaudeant, ac nihilominus oriundi; cœteris pa-
ribus professis, in assecutione dignitatum, ac offi-
3 ciorum huiusmodi præferantur. Quodque Abba-
tes, & Priores dictæ Prouinciæ Siculæ, vnà cum Ab-
batibus, & Prioribus Romanæ, Neapolitanæ, & He-
truriæ Prouinciarum prædictarum, ad regimen di-
cti Monasterij S. Pauli, & officium Procuratoris ge-
neralis, huiusmodi concurrant, ac ad illa, & eorum
alterum, ad instar Abbatum, & aliorum Priorum
aliarum Prouinciarum prædictarum, eligi possint, &
4 valeant. 4 Ac pro pace inter Regulares personas
dictorum Ordinis, & Congregationis conseruan. il-
lorumque augumento; quod in singulis eorum Mo-
nasterijs, pro quolibet decimotertio numero Mona-
chorum professorum, vnus Graduatus, nempe vnus
Abbas, vel Procurator Generalis, aut Cancellarius
Præsidis, siuè vnus Prior, pro qualitate, & capacitate
professorum singulorum, respectiuè, Monasteriorū,
Et proquinque Monachis professis, vnus Decanus,
computatis Cellerarijs, ac Nouitiorum Magistris,
Confessoribus Monialium, ac Rectoribus, alijsque
Officialibus, ita tamen, quod ipsi Decani nume-
5 rum terecentum non excedant, assignentur. 5 Ad
officium tamen Decanorum, quoad sufficientiam
litterarum, illi dumtaxat Monachi assumantur, qui,
vel per examinatores ab Ordinariis locorum pro
tempore deputatos, seu per dictos Visitatores, vel
alios ab ipsis Visitatoribus, vel Difinitoribus, subro-
gatos, ad Confessiones Christifidelium audiendas
examinati cum effectu, per patentes litteras in for-
ma probanti, Visitatoribus tradendas, & ab ipsismet
Visitatoribus an fauore, vel merito illas impetraue-
rint, examinandas, & Definitoribus Capituli Gene-
rali præsentan., tanquam idonei approbati fuerint.
Quò verò ad integritatem vitæ, & morum probita-
tem, pro potiori cautelâ, & securitate, exactissimam
inquisitionem faciant Visitatores, examinando, tàm
Abbates, Priores, quàm cœteros Monachos cum
omni diligentiâ, ac puram, & meram veritatem re-
pertam, Definitoribus in scriptis, medio eorum Iura-
6 mento, deferant. 6 Præterea, quod Constitutiones
dictorum Ordinis, & Congregationis per fel. recor.
Gregorium Papam XIII. Prædecessorem Nostrum
approbatæ, & confirmatæ, in omnibus, & per omnia,
sub pœnis à Definitoribus statuendis, ac præfigendis
pro singulis transgressionibus præfatarum Consti-
tutionum, ipso facto incurren. dummodo per alias
Constitutiones Apostolicas reuocatæ non sint, in-
7 uiolabilitèr obseruentur. 7 In Monasterijs dictorū
Ordinis, & Congregationis, etiam in quibus, licet
tantum decem de Conuentu Monachi existant, ho-
ræ Canonicæ, tàm diurnæ, quàm nocturnę in Cho-
ro psallendo, singulis diebus recitentur, Culpæ Mo-
nachorum in Capitulo semel in quâlibet hebdoma-
dâ ad minus, audiantur, Missæque decantentur, &
lectio Casuum conscientiæ, saltem bis in vnâquaque
hebdomadâ habeatur, ac disciplina Monastica, pro-
ut in aliis Monasteriis seruatur, etiam seruetur, In
8 Refectorio lectio assidua audiatur. 8 Carnes ve-
rò in illis Monasteriis, ac temporibus tantum, in
Constitution. prædictis præscriptis, & per d. Grego-
rium Prædecessorem approbatis, extrà tamen illo-
rum Refectoria, edantur, Præmissaque omnia non
obseruantes, tam Superiores, quàm inferiores, voce,
actiuâ, & passiuâ ad arbitrium dictorum omnium
Definitorum, seu Regiminis, ipso facto priuati exi-
9 stant. 9 Quodque decreta facta, & non impressa,
ac in posterum fienda pro bono regimine dictorum
Ordinis, & Congregationis, in illorum Capitulis ge-
neralibus, per vota secreta, à maiori parte illorum
Prælatorum approbentur, & ad effectum, vt omnes
ad eorum obseruationem, sub pœnâ præcepti te-
neantur, & obligati existant à Sede prædictâ confir-
10 mari, & approbari debeant. 10 In reliquis verò,
omnia, & singula in prædictis Nostris litteris con-
tenta, in omnibus, & per omnia, iuxtà illorum teno-
rem obseruentur, nec illorum declaratio, moderatio
aliquâ in parte, vel in totum, seu reuocatio, quouis
quæsito colore, vel ingenio, nisi de consilio & con-
sensu omnium dictorum Ordinis, & Congregatio-
nis Prælatorum, etiam sub priuation. dignitatum, &
officiorum, quas, & quæ pro tempore obtinuerint,
ac inhabilitatis ad illas obtinen. eo ipso incurren. pę-
nâ, nullo vnquàm tempore intentari, vel impetrari
possint, itidem perpetuò statuimus, & ordinamus, ac
ita in omnibus, & singulis quos concernunt, & con-
cernent, quomodolibet in futurum, sub pœnis præ-
fatis inuiolabilitèr obseruari debere volumus, &
11 mandamus. 11 Præsentes verò Nostras litteras de
subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut
intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu nota-
ri, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi,
vel retractari, seu inualidari, aut ad viam, & termi-
nos iuris reduci, seu in ius, vel controuersiam voca-
ri, aut aduersus eos quodcunque iuris, & facti, vel
iustitiæ, aut gratiæ remedium intentari, impetrari,
vel concedi nullatenùs vnquam posse: sed eas ab
omnibus, & singulis quos concernunt, & concer-
nent quomodolibet in futurum, inuiolabilitèr ob-
seruari debere; sicque ab omnibus, & singulis cense-
ri, & ita per quoscunque Iudices, tam Ordina-
rios, quàm delegatos, quâuis auctoritate fungen.
etiam causarum Palatii Nostri Apostolici Au-
ditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr
iudican. ac interpretandi facultate, & auctoritate
iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane
decernimus, si secùs super his à quoquam, quâuis
auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit at-
12 tentari. 12 Quocircà Dilectis Filijs prædictorū Or-
dinis, & Congregationis Protectori, necnon Curiæ
Causarū Cameræ Nostræ Apostolicæ generali Au-
ditori, nunc, & pro tēpore existētibus per præsentes
committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo,
aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes
Nostras litteras, ac in eis contenta quæcunque, vbi,
& quando, ac totiès, quotiès opus fuerit, ac pro par-
te nunc, & prò tempore existentium dictorum Or-
dinis, & Congregationis Patrum, aut alius, eorum
nomine, & Congregationis requisiti fuerint solem-
nitèr publican. eisq; in præmissis, efficacis defensio-
nis præsidio assisten. faciant eas, & ea, auctoritate
Nostrâ ab omnibus inuiolabilitèr obseruari, ac om-
nes dictorum Ordinis, & Congregationis Prælatos,
Monachos, ac aliàs illorum personas eis pacificè
frui, & gaudere; non permitten. eos desuper quomo-
13 dolibet molestari, vel perturbari. 13 Contradicto-
res quoslibet, & rebelles per quasuis Ecclesiasticas
sententias, censuras, etiam pecuniarias pœnas, eorum
arbitrio imponen. moderan. & applican. cœteraque
opportuna iuris, & facti remedia appellatione post-
positâ compescendo, necnon legitimis super his
haben.

haben. seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauan. inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio. Non obstan. præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de vnâ, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò quis, vigore præsentium, extrà suam Ciuitatem, & diœc. vltrà tres dietas ad Iudicium non trahatur, aliisque Constitution. & Ordinationibus Apostolicis, & quatenùs opus sit, dictorum Ordinis, & Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis aliâ firmitate roboratis statutis, stabilimentis, vsibus, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non posint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 21. Martii 1608. Pontificatus Nostri Anno Tertio, Scipio Cobellutius.

## CONSTITVTIO CCLXVII.

### SVMMARIVM.

*1608. Dec. 1.*

### PAVLVS PAPA V.

*Constitutionem à se editam circà electionem Abbatum, Priorum, & Decanorum ex viciniioribus Monasterijs faciendam, quando in proprijs non inueniantur idonei, itâ intelligendam esse, vt primò Lectores Sac. Theologiæ, Philosophię, Iuris Canonici, vel Casuum conscientię, cæteris preferantur: deinde approbatos ad Confessiones audiendas Romæ, vel Mediolani, Bononię, Neapolis, Florentiæ. Quę paritèr seruanda erunt in eligendis ex numero resultante ex multis Monasteriis, in quibus vltrà numerum tresdecim Monachorum, pro quibus datur Graduatus, adhuc super sunt Monachi, ex quibus in totâ Prouincia potest confici numerus tresdecim paritèr Monachorum, pro quibus, eligi debet Graduatus pro vniuersa Prouinciâ, declarat.*

*Ex impresso.*

AL Molto Reuerendo, & Osseruãdisimo Padre, il Padre Presidente Casinense. Molto Reuerendo, & Osseruandissimo Padre. In esecutione di quanto dalla P.V. M. R. & dall' altri Reuerendi Padri della Dieta, ci fù con l'infrascritto decreto imposto. Pro Monasterio S. Benedicti de Barrâ. De difficultatibus ortis circà intelligentiam obseruationis Breuis S.D.N. Pauli Papæ V. in electione R. P.D. Matthiæ à Venusio in Abbatem, & Venerab. P. D. Constantini à Nolâ in Priorem Monasterii S. Benedicti de Barrâ, Reueren. S. Pauli de Vrbe, & Reueren. Procurator in Curiâ simul explorent voluntatem Sanctissimi, & referant R. Præsidi Nostræ Congregationis, vt possit dictos declararè benè electos. Dat. in Monasterio S. Seuerini de Neapoli die 14. Mensis Octobris 1608. D. Fab. â Matherâ Scriba Dietæ loco ✝ sigilli. Domenica a' 9. del Mese di Nouembre passato, ci appresentammo a' piedi di N. S. al quale esponemmo, & in voce, & in scritto quanto nel seguente memoriale si contiene, videlicet.

Beatisimo Padre. Il Breue fatto dalla Santità sua ad instanza delli Padri Casinensi per il buon gouerno della loro Congregatione, dispone, che per ogni 13. Monachi profesi di ciascun Monasterio se le dia vn Graduato; hora pretendono alcuni poter hauer Graduati sopra detto numero in defetto d'altri Monasterij, che non hanno soggetti idonei, & parimente d'vnire quel sopra numero di Monaci ch'auanzano à li 13. di molti Monasterii di ciascuna Prouincia, & quella portione, che ne resulta di Graduati compartirla à quelli Monasterii dell' istessa Prouincia c'hanno soggetti più capaci, sopra che tenendo ordine il P. Abbate di S. Paolo, & Procurator Generale di detta Congregatione d'intender la volontà della Santità sua sopra questi particolari; humilmente prostrati, ne dimandiamo la dechiaratione, & intentione della Santità sua. Quam Deus, &c.

Sua Beatitudine doppò hauer inteso ambidue, & fatto diuerse repliche, & instanze à quel che gl'era da noi stato esposto, per chiarezza di molte difficultà, disse, & dichiarò la mente sua esser questa. Che quando veramente, & con effetto reale, & non per interesse, ò pasione, alcun Monasterio non hauerà soggetti capaci per graduarsi, in lor vece all' hora siano eletti, & promosi à i gradi i figliuoli di Monasterii più vicini dell' istessa Prouincia, & parimente che del sopranumero del 13. che da Monasterii di ciascuna Prouincia si raccoglie, si diano con egual proportione Graduati à ciascun Monasterio della medema Prouincia; sempre che, quei per le sopradette due cause doueranno graduarsi, habbino conuentualmente letto Theologia ò almeno Filosofia, ò Canonico, ò Casi di conscienza. Et in euento non ne fusse in quella Prouincia alcun versato in dette facultà, che all' hora subentrino, in lor luogo quei, che formalmente saranno stati ammessi per essamine alle Confesioni in Roma, Milano, Bologna, Napoli, Fiorenza, & altre Città. Et succesiuamente quei, che saranno di lettere, & di costumi più conspicui, & prouati ne'carichi maggiori della Congregatione, & non altrimente. Volendo che nel resto siano osseruati li Breui della Santità sua fatti per il felice gouerno della Nostra Congregatione. Ne hauemo giontamente voluto dar conto alla P. V. M. R. acciò resti non men capace di quanto hauemo oprato, come della retta intentione di N.S. Con che li preghiamo ogni vera tranquillità dal Cielo. Di Roma il 1. Decembre 1608. Di V.P.M. Reuerenda. Humilisimi, & deuotisimi figliuoli Don Anastasio Abbate di S. Paolo. Don Gio. Battista Procurator Generale.

## CONSTITVTIO CCLXVIII.

### SVMMARIVM.

*1610. Ianuarij 3.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacrę Rituum Congreg. ad fauorem Monachorum SS. Nazarii, & Celsi Veronen. Congregationis Casinensis. Pro pręcedentiâ inter Monachos dicti Monasterii, & Monachos Monasterii S. Marię in Organo Congregationis Oliuetanę.*

Ex

*Ex impresso.*

IN causâ præcedentiæ in Processionibus inter Abbatem, & Monachos Monasterij SS. Nazarij, & Celsi Congregationis Casinensis ex vnâ, & Abbatem, ac Monachos Monasterii S. Mariæ in Organo Congregationis Oliuetanæ, ex alterâ, partibus, in Ciuitate Veronę commorantibus; In Sacrâ Rituum Congregatione propositâ, diu ventilatâ, & agitatâ coram Illustriss., & Reuerendiss. D. Card. Capponio, cui ab eàdem Sacrâ Congregatione fuerat commissa. Visis iuribus ambarum partium, eorumque Procuratoribus, & Auditoribus, tàm in voce, quàm in scriptis pluriès auditis: Visoque processu ex Veronâ ab Episcopo Veronensi eiusdem Sacræ Congregationis in hâc causâ Delegato, transmisso; & tandem audita relatione de præmissis omnibus factâ in plenâ Congregatione à prædicto Illustrissimo, & Reuerendiss. D. Cardinale Capponio; De voto, ac sententiâ omnium, & singulorum Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium in eàdem Congregatione præsentium.

Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit, & declarauit, in omnibus Processionibus, quę Veronę fiunt, in quibus prędicti Abbates, & Monachi Casinenses, & Oliuetani simul interueniunt, Pręcedentiam dandam esse Abbati, & Monachis Casinen. & sic in futurum seruari mandauit; quibuscunque non obstantibus; perpetuumque silentium super pręmissis ambabus partibus imponendum esse censuit, & imposuit die vigesimâ tertiâ Ianuarii M.DC.X. Dominicus Episcopus Ostien. Card. Pinellus. I. P. Mucantius Secret. Congregationis.

## CONSTITVTIO CCLXIX.

### SVMMARIVM.

*1610. Apr. 6.*

### PHILIPPVS III. HISPANIARVM REX.

*Exemptiones bonorum, iurium, laboratorum Affictuariorum, & Pensionariorum Monasterij Monialium S. Iuliæ de Brixiâ; ab impositionibus, & oneribus, realibus, & personalibus, confirmat.*

*Ex Priuil. Monialium S. Iuliæ de Brixiâ.*

PHILIPPVS, Dei gratiâ, Rex Castellæ, Legionis, Aragonum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugaliæ, Nauarræ, necnon Indiarum, &c. Archidux Austriæ, Dux Mediolani, Burgundiæ, & Brabantiæ, Comes Habspurghi, Flandriæ, & Tirolis, &c. Recognoscimus, & notum facimus, tenore præsentium, vniuersis. Expositum Nobis fuisse ex parte Venerabilium deuotarum Nobis dilectarum Abbatissæ, & Monialium Monasterij Sanctæ Iuliæ, aliàs S. Saluatoris in Ciuitate Brixiæ, Ordinis S. Benedicti, de Obseruantiâ, se habere, & possidere quędam Immunitatis, & exemptionis priuilegia, ab Inuictissimo Carolo Quinto Romanorum Imperatore Auo Nostro, & Hispaniarum Rege Philippo Secundo Patre, ac Domino Nostro, semper colendissimo concessa, quorum tenor sequitur in hunc modum. PHILIPPVS, Dei gratiâ, Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani, Comes Habspurgi, Flandriæ, & Tirolis, &c. Recognoscimus, & notum facimus, tenore præsentium, vniuersis. Expositum Nobis fuisse, nomine, & pro parte Venerabilium deuotarum Nobis dilectarum Abbatissæ, & Monialium Monasterij S. Iuliæ, aliàs S. Saluatoris in Ciuitate Brixiæ, Ordinis S. Benedicti, de Obseruantiâ, se iam per immemorata tempora, & annos suprà septingentos, per diuersos Romanorum Imperatores, & Reges, ac etiam Duces Mediolani, pluribus, & amplissimis Priuilegijs, Immunitatibus, concessionibus, ac exemptionibus, bonisque ac possessionibus, multisque Beneficijs condonatas fuisse, pro quibus quidem omnibus bonis, & præsertim his in loco Alfiani, qui est in agro Cremonensi, sitis Monasterium prædictum, ac eiusdem Massarios, colonos, fictabiles, bracentos, pensionarios, & possessionum cultores, & habitatores loci prædicti, pro capitibus, & personis eorum, ac etiam pro grassinis, & quibuscunque fructibus, qui ibidem nascuntur, & percipiuntur ex dictis bonis Alfiani fuisse, & extitisse, virtute dictorum Priuilegiorum, in antiquâ possessione, seu quasi, omnimodæ immunitatis, & exemptionis absque aliquâ diminutione, seu restrictione, non soluendi, nec contribuendi, cum Ciuitate Cremonæ, nec Comitatu eius, neque cum alijs Ciuitatibus, & Comitatibus dicti Status, quæuis onera realia, personalia, & mixta, imbotaturas, pedagia, gabellas, solutiones, seu taxas equorum, hospitationes militum, onera salis, stratarum, nec alia quæuis onera, tàm ordinaria, quàm extraordinaria, imposita, quàm imponenda pro quibuscunque causis quantumque vrgentissimis, atque has concessiones, & exemptiones à præfatis oneribus sæpiùs confirmatas, auctas, & corroboratas fuisse per complures Imperatores, Reges, & Duces Mediolani, & postremò per Inuictissimum Carolum V. Romanorum Imperatorem Patrem, & Dominum meum colendissimum fel. memoriæ, prout de dictâ confirmatione in authenticâ formâ Nobis exhibitâ, & pręsentatâ, plenè constitit, cuius tenor sequitur in hæc verba. CAROLVS Quintus, Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Insularum, Balearum, Sardiniæ, Fortunatarum, & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotrici, Brabantiæ, Limborgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Vuertembergæ, Comes Aspurgi, Flandriæ, & Tirolis, Arthesii, & Burgundiæ, Palatinus Annoniæ, Olandiæ, Zelandię, Ferreti, Kiburgi, Namurci, & Zutfanię, Lantgrauius, Alsaciæ, Marchio Burgoniæ, & Sacri Romani Imperij &c. Princeps Sueuię &c. D. Frigię, Molinę, Salinarum, Tripolis, Mechlinię, &c. Ad futuram rei memoriam. Recognoscimus, & notum facimus, tenore pręsentium, vniuersis. Quoniam ad hoc summi Principatus, & Sacrosanctum Imperij culmen, cuius D. O. M. auctor est, eâ potissimum ratione ipsius prouidentiâ sumus euecti, vt pacem, & tranquillitatem omnium fidelium Nostrorum procuremus, & pręcipuè Ecclesiarum, Monasteriorum, & personarum, quę Diuino cultui dedicatę sunt, ipsorumque protectioni, studium, & operam impendamus, quatenùs eędem personæ, & loca in suis priuilegijs, libertatibus, concessionibus, immunitatibus, & iuribus faueantur, & conseruentur illesæ. Hinc est, cum, veridico testimonio, Nobis significatum fuit, Monasterium Sanctimonialium, nunc quidem Sanctæ Iuliæ, aliàs verò S. Saluatoris, quod diceba-

cebatur nouum in Ciuitate Brixię, Ordinis S. Benedicti de Obseruantiâ, olim per Ansam Reginam, & coniugem Flauii Desiderij Longobardorum Regis erectum, & Imperiali culmini adeò gratum, & commendatum semper fuisse, etiam per immemorata tempora, & annos suprà septingentos, per diuersos Imperatores Romanorum, & Reges pędecessores Nostros, Augustę memorię, pluribus, & amplissimis Priuilegijs, Immunitatibus, concessionibus, & exemptionibus, bonisque, Beneficijs, possessionibus, rebus, Monasterijs, & alijs condonatum. Pro quibus quidem omnibus bonis, & maximè in Cremonensi agro, in Alfiani loco sitis, prędictum Monasterium, seu etiam eiusdem Massarii, fictabiles, bracenti, pensionantes, & possessionum cultores, & habitantes loci prædicti fuerunt in antiquissimâ possessione, seu, quasi immunitatis, & exemptionis à quibuscumque oneribus realibus, & personalibus, mixtis, vel etiam imbotaturis, datijs, pedagijs, gabellis ordinarijs, & extraordinarijs, solutione equorum, salis, stratarum, & aliorum quorumcunque, quæ dici, & excogitari possint quomodocunque, & qualitercunque; & hæc quidem priuilegia sæpè, & sæpiùs corroborata, & confirmata, ac multifariè aucta, & ampliata fuisse per complures Imperatores, & Reges, & maximè per D. Carolum Magnũ anno octingentesimosecundo. Item per Ludouicum anno octingentesimo secundo, Lotharium anno octingentesimo trigesimotertio. Item Ludouicum, Lothariumque, eius filium anno octingentesimo quadragesimo septimo, Gislæ ipsius Ludouici filiæ, & præfati Cœnobij Abbatissę. Item per Berengarium anno octingentesimo octuagesimo nono, eundemque anno noningentesimo decimo quinto, Berthę eius filię, similitèr eiusdem Cœnobij Abbatissæ, & per eundem Berengarium anno noningentesimo sextodecimo. Othonem Tertium anno noningentesimo nonagesimo. Henricum Secundum anno millesimodecimo quarto. Henricum Tertium anno millesimo quadragesimo octauo. Henricum Quartum anno millesimo octuagesimo quinto. Lotharium anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto. Federicum anno millesimo centesimo octuagesimo quarto. Othonem Quartum anno Domini millesimo ducentesimo decimo, & demum per Ludouicum, & prout de his apparet publicis documentis, signisque, & sigillis superindè confectis, & subsignatis, Nobis exhibitis. Cumque prætereà expositũ Nobis fuerit subinde per Illustres Mediolani Duces respectu dictorũ bonorũ in agro Cremon. sitorum huiusmodi priuilegia, immunitates, & exemptiones eidem Cœnobio concessa, & concessas fuisse, & maximè per Illustres quon: Franciscum Sfortiam Primum, Ludouicum Mariam eius filium, & Franciscum ipsius Ludouici Mariæ filium, & prout documentis publicis, signisque, & sigillis Ducalibus Nobis paritèr exhibitis latiùs apparet. Et propterea ex parte earundem Abbatissæ, & Sanctimonialium, quæ (vt accepimus) numero circitèr centum octuaginta in eo Monasterio degere dicuntur, & earum non paucæ ex Domo Gambarâ, Lodronâque, & fermè omnium familiarum nobilium Brixiæ Ciuitatis genitæ, Nobis humilitèr supplicatum, quatenùs prædicta, necnon vniuersa, & singula alia priuilegia, indulta, literas, donationes, libertates, exemptiones, immunitates, gratias, concessiones, loca prædicta, aquas, iura, iurisdictiones, census, redditus, & bona eisdem Abbatissæ, & Sanctimonialibus, seu earũ prædecessoribus, & Monasterio S. Iuliæ à prænominatis Diuis Rom. Imperatoribus, & alijs Regibus, & Principibus, & præsertim Mediolani Ducibus, data, facta, seu concessa, datas, factas, & concessas, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & sententiis: omnesque aliàs consuetudines laudabiles ad Cœnobii prædicti fauorem, commodumq; seruatas, confirmare, approbare, & authorizare, & ratificare, & quatenùs expediat de nouo concedere, ex Imperiali munificentiâ, & liberalitate Nostrâ dignaremur. Nos verò, qui honestis supplicum votis, & præcibus, illis præsertim, quæ commodum sanctarum Ecclesiarum, & Deo dicatarum personarum respiciunt, faciles aures præbere consueuimus. Attendentes in primis laudabilem vitæ conuersationem, & Religionis obseruantiam earundem Sanctimonialium, & vt Diuino cultui, qui in eodem Monasterio die, noctùque peragitur, eò feruentiùs attendere, ac pro Nostrâ, & Sacri Imperii salute, & incolumitatè D. O. M. assiduas præces offerre valeant. His igitur; atq; alijs dignis respectibus, & causis moti, animo deliberato, ex certâ scientiâ, sanoque, & maturo accedente consilio, & Imperiali auctoritate Nostrâ, prædictâ, necnon vniuersa, & singula alia priuilegia, indulta, literas, donationes, libertates, exemptiones, immunitates, gratias, concessiones, loca, prædia, aquas, iura, iurisdictiones, census, redditus, & bona eisdem Abbatissę, & Sanctimonialibus, seu earum prædecessoribus, & Monasterio S. Iuliæ à prænominatis Diuis Rom. Imperatoribus, & alijs Regibus, Principibus, & præsertim Mediolani Ducibus data, facta, seu concessa, datas, factas, & concessas, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & sententijs, quorum omnium nomina, & tenores hic pro expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum præsentibus essent inserta. Omnesque aliàs consuetudines laudabiles ad Cœnobii prædicti fauorem, commodumq; seruatas, & prout præfatum Monasterium in eorum possessiones, seu quasi est, confirmauimus, approbauimus, authorizauimus, & ratificauimus, & quatenùs opus est de nouo concedimus, & perpetuo Imperatoriæ auctoritatis robore munimus. Decernentes ex eâdem Nostrâ Imperiali auctoritate, & hoc firmissimo statuentes edicto, ac volentes prænarrata omnia, & singula Priuilegia, literas, concessiones, & in eis contenta in omnibus suis punctis, & clausulis, articulis, & sententiis, necnon consuetudines supradictas perpetuò rata, valida, & firma, ratas, validas, & firmas esse, & ceteri in iudicio, & extrà, & ab omnibus inuiolabilitèr obseruari. Quodq; præfata Abbatissa, & Sanctimoniales Monasterij prædicti S. Iuliæ Ciuitatis Brixien. earumque successores, Massarii, fictabiles, famuli, factores, bracenti, pensionantes, agricultores, & domos dicti loci Alfiani habitantes, virtute, & beneficio dictorum Priuilegiorum, litterarum, & concessionum, & huius Nostræ, confirmationis, approbationis, & ratificationis, & nouæ concessionis prædictis Immunitatibus, exemptionibus, & gratijs, alijsque omnibus, & singulis in eâdem, Priuilegijs, litteris, & concessionibus contentis, & hic suprà expresis, & ad eos, & eorum quemlibet spectantibus vti, frui, & gaudere pacificè, & quietè possint, & debeant, absque omni impedimento, & contradictione. Prætereà de vberioris gratiæ, dono, scientiâ, & auctoritate præfatis reuocamus, cassamus, irritamus, annullamus, omnia, & quæcunque in præiudicium, offensionem, & læsionem præfatarum Abbatissæ, & Sanctimonialium, ipsiusque Monasterii, ac omnium suorum prædictorum, ipsorumq; Priuilegiorum, literarum, gratiarum, & Immunitatum diminutionem

nem per quoscunque retroactis temporibus indebitè facta, seu attentata, aut per ignorantiam ipsarum Abbatissæ, & Monialium, seu negligentiam Agentium earundem admissa. Quæ quidem omnia, & singula, sicut dictum est, de facto gesta, attentata, & admissa, nulla, & inualida, præsentis Priuilegij, & concessionis vigore decernimus, prædictasque Abbatissam, & Sanctimoniales eorumque homines prænominatos in pristinum statum, quoad præmissa reponimus, restituimus, & reintegramus, aliquo temporis fluxu, seu præscriptione, aut legibus, statutis, decretis, ordinibus, & alijs in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque; etiamsi talia forent, de quibus hic specialis mentio fieri deberet. Quibus omnibus, & singulis, quatenùs obstarent, seu quouis modo obstare possent, pro hâc dumtaxat vice derogamus, & derogatum esse volumus, scientiâ, & auctoritate prædictis; supplentes omnes, & quoscumque defectus, siue iuris, siue facti sint, qui in præmissis, vel verborum obscuritate, vel sententiarū ambiguitate, aut debitæ solemnitatis omissione, vel alitèr quoquomodo interuenissent, aut dici, vel allegari possent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Nostræ confirmationis, approbationis, ratificationis, nouæ concessionis, derogationis, suppletionis, decreti, voluntatis, & gratiæ, paginam, infringere, aut ei quouis ausu temerario contraire. Si quis autem secùs attentare præsumpserit, prætèr pœnas in prædictis prædecessorum Imperatorum, Regum, & Principum literis expressas, & alioqui in turbatores rerum, & personarum Ecclesiasticarum à iure, tàm canonico, quàm ciuili statutas, Nostram quoque, & Imperii Sacri indignationem grauissimam, ac pœnam quinquaginta marcharum auri puri, totiès quotiès contrafactum fuerit se nouerit irremissibilitèr incurrisse, quarum dimidiam Imperiali Fisco, seu ærario Nostro, residuâ verò parti læsæ decernimus applicandā. Harum testimonio literarū manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli Nostri Cæs. appensione munitarum. Dat. in Ciuitate Nostrâ Imperiali Crem. die vigesimâ mensis Iunii anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, Imperij Nostri vigesimo tertio, & Regnorum Nostrorum vigesimo octauo. Carolus. ad mandatum Cæs. & Cath. Maiestatis proprium Io: Obenburger. In calce. Vidit Perezius. Cumq; Nobis per ipsarū Monialium parte humilitèr supplicatum fuerit, vt tàm concessiones præfatas, quàm præinsertam confirmationem Cæsaream eisdem denuò approbare, cōfirmare, ratificare, & innouare dignaremur. Nos verò, qui honestis supplicantium votis, & precibus benignas aures præbere consueuimus, attendentesq; ad earum vitæ honestatem petitioni præfatæ ex animo duximus annuendum. Tenore igitur præsentium, animo deliberato, ex certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis Nostræ Regiæ, & Ducalis, & in vim motus proprij, sano accedente consilio, & aliàs omni meliori modo, viâ, & formâ, quibus meliùs, validiùs, & efficaciùs fieri potest, & debet, prædicta Priuilegia, concessiones, & gratias, sic (vt præmittitur) per Imper. Reges, & Duces concessas, & concessa, & præsertim præinsertum confirmationis priuilegium Cæs: (quatenùs tamen fuerunt, & sint in eorundem possessione) in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis, & verborum expressionibus, prout de verbo ad verbum iacent, confirmauimus, approbauimus, ratificauimus, & innouauimus, ac præsentium tenore confirmamus, approbamus, ratificamus, & innouamus, ac Regio, & Ducali robore, & firmitate munimus. Decernentes huiusmodi priuilegium confirmationis, & singula in eo, vtsuprà inserta, & contenta, & memorata alia priuilegia, gratias, & concessiones, vtsuprà, rata, valida, stabilia, & firma, ac ratas, validas, stabiles, & firmas esse, & censeri, ac ab omnibus ad quos spectat, aut spectabit vbique, tam in iudicio, quam extrà, inuiolabilitèr obseruari debere, nec in eorum præiudicium quicquam posse, aut debere fieri, non secùs, ac si à Nobis ipsis concessas, & concessa fuissent, & donata; supplentès insupèr omni defectuj cuiuscumq; solemnitatis, tàm iuris, quàm facti intrinsecè, aut extrinsecè, qui quouis modo interuenire, seu interuenisse dici, aut allegari possent. Non obstantibus quibuscunque legibus, decretis, constitutionibus, ordinationibus dicti Status, & aliis quibusuis in contrarium facientibus, aut aliam formam dantibus, etiamsi talia essent, de quibus specialis, & indiuidua mentio facienda esset. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores hic pro insertis habentes, scientiâ, auctoritate, & potestate præfatis, derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus. Mandantes insuper Ill. Gubernatori Nostro præsenti, & futuris, Præsidi, & Senatui, Præsidibus, & Magistris vtriusq; Magistratus, aliisq; Officialibus, & subditis Nostris Mediolanen. Dominij, ad quos spectat, & spectabit, vt has Nostras innouationis, confirmationis, approbationis, & ratificationis litteras obseruent, & exequantur, obseruarique, & exequi faciant per quoscunque sub grauissimæ indignationis Nostræ incursu, ac pœnâ marcharum quinquaginta auri puri totiès quotiès contrafactum fuerit, quarum dimidiam Nostro Fisco Mediol:, alteram præfato Monasterio applicandam decernimus. Harum testimonio literarum manu Nostrâ subscriptarum, sigilliq; Nostri appensione munitarum. Dat. in Oppido Nostro Segorigiale &c. die 22. mensis Octobris Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Regnorum Nostrorum videlicet, Hispaniarum, & vlterioris Siciliæ anno decimo, citerioris verò Siciliæ, Hierusalem, & aliorum duodecimo SS. YO EL REY. Ad mandatum Regiæ, & Catholicæ Maiestatis proprium. Vargas V. Casatus R. Registrata in Registro priuilegiorum quinto fol. 257. Losilla. 1566. die 10. Ian. Aduocatus Fisci videat, & opponat, si quid opponere intendit, vt super petitâ approbatione deliberari possit. Annib. Cruceius. Modo immunitas intelligatur iuxtà ritè, & rectè habitam possessionem, & regulas Excellentissimi Senatus Fisci se remittit. G. Brugor.

PHILIPPVS, Dei gratiâ, Hispaniarum, vtriusque Siciliæ &c. Rex, & Mediol. Dux &c. Cum Venerabiles Abbatissa, & Moniales Monasterij S. Iuliæ, aliàs S. Saluatoris Ciuitatis Brixiæ petiissent à Senatu Nostro annexi diplomatis approbationem, iussimus illud Aduocato Fisci Nostri exhiberi, qui opponeret, si quid opponere vellet. Relato deindè ab vno ex Spect. Senatoribus Nostris eo diplomate in Senatu ipso, ac visis ijs, quæ à Fiscali Aduocato adducta sunt; habitâq; omnium maturâ deliberatione, ex eiusdem Senatus sententiâ, diploma ipsum confirmamus, & approbamus, quatenùs ipsæ Moniales in possessione narratæ Immunitatis ritè, & rectè esse reperiantur, & saluis Fisci Nostri iuribus. Mandantes ijs omnibus, ad quos spectat, spectabitve, vt eas, iuxtà præsentis approbationis formam, inuiolatè obseruent, & obseruari faciant. In quorum fidem præsentes sigillo Nostro munitas fieri iussimus. Mediolani 1. Februarij 1566. Annib. Cruceius. Ideò Nobis humilitèr supplicando, vt prædicta priuilegia non solum approbare, confirmare, & ratificare, sed de

de nouo concedere de Regiâ, & Ducali benignitate Nostrâ dignaremur. Nos pro Nostrâ in Deum Optimum Maximum pietate, resque eidem dicatas obseruantiâ, & cultu, petitioni prædictæ libentèr duximus annuendum. Tenore igitur præsentium, de certâ scientiâ, Regiâq; & Ducali auctoritate Nostrâ, deliberatè, & consultò, ac ex gratiâ speciali, maturâque Sacri Nostri Supremi consilij accedente deliberatione, & in vim motus proprij, ac omnibus meliori modo, iure, viâ, causâ, & formâ, quibus meliùs, validiùs, & efficaciùs fieri potest, præfata Immunitatum, & exemptionum, aliarumque facultatum, & concessionum Priuilegia, omniaque, & singula in eis contenta, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententijs, & continentijs à primâ eorum lineâ vsq; ad vltimam, prout iacent, de verbo ad verbum, quatenùs sunt, ac fuerunt in possessione, laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, & vbi opus est de nouo concedimus Nostræq; huiusmodi laudationis, approbationis, & ratificationis munimine, seu præsidio roboramus, & validamus. Decernentes, & expressè volentes, hanc Nostram approbationem, confirmationem, ratificationem, & nouam concessionem valere, & tenere, perpetuam firmitatem, & robur, tàm in iudicio, quàm extrà, & inuiolabilitèr obseruari debere, non secùs, ac si illa omnia à Nobis ipsis ab initio concessa, & facta fuissent. Supplentes omnes, & quoscumque defectus, tàm iuris, quàm facti, & cuiuslibet alteriùs solemnitatis intrinsecæ, & extrinsecæ, & formalis à iure, vel consuetudine requisitæ, si qui forsan in præmisis, aut premissorum aliquo interuenissent, aut interuenisse dici, aut allegari quoquomodo possint; non obstantibus quibuscumque Legibus, Statutis, Constitutionibus, Reformationibus, atque Decretis Mediolanensis Dominij, & alijs omnibus quibuscumque, tàm in genere, quàm in specie contrarium facientibus, aut aliam formam dantibus, etiamsi talia essent, de quibus specialis, & indiuidua mentio his Nostris esset facienda, quibus omnibus, & singulis eorum tenorib. hic pro insertis, & specificè declaratis habere volentes, quatenùs huic Nostræ approbationi, confirmationi, & ratificationi obstarent, seu eius exequutionem quomodolibet impedirent, hâc tantum in parte derogamus, & derogatum esse volumus, & iubemus. Mandantes Illustri Gubernatori Nostro, præsenti, & futuris, Præsidi, & Senatui, Præsidibus, & Magistris vtriusque Magistratus, Thesaurario Nostro generali, cœterisque Officialibus, & subditis Nostris Mediolanensis Dominii, ad quos spectat, & spectabit, vt præfata Immunitatum, & exemptionum Priuilegia, ac omnia, & singula in eis contenta, & hanc Nostram cõfirmationem teneant firmitèr, & obseruent, teneriq; & inuiolabilitèr obseruari faciant. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Nostræ confirmationis Immunitatum, & exemptionum paginam infringere, aut quouis ausu temerario contrafacere, sub grauissimâ indignationis Nostræ pœnâ, ac alijs arbitrio Nostro imponendis. Harum testimonio litterarum manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli Nostri appensione munitarum. Datum Vallisoleti septimâ die mensis Aprilis Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo decimo. YO EL REY. ℣. Comest. ℣. Lanz ℟. ℣. Quintana Duegna ℟. ℣. M. Ant. Depon. ℟. Ad mandatum Reg. & Cathol. Maiestatis propriũ. Ludouicus Oct. Mutrinco. ℣. Caymus ℟. Confirma V. M. en la forma ordinaria al Monasterio de Monjas de S. Iulia en el Estado de Milan los Priuilegios de exempcion aqui insertos.

## CONSTITVTIO CCLXX.

### SVMMARIVM.

1610.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Cardinalium, Sacri Concilij Tridentini Interpretum. Quod licentiæ ingrediendi Monasteria Monialium Regularibus subiectarum, ab eorum Superioribus Regularibus tantùm concedantur.*

*Ex impresso.*

SACRA Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, licentias ingrediendi intrà septa Monialium ex verâ tantum necessitate concedendas; quoad Monasteria Regularibus subiecta, pertinere tantùm ad ipsos Superiores Regulares. Io: Garsia Cardinalis Millinus.

## CONSTITVTIO CCLXXI.

### SVMMARIVM.

1611. Febr. 16.

*Decretum EE. & RR. DD. Cardinalium Sacræ Congregationis de Bono regimine. Quod per assignationem bonorum Ecclesiasticorum in Catastris Communitatum, nullum ius aquirant ipsæ Communitates imponendi onera super eisdem bonis.*

*Ex impresso.*

SCIPIO Tituli S. Chrysogoni S. R. E. Presbiter Cardinalis Burghesius, Prefectus Congreg: Boni Regiminis, ac totius Status Ecclesiastici Superintendens Generalis. Quia Sacra Congregatio, habitâ diuersis vicibus, tàm super Bonò Regimine Communitatum Status Ecclesiastici, quàm super grauaminibus tollendis in vniuersâ ditione temporali Sedis Apostolicæ; pluriès declarauit, quod, nec Communitas Perusinâ, nec aliæ, quibus permissum est, seù ad quarum instantiam fuit mandatum confici Catastrum de bonis Ecclesiasticis; dictaque bona allibrari ad instar bonorum laicalium; per dictam descriptionem, seu allibrationem, ius aliquod acquirant, seu quomodolibet haberi pretendant, propriâ auctoritate collectandi dicta bona, vel super illis aliqua onera imponendi, & imposita exigendi, pro quàuis vrgentissimâ causâ, etiam si dicant id facere pro exoluendis oneribus Cameralibus, nisi per eamdem Congregationem & S. D. N. specialitèr id concedatur. Imò expressè inhibuit, ac prohibuit dictis Communitatibus, earumque exactoribus, & ministris, nè sub censuris, & pœnis in Bullâ in die Cœnæ Domini legi solitis contentis, sub prætextũ dicti Catastri vltrà mercedẽ calculatoris, agrimensorum, æstimatorum, & scripturæ, aliquid, quantũuis minimum exigant, aut ab alijs exigi permittant. Ideo nè de præmissis omnibus, vllo vnquam tempore præsumatur ignorantia, & ab omnibus, ad quos spectat, & quibus præsentes præsentabuntur, inuiolabilitèr obseruetur, Gubernatoribus, ac cœte-

ris Officialibus, & Iustitiæ ministris, sub iamdictis pœnis, ac indignationis S. D.N. mandamus, quatenùs ad omnem Instantiam Cleri, tàm Sæcularis, quā Regularis, tàm in Vniuersali, quàm in particulari, præsentem declarationem, & prohibitionem obseruari faciant, & mandent, ac ipsi respectiuè obseruent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Palatio Apost. die 16. Mensis Februarij 1611. S. Card. Burghesius. Odoardus Sanctarellus Sec.

## CONSTITVTIO CCLXXII.

### SVMMARIVM.

*1612. Maij.*

*Decretum RR.DD. Præsidentium Generalium Congregationum Monachorum sub Regulâ S.P.N. Benedicti, pro receptione, & vsu noui Breuiarij, ac Missalis Monastici.*

*Ex Breuiario Monastico.*

ABBATES, & Præsidentes Generales Congregationum sub Regulâ Sancti Benedicti militantium. Vniuersis Monachis, & Monialibus sub eâdem Regulâ existentibus in Christo dilectis, salutem in Domino. Cum primùm accepimus, per Procuratores Generales totius Nostri Ordinis Romæ, de Sanctissimi Domini Nostri mandato, effectum esse, vt omnium Congregationum, quæ sub Regulâ Sanctissimi Patris Nostri Benedicti, Deo famulantur, vnicus sit Deum in Canonico Officio, laudandi modus, vnicumque vniuersi Ordinis Breuiarium, & Missale, ex Romano restitutum; magno sumus spirituali solatio perfusi; dum eam, quam vnus, idemque Sanctissimus Parens genuit, toto iam Orbe propagatam Monachorum Sacram sobolem, & si diuersarū Religionum, habitus, cōsuetudinum, aliarumque rerum speciosâ varietate circumdatam, in Diuinis tamen laudibus concinendis, ac recitandis, Sacrisque faciendis inter se omninò, & cum Romanâ Ecclesiâ, quæ omnium Ecclesiarum, iure Mater est, ac Magistra, quoad fieri potest, saluâ Regulâ Sanctissimi Nostri Institutoris, conuenire conspicimus. Cumque nouerimus Hieremiam Guelfum, ac Bartholomęum Zannettum, & eorum Romanâ Typographia, magnis expensis, grauioribusque laboribus, copiosam Breuiariorum, Missalium, aliorumque Choralium librorum multitudinem, ad prædictam formam redactorum fideliter in lucem breui traditiuros, & vt Nostræ Religioni deseruiant. Iterum, atque iterùm, quotiescunque opus fuerit, per viginti annorum spatium eisdem typis cudere curaturos. Nos illorum indemnitati (vti par est) prouidere volentes, omnes, & singulas vtriusque sexus Regulares personas, Nostræ obedientiæ subiectas, vbique terrarum existentes admonemus, hortamurque, ac in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ sub formali præcepto eisdem mandamus, vt deinceps ad publicæ, priuatimque in Choro, & extrà, precandum, psallendum, celebrandum, & Diuinum Officium decantandum, & recitandū, huiusmodi libros, sic correctos per antedictos Hieremiam Guelfum, & Bartholomæum Zannettum Romæ editos, postquam venales expositi fuerint, veteribus, quibus antea vtebantur penitùs abolitis, infrà biennium omninò recipiant, ac ijsdem receptis in posterum vtantur. Valeant in Domino semper, Nostrique memores, orationum suarum participes efficiant. Datum Mense Maij M.DCXII.

## CONSTITVTIO CCLXXIII.

### SVMMARIVM.

*1612. Iulij 10.*

## PAVLVS PAPA V.

*Reuocat Licentias ingrediendi Monasteria Monialium, sæcularibus Mulieribus hactenùs concessas.*

*Ex impresso.*

PAVLVS Papa V. Ad futuram rei memoriam. Monialium statui, quæ secularia desideria abnegantes, Dei obsequio sese addixerunt, pastorali sollicitudine consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religiosam earum quietem, & regularem obseruantiam perturbare dignoscuntur, curam Nostram libentèr intendimus, prout in Domino conspicimus salubritèr expedire. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientiâ compertum est, non leuia incommoda, licentias ingredien. Monasteria Monialium mulieribus sæcularibus concessas, dictis Monialibus inferre: Nos, malis huiusmodi, opportuno remedio, prouidere volentes; Motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas licentias ingrediendi Monasteria Monialium, vbique locorum existen. ac cum Monialibus conuersandi, & refectionem sumendi corporalem, Mulieribus cuiuscunque status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, & efficacioribus, ac insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis ad tempus, vel in perpetuum à Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, & etiam à Nobis concessas, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, reuocamus, cassamus, & irritamus, ac reuocatas, cassas, & irritas esse decernimus Inhibentes Mulieribus prædictis licentias huiusmodi habentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, à quâ non, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo, absolui possint, nè Monasteria prædicta, prætextu licentiarum huiusmodi, ingredi audeant, seu præsumant; ipsorum verò Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus, sub eâdem, ac priuationis suorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto, sine aliâ declaratione incurrendis pœnis, nè eas introducere, seu admittere, vel admissas quoquomodo retinere audeant, seu præsumant. Quocircà dilectis filijs Nostris, & Apostolicæ Sedis pro tempore existentibus Nuncijs, ac Locorum Ordinarijs, necnon dictorum Monasteriorum Prælatis, & Superioribus præcipimus, & mandamus, quatenùs præsentes litteras publicari, & præmissa omnia obseruari faciant; Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes, per prædictas, & alias sententias, censuras, & pœnas, aliaque iuris, & facti reme-

dia opportuna, appellatione postpositâ compescendo; inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstan. præmissis, ac quibusuis Constitutionibus, & odinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Quia verò difficile foret has litteras ad omnia loca deferri, Volumus quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 10. Iulij. 1612. Pontificatus Nostri Anno Octauo. S. Cobellutius.

## CONSTITVTIO CCLXXIV.

### SVMMARIVM.

1612. oct. 1.

### PAVLVS PAPA V.

*Breuiarium Monasticum emendatum, ab omnibus sub Regulâ S. P. N. Benedicti militantibus recitandum decernit. Eisdemque Indulgentias à Pio Papa V. concessas recitantibus Breuiarium Romanum, communicat.*

*Ex Breuiario Monastico.*

PAVLVS Papa V. Ad futuram rei Memoriam. Ex iniunctо Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, ad ea libentèr intendimus, per quæ pijs Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, qui in Ecclesiâ Dei singulari quodam splendore refulgent, votis consulitur, prout in Domino conspicimus salubritèr expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filij Procuratores generales Monachorum militantium sub Regulâ S. Benedicti, ad reformationem sui Ordinis Breuiarij, & aliorum librorum Ecclesiasticorum Choralium, deputati, post diuturnos, & multos labores, Breuiarium, & libros huiusmodi reformauerint, eâque reformatione præstiterint, vt Ordinis prædicti Religiosi in posterum, vniformi ritu Horas Canonicas recitaturi, & sacrificium laudis, cum consensu, Altissimo immolaturi sint, cum antehàc diuersa officia peragerent, Nos laudabile consilium huiusmodi plurimum commendantes, & omnes eiusdem Ordinis Religiosos ad Breuiarum, & libros Chorales, vt præfertur, reformatos, vnanimitèr recipiendos, in Domino hortantes, & opus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, promouere cupientes, vt Breuiarij, & librorum prædictorum editio emendatior, & fidelior peragatur, ac dilecti filij Hieremias Guelfus, Impressor Noster Cameralis, & Bartolomæus Zannettus in Vrbe Nostrâ Typographus, Breuiarium, & Diurnum, & alios libros Chorales pro eiusdem Ordinis Religiosorum vsu, & commodo sic reformatos, typis cudere, de consensu eorundem Procuratorum intendant. Nos idcircò eorum indemnitati, nè ex impressione huiusmodi nimium dispendium patiantur prouidere, ipsosque Hieremiam, & Bartholomæum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quàuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; supplicationibus tàm Procuratorum, quàm Hieremiæ, & Bartholomæi prædictorum nominibus, Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati, Hieremiæ, & Bartholomæo prædictis, vt viginti annis proximis à primeuâ Breuiarii, Diurni, & librorum huiusmodi, dummodo anteà à dilecto etiam filio Magistro Sacri Palatii approbati sint, impressione computandâ, durantibus, nemo tàm in Vrbe, quàm in vniuerso Statu Nostro Ecclesiastico immediatè, vel mediatè Nobis subiecto, Breuiarium, Diurnum, & libros Chorales huiusmodi, sine speciali Hieremiæ, & Bartholomæi, aut eorum hæredum, & successorum, vel ab eis causam habêtium licentiâ, imprimere, aut ab alio, vel aliis, sine huiusmodi licentiâ impressos vendere, seu venales habere, aut proponere possit, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea omnibus, & singulis dictę Vrbis, & status Ecclesiastici prædicti vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus, & Bibliopolis, sub quingêtorum ducatorum auri de Camerâ, & amissionis librorum, & typorum omnium, pro vnâ Cameræ Nostræ Apostolicæ, ac pro aliâ eisdem Hieremię, & Bartholomęo, nec non reliquâ, tertiis partibus, accusatori, & Iudici exequenti irremissibilitèr applicandis, & eò ipso absque vllâ declaratione incurrendis penis, nè dictis viginti annis durantibus, Breuiarium, Diurnum, & alios libros Chorales huiusmodi, aut aliquam eorum partem, tàm in magno, quàm in paruo folio, etiam prætextu declarationum, siue additionum, tàm in Vrbe, quàm in reliquo statu Ecclesiastico prædictis, sinè huiusmodi licentiâ imprimere, aut ab alio, vel aliis impressos vendere, seu venales habere, aut proponere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea dilectis filijs Nostris, & Apostolicæ Sedis de latere legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Præsulibus, & aliis Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Terrarum, & locorum status Nostri Ecclesiastici prædicti, quatenùs eisdem Hieremiæ, & Bartholomæo, eorumque hæredibus, & successoribus, seu ab eis causam habentibus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes; quandocumq; ab eisdê Hieremiâ, & Bartholomæo, seu aliis prædictis fuerint requisiti, pęnas prædictas contrà quoscûq; inobediêtes irremissibilitèr exequantur. Cæterum vt prædicti Religiosi ad Breuiariû, & libros Chorales, vt præfertur, reformatos vnanimitèr recipiêdos, eò alacriùs inducâtur, quò spiritualibus etiâ donis se magis refectos esse côpererint, etiâ prouidere volentes. Omnibus, & singulis prædictis Religiosis, vt Breuiariû huiusmodi sic reformatû recitando, eadê priuilegia, gratias, & indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, quæ fel. rec. Pius Papa V. prædecessor Noster, recitantibus Breuiarium Romanum, concessit, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus. Non obstante Nostrâ de non côcedendis Indulgentijs ad instar, ac alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam in ipsis libris impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ

tutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub anulo Piscatoris die 1. Octobris M.DC.XII. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

## CONSTITVTIO CCLXXV.

### SVMMARIVM.

*1614. Sept. 10.*

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. S.R.E. Cardd. Sacri Tridentini Concilij Interpretum, Ad fauorem Abbatum Congregationis Casinensis, pro vsu Pontificalium, & Sacrorum Vasorum, benedictionibus.*

*Ex impresso.*

ILLVSTRISSIME, & Reuerendissime Domine. Fel. rec. Vrbanus Papa II. Priuilegium concessit Abbati Sacri Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cauen.; Ordinis Sancti Benedicti, quod per Terras & Castra sua, Ecclesias cum Cruce signare, & omnia alia Pontificalia exercere posset, quæ Episcopi in suis Diœc. facere possunt (Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione dumtaxat exceptis) & aliàs, vt in dicto Priuilegio sub datum Salerni 18. Kalend. Octobris anno 1092.

Eugenius Papa IV. eius Motu proprio sub datum Florentiæ anno Incarnationis 1442. 7. Kalen. Iunij, inter alia, facultatem dedit Abbati Monasterij S. Pauli celebrandi Missas cum Mitrà, & Anulo, Sandalijs, Tunicà, Dalmaticà, & conferendi Ordines minores suis Monachis, & Benedicendi indumenta, quæ ad vsum Altaris eiusdem Monasterij requirerentur.

Alexander VI. eius Motu proprio sub datum Romę anno Incarnationis Dominicæ 1501. Kal. Aprilis, confirmat omnia Priuilegia dictæ Congregationis & cuilibet Monasterio illius, per Summos Pontifices concessa, & cuiuslibet particularis Monasterii Priuilegia, toti Congregationi, & eius particularibus Monasterijs communia esse, & ad illa extendi debere volui, & extendit.

De anno 1565. die 6. Iunij fel. rec. Pius Papa IV. eidem Congregationi vt singuli illius Abbates pro tempore existentes, Baculo pastorali, & Mitrà Pontificali in Ecclesiis Monasteriorum (in quibus pro tempore deputabuntur ( vti, ac Benedictionem Pontificalem post Diuina officia Christifidelibus inibi existentibus elargiri, quoscunque Lapides marmoreos, & porfireos, aut alios ad vsum Altarium portatilium aptos, pro vsu quorumcumq; vtriusque sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, super quibus ad Altaria intrà claustra eorumdem Monasteriorum, & Prioratuum, seù septa Ecclesiarum, & piorum locorum huiusmodi duntaxat, Missæ celebrari possint, consecrare, & benedicere, Ordinariorum locorum licentià desuper minimè requisitâ, liberè & licitè valeant, plenam, & liberam licentiam & facultatem, Apostolicà auctoritate concessit.

Et semper Abbates Congregationis huiusmodi liberè Mitrà, & Baculo Pastorali vsi fuerunt, Calices, Altaria, in quibus vnctio requiritur, Paramenta, Lapides consecrarunt, & benedixerunt, Minores Ordines suis subditis contulerunt, & alia Pontificalia exercuerunt, & in tali possessione semper extiterunt, & de præsenti sunt, vigore supradictorum, & aliorum Priuilegiorum.

Modo à nonnullis nimis scrupulosis viris dubitari contigit, An Abbates prædicti Consecrationem, & Benedictionem supradictam facere, & Pontificalia exercere possint, sub prætextu assertæ resolutionis huius Sacræ Congregationis, declarañ. quod Abbates benedicti non se ingerant in benedictionibus in quibus vnctio requiritur.

Ad tollendam omnem difficultatem, Procurator Generalis dictæ Congregationis humilitèr supplicat DD. VV. Illustrissimis, & Reuerendissimis, quatenùs dignentur declarare ipsis Abbatibus, stantibus dictis Priuilegijs, confirmatis, & approbatis, quorum Summarium datur, ac de nouo concessis successiuis temporibus, etiam à Clemente VIII. fel. rec. facultatem prædictam Benedicendi, Consecrandi, Baculum, & Mitram deferendi, & alia Pontificalia exercendi competijsse, & competere, non obstante supradicto decreto; quod quidem non comprehendit Abbates Casinen, vt suprà priuilegiatos, sed tantum Abbates sæculares benedictos, qui non gaudent istis Priuilegiis, sed tantum habent, quod illis ius commune concedit &c.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, declarauit decisionem à se aliàs editam, quod Abbates vtcumque benedicti benedicere non possunt ea, in quibus vnctio requiritur; non obstare, quò minùs ijdem, munus prædictæ benedictionis, quoad ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ Priuilegijs, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Dat. die 10. Septembris 1614. P. Cardinalis Arigon.

## CONSTITVTIO CCLXXVI.

### SVMMARIVM.

*1616. Ianuarij 24.*

### PAVLVS PAPA V.

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Rituum Congregationis pro receptione, & recitatione Breuiarij Monastici emendati, faciendà ab omnibus Monachis, & Monialibus sub Regulà S.P. N. Benedicti militantibus.*

*Ex Breuiario Monastico.*

SACRA Rituum Congregatio, censuit, & declarauit, omnes Monachos, & Moniales, qui, & quæ militant sub Regulà Sancti Benedicti, posse, & debere vti Breuiario Benedictino, nupèr de mandato S.D.N. Papæ edito, pro omnibus Religiosis, qui militant sub Regulà Sancti Patris Benedicti; non obstante, quod aliqui exempti in præteritum vsi fuerint Romano, vel alio Breuiario. Et ità declarauit die 24. Ianuarii. 1616. A. Mar. Episcopus Port. Cardinalis Gallus. I. P. Mucantius Secret. Congregationis.

## CONSTITVTIO CCLXXVII.

### SVMMARIVM.

1617. *Martij* 18.

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacrę Rituum Congregationis, quoad vsum Pontificalium pro Abbatibus Congregationis Casinensis.*

CVM Illustriss., & Reuerendiss. D. Cardinalis Carafa Archiepiscopus Neapolitanus, Sacræ Rituum Congregationi exposuerit, Monachos Ecclesiæ S. Seuerini, Ordinis S. Benedicti, in Festo eiusdem Sancti die septimâ Ianuarij præteriti, solitum, & consuetum in plano eiusdem Ecclesiæ extrà Chorum in eorum Euangelij erexisse solium, cum quinque gradibus, & super illud collocasse Sedem pro Abbate eiusdem Monasterij, cum duobus alijs gradibus, ornatam serico villoso Cremesino, cum postergali eiusdem Serici, cum baldachino desuper ex telâ aureâ confecto, & splendidè ornato, cum duobus scabellis eodem serico villoso cremesino coopertis, hinc inde pro assistentibus, in quâ Sede sedit Abbas dicti Monasterij in dicto Festo S. Seuerini, & celebrauit Vesperas, & die sequenti Missam; habens vnum ex suis Monachis, qui vicem Magistri ceremoniarum gerebat, deferens manibus virgam de auorio, argento contextam, & super Altare Crucem, & septem candelabra, cum totidem candelis accensis collocare fecerunt ad Vesperas, & Missam; quæ omnia cum Abbati prædicto, & Monachis, & cœteris similibus Abbatibus aliorum Monachorũ, qui in dictâ Ciuitate, & Diœcesi Neapolitanâ habent Ecclesias, & Monasteria, facere, & vti liceat, idem Illustriss., & Reuerendiss. Cardinalis Carafa declarari petijt. Et proposito huiusmodi negotio in Congregatione prædictâ ab Illustriss., & Reuerendiss. D. Cardinale Vrsino, cui hæc causa commissa fuerat, hàc die infrascriptâ visis, & auditis iuribus hinc inde deductis, & auditâ relatione eiusdem Illustriss., & Reuerendiss. D. Cardinalis Vrsini.

Eadem Sacra Congregatio à decreto aliàs in simili causâ facto in vnâ Firmanâ sub die 28. Ianuarij 1606. non esse recedendum censuit; Nempè, vt Abbates præfatus Monasterii S. Seuerini, Ordinis S. Benedicti, & cœteri omnes similitèr Abbas eiusdem, vel alterius Ordinis, in Ciuitate, & Diœcesi Neapolitanâ, & vbiq; quando solemnitèr in propriis eorum Ecclesiis celebrant, contenti sint, & esse debeant suâ propriâ, & conuenienti sede, quæ locata sit, & esse debeat in cornu Euangelij, in plano Presbyterij, cum duobus tantum gradibus panno coopertis, & sine vllo suppedaneo, suggestu lapideo, vel ligneo, ac sine Baldachino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno, vel serico leui sine auro, coloris conuenientis solemnitati, quæ celebratur; nec dicti Abbates, quando celebrant solemnitèr, vt supra, habeãt duos Monachos assistentes, sed contenti sint, & esse debeant Subdiacono, & Diacono, qui in Missâ cantaturi erunt Epistolam, & Euangelium, & vno Monacho, siue Capellano cum pluuiali, qui assistat ad librum, nec alios Ministros habeant, præter prædictos, nisi aliquos Monachos, seu Clericos, & Ministros cũ Cotta, qui Abbatibus prædictis celebrãtibus solemnitèr de Mitrâ, & Bacullo, & alijs necessarijs ministrent, & Altari inseruiant; super quo Altari sex tantum, & non septem candelabra, cum totidem candelis, & suâ Cruce locentur, nec Abacus alius, præterquam parua mensa in cornu Epistolæ paretur, super quã duo possint locari candelabra, Mitra, quâ Abbas vtatur, Calix, Missale, thuribulum cum nauiculâ, & alia necessaria pro actu celebrationis; & vt dicti Abbates sub Mitrâ vtantur paruo bireto nigro, & non alteriùs coloris. Et ita censuit, & declarauit, & tam à dicto Abbate, & Monachis S. Seuerini, Ordinis S. Benedicti, quàm alijs omnibus similibus Abbatibus, & Monachis Oliuetanis, vel alterius Ordinis, quando solemnitèr in eorum Ecclesijs celebrant, tàm in Ciuitate, & Diœcesi Neapolitanâ, quàm vbique terrarum seruandum esse censuit, & declarauit die 18. Martii 1617.

## CONSTITVTIO CCLXXVIII.

### SVMMARIVM.

1617. *Iulij* 7.

*Decretum Sac. Congregationis EE. & RR. DD. Card. super negotijs Regularium, Quod non liceat Prælatis Regularium præcipere aliquid sub pœnâ excommunicationis, & absolutionem sibi reseruare, absque Capituli generalis facultate, præterquam in casibus in Clementis Papa VIII. Constitutione, de Casibus reseruatis, contentis.*

*Ex impresso.*

CVM à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto fel. rec. Clem. Papæ VIII. anno 1593. 16. Maii super qualitate Casuum ab eorumdem Regularium Superioribus reseruandorum edito, Censuræ etiam comprehenderetur; ita vt iisdem Superioribus, absque Capituli generalis, aut Prouincialis consensu, aliquibus peccatis in decreto huiusmodi non contentis, excommunicationem annectere, eiusdemq; absolutionem sibi reseruare liceat. Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum Illustrissimo Bandino referente, censuras in supradicto decreto comprehendi censuit. Romæ 7. Iulij 1617. A. Mar. Episcop. Hostien. Cardinalis Gallus V. Theatin. Secret.

## CONSTITVTIO CCLXXIX.

### SVMMARIVM.

1618. *Martij* 13.

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Rituum Congregationis Ad fauorem Congregationis Casinensis. Pro vsu Pontificalium.*

*Ex impresso.*

CVм aliàs Sacrorum Rituum Congregatio interdixerit Abbatibus Congregationis Casinensis Ordinis Sancti Benedicti, quando solemnitèr celebrant, vsum Baldachini, & quorumdam ministrorum, prout in decreto sub die 18. Martii 1617. latiùs continetur. Et ab hoc decreto D. Honorius à Perusio Procurator eiusdem Congregationis se grauatum prætenderet, & allegaret suam Congregatio-

gationem tunc fuisse indefensam, neque pro eius parte factas aliquas probationes, nec eius iura deducta, immo fuisse præsuppositum, eosdem Abbates, contrà solitum vsum Baldachini introduxisse, quod tamē minimè verificabatur in facto. Fuit ab eâdem S. Congregatione mandatum, vt de nouo audirentur, & causa ad hunc effectum commissa Illustrissimo & Reuerendissimo D. Cardinali Lancellotto, coram quo fuerunt exhibitæ plures attestationes, & testium depositiones, & tandem, factâ ab eo relatione; Eadem Sacra Rituum Congregatio, causâ diligentèr discussa, declarauit in hâc parte recedendum esse à prædicto decreto, ac censuit licere eisdem Abbatibus, quando solemnitèr in eorum Ecclesiis celebrant, vti Baldachino coloris conuenientis solemnitatibus, atque apparatu, iuxtà eorum antiquissimam consuetudinem, ità tamen, vt modestè, cum debitâ conuenientiâ, sine pompâ, & auro, atque in tribus ad summum festiuitatibus, quolibet anno, vtantur; resecatis, ac sublatis abusibus, & excessibus, si qui in aliquo Monasterio circà id introducti fuerint. Antonius Maria Episc. Host. Car. Gallus. Petrus Ciammareconus Sec. Congr.

## CONSTITVTIO CCLXXX.

### SVMMARIVM.

1619. *Ianuarij 26.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Congregationis Concilii Trident. interpretum. Quod non liceat Episcopis Monasteria, & Ecclesias Regularium, quibus Cura animarum non imminet, neque Monialium Monasteria Regularibus subiecta, nisi quoad Clausuram, visitare.*

*Ex impresso.*

PERillustri, ac Reuerendissimo vti Fratri Archiepiscopo Genuensi. Per illustris, ac Reuerendiss. D. vti Frater. Cum actum fuerit in Sacrâ Congregatione Cardinalium Concilii Trid. Interpretum. An liceat Amplitudini tuæ pergere in quasi possessione Ecclesias Regularium visitandi. Illustrissimi Patres, perspectis scripturis huc ab Amplitudine tuâ non ità pridem delatis; Censuerunt, debere eam abstinere ab huiusmodi Visitatione Monasteriorum, atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus Cura animarum sæcularium non imminet. Itemque Monialium iisdem Regularibus subiectarum, in his, quæ ad ipsarum Clausuram non pertinent. Reliquum est, vt Amplitudo tua, Sacræ Congregationis responso promptè, quod suis litteris pollicetur, adhæreat. Et diù valebit in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die 26. Ianuarij 1619. Cardinalis Lancellotus.

## CONSTITVTIO CCLXXXI.

### SVMMARIVM.

1619. *Martij 25.*

PAVLVS PAPA V.

*Constitutionem à se editam anno 1607. die 6. Aprilis circà electionem Definitorum Congregationis Casinensis, eorumque in officio limitatam durationem, abrogat; eorumque Definitorum electionem, durationemque liberam fore decernit.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

PAVLVS Papa V. Dilectis filijs, Præsidenti, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus Prælatis, ac Regimini Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis prouidentia circumspecta, nonnunquam aliqua ex eis, quæ pro bono regimine, & felici directione Religiosorum statuerat, aliàsque disponit, prout rerum, & temporum varietatibus, & personarum qualitatibus diligentèr pensatis, conspicit in Domino salubritèr expedire. Aliàs si quidem, ad tollendum nouem Definitorum Prouinciarum Congregationis vestræ Casinensis, Ordinis Sancti Benedicti, quas in vniuersâ Italiâ, Insulisque ei adiacentibus, septem esse voluimus, perpetuitatem, per Nostras sub die 6. Aprilis, anni 1607. in simili formâ Breuis expeditas litteras, inter alia statuimus, & ordinauimus, quod singulo quoque anno, tres Definitores, ex antianis, siuè antiquioribus, duo nempe ex Lombardiæ, Venetę, & Ligurię, ac vnus ex Romanâ, Hetrurię, Neapolitanâ, & Siculâ, Prouincijs, ab eodem Definitorio vacarent per biennium, & illorum loco, tres substituerentur respectiuè ex eisdem Prouinciis, ita vt semper haberet Definitorem, seu Definitores, præscriptum, seu præscriptos, prout in dictis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem sicut Dilectus filius Procurator Generalis eiusdem Vestræ Congregationis, totius Congregationis, huiusmodi nomine, Nobis nuper exponi fecit, propter trium personarum ab Officio Definitoris huiusmodi biennalem cessationem, & frequentem mutationem Officij, Definitorum huiusmodi vires infirmentur, & sæpè personæ ad illud admittendæ sint minus idoneæ, & negotiorum principalium Congregationis parùm peritæ, & alijs iustis de causis, pro Congregationis quiete, & tranquillitate, expediat, vt ad pristinum, qui antequam prædictæ litteræ Nostræ emanarent erat statum, eorumdem Definitorum electio reducatur. Nos prospero, felicique dictæ Congregationis statui, atque directioni perampliùs consulere, vosque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & vestrum singulas personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomolibèt innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus Procuratoris prædicti, totius Congregationis vestræ huiusmodi nomine, Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati; statuimus, vt de cętero libera sit vnicuique vestrum facultas, quos idoneos iudicauerit de Prælatis habentibus vocem in Capitulo, ad Officium Definitoriatus eligendi, nullâ habitâ ratione, quòd in vno, alteroque Capitulis Generalibus præcedentibus successiuè fuerint Definitores, quodque biennio non vacauerint; firmis in reliquis remanentibus litteris Nostris prædictis, quas saluas esse, & in suo robore remanere volumus, & non aliàs. Non obstantibus litteris Nostris prædictis, necnon omnibus illis, quæ in eis voluimus non obstare, cęterisque con-

ctarijs quibuscumque. Præsentibus ad triennium proximum dumtaxat valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 25. Martij 1619. Pontificatus Nostri Anno decimo quarto.

## CONSTITVTIO CCLXXXII.

### SVMMARIVM.

*1620. Apr. 5.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Congreg. Concilij Trid. Ad fauorem Abbatum Congregationis Casinensis Pro Benedictione Sacrorum Vasorum:*

*Ex impresso.*

ILLVSTRISSIME, & Reuerendissime Domine. Fuit aliàs ab hàc Sacrâ Congregatione declaratum, licere Abbatibus Congregationis Casinen: benedicere etiam ea, in quibus vnctio requiritur, si specialibus Sedis Apostolicæ priuilegijs reperiantur muniti; non obstante declaratione olim factâ, quod Abbates Benedicti non se ingererent in huiusmodi benedictionibus.

Et cum hodiè, contradicente D. Episcopo Patauino contingat dubitari, An Abbati Ven: Monasterij S. Iustinæ de Paduâ liceat benedicere Campanas, & Calices; propterea hâc de re exhibet inter alia Priuilegium fel. rec. Vrbani Papæ II. ab alijs Summis Pontificibus approbatum, & confirmatum, Quo quidem priuilegio Abbates dictæ Congregationis semper absque vllâ contradictione vsi sunt in benedicendo Calices, & Campanas.

Quarè pro parte Abbatis supplicatur, per hanc Sacram Congregationem declarari, An eis competat facultas prædicta benedicendi Campanas, & Calices.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Abbates Congregationis Casinensis, vti hâc in parte Sedis Apostolicæ Priuilegijs munitos, posse vtique in locis eorum iurisdictioni subiectis Campanas, & Calices benedicere, die 5. Aprilis 1620. R. Card. Vbaldinus.

## CONSTITVTIO CCLXXXIII.

### SVMMARIVM.

*1620. Maij 1.*

### PAVLVS PAPA V.

1 *Subsidium scutorum centum millium Monetæ Romanæ, Congregationi Casinensi, cæterisque Congregationibus Non Mendicantibus imponit, pro subuentione Imperatoris contrà Hæreticos Germaniæ. Cum facultate creandi Census, vel Monti Religionum, aut Monti Nouennali applicandi.*

2 *Subsidium prædictum, aliaque à Pio Papa V. Clemente VIII. seu ab alijs Summis Pontificibus indicta, & per easdem Congregationes soluta, non obesse, Priuilegijs, & Immunitatibus earundem Congregationum, declarat. Quæ omnia, & singula Priuilegia denuò confirmat. Executoresque deputat.*

*Bullar. Casin. Tom. I.*

*Tamb. de Iure Abbat. t. 1. disp. 18. q. 3. nu. 35.*

PAVLVS Papa V. Ad futuram rei memoriam.

1 Nuper, vt Charissimo in Christo Filio Nostro Ferdinando Romanurum Regi, in Imperatorem electo, ac Dilectis Filijs Catholicis Germaniæ, & vicinarum Prouinciarum, aduersùs seditiones, rebelliones, & Hæreticorum motus, opem ferremus, quòd sanè aliter facere non poteramus; sex decimas à personis Ecclesiasticis, Beneficia Ecclesiastica, aut super eorum redditibus Pensiones annuas, obtinentibus, & percipientibus intrà triennium persoluendas, ac aliàs sub certis modo, & formâ tunc expressis, imposuimus. Ab eisdem verò decimis persoluendis, infrascriptas duodecim Regulares Congregationes, exemptione, & libertate, aliàs à fel. rec. Pio Papâ V. prædecessore Nostro, dum cum Camerâ Apostolicâ de Subsidio ordinario concordarunt, concessa, frui, & gaudere debere voluimus, & declarauimus, easque ab ipsarum decimarum solutione nominatim exemimus, & liberauimus, prout in Nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenores præsentibus, pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Subinde verò, vt eidem Ferdinando Regi, in Imperatorem electo, & Catholicis prædictis pleniùs opem ferre valeremus, easdem Congregationes requisiuimus, vt summam centum millium scutorum monetæ Romanę, Nobis, ad effectum prædictum, persoluerent. Vnde, & ipsæ Congregationes summam huiusmodi, quanto minori incommodo fieri potest, ac citiùs soluere, vt res postulat, valeant, quantum cum Domino possumus prouidendum censuimus. Cum verò à Ministris Nostris Cameralibus, qui negotium cum earumdem Congregationum Procuratoribus consultarunt relatum Nobis fuerit, Congregationes ipsas, quæ summam prædictam in promptu non habent, nullâ aliâ minùs damnosâ, & dispendiosâ ratione eamdem summam congerere posse, quam si Nos eisdem Procuratoribus summam centum millium scutorum huiusmodi ad censum perpetuum redimibile, vel infrascripto, seu quouis alio licito cõtractu, vt infrà, accipiendi licentiam, & facultatem tribueremus. Idcircò Motu proprio, & ex certâ scientiâ Nostrâ, Congregationibus prædictis, Casinensium nimirum, & Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, Lateranensium Canonicorum Regularium, sub Regulâ S. Augustini, Carthusianorum, Camaldulensium, Cœlestinorum, S. Saluatoris Bononiensis, etiam Canonicorum Regularium, Vallis Vmbrosæ, Cruciferorum, & S. Georgij in Algâ, pariter Canonicorum Regularium, Cisterciẽsiumq; Lombardiæ, & S. Hieronymi, earumque Procuratoribus Generalibus, quamuis ad hoc speciale mandatum non habeant, vel eorum substitutis, vt cum interuentu Dilecti Filij Nostri, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarij Generalis, etiam absque scientiâ, participatione, mandato speciali, vel generali, aut consensu Abbatum, & Priorum Generalium, seu aliorum quorumcumq; Superiorum, & Officialium, quocunque nomine nuncupatorum, earumdem Congregationum, immò ipsis inuitis, & reclamantibus, summam centum millium scutorum, huiusmodi pro ratâ singulas Congregationes tangente à quibuscunque personis, seu mercatoribus, eorum fidem sequi volentibus, & meliorem conditionem offerentibus, ad censum perpetuum redimibilem, seruatâ tamen formâ Constitutionis dicti Pij Quinti prædecessoris, super creandis censibus editæ, seu alio quouis licito, & Sacris Canonibus non improbato contractu

Pp

tractu accipere, illamque penès Depositarium Nostrum Generalem, seorsum ab alijs Nostris pecunijs deponere;itaut indè amoueri,nec in alios, quam suprà dictos vsus,conuerti valeant; ac taxam aliquam inter se, pro cuiusque ipsorum facultate redituum annuorum,pro soluendâ centum millium scutorum huiusmodi, summam constituere, aut aliàs ratam partem redituum, prout cuilibet ex Congregationibus prædictis minùs incommodum,& damnosum esse,ac magis expedire iudicauerint, assignare, dictamque ratam Monti Nouennali,aut Religionum applicare, quæ sufficiat pro dictâ summâ centum millium scutorum congregandam, factâque taxâ huiusmodi, eamdem Monti Nouennali, aut Religionum prædicto, vltrà alias taxas, quæ singulæ Congregationes hactenus soluerunt,& soluere obligatæ sunt,assignare,& incorporare, ac super taxâ, seu ratâ sic faciendâ, assignandâ, & incorporandâ, totidem loca prędicto Monti cedere,quot pro summâ prædictâ centum millium scutorum congerenda, necessaria erunt. Nec non eisdem omnibus Procuratoribus Generalibus,seu eorum substitutis, postquam taxa huiusmodi facta fuerit, tam pro emptoris,seu emptorum censuum prædictorum,seu eorum, qui pro congerendâ summâ centum milliũ scutorum huiusmodi aliquam pecuniarum summam eisdem Procuratoribus, aut eorum substitutis quibuscunque cedulis,bancharijs, cambiis, obligationibus,contractibus,& quibusuis pecuniarum huiusmodi receptionibus, fideiusserint, & interuenerint, securitate, releuatione, & indemnitate, quam super taxâ inter ipsas Congregationes pro ratâ, quamlibet suarum Congregationum respectiuè tangente nominatim dictas Congregationes, vnusquisque Procurator Generalis, seu eius substitutus, videlicet suam,etiam si ab eâ speciale, aut generale mandatum in Capitulo generali, aut aliàs, iuxtà Constitutiones ipsarum Congregationum factam non habeat; omniaque, & singula earumdem Congregationum bona mobilia, & immobilia vbilibet existentia,præsentia,& futura principalitèr, & in solidum, ipsarum Congregationum nominibus, omni meliori modo, ac in amplioti formâ Cameræ Apostolicæ obligare, & specialitèr hypothecare; Nec non super præmissis, & illorum quodlibet, & eorumdem præmissorum, & cuiuslibet ipsorum occasione, quæcunque instrumenta, cum quibusuis submissionibus, renunciationibus, fideiussionibus, promissionibus,iuramentis, cautionibus, conditionibus,cautelis, decretis, & clausulis solitis, & consuetis,ac aliàs necessariis, & opportunis dicto Thesaurario,ac partibus ipsis benè visis celebrare, aliaq; pro personarum,& mercatorum, ac etiam pro maiori Montis prædicti,illiusq; Collegij, & omnium, qui suas pecunias in eodem Monte collocauerint, securitate,ac aliàs super his necessaria,& quomodolibet opportuna, etiam si talia forent, quæ specificam, indiuiduam, & expressam requirerent mentionem,facere,& exequi. Ac vlteriùs ipsis modernis, & pro tempore existentibus prædictarum Congregationum Procuratoribus Generalibus, seu eorum substitutis, vt in earum quisque Congregationibus,taxam,vt præfertur, faciendam, pro ratâ eas respectiuè tangente,inter Monasteria,& Conuentus earum diuidere, & ab illis exigere, & Depositario dicti Montis,quem ipsas Congregationes, tàm pro præsenti additione, quam pro primâ dicti Montis erectione,& illius additione,aliàs facta, etiam modernum Depositarium,nisi Depositariam ipsam, titulo forsan oneroso, obtineat, ad eorum libitum amouendo, deputare posse concedimus quotannis, prout de antiquis taxis, seu ratis, fieri consueuit, consignare;cum facultatibus, & auctoritatibus solitis liberè,& licitè possint,& valeant, ac omninò respectiuè teneantur, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium,plenam,liberam, & amplam facultatẽ, & auctoritatem concedimus,& impartimur. Prætereà pro maiori Montis prædicti, illiusque Collegij Montistarum, necnon eorum, qui pecunias suas in dicto Monte collocabunt,cautelâ, & securitate, ex nunc paritèr,prout ex tunc, postquam dictus Mons, vigore præsentium, ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit,quod tàm antiqua, quàm noua loca augenda huiusmodi,vnum,idemq;Montis corpus,ac vltimorum locorum emptores,cum antiquis Montistis,vnum,idemq;Collegium, absque aliquâ prorsùs ratione prioritatis, seu posteritatis differentiâ,constituant,ac posteriora loca,illorumq; emptores, omnibus,& singulis gratijs, exemptionibus, libertatibus,immunitatibus, & priuilegijs, quibus antiquiora loca, illorumque possessores, iuxtà dicti Montis erectionis formam vtuntur, potiuntur, & gaudent,ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum,pariformitèr,& æquè principalitèr vti,potiri,& gaudere possint,valeant, & debeant in omnibus,& per omnia,absque aliquâ similitèr differentiâ,statuimus,& ordinamus. Volumusq;etiam, ac eisdem Procuratoribus generalibus, seu eorum substitutis concedimus, vt loca prædicta Montis, vigore præsentium augendi, cum interuentu dicti Thesaurarij Generalis, cuicunque mercatori, seu alijs personis,meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos conueniendo, vendere, & alienare, pretiumque inde redigendum, vt præfertur, & non aliàs deponere liberè similitèr, & licitè possint, ac etiam omninò teneantur, facultatem similitèr impartimur. Et nihilominùs omnia, & singula præmissa,ac alia,eorum vigore per dictas Congregationes,seu earum Procuratores Generales,aut illorum substitutos,cum interuentu dicti Thesaurarii Generales,aut illorum substitutos, cum interuentu dicti Thesaurarij Generalis,& instrumenta desuper celebranda,cum omnibus in illis cõtentis, licitis tamen, & honestis,ac Sacris Canonibus non improbatis, ex nunc,prout ex tunc, postquam facta, & celebrata fuerint, auctoritate, & tenore prædictis approbamus,& confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Ac omnes,& singulos, tàm iuris, quàm facti, ac etiam substantialium forsan solemnitatum,quomodolibet omissarum defectus, si qui in eisdem interuenerint,præcipuè verò defectus mandatorum specialium,ac generalium ad præmissa facienda requisitorum, Motu, & scientiâ
2 similibus,pari auctoritate, & tenore supplemus. 2 Declarantesque per huiusmodi subuentionem, Nobis,vt præfertur,faciendam,Priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, tàm per prædictum Pium prædecessorem, per eius litteras, sub datum anno 1570.14.Calendas Aprilis,Pontificatus sui anno sexto; quàm per piæ memoriæ Clementis Papæ VIII.similitèr prædecessoris Nostri litteras, sub Annulo Piscatoris,die quintâ Maij 1595. ac etiam per alias eiusdem Clementis prædecessoris litteras in formâ Motus proprii,de anno 1597.seu aliàs eisdem Congregationibus concessis; nullatenùs præiudicatum sit,aut esse censeatur; immò Priuilegia, immunitates,exemptiones,& gratias prædictas, ac etiam omnes,& quascunque alias gratias,immunitates,& Priuilegia per quoscunque prædecessores Nostros, quomodolibet concessa;quatenùs tamen sint in vsu,

&

& decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur, harum serie, quatenus opus sit, de nouo Cōfirmamus, approbamus, & innouamus, illaque eisdem Congregationibus inuiolabilitèr obseruari mandamus, etiamsi tam litteræ prædictæ Pij V. quam Clementis prædecessorum huiusmodi, & aliæ quæcunq; super præmissis in Camerâ Apostolicâ registratæ non essent. Non obstante Cōstitutione similis memoriæ Pij IV. paritèr prædecessoris Nostri, de quibuscunque literis, & gratiis interesse Cameræ concernentibus, registrandis. Volentes etiam, quod præsentes Nostras in eâdem Camerâ registrare, seu registrari facere, minimè teneantur. Decernētes insuper, ea omnia, & singula valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas perindè, ac si Procuratores, seu eorum substituti prædicti, illas, cum speciali earum mandato obligassent, ac alios omnes, ad quos spectabit, obseruanda esse; præsentesque literas, nullo vnquam tempore, etiam ex eo, quod prædictæ Congregationes, & quicunq; alij, ad quos spectat, præmissis expressè, & nominatim non consenserint, aut aliàs quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio defectu notari, impugnari, inualidari, infringi, in ius, vel controuersiam reuocari, aut sub vllis reuocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus, aut modificationibus comprehendi minimè posse; nisi de earumdem præsentium toto tenore specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit. Sicque per quoscueque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Præsidentes, & Clericos, ac S. R. E. Camerarium, Thesaurariumq; prædictum, & alios dictæ Cameræ Ministros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquā, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocircà Dilectis Filijs Nostro, & S. R. E. Camerario, & Thesaurario Generali, prædictis, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes committimus; & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcunq; solemnitèr publicantes, ac in præmissis omnibus, & singulis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostrâ, præmissâ omnia, & singula in præsentibus expressa, & illarum vigore facienda quæcunque, ab omnibus, ad quos spectat, inuiolabilitèr obseruari. Contradictores quoslibet, & rebelles, in præmissis, & non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, omni, & quâcunq; appellatione, reclamatione, & recursu postpositis, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij sæcularis. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim fel. rec. Symmachi, Pauli Secundi, Pauli Quarti, Pii Quinti, & aliorum quorumcunq; Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, eorumque quoque Congregationum, & cuiuslibet earum, Monasteriorumque singularium statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam in vim contractus, aut Motu proprio, vel consistorialitèr eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, ac aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret; tenores huiusmodi, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, specialitèr, & expresè derogamus; cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 1. Maij 1620. Pontificatus Nostri Anno 15.

## CONSTITVTIO CCLXXXIV.

### SVMMARIVM.

*1620. Iunij 27.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Rituum Congregationis, ad fauorem Abbatis S. Catharinę de Ianuâ Congregationis Casinensis, Pro vsu Pontificalium, & Baldacchini.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. III. lib. 33. fol. 487.*

AL L'Illustrissimo, & Reuerendissimo Signore Monsignor Arciuescouo di Genoua. Illustrissimo & Reuerendissimo Monsignor come fratello. Alla lettera scritta da V. S. alla Congregatione de Sacri Riti sotto li 29. Ottobre prossimo passato, circa l'Abbate di S. Catarina della Congregatione Casinense di cotesta Città, che con Mitra Pastorale e Baldacchino celebrò Messa, & Vespero nella festa di S. Catarina. Questi Illustrissimi miei Signori referente il S. Card. Orsino à chi fù commessa, hanno ordinato si risponda, Che, se bene quell' Abbate non haueа mai per il passato vsato Baldacchino, e per consequenza non veniua compreso nel decreto fatto sotto li 12. Marzo 1618. con tutto ciò, per esser quel Monasterio insigne, li si puol permetter l'vso di esso con le modificationi però espresse nel detto Decreto, che qui incluso se le manda con assicurarla, che il decreto è fedelmente stampato. E perche V. S. desidera sapere come dourà gouernarsi con simili Abbati d'altre Congregationi, gli si manda ancora il decreto fatto per prima in vna Neapolitanā sotto li 18. Marzo 1617. dal quale vedrà il modo chiaramente che dourà tenere con gl' altri; Che è quanto mi occorre dirgli. e N. Signor Iddio la contenti. di Roma li 7. Giugno 1620. Di V. S. Come fratello Affettionatissimo Il Card. del Monte.

*Decreta prædicta habes suprà Const. 277. 279.*

## CONSTITVTIO CCLXXXV.

### SVMMARIVM.

*1620. Sept. 14.*

PAVLVS PAPA V.

*Constitutionem à se editam anno 1619. die 25. Martij circà Definitorum Congregationis Casinensis liberam electionem, ac durationem, confirmat.*

*Ex Priuil. Cong. Casinen.*

PAVLVS Papa V. Dilectis filijs, Præsidenti Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Prælatis, ac Regimini Congregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliàs à Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Dilectis filiis, Præsidenti, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Prælatis, ac Regimini Congregationis Casinensis, Ordinis Sancti Benedicti, Paulus Papa V. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis prouidentia circumspecta, nonnunquam aliqua ex eis, quæ pro bono regimine, & felici directione Religiosorũ, statuerat, immutat. &c. *Quæ habes suprà Constit.* 281 Cum autẽ, sicut Dilectus filius, Procurator Generalis eiusdem Congregationis, totius Congregationis huiusmodi nomine, Nobis nupèr fecit notum, prædictæ Congregationis maximè profuturum, fit si de cœterò, perpetuis futuris temporibus, Definitorum eorumdem electio, iuxtà posteriorum litterarum Nostrarum huiusmodi formam, & tenorem fiat; Nobis propterea dictus Procurator Generalis, quò suprà nomine, humilitèr supplicari fecit, quatenùs in præmissis, vt infrà, opportunè prouidere de benignitate Apostolicà dignaremur. Nos igitur prospero, felicique dictę Congregationis statui, & directioni peramplius etiam consulere volentes, & vestrùm singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quàuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; supplicationibus Procuratoris prædicti totius Congregationis, huiusmodi nomine, Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati, statuimus, vt in posterum, perpetuis futuris temporibus, libera sit vnicuique vestrum facultas, quos idoneos iudicauerit, ex Prælatis habentibus vocem in Capitulo; ad Officium Definitoriatus eligendi, nullâ habitâ ratione, quod in vno, alteroue Capitulis Generalibus pręcedentibus successiuè fuerint Definitores, quodque biennio non vacauerit; firmis in reliquis remanentibus prioribus Nostris litteris prædictis, quas sa luas esse, & in suo roborę permanere volumus, & non aliàs. Non obstantibus eisdem prioribus litteris Nostris, necnon omnibus illis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Tusculi, sub Annulo Piscatoris, die 14. Septembris, 1620. Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

CONSTITVTIO CCLXXXVI.

*SVMMARIVM.*

*1620. Oct. 23.*

PAVLVS PAPA V.

*Abbati Monasterij Cauensis litteras Dimissorias Clericis sibi subditis in suâ Diœcesi concedere posse, confirmat.*

*Ex Arch. Cauensi.*

PAVLVS Papa V. Ad futuram rei memoriam. Totis desiderantes affectibus, vt Monasteriorum, & locorum Ecclesiasticorum quorumlibet status, prout Apostolicæ seruitutis officio astringimur, salubritèr dirigatur, libentèr illa concedimus, per quæ status huiusmodi de bono in meliùs laudabilitèr augetur. Cum itaque, sicut dilectus filius Ignatius de Neapoli, Abbas Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatæ subiecti, Sanctissimæ Trinitatis Cauensis, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, nullius Diœcesis, Prouinciæ Salernitanę, Nobis nupèr exponi fecit, Monasterium prædictum plures terras, & Castra, in quibus iurisdictionem spiritualem, & temporalem exercet, habeat. Nos Abbatum dicti Monasterij, pro tempore existentiũ, in eligendis, & approbandis Dei Ministris, fidei, prudentiæ, integritati, & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi; supplicationibus dicti Ignatij Abbatis Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum consilio, Abbatibus, qui, pro tempore, Monasterio huiusmodi præfuerint, illorumque in spiritualibus Vicarijs Generalibus, vt eorum subditis, sæcularibus, existentibus scilicet intrà limites proprios Terrarum, & Castrorum huiusmodi, litteras dimissorias, tam pro Clericali charactere, ac Minoribus, quam pro alijs etiam Presbyteratus Ordinibus, à quocumque maluerit ex Episcopis vicinis eidem Monasterio, etiam si non sit proximior, suscipiendis, concedere possint, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus, eisque paritèr indulgemus. Has tamen licentiam, & facultatem ad eos, qui in Diœcesi sunt alterius Episcopi, etsi Abbatum iurisdictioni in spiritualibus, & temporalibus alioquin subsint, nullatenùs extendi, sed omnium horum Ordinationem ad Episcopos, intrà quorum Diœcesum fines existunt, omnino pertinere volumus; præuijs tamen litteris testimonialibus Abbatis prædicti Monasterii, vel eius in spiritualibus Vicarii. Non obstantibus quibuscumque Apostolicis, ac Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, statutis quoque, & consuetudinibus Monasterii, & Ordinis prædictorum Iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliâ roboratis, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 23. Octobris. 1620. Pontificatus Nostri Anno 16.

CONSTITVTIO CCLXXXVII.

*SVMMARIVM.*

*1621. Maij 18.*

GREGORIVS PAPA XV.

*Collegij Gregoriani in Vrbe erectionem confirmat; eidemque Casinensis Congregationis, aliorumque Ordi-*

*Ordinum Priuilegia communicat. Constantinum Caietanum Monachum Casinensem, eiusdem Collegij institutorem, Præsidem, Abbatem, & administratorem perpetuum declarat. Post cuius obitum, Congregationi Casinensi, eiusdem Collegij administrationem committit.*

*Bullar. Tom. 3. Greg. XV. Const. 6.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Saluatoris Nostri Iesu Christi Dei Patris Vnigeniti, qui vt Nos, Religione claris, vitæ probatæ, exemplis comprobata, cœlestis patriæ cultores efficeret, de summis Cœlorum ad huius Mundi infima descendere, & in ara venerandissimæ Crucis in precium immolari non abnuit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, intèr multiplices curas, quæ Nobis ex Apostolatus officio incumbere dignoscuntur, illam, per quam Religio ipsa, præsertim Sancti Benedicti, quæ longâ, & continuatâ multorum sæculorum serie effloruit, multiplicatis illius cultoribus, quorum assiduis precibus, & fructuosis operibus Deus ipse propitiatur nostris temporibus amplificetur, eiusque Religiosi ad Almam Vrbem Nostram, pro negotijs confluentes, ab inopiâ, & indecenti quæstu reuocentur, quantum cum Deo possumus, libentèr amplectimur: & vt felicitèr id subsequi valeat, eiusdem officij partes, vt piissimi Pastoris est, fauorabilitèr impartimur; prout etiam Nobis, & Apostolicæ Sedi deuotarum personarum, eiusdem Religionis, pia vota ad hoc tendere, & in Deo conspicimus salubritèr expedire. Exhibita siquidem Nobis nupèr pro parte dilecti filii Constantini Caietani, Abbatis Monasterii S. Baronti, Ordinis S. Benedicti, Pistorien. Diœcesis, Congregationis Casinen., familiaris, & continui commensalis Nostri, petitio continebat: quòd licet intèr omnes disciplinæ regularis Ordines, is maximè conspicuus esse dignoscatur, qui à S. Benedicto Abbate fundatus, saluberrimisque Institutis excultus est: & quem olim tot Imperatores, tot Reges, tot Duces, tot Principes, Regalibus sceptris, Regnorumque, & Prouinciarum gubernaculis depositis, ingressos fuisse, vitamque Monasticam in eo duxisse: ac ex quo tot Religiosos in S. R. E. Cardinales, & Prælatos assumptos: totque ad Summi Apostolatus apicem euectos fuisse constat, vt longa, & continuata multorum sæculorum serie Ecclesia ipsa, nullos alios, quam familiæ Benedictinæ Alumnos, Summos Pôtifices habuerit; ex eoque, iam ab antiquissimis temporibus admirabili doctrinâ, & Sanctitate præditi Viri prodè innumerabiles prodierunt; nihilominus omnes Monachi sub vexillo dicti Ordinis S. Benedicti militantes, non vni, & eidem Superiori subsiunt, sed in aliquibus Regionibus, particularium Monasteriorum Abbatibus, & Prioribus, in alijs vero Casinen. etiam, in alijs aliarum Congregationum Superioribus subsiunt. Et hinc fit, vt cum in Almâ Vrbe Nostrâ nullum præfati Ordinis, nisi præfatæ Congregationis Casinen. Cœnobium, seu Regularis locus existat; eiusdem Ordinis Monachi, qui ad illam deuotionis, seu peregrinationis, ac Liminû Apostolorum visitandorum, seu etiam negotiorum, vel studiorum causâ, ex omnibus Christiani Orbis partibus, incessantèr confluunt, si præfatæ Congregationis Casinen. non modo sæcularium personarum more, eisque promiscui, in publicis Hospitijs, atque etiam priuatorum ædibus viuant; quin etiam plerique consumptis in longinquis itineribus, & peregrinationibus, siue negotiis, quas asportauerant, pecunijs, ad inopiam redacti, seu morbo aliquo correpti, ostiatim, & ad singula priuatarum ædium vestibula, cum maximâ Monachalis habitus, atque status indecentiâ, Sacerdotalisq; dignitatis vilipendio, mendicare cogantur. Alii etiam, quod peius est, ex rubore, & verecundii proprii status, & mendicitatis religiosum habitum, non sine graui Laycorum scandalo, deponant. Quorum infelicem statum, dictus Constantinus Abbas sic in Almâ Vrbe Nostrâ residens fraternâ, atque Christianâ charitate miseratus, tandem animi cogitationem ad operosiorem, & diuturniorem, immò verò perpetuam, extraneorum illorum Monachorum, Confratrum suorum subuentionem, attollens, his incommodis opportunâ ratione, remedium afferri posse cogitauit, si in dictâ Vrbe aliquod Hospitium, seu Collegium, in quo omnes Monachi dicti Ordinis, quarumcumq; exterarum Regionum, Romam deuotionis, seu negotiorum, vel studiorum causâ aduentantes, recipiantur, conuiuant, & instituantur. Hocque suo consilio Venerabilibus Fratribus Nostris, Alexandro Episcopo Albanen. Montalto, præfatæ Congregationis Casinen., necnon Octauio Episcopo Prænestin. Bandino, nuncupatis, S. R. E. Cardinalibus, Congregationis Bursfeldensis in Germaniâ eiusdem Ordinis, respectiuè, Protectoribus, communicato; cum eos non approbatores modo, sed pii huiusce sui propositi laudatores habuisset, in eam rem, alacriori studio sibi incumbendum, ratus; ab eodem Alexandro Episcopo Cardinale, litteras patentes obtinuit; quibus idem Alexander Episcopus Cardinalis, ei, reseruato tamen Sedis Apostolicæ beneplacito; vt in quocumq; dictæ Vrbis loco, & situ commodo, & decenti, sibi benè viso, Hospitium, seu Collegium ad effectum recipiendi quoscumque Monachos, ex omnibus Mundi partibus ad eamdem Vrbem, deuotionis, & negotiorum causâ, accedentes, construere posset, facultatem concessit: ac omnia, & quæcûque Instrumenta supèr acquisitione situs ad id necessarij celebrata, & celebranda approbauit: ac Collegio, seu Hospitio sic construendo, omnia bona, res, proprietates, & eleemosynas ei relicta, & relinquenda applicauit, & appropriauit: ipsumque Constantinum, Abbatem Collegii, seu Hospitii huiusmodi sic erigendi, illiusque fabricæ Ministrum, & Curatorem, cum facultate illius redditus tunc præsentes, si qui essent, & futuros, exigendi, citrà tamen illius bonorum alienationem: illiusque lites, & causas defendendi, & ad illas vnum, vel plures Procuratores substituendi, constituit, & deputauit. Atqui dictus Constantinus Abbas, hâc licentiâ fultus, sanctum hoc opus, piâ meditatione conceptum, re ipsâ aggredi statuit; datâque sibi certâ spe, & fiduciâ, quòd si opus institutionis dicti Hospitii, seu Collegij inchoaretur, quamplurimi Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Portugalliæ, atq; Poloniæ, necnon Lotharingiæ, Flâdriæ, aliarumq; Regionum, & Prouinciarum Abbates, ad quorum notitiam dicti Constantini Abbatis intentio nonnullorum Monachorum in Vrbe degentium relatione, deuenerat, fabricæ opus promouere, & pro stabilienda illius dote, adiutrices manus porrigere intendebant, diuersas domos, & ædificia, necnon situs acquisiuit à Dilectis in Christo filiabus Victoriâ, Laurâ, & Lucretiâ quondam Laurentij de Castellanis, ac dilecto filio Tiberio quondam Pauli Arberini, tàm per viam emptionis, quàm perpetuæ conductionis emphyteoticæ de pecuniis ex parsimoniâ, atque industriâ suâ licitè acquisitis, ad opus dicti Hospitii, seu Collegii;

legij,ad quod, si instituatur, omnem suam supellectilem,omnesq; libros, quod magnâ in quantitate, magnique valoris habet,vt Monachi, pro tempore in eo degentes,studere,rudioresq; ab eruditioribus, iuxtà cuiusque captum,seu capacitatem, tàm publicè,quàm priuatim, doceri possint; aliaque omnia sua transportare,illaq;ei donare, & relinquere intendit,& ex nunc, prout, postquam dictum Collegium,seu Hospitium institutum fuerit, donat,& relinquit. Et Dilecti Filij Ioannes Baptista,& Paulus fratres,quondam Marsilij de Mancinis, solâ pii huiusce operis,licet nondum inchoati famâ, ad charitatem excitati, iura sibi competentia suprà vnâ eorum domo contiguâ, in eumdem Constantinum Abbatem, nomine dicti Ordinis, cessionis titulo, gratis, & tàm laudabilis operis intuitû, transtulerunt, prout in diuersis publicis Instrumentis,seu aliis scripturis dicitur contineri. Quarè pro parte dicti Constantini Abbatis, asserentis, se dictum Ordinem in Monasterio S. Nicolai de Arenâ, Catanien. expressè professum, & ex Ciuitate Syracusanâ oriundum existere, ac primodicto Monasterio præesse. Nobis fuit humilitèr supplicatum, quatenùs Hospitium,seu Collegium huiusmodi instruere,ac aliàs in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, quibus nihil vnquam accidere potest optatiùs, nihil iucundiùs, quam dum intelligimus hisce Nostris temporibus, Religiosos aliquot emergere, qui de eâ, quam professi sunt,Religione,non propagandâ modo, sed, & exornanda solliciti sunt; sanctū in primis, & laudabile dicti Constantini Abbatis propositum plurimū in Domino gratiarum omnium auctore, commendantes; ipsumque Constantinum Abbatem â quibusuis excommunicationis,suspensionis, & interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis â iure,vel ab homine,quâuis occasione,vel causâ latis,si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum,harum serie absoluentes,& absolutum fore censentes; eumque paternâ beneuolentiâ cōplectentes, ac sperantes, quod si dictum Hospitium, seu Collegium instituatur,illius institutio,non solum in Diuini cultus augmentum,præfatique Ordinis ornamentum, ac illius Monachorum subuentionem, sed etiam in dictæ Vrbis Nostræ ornatum, ac Christifidelium spiritualem consolationem cessum sit. Necnon situum,ædificiorum, & locorum emptorum, conductorum,donatorum,& cessorum respectiuè, stationes,confines,vocabula,& denominationes,præsentibus pro expressis habentes;necnon contractus emptionum, & conductionum, atque donationes, seu cessiones,vt præfertur,factas:ac etiam emptiones,& acquisitiones aliorum situum,& bonorum ad vsum Fabricæ dicti Hospitii, seu Collegii pro tempore faciendas,ex nunc,prout postquam factæ fuerint, ea approbantes,& confirmantes;omnesque, tàm iuris, quàm facti,ac solemnitatum, quantumuis substantialium,& circà præmissa, requisitarum, seu requirendorum defectus, si qui iam interuenerint, aut pro,tempore interuenisse apparuerint, harum seriè supplentes; huiusmodi supplicationibus inclinati: Eidemque Constantino Abbati, vt in dictâ Vrbe, ac sitibus, ædificiis, & domibus â Dilecto Filio Nostro in dictâ Vrbe,eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, & dicto Alexandro Episcopo Cardinale,priùs approbandis, & visitandis, vnum Hospitium, seu Collegium pro receptione Monachorum extraneorum totius Ordinis S.Benedicti,& sub eius Regulâ militantium,ad Vrbem, deuotionis, seu negotiorum,vel studiorum causâ, pro tempore, accedentium,vnâ cum Refectorio,Domitorio,Cellis,& partibus necessariis,construere, seu construi facere, liberè,& licitè possit,& valeat,licentiam, & facultatem,Apostolicâ auctoritate, concedimus, & impartimur. Illudque ex nunc, prout ex tunc, & è contrà,postquam constructum, & ad conuenientem formam,itaut in eo Monachi recipi,& habitare possint,reductum fuerit in Hospitium, seu Collegium Monachorum extraneorum dicti Ordinis, Gregorianum nuncupandum;in quo adsit vnus Superior, qui Abbas,Præsidens, vnusque Vicepræsidens, qui Præpositus, vocentur, & in quo Monachi dicti Ordinis ad eamdem Vrbem, deuotionis, seu studiorum,vel negotiorum causà accedentes,recipi,ibique (durante eorum in dictâ Vrbe mansione) habitare, pernoctare, & quoad illius redditus ferre poterunt, charitatiuè tractari,eorum necessitates subleuari,& in casu infirmitatis curari possint, & debeant. Et quamdiù inibi fuerint, Theologiæ, & Iuris Canonici, aliisque liberalium artium studiis, sub aliquibus eiusdem Hospitij, seu Collegii professoribus, tàm publicè,quàm priuatim, vacare possint. Et sub curâ,gubernio, & obedientiâ dicti Abbatis, Præsidentis,qui in eos, aliasque dicti Hospitij, seu Collegii personas, & seruientes Superioritatem exerceat: illiusque bona gubernet, ac de redditibus in illius vsum disponat,viuant:illique vti Superiori,obedientiam præstent,& aliàs ad instar quorumcumq; aliorum Hospitiorum, seu Collegiorum, quorumuis Ordinum,tàm in dictâ Vrbe, quàm in quâcumque aliâ mundi parte,& regione institutorum,perpetuò, sine alicuius præiudicio, erigimus, & instituimus. Illique sic erecto,& instituto, pro onerum illi incumbentium supportatione, omnia, & singula, res, proprietates,& bona, in quibusuis rebus consistentia, illi tam per dictum Constantinum Abbatem iam relicta, ad valorem annuum centum scutorum monetæ circitèr ascendentia, quam deinceps per quoscumque alios dicti Ordinis Abbates; & Conuentus, ac alios Christifideles quocumque intuitu, etiam per viam testamenti, codicillorum, donationis, etiam inter viuos, & causâ mortis, seu cuiuscumque alterius dispositionis, ac etiam in eleemosynam,vel aliàs quandocumque,& qualitercumque relinquenda,elargienda,donanda, & eroganda; ex nunc, prout ex tunc, & è contrà, postquam relicta, elargita, donata, & erogata fuerint;ita quòd,liceat,pro tempore existenti dicti Hospitij,seu Collegij Abbati Præsidenti,& ab eo deputatis, illorum omnium corporalem possessionem, per se,vel aliam,seu alios,nomine dicti Hospitij,seu Collegij,propriâ auctoritate, liberè apprehendere, & perpetuò retinere;fructusque,iura,obuentiones, & emolumenta exindè prouenientia, necnon oblationes, & eleemosynas eidem Collegio, seu Hospitio elargiendas,percipere,colligere,leuare, arrendare,& locare;ac in dicti Hospitij,seu Collegij,& Monachorum in eo, pro tempore, degentium, vsus, & vtilitatem,ac necessitates conuertere Vicarij Vrbis, huiusmodi aut cuiusuis alterius, licentiâ desuper minimè requisitâ,dictâ auctoritate,etiam perpetuò applicamus,& appropriamus.Nec non Hospitium, seu Collegium,ac eius Abbatem Præsidentem, Præpositum, & Monachos, aliasque personas,& bona, tàm mobilia,quam immobilia,cuiuscumque qualitatis, & quantitatis existentia, ac vbilibèt consistentia,ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio,superioritate,& potestate præfati Nostri,& pro tempore existentis in eâdem Vrbe Vicarij, ad instar

instar aliorum locorum Regularium, in dictâ Vrbe existentium, ac Ordinis, seu Congregationis Casinensis huiusmodi Superiorum:ita tamen, quòd singulis annis ab vno, seu duobus ex Procuratoribus generalibus Congregationum dicti Ordinis in Vrbe præfatâ degentibus (qui, si quid correctione, aut reformatione dignum inuenerint,eiusdem Hospitij, seu Collegij Protectori pro tempore existenti,quam primum referant) per turnum visitari debeat. Necnon à præstatione,contributione,& solutione Decimarum,& quorumcumque aliorum onerum ordinariorum,& extraordinariorum,ex quâcumq; causâ impositorum,& imponendorum,penitùs, & omninò eximimus, & liberamus. Et sub B. Petri Apostoli,ac Nostrâ,& Sedis Apostolicæ protectione, inuiolabili conseruatione suscipimus: ac correctioni, & omnimodæ iurisdictioni in spiritualibus, & temporalibus dicti Alexandri Episcopi Cardinalis, & Protectoris pro tempore existentis;Qui etiam illius Defensor, Conseruator, ac Iudex Ordinarius existat;& coram quo, seu Prælato ab eo in Vice protectorem deputando,dumtaxat,omnes, & singulæ lites,quæstiones,& molestiæ ciuiles, & criminales,ac mixtæ,super Hospitij,seu Collegij huiusmodi bonis, rebus,iuribus,actionibus,& personis mouendæ,cum omnibus earum incidentibus,dependentibus, emergentibus,annexis,& connexis,totoque negotio principali, priuatiuè quoad omnes alios dictæ Vrbis Iudices ordinarios,eorumque tribunalia, cognosci, & decidi debeant,submittimus,& subiicimus.Statuentes, & ordinantes, quòd dicti Hospitii seu Collegii Abbas Præsidens â Monachis in eo, pro tempore degentibus,ex eorum gremio,seu ex quocumq; alio eiusdem Ordinis Monasterio,in perpetuum,seruatis de iure seruandis, eligi: eiusq; officium ad quinquenium tantum durare; ac perpetuis futuris temporibus,omnibus,& singulis priuilegiis,gratiis, & indultis,quibus præfati Ordinis, & Congregationum, ac præsertim Casinen. Abbates,vtuntur, fruuntur, & gaudent, similitèr, & æquè principalitèr, & absque vllâ prorsus differentiâ,vti,frui,& gaudere debeant; hâc primâ vice dumtaxât exceptâ, quâ eumdem Constantinum Abbatem vti Fũdatorem, & piis huius operis Auctorem, in gratiam fundationis huiusmodi,& laborum, quos illius causâ suscepit, vt peculiari quâdam prærogatiuâ se â Nobis cohonestatum fuisse lętetur, tenore pręsentium,in perpetuum Pręsidentem,& Superiorem dicti Hospitii,seu Collegii,ad eius vitam,etiam cum facultatibus, priuilegiis,atque honoribus,quibuscumque aliis, similium locorum, & Hospitiorum, seu Collegiorum Superioribus,concessis,& competentibus, eâdem auctoritate constituimus, & deputamus. Ipsique, ac pro tempore existenti dicti Hospitii, seu Collegii Protectori, vt attento, quòd illius constitutio, non solum in diuini cultus augmentum, sed etiam in ornatum Vrbis cedit, si pro perfectione, & ampliatione illius fabricæ,aliis sitibus,& ædificiis,seu fundis contiguis opus fuerit,ipsorum situum,fundorum,& ædificiorum dominos,ad illorum venditionem,sibi, ad effectum illa dictæ fabricæ incorporandi, faciendam, mediante solutione prætii, â peritis æstimandi, & non vltrà, cogere possint, facultatem impartimur. Et nè contingat, tempore procedente, Hospitium, seu Collegium præfatum, vel ipsum Constantinum Abbatem, & pro tempore existentes illius Abbates Præsidentes,& Monachos,occasione situum,& bonorum pro dictâ fabricâ acquisitorum, & acquirendorum aliqua damna,seu molestias pati;omnia, & singula, situs,domos, fundos, ædificia, & loca, in dictam causam empta, & emenda, ab omnibus, & quibuscumque fideicommissis, substitutionibus, deuolutionibus hypothecis, & vinculis, tàm notis, quàm non notis, purificatis, & purificandis, si quibus quomodolibet subiecta sint,aut esse,dici,censeri, vel apparere possint, penitùs, & omninò eximimus,& liberamus. Ipsisque fideicommissis, ad effectum præmissum, cum hoc, quòd pretia bonorum emendorum in emptionem tot bonorum stabilium, seu locorum Montium non vacabilium de Vrbe conuertantur,& loco bonorum fideicommissariorũ ad fauorem institutorum, substitutorum, & aliàs quomodolibet vocatorum,succedant; & fideicommissum, seu hypothecam, aut alia iura super dictis bonis,pro dictâ fabricâ emptis,& emendis,habentes aut prætendentes, non ad alia, sed ad bona,aut loca Montium ex illorum pretijs emenda,agere & actiones suas dirigere possint; specialitèr, & expressè derogamus. Cæterum,eumdem Alexandrum Episcopum Cardinalem, ac pro tempore existentem Protectorem dicti Ordinis,in eorum, & dicti Hospitii, seu Collegii Protectorem; qui omnes illorum causas antedictas audiat, & decidat, cum facultate, quos,quibus,vbi,quandò,& quotiès opus fuerit, citandi,& inhibendi, sub censuris ecclesiasticis, ac pecuniariis pœnis,aliaque necessaria,& opportuna faciendi. Necnon quæcumque statuta, & ordinationes,capitula,& decreta ipsius Hospitii,seu Collegii, illiusque bonorum,& personarum directionem,administrationem,gubernium,& receptionem Monachorum extraneorum,eorumque viuendi normam concernentia, ac aliàs vtilia, & necessaria, licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, Decretisque Concilii Tridentini, & Institutis ipsius Ordinis minimè contraria, faciendi, & condendi: ac quotiès pro rerum,temporum,& personarum qualitate,seu aliàs, expediens videbitur, immutandi, corrigendi, alterandi, moderandi, reformandi, & alia etiam ex integrò condendi; quæ,postquam correcta, & condita fuerint, eo ipso Apostolicâ auctoritate approbata,& confirmata esse censeantur,pari auctoritate deputamus. Denique eidem Collegio,seu Hospitio, eiusque Abbati Præsidenti,& personis,vt omnibus, & singulis Priuilegiis,facultatibus, libertatibus, immunitatibus,exemptionibus, prærogatiuis, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis,indulgentiis, peccatorum remissionibus, cœterisque gratiis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, quibusuis aliis, Ordinis præfati, & Congregationum, præsertim Casinen:huiusmodi Hospitiis,Collegiis, & Monasteriis,tàm in prædictâ Vrbe, quàm in quibuscumque aliis mundi partibus, Ciuitatibus, & locis existentibus: eorumque personis, in genere, vel specie,etiam per viam simplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet, nunc, & pro tempore concessis,& quibus illa,& illæ de iure,vsu,statuto, consuetudine,priuilegio, aut aliàs quomodolibet vtuntur,fruuntur,potiuntur,& gaudent,ac vti,frui,potiri, & gaudere possint; non solum ad eorum instàr, sed paritèr,& pariformitèr,ac æquè principalitèr,& absque vllâ prorsus differentiâ in omnibus, & per omnia, perindè ac si illa dicto Hospitio, seu Collegio, illiusque personis specialitèr, & expressè, ac in indiuiduo concessa essent, æquè perpetuò indulgemus. Illisque,vt quæcumque alia dicti Ordinis Hospitia,seu Collegia,Monasteria, & Regularia loca, Hospitio, seu Collegio per præsentes erecto, de licentiâ illius Protectoris,pro tempore existentis, aggregare;illiusque omnia,& singula,gratias,indulta, & priuilegia,eis per præsentes concessa, & deinceps

tàm

tàm principalitèr,quàm extensiuè, & communicatiuè concedenda, communicare possint, dictâ auctoritate concedimus. Postremò autem, tàm præfato Constantino Abbati, quàm pro tempore existenti Hospitij, seu Collegij Abbati Præsidenti, cæterisque personis,tàm Regularibus,quàm sæcularibus,sub excommunicationis maioris pœnâ, nè vllo vnquam tempore, libros aliquos, qui tàm ab ipso Constantino Abbate,quàm à quibusuis alijs eidem Hospitio, seu Collegio pro illius Monachorum vsu donati, & assignati, seu empti, & in particulari Inuentario,quod desuper fieri debeat,descripti, & adnotati fuerint, ex illius Bibliothecâ, Anicianâ nuncùpandâ,mutare,vendere,aut quoquomodo distrahere audeant,seu præsumant,districtiùs inhibemus. Decernentes præsentes litteras sub quibusuis similium,vel dissimilium gratiarum reuocationibus,suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, per Nos, vel alios Romanos Pontifices successores Nostros,sub quibuscũq; verborũ expressionibus,& formis,etiam Motu proprio, seu ad quorumuis Imperatorũ,Regũ, aut aliorũ Principũ instantiã,pro tempore,factis,minimè cõprehẽdi,sed tamquam per loci pij,ad Diuini cultus, & piorum operum augmentum erectione concessas, ab illis exceptas,& quotiès ille emanabunt, totiès in pristinum,& vim,in quo antea quomodolibet erant, statum,restitutas,repositas,& plenariè reintegratas, & de nouo,etiam sub Dat. per Cardinalem pro tempore Protectorem, necnon Collegii, seu Hospitii huiusmodi Abbatem Præsidentem, & Monachos quandocumque eligenda,de nouo concessas esse,& fore, suumq; plenariũ effectum sortiri debere;sicq; ab omnibus censeri,atque ita,& non aliàs per quoscumque Iudices,etiam Palatii Apostolici causarum Auditores,ac eiusdem S.R.E. Cardinales,iudicari, & difiniri debere. Non obstantibus præmissis, ac Nostris de Indulgentiis, & gratiis ad instàr non concedendis, & si opus sit, de vnionibus committendis ad partes,vocatis,quorum interest, exprimendoque vero valore,ac Lateranen. Concilij nouissimè celebrati,Vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis,fieri prohibentis; ac fel.recor.Gregorij Papæ XIII.de soluendo augmento ex causâ retractus, vel Iuris congrui;aliisq;Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,necnon Vrbis,& Ordinis præfatorum,illiusque Monasteriorum, & Regularium locorum,ac Vrbis præfatæ, & quorumuis illius Tribunalium,iuramento,confirmatione Apostolicâ,vel quâuis firmitate aliâ roboratis,statutis, reformationibus,vsibus,& naturis,Priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis,Dilectis Filijs Ordinis, illiusq; Monasteriorum, Regulariumque locorum huiusmodi Superioribus,ac etiam Vrbi, & Senatori, Populoque Romano, necnon Vicario, Gubernatori, Senatori,Conseruatoribus, Auditori Cameræ eiusdem Nostræ Vrbis,eorumque Locatenentibus, Vicegerenti, Vicarijs, Officialibus, & quibusuis alijs Iudicibus,sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis,etiam derogatoriarum derogatorijs,alijsque efficacissimis,& insolitis clausulis; nec non irritantibus,& aliis decretis, in genere, vel in specie,per quoscumque Romanos Pontifices, etiã prædecessores Nostros,ac Nos,& Sedem præfatam, Motu simili,ac etiam consistorialitèr, etiam iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis,eorumque totis tenoribus specialis,specifica, expressa, & indiuidua,ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris,hâc vice dumtaxat, harum serie,specialitèr,& expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem,quòd præsentium litterarum transumptis, etiã impressis,manu alicuius Notarij subscriptis,& sigillo Protectoris,pro tempore existentis eiusdem Hospitij,seu Collegij, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio,& extrà illud, ac vbique locorum,quæ ipsis originalibus adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis,confirmationis,approbationis defectuũ suppletionis, concessionum,impartitionis, erectionis, institutionis, applicationis,appropriationis, exemptionis, liberationis,susceptionis,constitutionis,deputationis, derogationum,indulti,inhibitionis,decreti,& voluntatis, infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicę millesimo sexcentesimo vigesimo primo,quinto decimo kal. Iunij, Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CCLXXXVIII.

### *SVMMARIVM.*

*1621. Iulij 10.*

*Decretum EE., & RR.DD.Cardinalium Sac. Congregationis Rituum. Quod non liceat Vicarijs Episcoporum Baldachinum erigere in Ecclesijs Monachorum Casinensium.*

*Ex Arch. Abb.Flor. Arm.III.lib.33.fol.490.*

ILLVSTRISS.,& Reuerendiss.Domini. Nonnulli Episcopi,& illorum Vicarij,etiam absentibus Episcopis, Baldachinum in Ecclesijs Monasteriorum Ordinis S.Benedicti Congregationis Casinensis, aliàs S.Iustinæ de Paduâ,inuictis Abbate, & Monachis dictorum Monasteriorum erigere prætendunt.

Quæ prætensio iniusta videtur; quia Episcopi in Ecclesijs prædictis,ex dispositione Priuilegiorum Apostolicorum Congregationi prædictæ concessorum,non solum actus prædictos erectionis Baldachini facere, sed nec etiam Missas,& alia Diuina Officia, inuitis Abbatibus, & Monachis celebrare possunt; ipsique Abbates, Monachi, Conuersi, Oblati &c. ac omnia Monasteria,Prioratus,& Ecclesiæ eiusdem Congregationis, ab omnimodâ Visitatione, correctione, potestate, & dominio quorumcumq; Archiepiscoporum,Episcoporum,& Ordinariorũ exempti sunt.

Ad liberandum dicta Monasteria ab huiusmodi indebita prætensione, & ad euitandas lites, & expensas, Procurator Generalis Casinen. humilitèr supplicat DD.VV.Illustriss.& Reuerendiss.quatenùs dignentur declarare,An Episcopi predicti,& etiam illorum Vicarij, absentibus Episcopis, Baldacchinum prædictum in Ecclesiis dictorum Monasteriorum erigere possint,vel non?

Congregationis Casinen.die Sabb. 10.Iulii 1621.Proposito in Congregatione Sacrorum Rituum suprascripto supplici libello, eadem Sacra Congregatio, Vicarijs

Vicariis supradictis absentibus, seu non interessentibus Episcopis, in Ecclesijs Monasteriorum Congregationis Casinensis, inuitis Monachis, Baldachinum erigere non licere, censuit. F. Maria Card. à Monte. Petrus Ciamanreconus Secretarius.

## CONSTITVTIO CCLXXXIX.

### *SVMMARIVM.*

*1621. Iulij 31.*

*Decretum Sacræ Congregationis EE. & RR. DD. Card. Sac. Concilij Tridentini interpretum. Quod non liceat Episcopo Cauensi neque propria auctoritate neque tamquam Sedis Apostolicæ delegato, Monachos Cauensis Monasterij Congregationis Casinensis delinquentes intrà, vel extrà Claustra punire, sed tantum conficere processum, & transmittere ad eorum Abbatem, & ad dictam Sacram Congregationem.*

*Ex Arch. Cauensi.*

REVERENDISSIMO Domino, vti Fratri Domino Episc. Cauensi. Reuerendissime Domine, vti Frater. Iam, &si Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auditis Amplitudinis tuæ procuratoribus, & aduocatis, rèquè accurato studio semèl, atque iterum discussâ, censuit, concordiam, seu conuentionem ante Concilium initam inter bonæ memoriæ Cardinalem de Aragoniâ, & Abbatem Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cauensis, in erectione istius Episcopatus à Sede Apostolicâ confirmatam, obstare Episcopis Cauensibus, quin possint, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, visitare, punire, & corrigere Monachos dicti Monasterij extrà Claustra degentes, in vim Cap. 3. sess. 6. Quinuè, in Monachos degentes intrà Monasterij Claustra, & extrà ea, in Diocœsi Cauensi, notoriè, & cum scandalo delinquentes, procedere valeant, ad præscriptum Cap. 14. sess. 25. de Regular. Tamen, nè Religiosos ad delinquendum, spes impunitatis, alliciat, propterea quod eorum crimina extrà Monasterij territorium perpetrata, vix in Abbatis, aut Sedis Apostolicæ notitiam, sint peruentura. Illustrissimi Patres (Sanctissimo Domino Nostro annuente) Amplitudinæ tuæ committendum, quod facimus, censuerunt, vt contrà Monachos in istâ Ciuitate, vel Diœcesi delinquentes, siuè degant extrà Claustra, siue intrà, Processum informatiuum conficiat, eumque ad Abbatem, itemque ad Sacram Congregationem Episcoporum, ac Regularium, consultationibus præpositorum, mittat obsignatum. Cæterum cauebit Amplitudo tua, nè Monachos prætextu delictorum in carceres, iniiciat, nevè vllum in eos, aut eorum Congregationem genus iurisdictionis exerceat, & diù valebit in Domino; quem ei ex animo propitium cupimus. Romæ die 31. Iulij 1621. Amplitudinis tuæ Reuerendissime, Vti Frater. R. Card. Vbaldinus.

## CONSTITVTIO CCLXXXX.

### *SVMMARIVM.*

*1621. Aug. 17.*

*Decretum Sac. Cong. EE. & RR. DD. Cardd. Regularium negotijs Præpositorum Pro nouis Regularium Conuentibus non erigendis, nisi habito assensu cæterorum Regularium intra quartum milliare degentium, in quibus duodecim saltem Regulares degere debeant.*

*Peyrin. Friuil. Regul. Greg. XV. Constit. VI.*

CVM alias fel. recor. Clemens Papa VIII. decreuerit Ordinarios locorum licentiam ad nouos Conuentus cuiuscumque præsertim Mendicantium Ordinis, in Ciuitatibus, & locis, eorum ordinariæ iurisdictionis subiectis, erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus; & causa, seruatis, seruandis, cognitâ; in ijsdem Ciuitatibus, & locis, nouos huiusmodi erigendos Conuentus, sinè aliorum detrimento, commodè sustentari posse constiterit: Si vero ab eorum sententijs, ad Sedem Apostolicam prouocari, & appellari contingerit, ipsos Ordinarios, tamdiù erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quamdiù â dictâ Sede in eâ causâ pronunciatum extiterit, ac aliàs, prout in decreto huiusmodi pleniùs cōtinetur. Verum per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, plerosque ex Ordinarijs prædictis, fauore, vel nimiâ exposcentium importunitate, ad nouos Conuentus, seu domus, præter, & contrà tenorem prædicti decreti erigendos plerumque adduci; quo fit, vt, non habitâ debitâ eleemosynarum, seu redditnum cuiuscumque Monasterii, Conuentus, seu domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi, ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus Diuinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique Regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat. Sacra Congregatio Illustr. D. D. Cardinalium, negotijs Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens; decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, ac sufficientèr expressis habens, viuæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papâ XV. habito, decretum prædictum, quatenùs opus sit innouat, & in vsum reducit. Volens, quod de cetero, Monasterium Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, cuiuscumque, etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quâcumque Ciuitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco, non erigantur, nisi in eo, saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & ex consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi, non

non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumuicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conuentus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu domibus anteà in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si vero noui Conuentus, Domus Congregatio, vel Societas huiusmodi, instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominùs diligentèr inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præmittitur, instituendis commodè alere, & manutenere valeant. Si vero à decreto, seu decretis, per Ordinarios prædictos, in causis huiusmodi ferendis, legitimè appellari contigerit; ex nunc, prout ex eâ die, quâ appellatio interponetur, ea ad eamdem Sacram Congregationem, vnâ, cum toto negotio principali deuoluta censeatur; appellationeque huiusmodi pendente, nihil innouandam esse. Irritumque, & inane quicquid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, decernens; Quibuscumque in contrarium facien. non obstantibus. Romæ 17. Augusti 1621. Ant. Card. Saulius. N. Zambeccarius Secret.

## CONSTITVTIO CCLXXXXI.

### SVMMARIVM.

*1623. Octob. 16.*

1 *Decretum Sac. Congregationis de Propagandâ Fide, Quòd Studia Linguarum per Regulares instituantur in Monasterijs Regularium.*

2 *Regulares qui Linguis Hebraicæ, Caldaicæ, Græcæ, Illyricæ, Arabicæ, studuerunt, cæteris paribus, in Religionis gradibus preferantur.*

3 *Præsens decretum in Capitulis Generalibus ac Prouincialibus legatur & eius obseruatio iuretur.*

QVONIAM à Concilij Viennensis celebratione, vsque ad initia Pontificatus fel. rec. Pauli Papæ V., experientia comprobauit, linguarum studia, aut non fuisse, ab ijs, quibus præceptum fuerat, instituta, aut post institutionem, paulatim neglecta, omnino perijsse. Et nouissimè hoc idem compertum est, ex ijs, quæ post eiusdem Pauli Constitutionem, & S. Congregationis de Propagandâ Fide, Decreta contigère. Eadem S. Congregatio dolens, opus ad animarum salutem necessarium, tam facilè negligi, præsertim ab ijs, qui ad illam procurandam fuere à Sãctis Regularium Ordinum Fundatoribus destinati; cupiensque Concilium, Constitutioné, ac Decreta prædicta executioni demandari; vt Euangelicos operarios, linguis instructos habeat ad Messem Domini amplissimam opportunè mittendos. Præsenti Decreto de speciali Sanctissimi D. N. Vrbani VIII. mandato, iterũ Regularium, & cuiusuis instituti Societatum, & Congregationum Generalibus, ac alijs Superioribus præcipit, vt Linguarum, videlicet. Hebraicæ, Græcæ literalis, & vulgaris, Arabicæ, Chaldaicæ, & Illyricæ studia instituant; institutaque conseruent, & vbi fieri poterit, ampliora efficiant; alioquin, si post spatium trium Mensium, in Monasterijs, & Conuentibus Almæ Vrbis, & sex citrà Montes, & octo vltrà Montes à die publicationis huius Decreti inchoandum, in Monasterijs, & Conuentibus earum Ciuitatum, in quibus celebriora Gymnasia, seu Vniuersitates constituta sunt, videlicet Bononiæ, Patauij, Parisijs, Tholosæ, Valentiæ, Viennæ Austriæ, Ingolstadij, Coloniæ, Louanij, Salamanticæ, & Compluti, & denique in ijs, in quibus generalia, & insigniora Regularium studia erecta sunt, mandatum hoc non impleuerint, in eiusque obseruatione non perseuerauerint, si Generales fuerint, eò ipsò suspensione à Diuinis, Sedi Apostolicæ reseruatam, incurrant. Et si per tantundem temporis ab executione huius mandati, destiterint, ipso Iure, & facto, etiam ab officio suspensi ex stant; & interim officium ipsum à Procuratoribus generalibus, ad Summi Pontificis, ac eiusdem Sedis beneplacitum, administretur. Si verò Generalibus inferiores Prælati in adimplendo hoc Mandato negligentes, vt supra fuerint primò suspensionem à Diuinis, vt præfertur, reseruatam, deinde pœnam inhabilitatis ad Maiores Religionis gradus, & dignitates, eò ipso incurrant, à quâ inhabilitate, non, nisi per Sedem
2 Apostolicam absolui possint. 2 Verum, quia non satis est Superiores Regularium suum, in hâc re, prestare officium, si qui linguis studere debent, opus, hoc, verè pium, detrectent, & negligant. Eadem Sac. Congregatio, de eiusdem Sanctissimi speciali mandato præcipit, nè, elapso triennio, ab institutis linguarum studijs inchoando, Regulares, qui nunc non excedent quadragesimum ætatis annum, ac illi, qui imposterum, perpetuis, & futuris temporibus ad Religionem, in quâcumque ætate recipientur, ad Magisteria, vel alios gradus suarum Religionum, seu, vbi non sunt Magisteria, & gradus, ad dignitates à Superioribus eorum admittantur, nisi vltrà consuetum Theologiæ studium, & alia ab earumdem suarum Religionum Constitutionibus requisita, etiam per biennium, vni saltem ex prædictis linguis operam dederint, eamque sufficientèr calluerint; super quâ à personâ per Congregationem deputanda, examinari debeant, priusquam ad eas eos, easuè assumantur. Quod si contrà præsentis Decreti dispositionem ad Magisteria, seu gradus, vel dignitates prædicta admissi fuerint; Magisteriorum, seu graduum, vel dignitatum prædictarum collatio, nulla sit, & Superiores, qui transgressi fuerint, passiuâ voce sint perpetuè priuati. Quoniam autem, multi, præmio magis ad virtutes incitantur, quam pœnis; Eadem S. Congregatio mandauit Regulares, qui Linguis studebunt, ijs potiri, & frui, priuilegijs, quibus Sac. Theologiæ candidati, in suâ quisque Religione potiuntur, & gaudent. Eos vero, qui per biennium, vni ex prædictis linguis operam dederint, eamque sufficientèr experimento, vt suprà, facto, calluerint, ad gradus, seu Magisteria, iuxta constitutum in suâ Religione ordinem, promoueri, & in electionibus ad officia, & dignitates Regulares, cæteris paribus, iuxtà dictam Pauli V. Constitutionem, alijs omninò præferri; alioquin electio
3 ante facta irritetur. 3 Ceterum nè Decretum hoc vetustas vnquam infringat, aut obliuio aboleat, eiusque ignorantiam quisquam prætendere possit; Eadem Congregatio de eiusdem Sanctissimi simili mandato præcipit, vt in singulis Capitulis generalibus, & Prouincialibus, quæ imposterum conuocabuntur illud legatur, & super eius obseruatione à Generalibus, & Prouincialibus, ante soluta Capitu-

la iu-

ia iuretur, sub pœnâ priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, si alterutrum horum omittatur, ipso facto incurrendum. Non obstantibus Constitutionibus, ac ordinationibus Apostolicis, quibuscunque Priuilegijs, Indultis, etiam Mari magno, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, Vniuersitatibus, Collegijs, Congregationibus, vel personis, tam Secularibus, quam Regularibus quibuscumque, & cuiusuis Ordinis, Congregationis, & Instituti, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum, derogatorijs, alijsque, efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs Decretis, in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, aut consistorialitèr, vel aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & sæpius innouatis, etiãsi, de ipsis, in specie, vel in indiuiduo esset facienda mentio, nec non statutis, & consuetudinibus etiam legitimè præscriptis, seu immemorabilibus, cæterisque præsenti Decreto contrarijs quibuscumque de plenitudine potestatis, derogat, & derogatum esse intendit. Huius autem Decreti exempla Romæ, vel alibi impressa, manu Secretarij Congregationis, vel alicuius Notarij publici, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ, obsignata, tàm vbique locorum, & gentium, fidem faciant, quàm originale ipsum, si esset particularitèr exhibitum, vel ostensum. Datum Romæ. Die 16. Octob. 1623.

## CONSTITVTIO CCLXXXXII.

### SVMMARIVM.

1624. oct. 27.

### VRBANVS PAPA VIII.

*Licentias Mulieribus sæcularibus concessas, & concedendas pro ingressu in Monialium Monasteria, nullius valoris esse, nisi ab eisdem Monialibus Capitularitèr, & per secreta vota, assensus præbeatur, declarat. Sub pœnis Violantibus Monialium Clausuras impositis,*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosanctum Apostolatus Ministerium, quod ineffabilis Diuinæ Sapientiæ prouidentia, humilitati Nostræ (nullo licet meritorum suffragio) credidit, iugitèr postulat, vt inter multiplices Pastoralis officij curas, illam sedulò amplectamur, quâ Sanctimonialiũ quieti oportunè consulitur. Cũ itaque plures licentiæ Monasteria Monialium ingrediendi, diuersis Mulieribus sæcularibus, sub certis modo, & formâ tunc expressis, à Nobis, & diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris concessæ fuerint, eędemque Mulieres, in vim licentiarum prædictarum, Monasteria huiusmodi, non nisi de expresso earumdem Monialium, & illorum Superiorum consensu ingredi possint, seu debeant. Nos, omnem dubitandi materiam, quæ super modo, consensum huiusmodi præstandi, forsan oriri posset, è medio tollere volentes; Motu proprio, & ex certâ scientiâ Nostra, harum serie decernimus, àtque declaramus; Consensum dictarum Monialium, de cœtero per easdem Moniales Capitularitèr, & per secreta suffragia præstandum esse, & præstari debere, aliàs licentiæ huiusmodi Mulieribus, quibus concessæ fuerunt, nullatenùs suffragentur, & quæ Sanctimonialium Monasteria, vigore licentiarum prædictarum, absque consensu Capitula ritèr, vt præfertur, præstito, ingredi præsumpserint, sententias, censuras, & pœnas contrà Clausuras Monasteriorum Monialium violantes inflictas, se nouerint incursuras. Sicque, & non alitèr per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores; sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secùs super his â quoquam quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, in contrarium facien: non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Tusculi, sub Annulo Piscatoris, die 27. Octob. 1624. Pontificatus Nostri Anno secundo. V. Theatin.

## CONSTITVTIO CCLXXXXIII.

### SVMMARIVM.

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd: Sac. Concilij Tridentini Interpretum. Quo declaratur per Constitutionem Gregorij XV. non esse sublatam Regularibus facultatem eligendi Conseruatores, sed tantummodo designatum modum, & personas eligendas.*

*Ex impresso.*

IN Constitutione de Conseruatoribus, editâ à san. mem. Gregorio XV., ex sententiâ Sacræ Congregationis Concilij, inter cœterâ statutum est; vt coràm Conseruatoribus, Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint; itaut memorati Conseruatores, in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsùs iurisdictionem habeant; sed in ijs tantum, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, An per hæc verba, sublata sit facultas, quam habent Conseruatores, defendendi Regulares, & alios à manifestis iniurijs, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deijciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, censuit, eiusmodi verbis, minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentiis; dummodò obseruent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV., & Bonifacij VIII. relatis in Cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6. C. Card. de Torres. Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

## CONSTITVTIO CCLXXXXIV.

### SVMMARIVM.

1625. Feb. 8.

*Decretum Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide,*

*Pro Nouitijs diuersarum Nationum, ac Linguarum à Regularibus recipiendis.*

Nihil tàm magnæ curæ est Sacræ de Propagandâ Fide Congregationi quàm, vt operarios plures Linguis instructos habeat, quos in Messem Domini, præsertim sub Hæreticis, & Infidelibus Principibus constitutam, mittere possit. Proinde animaduertens, aliam quoque esse eosdem multiplicandi, & augendi breuiorem viam; Generales omnes, annuente S.D.N. admonendo esse censuit, vt præter studia Linguarum, aliàs à Sacrâ Congregatione Regularibus indictâ, speciali suo decreto præcipere velint, vt in Nouitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis Nationibus, & linguis, pro modulo dictarum suarum Religionum, vnâ cum aliis, qui hactenùs recipi consueuerunt, ad habitum assumantur; qui peracto studiorum cursu, vel in simplici Sacerdotio constituti, vel Episcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias, Propagandæ Fidei gratiâ, mitti possint. Nam sic facientes, certò sciant, se Christo Domino obsequium gratissimũ, & acceptissimum præstaturos, & Fidei Catholicæ, ac suarum Religionum honori, & amplificationi summoperè esse consulturos. Datum Romæ die 17. Dec. 1624. Oct. Card. Bandinus. Franciscus Ingolus Secret.

Reuerendiss. Padre mio Colendiss. Il soprascritto decreto, del quale appresso di me si ritroua l'originale autentico, mi è stato mandato dalla Sacra Congregatione de Propagandâ Fide, perche ne dia parte à tutti li RR. Abbati della nostra Congregatione, assinche procurino d'essequire il contenuto di esso, & però ne mando Copia sigillata con sigillo della Procureria, & le bacio la mano, pregandole il Signore in aiuto. Roma li 8. Febraro 1625. D. V. P. Reuerendiss. Obligatiss. Figliuolo D. Angelo di S. Felice Procurator Generale.

## CONSTITVTIO CCLXXXXV.

### SVMMARIVM.

1625. Apr. 11.

*Decretum Sac. Congregationis de Propagandâ Fide. Pro lectione Linguarum Illyricæ, & Græcæ &c. in Monasterium Regularium instituendâ.*

Qvoniam impossibile est, sine Linguarum notitiâ, Fidem Catholicam in exteris propagare Nationibus; hanc verò notitiam in Religiosorum familias introducere difficillimum est, sinè precipuâ Generalium, & aliorum Superiorum curâ, & diligentiâ. Sacra de Propagandâ Fide Congregatio, Religionum Generales omnes, ac alios Superiores in Domino obtestatur, vt secum cogitantes, quòd hæresibus, & erroribus pleræque terrarum Orbis Nationes laborent, & in quantis ignorantiæ tenebris Populi penè innumerabiles versentur, quia non habẽt, qui eos instruant, & in viâ salutis opportunè dirigant; omnibus modis velint studia Linguarum à Sacro Viennensi Concilio, & à fel. rec. Pauli V. Constit. præscriptâ, & aliarum etiam, quæ magis ex vsu esse videntur, vt Illyricæ, & Græcæ vulgaris in iis Monasterijs, & Conuentibus erigere, ac instituere, & erecta, ac instituta conseruare, in quibus Religiosi, Artibus, ac Theologiæ operam nauant; quæ quidem studia ex sententia eiusdem Sac. Congregationis Generales, & alij Superiores facilè instituent, si in modo, formâ, & ordine ipsorum constituendis infrascripta obseruari, præcipuè, mandauerint, Decretis.

Primò, vt si non in quolibet, saltem in pluribus ex prædictis Monasteriis, & Conuentibus certus Religiosorum magis idoneorum numerus Linguarum studijs addicatur sub aliquo Religioso, vbi studij Præfectus non extiterit, qui studiorum huiusmodi promouendorum curam, & sollicitudinẽ habeat; qui, vt muneri suo seriùs incumbat, ijsdem Priuilegijs, quibus Magistri, & Studiosi fruatur.

Secundò, vt certæ Regulæ, & constitutiones, quibus numerus, & species Linguarum, tempora lectionum, studij, repetitionumque, ac alia huiusmodi, à Magistris, & Studiosis diligentèr obseruanda præscribant, quarum Constitutionum obseruandarum cura, prędicto Religioso, vel studij Præfecto, committi poterit; qui si suo deerit officio, pro modo culpæ in Capitulis Prouincialibus, vel Generalibus grauitèr puniatur, in quibus etiam præsens Decretum publicè legatur.

Tertiò, denique, vt præmia, pœnæ, præsertim Magistris, & studiosis proponantur, quæ vehementiùs eorum animos mouere possint ad Linguas alacriùs, & diligentiùs addiscendas, & Sac. Congregatio, cum ob Institutorum, & Religionum diuersitatem, ea difinire visum non fuerit, Generalium, & aliorum Superiorum prudentiæ, & iudicio committenda esse censuit, quos etiam, nouo præcepto, ad hæc studia instituenda, & conseruanda constringere noluit, sed eos tantum admonere, in districto Dei iudicio rationem esse reddituros, si Decretum hoc, quod pro Diuinæ Maiestatis gloriâ, & salute Animarum promulgatum est, obseruare contempserint, vel neglexerint. L. Card. Ludouisius. Franciscus Ingolus Sec.

*Decretum Sacræ Congregationis de propagandâ Fide habita die 11. Aprilis 1625.*

Sacra Congregatio ad promouenda studia linguarum iuxtà Constitutionem felic. recordationis Pauli V, & Decreta aliàs per ipsam ad Generales Religionum transmissa; mandauit singulis Generalibus, Capitulis Religiosorum, Romæ, vel alibi, hoc anno, celebrandis, Constitutiones prædictas intimari, & Capitularibus præcipi, vt in electionibus ad officia, & dignitates etiam Generalatus faciendis, callentes aliquam ex linguis exteris in eâ Constitutione expressis, alijs, qui solam latinam sciunt, cœteris paribus, iuxtà præfactæ Constitutionis tenorem, omninò præferantur Die 17. Aprilis 1625. S. D. N. referente Illustrissimo Card. Bandino, mandauit omninò intimari Constitutionem Paulinam, nec non Decretum Congregationis tàm Generalibus, quam Ordinum Capitulis. L. Car. Ludouisius. Franciscus Ingolus Secr.

## CONSTITVTIO CCLXXXXVI.

### SVMMARIVM.

1625. Iulij 10.

VRBANVS PAPA VIII.

*Abbati Monasterij S. Pauli de Vrbe Literas Dimissorias*

pro

*Pro Ordinibus suscipiendis, Clericis sibi subditis concedere posse declarat, seu confirmat.*

*Ex Arch. Mon. S. Pauli de Vrbe.*

VRBANVS Papa Octauus. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ regimini præpositus, ad singulorum quoque Monasteriorum statum respiciens, illorum Prælatos, & Superiores spiritualibus fauoribus, & prærogatiuis libentèr exornat, prout conspicit in Domino salubritèr expedire. Cum itaque sicut dilectus filius Angelus Grillus, modernus Monasterij Sancti Pauli propè, & extrà mœnia Vrbis, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis Abbas, Nobis nupèr exponi fecit, Monasterii prædicti Abbates, pro tempore existentes, in Liprignani, Ciuitellæ, & Nazzani Terris, siue Castris, spiritualem, & temporalem iurisdictionem exerceant. Nos de ipsius Angeli Abbatis in eligendis, & approbandis idoneis Dei Ministris fide, prudentiâ, integritate, & religionis zelo plurimùm in Domino confisi, ipsumque Angelum modernum, & pro tempore existentes dicti Monasterii Abbates specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum seriè absoluentes, & absolutos fore cẽsẽtes, supplicationibus eius nomine Nobis super huiusmodi, humilitèr porrectis, inclinati; eidem Angelo moderno, & pro tempore existenti dicti Monasterii Abbati; Vt personis sæcularibus Terrarum, seu Castrorum prædictorum sibi subditis, litteras Dimissoriales ad Clericalem characterem, necnon omnes, etiam Sacros, & Præsbiteratus, Ordines concedere, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, facultatem concedimus, & impertimur; Eisque, & dicti Monasterii Abbatibus, qui huiusmodi litteras Dimissoriales, personis Terrarum, seu Castrorum huiusmodi subditis, vt præfertur, absque expressâ huiusmodi Sanctæ Sedis licentiâ hactenus concesserunt, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pęnis ecclesiasticis, per eos, ob præmissa quomodolibet incursis, quatenùs opus sit, in vtroque foro, auctoritate, & tenore præsentium absoluimus, & liberamus, ac pœnas huiusmodi illis remittimus, & condonamus, omnemq; inhabilitatis maculam, siue notam, contrà eos ex præmissis quomodolibet insurgentem, ab eis penitùs tolllimus, & abolemus. Illis verò, qui litterarum Dimissorialium, huiusmodi vigore, Clericali charactere insigniri, & ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, alias tamen ritè, promoueri fecerunt; vt Clericali charactere huiusmodi, illiusque priuilegiis vti, necnon in susceptis per eos Ordinibus huiusmodi, etiam in Altaris Ministerio, ministrare valeant, concedere liberè, & licitè similitèr possint, & valeant, licentiam, auctoritate, & tenore similibus concedimus, paritèr, & impertimur. Non obstantibus Apostolicis, vniuersalibus, Prouincialibusque Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumq; Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 10. Iulii. 1625. Pontificatus Nostri anno secundo.

## CONSTITVTIO CCLXXXXVII.

### SVMMARIVM.

*Confirmatio Decreti EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Rituum Congregationis ad fauorem Congregationis Casinensis, Pro vsu Pontificalium, seu Baldachini.*

*Ex Archiu. Monast. S. Mariæ Flor. Arm. III. lib. 23. fol. 465.*

CVM aliàs Sacrorum Rituum Congregatio interdixerit Abbatibus Congregationis Casinen. Ordinis S. Benedicti, quando solemnitèr celebrant, vsum Baldachini, & quorundam Ministrorum, prout in Decreto sub die 18. Martij 1617. latiùs continetur: Et ab hoc Decreto P. D. Honorius de Perusio Procurator eiusdem Congregationis se grauatum prætenderet, & allegaret suam Congregationem tunc fuisse indefensam, neque pro eius parte factas aliquas probationes, nec eius iura deducta; immò fuisse præsuppositum, eosdem Abbates contrà solitum, vsum Baldachini introduxisse, quòd tamen nimimè verificabatur in factò. Fuit ab eâdem Sac. Congr. mandatum, vt de nouò audiretur, & causâ ad hunc effectum commissâ Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinali Lancellotto, coram quo fuerunt exhibitæ plures attestationes, & testium depositiones, & tandem, factâ ab eodem relatione. Eadem Sac. Congr. Rituum, causâ diligenter discussâ, declarauit in hâc parte recedendum esse à prædicto Decreto; ac censuit licere eisdem Abbatibus, quando solemnitèr in eorum Ecclesijs celebrant, vti Baldachino coloris conuenientis solemnitatibus, atque apparatu, iuxtà eorum antiquissimam consuetudinem, ità tamen, vt modestè, cum debitâ conuenientiâ, sine pompâ, & auro, atque in tribus ad summum festiuitatibus, quolibet anno, vtantur; resecatis, ac sublatis abusibus, & excessibus, si qui in aliquo Monasterio circà id introducti fuerint. A. M. Episc. Ost. Card. Gallus. Petrus Ciammareconus Secretarius. Die 12. Martij 1618.

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini. Nuper deuenit ad notitiam P. D. Angeli à S. Felice Procuratoris Generalis Vener. Congregationis Casinen. quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, seu alij, prætendere cœperunt, præinsertum Decretum fuisse reuocatum per quamdam resolutionem huius S. Congr. die 7. Iunij proximi præteriti, seu alio veriori tempore factam; in quâ declaratum extitit, Decretum, & resolutionem anni præsentis circà vsum Baldachini ad fauorem seu instantiam Archiepiscopi Firmani, & contra Priorem Monasterij S. Catharinæ Ordinis Canonicorum Regularium Lateranen. factum, per alios similes Abbates, & Priores, vbique seruan. esse.

Quæ quidem prætensio, licet iniusta sit, & dictum præinsertum Decretum obseruari debeat; nihilominus ad maiorem cautelam, vtque litibus, & indebitis prætensionibus huiusmodi omnis occasio penitùs tollatur, idem D. Angelus Procurator humilitèr supplicat DD. VV. Illustrissimis, & Reuerendissimis, quatenùs declarare dignentur, dictam resolutionem, & decretum contrà Priorem supradicti Monasterij S. Catharinæ, & dicto die 7. Iunij factum, non comprehendere Abbates Congr. Casinen., minùsque præinserto decreto, die prædicto 12. Martij 1618 in aliquo præiudicatum fuisse, nec esse; sed quod suum plenarium effectum habere debeat

beat in omnibus, & per omnia inuiolabilitèr, iuxtà illius formam, & continentiam, atque tenorem obseruan: fore, & esse; non obstan. prædictis resolutione, & declaratione, cęterisque in contrarium facien. quibuscumque; quibus, quatenùs opus sit, derogare placeat.

Proposito dubio, Illustrissimi DD. vnanimitèr censuerunt, præinsertum decretum 12. Martij 1618. seruandum omninò esse; neque illi per declarationem prædictam fuisse vllâ ratione præiudicatum 2. Augusti 1625. F. M. Card. à Monte. Io. B. Rinuccinus Secret.

## CONSTITVTIO CCLXXXXVIII.

### SVMMARIVM.

*1626. Martij 21.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Episcoporum, ac Regularium negotijs Præfectorum. Quod non liceat Regularibus pecunias Mutuo, vel ad Cambium recipere, cum solutione alicuius lucri, absque Sedis Apostolicæ facultate.*

*Ex impresso.*

CVM post editum decretum de rebus Regularium non alienandis, compertum sit Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus; loco censuum huiusmodi, pecunias ad Cambium, vel Mutuo accipere, cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis. Cumque ex huiusmodi contractu eludatur mens Sacrę Congregationis, cui in primis in votis fuit, consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum læduntur; S. D. N. approbante, decreuit, ac declarauit, huiusmodi contractus esse contrà mentem Decreti, vt suprà æditi. Ideoque non licere Regularibus, pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ die 21. Martij 1626. Cosm. Card. de Torres. P. Fagnanus.

## CONSTITVTIO CCLXXXXIX.

### SVMMARIVM.

*1626. Oct. 5.*

### VRBANVS PAPA VIII.

*Regulares quoscumque, quibus à S. Inquisitionis Officio pœnitentiæ impositæ sunt (salutaribus exceptis) ad omnes suorum Ordinum gradus, & dignitates, etiam post elapsum pœnitentiæ tempus, inhabiles censendos; nec ab alio, nisi à Summo Pontifice, vel ab eadem S. Officij Inquisitionis Congregatione specialitèr habilitandos fore, constituit. Promotiones eorum inualidat, ac Promouentes inhabilitationem ad gradus, & dignitatum priuationes incurrisse, declarat.*

*Ex impresso.*

FERIA V. primâ Octobris 1626. In Generali Congregatione S.R. & Vniuersalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostol. Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.N.D. Vrbano, Diuinâ Prouidentiâ, Papâ VIII. ac Illustriss. & Reuerendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in Vniuersâ Republicâ Christianâ aduersus Hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sanctâ Sede Apostolicâ specialitèr deputatis.

Sanctiss. D.N. iustis de causis animum suum mouentibus, decreuit, & statuit, Vt in posterum Regulares omnes, cuiusuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti, quibus pro delictis ad Sanctæ Inquisitionis officium spectantibus, pœnitentię genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentijs exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiam si pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenùs possint; nisi priùs obtentâ à Sanctiss. D. N. vel ab hâc Sac. Congregatione, coram SS. habendâ, speciali, & expressâ rehabilitationis gratiâ. Aliàs promotio quælibet nulla sit, & promouentes ipsi, priuationem suorum officiorum, ac prætereà vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrant; ad quæ restitui, nisi ab eodem Sanctiss. D.N. vel ab eâdem Sac. Congregatione, coram SS. habendâ non possint. Præsens autem Decretum, omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem S. D. N. Thomas de Federicis Sanctæ Romanæ, ac Vniuersalis Inquisitionis Notarius substitutus de mandato.

## CONSTITVTIO CCC.

### SVMMARIVM.

*Decretum EE. & RR. DD. Card. Sac. Congr. Concilij Tridentini Interpretum. Quod Regulares Monialium Superiores teneantur diem electionis Abbatissę intimare illis Episcopis, qui expressè declarauerint se velle eidem electioni interesse, eosdemque expectare ad prefatam electionem faciendam.*

*Ex impresso.*

AN liceat Episcopo in vim Constitutionis sanme. Greg. XV. de exemptorum priuilegijs, punire Regulares, qui ad Abbatissę electionem procedunt, ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenùs prænuntiatâ.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, respondit, Regulares ex eâdem Constitutione ità demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si anteà ipse expressè declarauerit, se vti velle facultate sibi hâc in parte attributâ, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac pręsidere. Post eam verò declarationem, licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non pręnuntiatâ, ad Abbatissæ electionem procedunt. Cos. Card. de Torres. Prosper Fagnanus S. Congreg. Sec.

## CONSTITVTIO CCCI.

*SVMMARIVM.*

*1628. Ianuarij 29.*

*Decretum EE.& RR.DD.Cardd. Sacræ Congregationis Rituum ad fauorem Congregationis Casinensis. Pro vsu Pontificalium, & Baldacchini.*

*Ex impresso.*

CVM aliàs de anno 1606.sub die 28. Ianuarij, Sacra Rituum Congregatio,instante Archiepiscopo Firmano,interdixerit Priori Sanctæ Catharinæ Ordinis Canonicorum Regularium in eorum Ecclesiâ, vsum aliquarum Ceremoniarum; Et de anno 1617.sub die 18.Martij illud Decretum ad instantiam bo. me. Cardinalis Caraffæ Archiepiscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores, & Abbates cuiuscunque Ordinis, etiam Casinen. Ab hoc Decreto reclamauit Procurator generalis Casinen. & ad S. Congregationem recursum habuit, asserens suam Congregationem indefensam fuisse;Et rè maturè,ac diligentèr discussâ,referente bo.me. Cardinali Lancellotto,Sacra Congregatio de anno 1618. sub die 12. Martij censuit quoad vsum Baldachini, & quorundam Ministrorum in alijs Decretis prohibitorum, recedendum esse à prædictis Decretis de Annis 1606.& 1617.emanatis, & licere ijsdem Abbatibus,quandò solemnitèr celebrant, vti Baldachino, & apparatu, iuxtà eorum antiquissimam consuetudinem;ità tamen,vt modestè, cum debità conuenientiâ; siue pompâ, & aurò, atque in tribus ad summum Festiuitatibus, quolibet anno, vtantur, prout in dictis Decretis latiùs continetur.

Nunc demum Archiepiscopus Florentinus ad S. Congregationem accedens, institit prohiberi Abbati S. Mariæ eiusdem Ciuitatis Florentiæ, Ordinis Casinensium, vsum Baldachini, & dictorum Ministrorum, & aliarum multarum Ceremoniarum,in dedecus, & præiudicium suæ Archiepiscopalis Dignitatis vergentium: Et citatò, ac interueniente P.D. Dominico Pinello eiusdem Congregationis Casinensium Procuratore generali, & partibus sæpè, ac sæpiùs auditis, ac negotio diligenter discusso; referente Illustriss.ac Reuerendiss.D. Cardinali Pio;

Eadem S. Rituum Congregatio, inhærendo dicto vltimo Decreto facto de anno 1618. censuit, & declarauit,licere Abbatibus Casinensibus,quando solemnitèr celebrant (quòd in tribus ad summum Festiuitatibus facere eis permittitur) vti Baldachino, sine auro tamen, & pompâ; & aliquibus etiam Ministris paratis Sacris Indumentis; Quia verò numerus horum Ministrorum in aliquibus eorum Monasterijs erat valdè excessiuus, vetuit, ac prohibuit, ne ijdem Abbates solemnitèr, vt suprà,celebrantes, alios possint habere Ministros Sacris Indumentis paratos, quàm duos Diaconos, & Presbyterum assistentes, Diaconum,& Subdiaconum pro cantandis Euangelio, & Epistolâ, ac sex ad summum alios, duos cum Pluuialibus,duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis, coloris tempori conuenientis. Quoad reliqua verò in dictis Decretis,de annis 1606.& 1617. emanatis,contenta,S.Congregatio eadem Decreta confirmauit, & quatenùs opus sit, innouauit, inhibens omnibus Abbatibus Casinen. ac seriò præcipiens, vt in reliquis omnibus ea ad vnguem inuiolabilitèr obseruent;eorumque dispositioni addidit,vt supradicti Abbates nullo modo debeant, nec possint habere,& tenere sedem suam Abbatialem fixam, & permanentem propè Altare, vt sedes Episcopalis retineri consueuit; minusque liceat supradictis sex Monachis paratis, vt suprà, sedere in sedibus Choralibus, vt Canonicorum sæcularium mos est, sed sedes pro Abbate solemnitèr celebrante retineatur in Ecclesiâ ijs tantummodò tribus diebus, quibus ipse Abbas solemnitèr celebrat,dictique sex Monachi parati sedere debeant in loco congruo, iuxtà Ecclesiarum conuenientem situm, super scabellis ad hunc effectum tunc appositis,panno laneo coopertis. Die 29. Ianuarij 1628. Io. Baptista Cardinalis Detus. F.Fuluius Benignus Secr.

## CONSTITVTIO CCCII.

*SVMMARIVM.*

*1628. Maij 4.*

VRBANVS PAPA VIII.

1 *Definitorum Officium biennale constituit in Congregatione Casinensi, cum biennali vacatione.*

2 *Abbates deponi in Dietis dictæ Congregationis,vel mutari inuitos non posse, sed tantum suspendi; Nec in Monasterio Abbatis sic suspensi vllum ex Abbatibus, qui illi Dietæ interfuerint deputari posse, decernit.*

3 *Decreta Capituli generalis annullari in Dietà, vel Decanos creari prohibet.*

4 *Constitutionis prædictæ obseruationem sub pœnà excommunicationis latæ sententiæ, priuationis actiuæ, & passiuæ vocis, ac inhabilitatis perpetuæ. Sublatà cuicunque præsentium interpretatione.*

5 *Executionem,& manutensionem præsentium, Protectori dictæ Congregationis, & Causarum Cameræ Apostolicæ Auditori iniungit.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Commissi Nobis, per abundantiam Diuinæ gratiæ,Pastoralis Officii debitum postulat, vt sacrarum Religionum in Ecclesiâ Dei militantium, felici statui, & directioni sedulò intendentes, ea statuamus,& decernamus, quæ prospero illarum regimini,& gubernio conspicimus in Domino salubritèr expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filij Abbates Monasteriorum Ordinis S.Benedicti,Congregationis Casinen.aliàs S.Iustinæ de Paduâ,quod ipsi aliàs de anno proximè præterito in Ciuitate Perusinâ capitularitèr congregati, considerantes damna,seu inconuenientia, quæ in dictâ Congregatione,ob nimiam, & fortè absolutam auctoritatem,& potestatem, quâ ipsius Congregationis Definitorum,suâ perpetuitate fretum, ac Dietâ vtebantur,eatenùs exorta erant;proindeque illis, de aliquo opportuno remedio prouideri cupientes, ad Nos, & Apostolicam Sedem desuper recursum habere decreuerunt. Quarè Nobis humilitèr supplicari fecerunt, quatenùs super præmissis opportunè prouidere,de benignitate Apostolicâ, dignaremur:

1 1 Nos damnis, & inconuenientibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, obuiam ire, ac Abbates præfatos specialibus, fauoribus, & gratijs prosequi volen. eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absoluẽtes, & absolutos fore censen.; huiusmodi supplicationibus inclinati. Quod de cœtero, perpetuis futuris temporibus, Definitorium eiusdem Congregationis non sit, nec esse possit perpetuum, sed quoad omnes Definitores vacabile; ita quod ipsorum Definitorum officium sit annuale, & vigore cuiuscunque confirmationis vltrà biennium non duret, & qui de præsenti Definitores existunt, si tempore proximi Capituli generalis eiusdem Congregationis, quod vt asserunt, præsenti anno in Ciuitate Parmen. celebrandum est, eorum, & seu cuiuslibet ipsorum Definitorum officium, spacio biennij, tunc præcedentis, durauerit, eorum officium per biennium, vt præfertur, obtentum, eò ipso vacet, & vacare censeatur; ijdemque Definitores biennales ad officium Definitoris huiusmodi denuò eligi, vel assumi nequeant, nisi postquam per aliud
2 biennium ab eodem officio cessauerint. 2 Quodq; etiam in Dietâ dictæ Congregationis, nullus Abbas deponi possit, sed id Capitulo generali eiusdem Congregationis omninò relinquatur; & casu quo aliqua vrgens necessitas, prouisione indigens, occurrat, tunc cognitâ primùm causâ, reoque audito, ad suspensionem administrationis dumtaxat, deueniri possit, ac loco Prælati sic suspensi, alius deputetur Prælatus; qui tamen ex illis non sit, qui Dietam ex quâ iudicium fieri contigerit, ingrediuntur. Demum, quod in Dietâ, vllus Abbas in pœnam, absque
3 cognitione causæ, mutari. 3 Seu decreta in Capitulo generali facta annullari, aut Decani sub quouis
4 prætextu creari, nullatenùs possint; 4 Prædictaque omnia, & singula perpetuò, sub nullitatis gestorum, excommunicationis latæ sententiæ, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ac officiorum per eos obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa in posterũ obtinen. pœnis, eo ipso incurrendis. Sicque, & non alitèr in præmissis omnibus, & singulis in prædictâ Congregatione, perpetuò obseruari, & ita per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, statuimus, decernimus, &
5 declaramus. 5 Quocircà dilectis filijs Nostris Ludouico Tituli S. Laurentij in Damaso Presbytero Cardinali Ludouisio nuncupato, moderno, & pro tempore existenti Ordinis, & Congregationis huiusmodi apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes, committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vb', & quandò opus fuerit, ac quotiès pro parte nunc, & pro tempore existentium Ordinis, & Congregationis huiusmodi Superiorum aut alius eorum, nomine dictæ Congregationis fuerint requisiti, solemnitèr publican: eisque in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eas, & ea, auctoritate Nostrâ, ab omnibus inuiolabilitèr obseruari; contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias, eorum arbitrio imponen: moderan: & applican: aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; legitimisque super his haben: seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauan: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstan: fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio generali edita de duabus dietis, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum tenoribus præsentibus pro sufficientèr expressis haben: illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxat, specialitèr, & expressè derogamus; cœterisque contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facien: plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, Die 4. Maii 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto. M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCIII.

### SVMMARIVM.

1629. *Iulij* 11.

### VRBANVS PAPA VIII.

*Confirmat Decretum Sac. Congregationis Rituum super vsu Baldacchini, & Ministrorum, ac aliarum Ceremoniarum pro Abbatibus Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Paduà Pontificalia exercentes.*

*Ex Impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Exponi Nobis nupèr fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum Ord. S. Benedicti, Congregat. Casinen. aliàs S. Iustinæ de Paduâ Procurator Generalis, quod aliàs à Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis, emanauit Decretum ten: subsequen. videlicet. Cum aliàs de Anno 1606. sub die 28. Ian. Sacra Rituum Congregatio, instante Archiepiscopo Firman. interdixerit Priori S. Catharinæ Ordinis Canonicorum Regularium, in eorum Ecclesiâ vsum aliquarum ceremoniarum, & de Anno 1617. sub die 18. Martij illud Decretum ad instantiam bo. mem. Cardinalis Caraffæ Archiepiscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores, & Abbates cuiuscunque Ordinis, etiam Casinen.; ab hoc Decreto reclamauit Procurator Generalis Casinen. & ad Sac. Congregationem recursum habuit, asserens suam Congregationem indefensam fuisse, & re maturè, ac diligentèr discussâ, referen. bo. mem. Cardinale Lancellotto, Sac. Congregatio de Anno 1618. sub die 12. Martij, censuit quòd ad vsum Baldachini, & quorumdam Ministrorum in alijs Decretis prohibi-

hibitorum, recedendum esse à prædictis Decretis de Annis 1606. & 1617. emanatis, & licere ijsdem Abbatibus, quandò solemnitèr celebrant vti Baldachino, & apparatu, iuxtà eorum antiquissimam consuetudinem; ità tamen, vt modestè, cum debità conuenientiâ, sine pompâ, & auro, atque in tribus ad summum festiuitatibus quolibet anno vtantur; prout in dictis Decretis latiùs continetur. Nunc demum Archiepiscopus Florentin. ad Sac. Congregationem accedens, instetit prohiberi Abbati S. Mariæ eiusdem Ciuitatis Florentiæ Ordinis Casinen. vsum Baldachini, & dictorum Ministrorum, & aliarum multarum ceremoniarum in dedecus, & præiudicium suæ Archiepiscopalis dignitatis vergentium; & citato, & interueniente Patre Domino Dominico Pinello eiusdem Congregationis Casinensium Procuratore generali, & partibus sæpè, ac sæpiùs auditis, ac negotio diligentèr discusso, referente Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino Cardinale Pio, Eadem Sacra Rituum Congregatio, inhærendo dicto vltimo Decreto, facto de Anno 1618. Censuit, & declarauit, Licere Abbatibus Casinen. quandò solemnitèr celebrant, quod in tribus ad summum festiuitatibus facere eis permittitur, vti Baldachino, sine auro tamen, & pompâ, & aliquibus etiam ministris paratis sacris indumentis. Quia vero numerus horum ministrorum in aliquibus eorum Monasterijs erat valdè excessiuus, vetuit, ac prohibuit, ne ijdem Abbates solemnitèr, vt suprà celebrantes alios possint habere ministros sacris indumentis paratos, quam duos Diaconos, & Presbyterum, assistentes, Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Euangelio, & Epistolâ, ac sex ad summum alios, duos cum pluuialibus, duos cum planetis, & duos cum tunicellis, coloris tempori conuenientis: quò ad reliqua verò in dictis Decretis, de Annis 1606. & 1617. emanatis contenta, Sacra Congregatio eadem Decreta confirmauit, & quatenùs opus sit, innouauit; inhibens omnibus Abbatibus Casinensibus, ac seriò præcipiens, vt in reliquis omnibus ea ad vnguem inuiolabilitèr obseruent, eorumque dispositioni addidit, vt supradicti Abbates nullo modo debeant, nec possint habere, nec tenere sedem suam Abbatialem fixam, & permanentem propè altare, vt sedes Episcopalis retineri consueuit, minùsque liceat supradictis sex Monachis paratis, vt suprà, sedere in sedibus choralibus, vt Canonicorum sæcularium mos est; sed Sedes pro Abbate solemnitèr celebrante retineatur in Ecclesiâ iis tantummodò tribus diebus, quibus ipse Abbas solemnitèr celebrat; dictique sex Monachi parati, sedere debeant in loco congruo, iuxtà Ecclesiarum conuenientem situm, super scabellis ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis. Die 29. Ian. 1628. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, Dominicus prædictus plurimum cupiat præinsertum Decretum huiusmodi, quò firmiùs subsistat & inuiolabilitèr obseruetur, Apostolicæ Nostrę confirmationis robore communiri. Nos, eius votis huiusmodi annuere, illumque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis suspen. & interdicti alijsque Ecclesiasticis, sententijs, cen. & pœnis, à Iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen., harum seriè absoluentes, & absolutum fore censen., supplicationibus eius nomine, Nobis supèr hoc humilitèr porrectis inclinati; Præinsertum decretum huiusmodi, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus; illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & singulos, tam Iuris, quàm facti, & quosuis alios defectus, si qui desupèr quomodolibèt interuenerint, aut interuenisse dici, vel censeri possent, supplemus Decretumque huiusmodi, necnon præsentes litteras, cum omnibus in eis contentis, sempèr, & perpetuò, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Congregationi, illiusque Abbatibus, ac Monachis & personis, in omnibus, & per omnia, plenissimè suffragari; neque illos à quoquam, quâuis auctoritate, super præmissis, quouis modo, impediri, molestari, inquietari, vel perturbari vnquam posse, nec debere; & ità per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs supèr his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Quocircà Dilectis filijs Nostris, & Apostolicæ Sedis Nuncijs, ac causarum Cur. Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus & mandamus, quatenùs per se vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta huiusmodi, vbi, & quandò opus fuerit, ac quotiès pro parte Abbatum & Monachorum dictæ Congregationis, requisiti fuerint, seu aliquis eorum requisitus fuerit, solemnitèr publican., eisque in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ, Abbates, & Monachos prædictos, præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permitten. illos desuper à quoquam, quâuis auctoritate, quomodolibet indebitè molestari, vel inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, cen., & pœnas ecclesiasticas, aliàque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postpositâ compescen.; inuocato etiam ad hoc, si fuerit opus auxilio brachij sæcularis. Non obstante fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltrà tres dietas aliquis, auctoritate præsentium, in Iudicium non trahatur; alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; nec non quibusuis, etiam Iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque ten. & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenorem præsentibus pro sufficientèr expressis haben., illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxàt, specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsùs vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Iulij 1629. Pontificatus Nostri anno Sexto.

M. A. Maraldus.

## CONSTITUTIO CCCIV.

### SUMMARIUM.

1630. Apr. 12.

### URBANUS PAPA VIII.

*Cancellarijs, ac Vicethesaurarijs Congregationis Casinensis vocem actiuam in Capitulo generali dictę Congregationis, locum super omnes Priores, ac titulum Reuerendi, concedit.*

*Ex Regist. Cong. Casin.*

URBANUS Papa Octauus. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nupèr fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Casinensis, Ordinis Sancti Benedicti, quòd nupèr in Dicta ipsius Cōgregationis, in Ciuitate Neapolitanâ habitâ, dilectis filijs Cancellario, & Vicethesaurario eiusdem Congregationis, Titulus Reuerendi, ac Locus super omnes Priores, etiam loci, cum Voce actiuâ in Capitulo Generali, reseruato Nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, concessus fuit, prout in Decreto sub die 24. Decembris proximè præteriti emanato, pleniùs dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Dominicus plurimùm cupiat Decretum huiusmodi pro illius validitate, & subsistentiâ, Apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri; Nos eumdem Dominicum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; supplicationibus eius nomine Nobis supèr hoc humilitèr porrectis, inclinati; Decretum prædictum, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, approbamus, confirmamus; illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui desupèr, quomodolibèt interuenerint, supplemus; Decretumque huiusmodi, necnon præsentes litteras semper valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac modernis, & pro tempore existentibus Cācellarijs, & Vicethesaurario prædictis, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicq; per quoscumque Iudices, & Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secùs super his à quocumque, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Aprilis. 1630. Pontificatus Nostri Anno septimo.

## CONSTITUTIO CCCV.

### SUMMARIUM.

1631. Apr. 11.

### URBANUS PAPA VIII.

*Professiones per Regulares emissas, non facto in locis designatis Nouitiatu, de nouo emittendas fore decernit.*

*Ex impresso.*

URBANUS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Religiosos viros, qui spretis huius seculi vanitatibus, Diuini Numinis obsequiis, sub suaui Religionis iugo sese manciparunt, pastorali benignitate complectimur, vtque in vocatione, quâ vocauit eos Dominus, permaneant, iuxtà creditum Nobis Apostolicæ seruitutis munus, sedulò intendimus, ac desuper eiusdem muneris partes, propensis studiis, intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicæque Ecclesiæ decus, & exaltationem conspicimus in Domino salubritèr expedire. Cum itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium professores, ad habitum Regularem recepti, probationis annum, in Monasterijs, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolicâ Sede approbatis, minimè fecerint; proindeque iuxtà Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris Nostri desuper editam, professio per eos subindè emissa, inualida existat. Nos religiosos prædictos, ex huius Sanctæ Sedis benignitate, specialibus, fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, Venerabilibus Fratribus Nostris Scipioni Episcopo Sabinen. Cardinali Burghesio nuncupato Maiori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cœterisque Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria; Domus, seu Conuentus, aliaue Regularia loca consistunt, siue ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem aliàs canonicè recepti, annum probationis in Monasterijs, seu Domibus Regularibus ad id designatis, minimè fecerunt, subindèque professionem nihilominùs emiserunt, ad professionem denuò, seruatis aliàs seruandis, emittendam, quæ sic emissa, illis, & eorum cuilibet, tàm in foro interiori, quàm exteriori suffragari debeat, absque nouo probationis anno, ex speciali huius Sanctæ Sedis benignitate, auctoritate Nostrâ Apostolicâ recipiant, & admittant; eosdemq; postquam professionem denuò, vt præfertur, emiserint,

ferint,ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias,atque habilitates, quas, si ab initio validè professi essent,legitimè obtinerent, eâdem auctoritate,restituant,ac restitutos eò ipso esse, & censeri declarent;itaut habeant eundem locum, sessionem, & votum,prout haberent,si priores professiones validæ fuissent; & nondum promoti, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, seruatis aliàs seruandis,promoueri,& tàm ipsi, quàm alii ad eosdem Ordines iam ritè promoti, in susceptis Ordinibus huiusmodi,etiam in Altaris ministerio, ministrare liberè,& licitè valeant; necnon omnes actus, siue contractus,quos contraxerunt, & legitimè contraxissent,vel cum Laicis,vel cum aliis Monasteriis,seu alterius Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium,vel defectum,nisi ex eo solum, quia initi,aut contracti sunt inualidè ab iis, qui contrà dictam Constitutionem in Domibus non designatis, siue ab eâdem Sede non approbatis,professi sunt,auctoritate Nostrâ prædictâ,confirment,& approbent, ac validos omninò declarent; super quibus omnibus, & singulis plenam,& amplam facultatem,dictâ auctoritate,tenore præsentium tribuimus,& impartimur. Decernentes præsentes litteras, & in eis contenta, atque illarum vigore in præmissis facienda, & exequenda quæcunq;valida,firma,& efficacia existere, & fore,suosque plenarios, & integros effectus sortiri,obtinere,ac omnibus,& singulis,quos illa concernunt,& concernent quomodolibet in futurum, in omnibus,& per omnia plenissimè suffragari, eosq; præmissorum occasione,vel prætextu, quomodolibet molestari,perturbari, aut inquietari nullatenùs posse,nec debere; sicque, & non aliter ab omnibus censeri,& ità per quoscunque Iudices ordinarios,& delegatos,etiam S.R.E.causarum Palatij Apostolici Auditores,& S.R.E.Cardinales,etiam de latere Legatos,dictæque Sedis Nuncios,in quâuis causâ, & instantiâ;sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi,& interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari,& definiri debere;irritum quoque, & inane quicquid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac præfatâ Clementis Prædecessoris,aliisque Constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis,necnon quatenùs opus sit, Ordinum, Congregationum, & Institutorum huiusmodi,& quibusuis alijs, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâuis firmitate roboratis,Statutis,& Consuetudinibus, Priuilegijs quoque,Indultis, & Literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs,aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan: alijsque decretis, in genere, vel in specie,ac aliàs in contrarium,etiam Motu, scientiâ,& potestatis plenitudine similibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus,etiamsi de illis specialis,specifica,& expressa,ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio, habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret;illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expresè,harum serie, derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Cœterum similibus in posterum consultum esse volentes, dilectis filijs Ordinũ, Congregationum,& Institutorum huiusmodi Superioribus Generalibus, quocunque nomine censeantur,ac Procuratoribus etiam generalibus, per præsentes districtè præcipimus,& mandamus,quatenùs statim visis præsentibus, loca, Monasteria, vel Conuentus in quibus Nouitii probationis annum agant, & alia quæ dictus Clemens Prædecessor super hâc re obseruari iussit, obseruentur, designari, siue confirmari omninò curent, & faciant. Vt autem præsentium notitia ad omnes faciliùs perueniat, volumus vt illarum exemplis,etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis,eadem prorsus fides in iudicio,& extrà adhibeatur,quæ præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ij. Aprilis. M.DC.XXXXI. Pontificatus Nostri Anno octauo.

## CONSTITVTIO CCCVI.

### SVMMARIVM.

*1633. Martij 22.*

### VRBANVS PAPA VIII.

*Indicit Subsidium ducrum pro Centenario super omnibus fructibus, & pensionibus Ecclesiasticis Vniuersę Italię, etiam super bonis, & Beneficijs Ordinum Mendicantium, ac non Mendicantium, pro subuentione Imperij Romani.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Nupèr Nos, ingentes Orthodoxæ Fidei hostium in inclitam Germaniam irruptiones, & Catholicorum illarum partium oppressiones, ac miserabilem statum, paternâ meditatione considerantes, & nè ipsi Catholici in maiores inciderent ærumnas,anxiè pertimescentes, Charissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Romanorum Regi,in Imperatorem Electo,quâcunque potuimus opportunâ ratione subuenire, statuimus. Verùm,quia Cameræ Nostræ Apostolicæ vires,validè attritæ, ad ea comparanda Subsidia, quæ imminentes postulabant necessitates, nequaquam sufficiebant, ad aliarum etiam Ecclesiarum peculium, Nos conuertere coacti fuimus;& proinde de Venerabilium Fratrum Nostrorum S R. E. Cardinalium consilio,& assensu indiximus,& imposuimus sex integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum,reddituum,prouentuum, obuentionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium Ecclesiarum,etiam Patriarchalium,& Metropolitanarum, ac quorumcunque Beneficiorum ecclesiasticorum tàm sæcularium,quàm cuiusuis Ordinis Regularium,etiam Militiarum,quas omnes per ea obtinentes(nonnullis tamen,vtpote S.R.E. Cardinalibus, Militibus S.Io. Hierosolymitani, ac duodecim Congregationibus quæ cum Camerâ prædictâ,aliàs concordauerant,exceptis) pro vnâ intrà tunc proximum diem Festum Sancti Michaelis Archangeli Mẽsis Septembris, & pro aliâ intrà idem festum anni tunc proximè futuri,ac pro tertiâ,partibus æqualibus, intrà illum ipsum diem festum consequentis anni, Cameræ prædictæ, & illius Depositario generali ad id constituendo voluimus persolui; prout in Nostris

Nostris sub dat. Kal. 14. Febr. Pontificatus Nostri anno nono desuper confectis litteris pleniùs continetur. Verum, quia postmodum calamitates Germaniæ, cum magno animi Nostri dolore admodùm inualuerunt, & res Catholicorum in deteriùs prolapsæ, longè maiora, quam ex dictis sex integris decimis, colligi possint, auxilia postulare cognouimus; aliud magis opportunum remedium adhibere volumus, certò Nobis persuadentes, neminem fore, qui, circumspectis causarum, & temporum qualitatibus, onus sibi in tàm piam causam imponendum, promptè, & lubentèr non subeat. Habitâ itaq; cum eisdem S. R. E. Cardinalibus supèr præmissis maturâ deliberatione; de eorum consilio, & assensu, impositionem sex integrarum decimarum, quoad solutionem tertiæ partis earundem, adhuc non exactæ de cæterò faciendam reuocantes, & annullantes, ac viribus, & effectu carere, ac neminem ex nominatis obligatis in dictis litteris, ad ipsius tertiæ partis non exactæ, solutionem, cogi posse, aut debere, declarantes; Indicimus, & imponimus ad decennium proximum, solutionem annuam duorum prò quolibet centenario omnium, & quorumcumque fructuum, redditaum, prouentuum, iurium, obuentionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum Ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcunque Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conuentuum, ac etiam Mensarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conuentualium, Prioratuum quoque, Præposituararum, Præceptoriarum, Canonicatuum, Præbendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum cæterorumque Beneficiorum ecclesiasticorum etiam Iurispatronatus laicorum, tam ex priuilegio, quàm ex fundatione, & dotatione cum curâ, & sine curâ, sæcularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacen. Cistercien. Premonstraten. S. Basilij, Siluestrinorum, & qui proprietates, redditusque certos ex priuilegio, vel aliàs possident, Mendicantium, ac quorumcunque aliorum Ordinum vtriusque sexus, necnon Congregationum Regularium, & Hospitalium etiam pauperum, hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus vltrà Infirmorum necessitates, & alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercen. possidentium, (non tamē per Cardinales prædictos, quia ipsi pro sustinendâ tantâ dignitate grauissimas impensas, & labores, Reipublicæ Christianæ causâ, continuò subire coguntur, obtentorum, necnon S. Mariæ Theutonicorum, S. Lazari, de Alto passu, Templi Dominici, & aliarum, non tamen Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Militiarum, in Italiâ vniuersâ consistentium, etiam duodecim Congregationum quæ cum Camerâ prædictâ de Subsidio ordinario concordarūt,) & insupèr omnium Collegiorum possidentium bona stabilia fructifera ecclesiastica per viam vnionis, aggregationis, aut alio quouis titulo Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum ecclesiasticorum quouis nomine nuncupatorum. secundum verum, & realem annuum valorem fructuum, redditiuum, prouentuum, & aliorum præmissorum; Nec non etiam indicimus, & imponimus ad idem tempus similem annuam solutionem duorum pro singulo centenario omnium, & quarumcunque Pensionum annuarum super fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emoluentis, ac distributionibus, in fauorem quorumcunque, etiam duodecim Congregationum prædictarum assignatarum, & assignandarum percipiendam, exigendam, & leuandam ab omnibus, & quibuscunque Episcopis, Archiepiscopis, & Primatibus, Patriarchis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cuiuscunque dignitatis, gradus, status, & conditionis personis (prædictis Cardinalibus, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Militibus, duntaxat, exceptis) prædicta quocunque iure & titulo obtinentibus, & obtenturis, nec non Oeconomis, & Administratoribus perpetuis, & temporalibus, vsufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia huiusmodi iura, ex quâcunque causâ sibi Apostolicâ auctoritate, in toto, vel in parte reseruata, habentibus, & habituris Sæcularibus, & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Ioannis prædictorum), nec non ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conuentibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, mensis, massis, & locis, quocunque priuilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiquâ, & immemorabili, pacificâ, & continuâ suffultis, quos omnes ad hoc obligatos, intrà diem festum S. Michaelis Archangeli, cuiuslibet anni dicti decennii, à proximè venturo incipien: Cameræ prædictæ, & illius Depositario generali ad id constituendo, omninò volumus persolui. Eiusdem verò Depositarii munus erit, sedulò curare, vt quicquid pecuniarum ex annuâ solutione huiusmodi colligetur, id, diligentèr, ac fidelitèr asseruetur, de mandato Nostro speciali, in prædictos vsus duntaxat, nec aliàs erogandum. Quicunque verò annuam solutionem huiusmodi, nullo modo, vel non integrè, scientèr, aut non secundum verum annuum valorem fructuū, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, distributionum, & emolumentorum etiam medio iuramento, iuxtà id, quod à quinquennio citrà, si per tantum tempus fuerint possessores, sin minus pro tempore, quò possederint, perceperint, denunciandum, non autem iuxtà taxam hactenùs obseruatam exprimendum, vel concordiam cum Camerâ prędictâ, cum interuentu dilecti filij illius Commissarii ineundam, in præscriptis terminis, non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem, Ecclesiarum Antistites suspendimus à diuinis, Capitula verò, Conuentus, & Collegia quęcunque, ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas, Antistite inferiores, excommunicationis sententiâ innodamus. Cæterum, ad prædictam annuam solutionem consequendā pręcipimus etiā omnibus Conductoribus, Censuariis, & Locatarijs proprietatum, fructuum, & iurium prædictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, vt vtramque annuam solutionem, nomine Dominorum, ac Pensionariorum, ad computum suæ quisq; locationis, omnibus verò possessoribus, vsufructuarijs, & alijs pensiones soluere debentibus, vt ipsi etiā annuam solutionem pensionum huiusmodi, nomine Pensionariorum, Cameræ, & Collectoribus, seu Subcollectoribus deputatis, seu deputandis integrè persoluant. Decernentes annuam solutionem fructuum, reddituum, prouentuum, & aliorum iurium prædictorum, secundum verum, & realem valorem annuum, vt præfertur verificandum, vel saltem iuxtà taxam, de quâ cū Dilectis Filiis Nostro Hippolyto S. Eustachii Diacono Cardinali S. R. E. Camerario, ac Nostro, & Cameræ prædictæ Thesaurario Generali, cum interuentu Commissarii, vt præfertur, concordauerint, & annuæ solutionis huiusmodi Collectores, seu Subcollectores prædictos à quibus libuerit, integrè exigendi optionem, facultatemque habe-

habere,neque vllas immunitates, & exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iuris, concordiæ,conuentionis, compositionis, aut quâcumq; aliâ graui,& onerosâ occasione, quocumque modo concessas,& interim conceden., integram solutionẽ huiusmodi minuere,vel impedire, neq; possessores, vsufructuarios, aut aliàs personas,pensiones huiusmodi soluere debentes, etiamsi ipsi iuri, & actioni petendæ,vel detrahendæ,vel retinendæ portionis, & ratæ partis Pensionarios contingen.iureiurando renunciauerint, atque ex formâ dictæ Cameræ amplissimâ cauerint, modo aliquo obligari, neque ad id,pro dicto tempore,constringi posse; omnes verò confessiones,& quietantias receptionis annuæ solutionis,à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ,tàm Conductoribus, Censuariis, & Locatariis,nomine suorum principalium, quam etiam ipsis,necnon possessoribus,vsufructuariis,& aliis, pensiones soluere debentibus,nomine Pensionariorum faciendas,perindè valere,atque in iudicio, & extrà illud, vbique locorum fidem habere, ac si ipsimet principalibus,& Pensionariis præsentibus,& soluentibus factæ, & exhibitæ fuissent. Conductores autem,qui pretium locationis dominis legitimè anticipauerint,locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus vsq;ad integram satisfactionem,vt priùs, etiam adueniente successore continuare debere,sicq;per quoscunq;Iudices ordinarios, & delegatos, quâuis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostol.Auditores,ac S.R.E. Cardinales,etiam de Latere Legatos, & Nuncios, sublatâ eis,& eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate, vbique iudicari,& definiri debere,ac irritum,& inane, si secùs super his à quoquam,quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Vt autem omnia prædicta,sicut causa vrgens postulat, diligentèr, & fidelitèr exequutioni demandentur, prædictum Hipolytum Cardinalem Camerarium (cuius integritas,atque experientia iam pridem Nobis perspecta est) generalem annuæ solutionis huiusmodi Collectorem in vniuersâ Italiâ,cum omnibus, & quibuscunque priuilegiis,iurisdictionibus,ac iuribus, quæ omnes alij,ante hâc,huiusmodi Collectores habuerunt, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium constituimus,& deputamus,eique plenam, liberam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, annuam solutionem huiusmodi, Cameræ prædictæ nomine,vbique procurandi;prædictos omnes,tàm coniunctim, quàm diuisim, ad illarum integram solutionem, vt prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum,monendi,& requirendi;non parentes,fraudantes,& cæteros contumaces in censuras, & pœnas incidisse, seruatâ formâ Concilij Tridentini declaran:,proprietates,res,fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu regiâ apprehendendi, & vsque ad condignam satisfactionem,retinendi; contradictores,& perturbatores,molestatores,& rebelles quoscunque, eisq;auxilium,consilium, vel fauorem publicè, vel occultè,quouis quæsito colore, præstantes, cuiuscunque dignitatis,gradus, & ordinis fuerint, prædictis,& alijs censuris,& pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis,cæterisque iuris,& facti remediis compellendi,illasque etiam iteratis vicibus aggrauandi, dignitatibus, Beneficijs, & officijs omnibus priuandi,& amouendi,& ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachij sæcularis, quandocunque opus fuerit inuocan.ad sanitatem vero reuersos, qui debitè satisfecerint,ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in formâ Ecclesiæ consuetâ,absoluen.super irregularitate forsan incursâ,dispensandi, & ad pristinum statum omninò restituendi. Præterea Collectores, & Subcollectores fide, & facultatibus idoneos in omnibus Ciuitatibus, Terris, & Prouincijs Italiæ prædictæ, quotquot viderit expediri, cum simili, vel limitatâ, non tamen absoluendi potestate, deputandi,eumq; vel eos,arbitrio suo reuocañ:negligentes, & morosos remoueñ: ac alium, seu alios subrogañ. quotiescunque ei videbitur;in delinquentes, & suspectos per se,vel alium,seu alios,etiam simplicitèr, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ iudicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi; modos,& formas in prædictis seruandos præscribendi; dubia quæcunque in præmissis fortè oritura, declarandi; ac prorsus omnia,& quæcunque circà ea necessaria,& opportuna facieñ.statueñ.,& exequeñ., etiam si talia forent,quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Non obstañ. piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII.etiam prædecessoris Nostri de vnâ,& in Concilio generali edita, de duabus dietis, ac aliis Apostolicis constitutionibus, necnon Ecclesiarum,Monasteriorum,Ordinũ,Congregationum,Hospitaliũ,Militiarum,& locorũ prędictorum iuramento,confirmatione Apostolicâ,vel quâuis firmitate aliâ roboratis,statutis,& consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, priuilegijs quoque indultis, & litteris, Apostolicis, etiam cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs,& alijs quibusuis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis,& innouatis; quòdque Prælatis, & personis prædictis eorumque Ecclesijs, & locis, vel quibusuis locis alijs, communiter, aut diuisim à prædictâ sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, nec non personis,earumque nominibus,cognominibus,Ecclesijs,Monasteriis, Ordinibus,& locis huiusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere, & in specie, quomodocunque concessis, confirmatis, & innouatis, etiam solutionem annuam huiusmodi, alitèr,quàm secundum antiquam taxam, vel conuentionem factam, & nisi in vniuersali solutionum per orbem impositione, fieri prohibentibus; nec non promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, & renuntiationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis; quibus, per impositionem annuæ solutionis huiusmodi neminem teneri,neque eas,quoad præmissa, contrà quemcunque, locum non habere, similitèr declaramus; aliisque indultis, & litteris Apostolicis generalibus, & specialibus, cuiuscunque tenoris existant, per quæ, præsentibus non expressa, aut omninò non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet,vel differri,& de quibus,quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris mentio specialis; quæ omnia, contrà præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari, necnon aliis impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum,si quę sint, factis; cæterisque contrariis quibuscunque cæterùm,in exigendâ annuâ solutione huiusmodi, Constitutionem rec. me. Clementis Papæ V. similitèr prædecessoris Nostri in Concilio Vienneñ. editam, quòd Decimæ ad monetam currentem communitèr leuari, nec calices, libri, cæteraque ornamenta diuino cultui dicata, ex causâ pignoris capi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, vbique

vbique volumus obseruari; quin etiam præcipimus, nè quisquam, etiam plura, quanticunque valoris Beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litterâ, & sigillo quietantiæ vniuersalis, si illam habere voluerit, vltrà vnum carolenum conficien: quatrenos triginta-septem monetæ Romanæ, soluere teneatur, nec ad aliud onus, etiam prætextu cambii, vspiam compellatur. Quia verò difficile nimis esset, præsentes litteras, quocunque illas opus erit, perferre; volumus quoque, vt illarum exemplis, etiam impressis, & manu Notarii publici, ac Hippolyti Cardinalis, & Camerarii prædicti, aut alterius Collectoris, seu Prælati ecclesiastici, eiusue Curiæ sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà illud, vbiquè locorum, adhibeatur, quæ illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ reuocationis, annullationis, indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declationum, præceptorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1633. xj. Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno XI.

Ego Vrbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

*Signum Vrbani Papæ VIII.*

IN DOMINO SPERANS, NON INFIRMABOR.

Ego Dominicus Episc. Ostien: & Veliternen: Card. Gymnasius. Ego C. Episc. Portuen: Card. Pius. Ego M. Episc. Tusculan: Card. Lantes. G. Episc. Albanen: Card. Borgia. Ego R. tit. S. Praxedis Presbyter Card. Vbaldinus. Ego Tib. tit. S. Priscæ Presb. Card. Mutus. Ego I. tit. S. Sabinæ Presb. Card. Sabellus. Ego Guido tit. S. M. de Populo S. R. E. Presb. Card. Bentiuolus. Ego Fr. Desiderius tit. S. Caroli S. R. E. Presb. Card. de Cremonâ. Ego Ang. tit. S. Bartholomæi in Insulâ Presb. Card. Spinula. Ego Cos. tit. S. Pancratij S. R. E. Card. de Torres. Ego A. tit. S. Martini S. R. E. Presb. Card. de la Cueuâ. Ego Fr. Antonius tit. S. Honufrij S. R. E. Presb. Card. Barberinus. Ego B. Card. Spada tit. S. Stephani in Monte Cœlio. Ego Laudiuius tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. S. Sixti nuncupatus. Ego Berlingerius tit. S. Augustini Card. Gypsius. Ego I. B. tit. S. Eusebij Presb Card. Pamphilius. Ego F. tit. S. Mariæ de Pace Presb. Card. Verospius. Ego Gregorius tit. SS. Quirici & Iulittæ Presb. Card. Narus. Ego Franciscus Maria tit. Basil. SS. Apostol. Presb. Card. Brancaccius. Ego Vldericus tit. S. Anastasiæ Presb. Card. Carpineus. Ego Stephanus tit. S. Laurentij in Pane & Pernâ Presb. Card. Duratius. Ego Augustinus Cardin. Oreglus tit. S. Sixti Presb. Ego Hip. S. Eustachij Diac. Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius. Ego Franciscus S. Laurentij in Damaso Diac. Card. Barberinus S. R. E. V. Cancellarius. Ego P. M. Diac. Card. Burghesius. Ego L. S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Biscia. Ego M. S. Angeli in foro Piscium Dia. Card. Ginettus S. D. N. PP. Vic. Ego A. SS. Cosmæ, & Damiani Diac. Card. Cæsarinus. Ego S. Agathæ Diac. Card. Antonius Barberinus. Ego Benedictus SS. Viti, & Modesti Diac. Card. Vbaldus. Visa de Curiâ A. Hurandus. Ioannes Sauenier. G. Montanus. Registrata in Secretaria Breuium.

## CONSTITVTIO CCCVII.

*SVMMARIVM.*

*Decreta EE. & RR. DD. Cardd. Sacrarum Congregationum Concilij Tridentini, & Rituum Pro accessu ad Processiones ad fauorem Congregationis Casinensis, & aliorum Regularium.*

*Ex Arch. Abb. Flor. Arm. III. lib. 33. fol. 537.*

Illustrissimi, & Reuerendissimi Signori. La Congregatione Casinen: si ritroua in possesso tanto auanti, quanto doppo il Concilio Tridentino, in alcuni luoghi di non interuenire nelle Processioni, & in altri atti publici, solamente à quella del Santissimo Sacramento, e questa antichissima consuetudine è conforme al Priuilegio, ch' Eugenio IV. di fel. mem. L'anno 1437. concede alla detta Congregatione di non esser tenuta alle Rogationi, Processioni, Letanie, & altri atti simili publici, ò priuati; confirmato da molti Sommi Pontefici, & in particolare da Sisto Quarto, nell' anno 1474. da Clemente Settimo, nell' anno 1531. Paolo Quarto, 1555. è d'altri fin' à questi tempi nostri, tutti concessi con titolo oneroso di pagare l'oncia d'oro, che ogn' anno si fà il giorno di S. Pietro, & d'accollarsi i Monti Nouennali, come nelli Breui di Clemente Ottauo, e Paolo Quinto.

Et in conformità della medesima consuetudine più volte è stato risoluto, & in particolare nella Sacra Congregatione de Riti, Vescoui, & Regolari, & Sacro Concilio à fauor de Monaci Casinensi in Piacenza, & de Monaci della Caua, della medesima Congregatione, come anche per quelli di S. Colombano di Bobio, e confermati à fauore della Congregatione Lateranense del 1616. come dall' annessi Decreti; ilche era prima dalla medesima Congregatione del Concilio stato auuertito, parlando indiffinitamente col Decreto fatto sotto li 22. di Gennaro 1598. cumulando insieme, che li Monaci sono tenuti à quelle Processioni, che sono publiche, e consuete; anzi ancorche alle volte fossero interuenuti à qualche Processione non publica, e consueta, che non perciò resti pregiudicato alli Priuilegij, & antichissima loro consuetudine, lo dispone, il sudetto Eugenio Quarto, Et tandem, confirmato come sopra da altri Sommi Pontefici.

Oltre li priuilegi sudetti, la sola consuetudine induce, la presuntione, che ve ne siano altri particolari, stante il corso di tant' anni, quando la Constitutione della S. Mem. di Pio V. nella Bolla, che comincia. Et si Mendicantium, li cui priuilegij sono communicati alli Casinensi vers. seu. §. Postremo quod, apertamente non dechiarasse, ch'il cap. 13. sess. 25. de Reg. hà luogo per quelle Processioni alle quali secondo la consuetudine antica delli luoghi sono soliti andare, ò che si fanno per il bene vniuersale della Chiesa ò Vittoria contro li Infedeli. Et in questi termini parlano è si deuono intendere i Dottori, che riferiscono i Monaci esser tenuti d'andare alle Processioni publiche, è consuete, conforme è dalle Sacre Congregationi, e dalla Santa mem. di Pio Quinto, si è dichiarato, e di tãto si supplicano le Signorie Vostre Illustrissime, quando, come s'intende, si

de, si debba fare dechiaratione alcuna sopra le Prouisioni.

Nè la Bolla della fel. me. di Gregorio XIII. sotto li 13. di Marzo, del 1573. In tanta rerum, & negotiorum mole, puol contro la Congregatione nostra, imperciòche stante la consuetudine antichissima, alla quale il Concilio non deroga, e stante che nella Bolla si preserua lo stato, nel quale si trouaua prima, che quella di Pio si publicasse, restano in piedi li Priuilegij, & le consuetudini, che la Congregatione, & i Dottori in questo proposito ammettono.

Pro Congreg. Casinen: & Monachis S.Sixti Placentiæ.

Sacra Congregatio Rituum censuit non esse cogendos dictos Monachos ab Episcopo, vt præter eorum solitum, & consuetudinem accedant ad Processiones maiores, & minores Rogationum, sed satis esse, si ad Processionem Sanctissimi Sacramenti accedant iuxtà eorum solitam, & antiquam consuetudinem, quam consuetudinem, tam dictis Monachis Placentiæ commorantibus, quam alijs eiusdem Congregationis Casinensis vbique seruandú esse Sacra Congregatio Rituum declarauit die 10 Iunij 1602.

Episcopus Ferrariensi s petijt à Sacra Rituum Congregatione declarari, An ipse possit cogere Canonicos Regulares Lateranen: Sancti Saluatoris, Oliuetanos, & Casinenses, vt accedant ad publicas Processiones, iuxtà formam literarum Sacræ Congregationis Episcoporum sub die 2. Maij 1600. Eadem Sacra Rituum Congregatio Cẽsuit Regulares omnes posse compelli, Iuxta declarationem Congregationis S. Concilij Trid., cuius quidem S. Concilij declaratio talis est.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sæpius declarauit Publicas Processiones, ad quas exempti ab Episcopis vocati accedere tenentur. Ex decreto cap. 13. sess. 25. eiusdem Concilii Eas esse intelligen: quæ indictæ fuerint pro bono publico, vel publico honore.

Quam Congregationis Sacri Concilii declarationem, eadem Sacra Rituum Congregatio Ferrariæ, & vbique seruandam esse censuit, & declarauit die 27. Iulii 1609.

Procurator Canonicorum Lateranensiũ Sacræ Rituum Congregationi exposuit Nonnullos Episcopos cogere velle, tam ipsos Canonicos Regulares, quam etiã Monachos Casinen: & Oliuetanos, vt præter eorum consuetudinem accedant ad Processiones Rogationum, & ad alias Processiones, ad quas iuxtà eorum priuilegia & resolutiones factas in Cõgregationibus Sacri Conc., & Sacrorũ Rituum, neque dicti Canonici Lateranen: neque Monachi prædicti accedere tenentur. Et Sacra Rituum Congregatio respondit Decreta, & resolutiones supradictas, aliàs in supradictis Congregationibus factas seruandas esse, & ita seruari mandauit Die 30. Iulij 1616.

Congregatio Concilij censuit Regulares quantumuis exemptos teneri accedere ad omnes, & quascumq; Processiones publicas & consuetas, vel indictas pro bono, vel honore publico 22. Ianuarij 1598.

Illustre e Molto Reuerendissimo Signor come fratello S'e dato parte à questi miei Signori Illustrissimi della Sacra Congregatione di quanto V.S. mi scriue con la sua sopra le cose occorseli con li Padri di S. Giorgio Oliuetani, così circa la celebratione della Festa nel giorno di S. Maurelio, come intorno alle Processioni triduane, alle quali ella pretende, che deuino andare; & essendo trattato sopra dell' vno, e l'altro particolare. Le Signorie loro Illustrissime hãno risoluto che non possa lei, ne cantar Messa nella Chiesa de Regolari contro lor voglia, ne astringali alle Processioni sudette, giache non sono di quelle Generali, alle quali deuono interuenire ancora li Monaci. Contentisi per tanto di conformarsi con questa resolutione, & il Signor. Dio la preserui. Di Roma li 6. Luglio 1593.

Sal. Tarus S. D. N. Ex eadem Congregatione Secretarius &c.

## CONSTITVTIO CCCVIII.

### SVMMARIVM.

*1634. Apr. 1.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Congregationis Rituum, Quo approbatur Officium S. P. N. Benedicti quãlibet Feriã tertiã non impeditã, recitandum à Congregatione Casinensi.*

*Ex impresso.*

CONGREGATIO Casinensis, asserens ab immemorabili tempore recitasse semper Officium Sancti Benedicti quãlibet Feriã tertiã, non impeditã Officio nouem lectionum, & vti filiam obedientiæ intermisisse statim atque emanauit decretum contrà abusus, editum de anno 1628. Supplicauit pro licentiã continuandi: Et Sacra Rituum Congregatio concessit, exceptis Vigilijs, Quadragesimã, & Aduentu. Die primã Aprilis 1634. C. Episcopus Portuen. Cardinalis Pius. Iulius Rospigliosius Secretarius.

## CONSTITVTIO CCCIX.

### SVMMARIVM.

*1634. Sept. 17.*

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sacræ Rituum Congregationis Pro exemptione Canonicorum Regularium Lateranensium, Monachorum Casinensium, & Oliuetanorum ab accessu ad Processiones Emanatum die 30. Iulij anno 1616. & denuò renouatum die 17. Septembris 1634.*

*Ex impresso.*

PROCVRATOR Canonicorum Regularium Lateranensium Sacræ Rituum Congreg. exposuit, Nonnullos Episcopos cogere velle, tàm ipsos Can. Reg. Later. quàm etiam Monachos Casinenses, & Oliuetanos, præter eorum consuetudinem accedant ad Processiones Rogationum, & ad alias Processiones, ad quas iuxtà eorum priuilegia, & declarationes factas in Congregationibus Sacri Concilij, Regularium, & Rituum, neque dicti Canonici Lateranen: neq; Monachi prædicti accedere tenentur. Et Sacra Rituum Congregatio censuit, & declarauit, Decreta, & resolutiones supradictas, aliàs in supradictis Congregationibus factas, seruandas esse, prout seruari mandauit. Datum die 17. Septembris 1634. C. Episcopus Portuensis Card. Pius. Iulius Rospiliosius Secret.

CON-

## CONSTITVTIO CCCX.

### SVMMARIVM.

1635. Iunij 12.

*Decretum contra Monachos Casinenses in Nouitiatu degentes, incorrigibiles.*

*Ex impresso.*

EMINENTISSIMO, & Reuerendissimo Domino D. Francisco Card. Barberino Congregationis Casinensis Protectori. Eminentissime, & Reuerendissime Domine, Cum in proximè præteritis Congregationis Casinen: Comitijs generalibus, Perusij celebratis, emanauerit decretum tenoris sequentis, videlicet. Pro bono regimine Nouitiatus. Obsequentes præceptis ab Eminentissimo Domino Protectore, aliàs ad Nostrum Capitulum Generale pro Nouitiorum educatione ad præscriptum Nostrarum Constitutionum trasmissis, edoctique experimento, vix esse, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Illud districtè præcipimus, & mandamus, vt in singulis quibusque Monasterijs, vbi sunt Nouitiatus, nullus deinceps à Magistri Nouitiorum curâ extrahatur, quam per quinquennium sub eadem curâ in Nouitiatu permanserit. Quod si contigerit (quod Deus auertat) vt ex alicuius præuaricatione, cœteri scandalum sumant, nè vna ouis morbida totum corrumpat ouile, statuimus, vt si post adhibitas pœnitentias, Prælato, alijsque Superioribus (Magistro Nouitiorum deferente) cognitum fuerit de præfati iuuenis incorrigibilitate; ex Nouitiatu, etiam nondum elapso quinquennio, extrahi possit. Ne verò commodum ex ipsâ malitiâ reportetur, talibus, sic extractum, subiicimus pœnitentiis, vt per totum reliquum quinquennij tempus sit ei Monasterium pro carcere, silentium obseruet cum sæcularibus, ac Monachis, Patre spirituali excepto, aliisque pro quibus Prælatus indulserit, post omnes professos degradatus degat, & demùm bis in hebdomadâ in pane, & aquâ, cum zonâ ad collum comedat in Refectorio. R. verò Pater Procurator Generalis in Curiâ ab Eminent. Domino Protectore huius decreti impetret confirmationem, de quâ, cum obtenta fuerit, certiorem faciat Reuerendissimum Præsidem, vt valeat omnibus Prælatis præfatum decretum notificare. Datum Perusij die 7. mensis Maii 1635. D. Cornelius à Venetiis Scriba Capituli. Procurator Generalis eiusdem Congregationis D.V. Emin. humilitèr precatur, vt pro huius decreti validitate, ac obseruantia auctoritatem suam, illud confirmando impertiri dignetur. D. Gregorius à Perusio Procurator Generalis Casinen.

Habito verbo cum S D.N. super decreto prædicto, auctoritate Nobis à Sanctitate suâ specialitèr concessa, illud approbamus, confirmamus, & inuiolabilitèr obseruari mandamus. Die 2. Iunii 1635. F. Cardinalis Barberinus Protector. I. Nicol. Tighettus Secretarius.

## CONSTITVTIO CCCXI.

### SVMMARIVM.

1636. Ian. 5.

## VRBANVS PAPA VIII.

*Non licere Nouitios, qui in locis à Sede Apostolicâ non designatis probationis annum peregerunt, vltrà quinquennium suæ professionis inualiditatem probare, suaque iura ad hoc probandum, non coram alio Iudice, quam coram Sac. Cong. Concilij Tridentini producere debere, declarat.*

*Ex impresso.*

SANCTISSIMVS Dominus Noster Vrbanus, Diuinâ prouidentiâ, Papa VIII. ad occurrendum motibus qui possent in Religionibus oriri occasione receptionis Nouitiorum, & professionis per eos emissæ in Conuentibus non designatis, contrà formam decretorum Sanctæ Memoriæ Clementis VIII. de Nouitijs ad habitum Regularem, & Professionem non admittendis, nisi in Conuentibus designatis; auditâ super hoc sententiâ S. Congregationis Concilii; declarauit, ac decreuit, huiusmodi sic receptos, & Professos contrà formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & Professionis; non posse super huiusmodi nullitate, post lapsum quinquennii, quoquòmodo audiri.

Quod si aliqui contrà formam præfatorum decretorũ recepti, & professi, è Religione, intrà quinquennium exire, vel Superiores extrà eam respectiuè illos eiicere voluerint, eadem Sanctitas sua decreuit, vt tàm ipsi Professi, quàm Superiores respectiuè, teneantur iura, quæ sibi fauere visa fuerint, priùs deducere coram eadem Congregatione, quæ ex speciali etiam Sanctitatis suæ facultate, super hoc concessâ, prouidebit. Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, & quibuscunque Ordinariis, & Delegatis, etiam causarum Apostolici Palatij Auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nuntijs, Nè in posterum, in hoc, quoquomodo se ingerant, absque speciali eiusdem Sanctitatis suæ commissione, sub pœnâ, ipso facto, incurrendâ, quo ad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, ac Primates, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, quo ad Abbates, & Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos, excommunicationis latæ sententiæ, quo verò ad Nuntios, & ad S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, indignationis suæ Sanctitatis, ac pœnarum arbitrio eiusdem imponendarum. Si verò ijdem, vt suprà recepti, ac Professi, iuribus suis minimè deductis coram S. Cõgr. Cõcilij, & sine illius expressâ licentiâ è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eiicere ausi fuerint, ipsi recepti, ac Professi tamquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur; necnon contrà eosdem, iuxtà formam decretorum de Regularibus Apostatis, & eiectis eiusdem Sanctitatis suæ, iussu ab eâdem Sacrâ Congregatione Concilii sub die 21. Septembris 1634. editi, procedatur; & Superiores, qui eiecerint, pœnâ suspensionis à Diuinis, necnon priuationis omnium officiorum, quæ obtinebant, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterũ obtinenda, vocisq; actiuæ, & passiuæ priuationem ipso facto, absq; aliâ declaratione incurrant. Datum Romæ die 5. Ianuarij 1636. F. Card. Verospius. Franciscus Paulutius S.C.C. Secretarius.

CONSTITVTIO CCCXII.

SVMMARIVM.

1637. Iunij 19.

VRBANVS PAPA VIII.

*Facultatem Alienandi vsque ad Summam Ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, necnon reducendi annuos Census ad minus interusurium, concedit Congregationi Casinensi.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Exponi Nobis nupèr fecit dilectus filius modernus Procurator generalis Monachorum Congregationis Casinen: Ordinis S. Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusque Regiminis nomine, quod ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atque incommoda per eandem Congregationem, accepta, ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis eiusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte, eiusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt, necnon graues solutiones, quæ pro summâ quadraginta trium circitèr millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diuersorum Subsidiorum Sedis Apostolicæ; Monasteria dictæ Congregationis ob defectum suorum redditüum, ad præsens, sunt adeò oppressa, vt illorum nonnulla, iàm ruinis euersa, & se subleuare impotentia reddita sint, alijs verò eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subuentionis auxilio, per Nos, prouideatur, prout aliàs per Romanos Pontifices prædecessores Nostros Monasterijs huiusmodi fuit in similibus occasionibus prouisum, & præsertim per Pium V. qui similes, & forsan minus vrgentes ob causas, per quasdam suas, sub die XIX. Martij MDLXX. duodecim Cõgregationibus Regularium tunc expressis, bona stabilia pro summâ quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum & triginta tria millia dictæ Congregationi Casinen: pro suâ ratâ obtigerũt, & postmodùm, quia summa huiusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die V. Octobris MDLXXI. in simili formâ Breuis respectiuè expeditas litteras, eidem Congregationis Casinen: bona stabilia pro aliâ summâ quinquaginta millium scutorum aureorum, vendendi facultatem, respectiuè, concessit; eoque modo damnis, & periculis Monasterijs dictæ Congregationis, tunc temporis, imminentibus, opportunè occursum fuisse, eademq; Monasteria notabilem exinde subuentionem percepisse, experientiâ compertum est. Nobis propterea dictus Procurator, quo suprà nomine, humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, & aliàs vt infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati, quantùm cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pij V. prędecessoris litterarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & alijs maioribus necessitatibus ad præsens grauata reperiuntur, vt, cum approbatione tamen dilecti Filij Nostri Francisci Sancti Laurentij in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarij, Nostri, secundum carnem ex fratre germano, Nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentiâ Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictę Congregationis bona stabilia, quę pro liberandâ ab ære alieno Congregatione prædictâ, restaurationibusque necessarijs, & vtilibus in eius bonis faciendis magis opportuna fuerint iudicata, vsque ad summam, in totum, ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusuis personis meliorem conditionem offerentibus, seruatisque modis, & formis in prædictis Pij V. prędecessoris Nostri litteris contentis, & iuxtà illarum tenores, & continentias, vendere, distrahere, atque alienare, siue in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus, de licentiâ Sedis Apostolicę impositos, cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno, siue minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori instrumento appositis, redimere, ità tamen, vt pręsentes, aliis eiusdem Congregationis Monasteriis minimè suffragentur, quàm ijs dumtaxat, quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integrè concurrerunt, & concurrunt, liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ Secundi etiàm prædecessoris Nostri, de rebus Ecclesiæ non alienandis, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius V. prædecessor Noster in prædictis suis litteris voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 19 Iunii 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto. M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO CCCXIII.

SVMMARIVM.

1637. Iulij 8.

VRBANVS PAPA VIII.

1 *Decanos in Dietà creari prohibet.*
2 *Definitorum vacationem irritat, eorumque durationem ad libitum Congregationis concedit.*
3 *Abbatum mutationem, suspensionem, vel depositionem in Dietà fieri posse concedit.*
4 *Executionem præsentis Constitutionis Cardinali Prote-*

*Protectori pro tempore eiusdem Congregationis demandat.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta in omnibus Romani Pontificis prouidentia, ea, quæ rationabilibus de causis pro bono regimine Regularium statuerat, si successu temporis incommodum afferre noscuntur, alijs non minùs iustis de causis tollit, & reuocat, prout in Domino conspicit salubritèr expedire. Aliàs siquidem, supplicationibus Dilectorum filiorum Abbatum Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Iustinæ de Paduâ Nobis supèr hoc humilitèr porrectis, inclinati, statuimus, & decreuimus, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus Definitorium eiusdem Congregationis non sit, nec esse possit perpetuum, sed quoad omnes Definitores vacabile, ita quod ipsorum Definitorum officium sit annuale, & vigore cuiuscumque confirmationis vltrà biennium non duret, quodque etiam in Dietâ dictæ Congregationis, nullus Abbas deponi, aut in pœnâ absq; cognitione causæ mutari possit, prout in Nostris in simili formâ Breuis die 4. Maij 1628. expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem sicut ex fide dignâ dictæ Congregationis relatione accepimus, experientiâ rerum magistrâ compertum sit, reductionem officij Definitoriatus huiusmodi ad bienium, per prædictas Nostras litteras factam, in dictæ Congregationis detrimentum, & pertubationem cedere, eâ præsertim de causâ, quod peritiores, vt plurimùm, & in Congregationis negotijs versari necessario prætereantur, & auctoritas Magistratus illius minuatur, delinquendique licentia crescat, & minùs, quam par est, in spiritualibus, & temporalibus necessarijs, intendi possit. Propterea Nos, eiusdem Congregationis indemnitati, & felici directioni, quantum cum Domino possumus consulere volentes.
1 Motu proprio, & ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione Nostrâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, literas Nostras prædictas, quoad præmissa dumtaxat, illis quoad alia in eis contenta, scilicet, quod Decani in Dietâ dictę Congregationis quæ infrà annum per Præsidentem, & Visitatores, suis præscriptis temporibus celebratur, sub quocumq; prætextu creari, nullatenùs possint, in suo robore permanentibus, tenore præsentium reuocamus, cassamus, & annullamus.
2 Statuentes, atque decernentes, quod de cœtero, perpetuis futuris temporibus, iuxtà primæuam Congregationis huiusmodi Institutionem, & facultatem, â fel. mem. Eugenio Papâ IV Prædecessore Nostro, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum 9. Kalend. Decembris Anno Pontificatus sui 2. concessam, & à recolendæ memoriæ Adriano Papâ VI. per alias in formâ Breuis, sub Datum Romæ apud S. Petrum die 16. Aprilis, Pontificatus sui Anno primo, & similiter à Sixto Papâ V., sub Datum Romæ apud S. Petrum die 17. Februarij, Pontificatus sui Anno tertio, & denique à Paulo V. etiam prædecessoribus Nostris, sub Datum Romæ apud S. Petrum, die 14. Septembris, Pontificatus sui Anno 16. confectas literas, approbatam, & innouatam, libera sit vnicuique Prælatorum facultas dictæ Congregationis quos idoneos iudicauerit (super quo conscientiam cuiuslibet ipsorum oneramus) ex Prælatis habentibus vocem in Capitulo, ad officium Definitoriatus eligendi, nullâ habitâ ratione, quod in vno, alteroue Capitulis generalibus præcedentibus successiuè fuerint Definitores, ac quod bienium non vacauerint.
3 Nec non quod in dictæ Congregationis Dietâ, vt suprà, infrà annum celebrandâ Abbates Monasteriorum eiusdem Congregationis mutari, suspendi, & deponi eo modo, quò antequam literæ Nostræ prædictæ emanarent, imposterum liberè, & licitè possint.
4 Quocircà DilectoFilio Nostro Francisco Sancti Laurentij in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S.R.E. Vicecancellario, Nostro secundum carnem, ex fratre germano, Nepoti, modemo, & pro tempore existenti, dictæ Congregationis Casinensis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, per præsentes mandamus, vt præsentes Nostras has literas, in proximis Dietâ, & futuro Capitulo Generali solemnitèr publicari, & omnia in eis contenta per eos, ad quos spectat, & in futurum spectabit, auctoritate Nostrâ firmitèr obseruari curet, & faciat; contradictores quoscumque, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo. Non obstante ijsdem Nostris literis, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibèt concessis, confirmatis, & innouatis, ac præsertim literis felicis recordationis Leonis Papæ X. Gregorij XIII., & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, sub quâcumque verborum formâ, & expressione, super dictâ Definitorum electione, dictæque Congregationis directione, aut aliàs super præmissis, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta essent, pro sufficientèr expressis habentes, quoad præmissa dumtaxat, illis quoad alia in eis contentâ in suo robore permansuris, harum serie, specialitèr, & expresè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris. Die 8. Iulij 1637. Pontificatus Nostri Anno XIV. M.A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXIV.

### SVMMARIVM.

*1637. Augusti 29.*

*Decretum Sacrę Congregationis Apostolicę Visitationis contrà Regulares, quęstuosas Artes in Vrbe, eiusque districtu exercentes.*

*Peyrin. Priuil. Regul. fol. 567.*

CVM non deceat eos, qui Diuino ministerio adscripti sunt, in sæcularibus negotijs nimiùm esse implicatos, quæstuosas artes exercendo; Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis, ad tollendos varios abusus, qui in diuersis Vrbis, eiusque districtus Monasterijs, irrepserunt, dum ijdem Religiosi per se, vel â Communitatibus, aut alijs sæcularibus requi-

requisiti, diuersas mechanicas, seu venales artes exercere student, quod omnino ab ecclesiasticâ disciplinâ alienum esse debet, cum præsertim in graue hoc artium, & pauperum artificum, eorumque familiarum in Vrbe, eiusque districtu præiudicium cedat. Statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit omnibus tàm superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in Vrbe, eiusque districtu existentium, quàm particularibus Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscumque, nè in posterum, siuè Religionis nomine, siuè particulari, audeant, & præsumant per se, vel alios exercere in suis Conuentibus, aut alibi in quocumque loco vllam venalem artem, siue Aromatariam, Pistoriam, Lanificium, Textrinum, aut aliam quamlibet, præterquam pro suis Religiosorum, aut Alumnorum vsibus; nec vllo modo sæcularibus, aut alijs Religiosis, & Ecclesiasticis pharmaca, panem, carnes, aut alia quęlibet opificia quomodocumque elaborata, & ornata vendere, etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, absque speciali licentiâ in scriptis, obtinendâ, etiam ab ijs Religiosis, quibus ex particularis suæ Religionis instituto id aliàs liceret. Si quis vero ipsorum aliquid contrà hoc decretum quoquomodo facere, vel moliri pręsumpserit, ipso facto pœnam suspensionis à Diuinis, priuationis omnium officiorum, quę tunc obtinebit, ac perpetuę inhabilitatis ad alia, de cœtero, obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuæ, absque aliâ declaratione incurrat. Et nihilominùs contrà eos Generalis Thesaurarius procedat, tamquam contrà illicitos negotiatores, confiscando omnia lucra, & capitale ad dictas artes, & opificia spectantia. Non obstantibus, quoad suprascripta omnia, & singula in prędenti decreto contenta, Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, siuè Congregationis Casinensis, Fratrum Prędicatorum, Societatis Iesu, Minimorum, aut aliorum quorumcumque tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, ac in indiuiduò exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regularium locorum; necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis suæ auctoritate, specialitèr, & expresè derogat, cęterisque contrariis quibuscumque. Et nè præmissorum ignorantia à quoquam prętendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt præsentes ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Florę, vt moris est, affixę, omnes, ad quos pertinent, ità arctent, & afficiant, ac si vnicuique personalitèr intimatæ fuissent. Vtque earumdem prędentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutę munitis, eadem prorsus fides, adhibeatur, quę pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitę vel ostensę. Dat. Romę die 29. Augusti 1637. I. B. Episc. Cam. Vicesg. & Secret. Odoardus Tibaldescus eiusdem Visitationis Apostolicę Not.

## CONSTITVTIO CCCXV.

### *SVMMARIVM.*

*1638. Feb. 11.*

*Decretum Sacræ Congregationis Inquisitionis contrà hæreticam prauitatem, Prorogationis temporis legendi Constitutionem Vrbani VIII. pro Decretis S. Inquisitionis, per totum mensem Augusti ad fauorem omnium Regularium.*

*Peyrin. Priuil. Reg. fol. 568.*

IN generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis in Palatio Apostolico apud S. Petrum coram Sanctissimo D. N. D. Vrbano, Diuinâ prouidentiâ, Papâ VIII. ac EE. & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Christianâ contrà hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apostolicâ specialitèr deputatis. Lecto memoriali Procuratoris generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, petentis extensionem diei præfixi in Constitutione Sanctissimi, emanatâ anno 1633., circà publicationem faciendam Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum ad S. Officium spectantium. Sanctissimus, tempus in dictâ Constitutione determinatum pro Feriâ sextâ post Festum Assumptionis Sanctissimæ Virginis, extendit per totum residuum Mensis Augusti. Quam gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit. Io: Anton. Thomasius S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

## CONSTITVTIO CCCXVI.

### *SVMMARIVM.*

*1638. Maij 11.*

### VRBANVS PAPA VIII.

*Gregorij Papæ XIII. Constitutionem editam anno 1574. die 17. Aprilis contrà Monachos Congregationis Casinensis procurantes Prælatorum, Cardinalium, aliarumque personarum Ecclesiasticarum, extrà gremium dictæ Congregationis, vel secularium, ac Principum fauores ad dignitates, Officia, & Administrationes spirituales, vel temporales captandas; ac contrà Superiores, talium fauorum causà, eosdem promouentes, confirmat, & ampliat. Constitutionem predictam singulo anno in Capitulo generali legendam fore, statuit.*

*Ex Priuil. Cong. Casin.*

VRBANVS Papa VIII Ad perpetuam rei memoriam. Aliàs à felicis recordationis Gregorio XIII. Prædecessore Nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Gregorius Papa XIII., ad perpetuam rei memoriam. Nihil in vnaque Religiosâ familiâ &c. *Habes suprà Constitut. 205.* Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis

ralis dictæ Congregationis Nobis nupèr exponi fecit, ipse præinsertas litteras per Nos confirmari, necnon præceptum, quod in virtute Sanctę Obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ in huiusmodi litteris, fit Prælatis, qui pro tempore regimini Dictæ Congregationis deputati erunt, nè Monachos ad Prælaturas, Dignitates, Gradus, Administrationes, & alia ipsius Cōgregationis Officia, præcibus, litteris, vel fauoribus, Principum, vel Prælatorum extrà gremium dictæ Congregationis existentium, adducti, promouere præsumant, Ad alios quosque, & singulos Abbates, & Superiores quorumcumque dictæ Cōgregationis Monasteriorum, qui prædictos Monachos, ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & cuiuscumque generis Officia, tam spiritualia, quam temporalia ab eisdem Monasterijs dependentia, præcibus, & fauoribus huiusmodi deputabunt, extendi; eosdemque Monachos ad similes fauores recurrentes, eâdem pœnâ ligari summoperè desideret. Nos prospero, felicique dictæ Congregationis gubernio, & regimini petampliùs consultum esse cupientes, ipsumque Procuratorem Generalem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis â iure, vel ab homine quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinari, pręinsertas litteras dicti Gregorij prędecessoris cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenùs opus sit innouamus. Necnon omnibus, & singulis quorumcumque Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus, & Superioribus quomodolibet nuncupatis, nunc & pro tempore existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ præcipimus, & mandamus, nè ad instantiam, preces, & requisitionem quarumcumque personarum, tam Laycarum, quàm Ecclesiasticarum, extrà gremium dictæ Congregationis consistentium, etiam Cardinalatus honore, & quâcumque sæculari dignitate, & excellentiâ, etiam Ducali, Regali, Imperiali, fulgentium, quosuis dictæ Congregationis Monachos ad cuiusuis generis Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & Officia quæcumque, tàm spiritualia, quàm temporalia singulorum Monasteriorum deputare præsumant. Eosdemque dictæ Congregationis Monachos, cuiuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & litteraturæ existant, & quâcumque dignitate præfulgeant, qui tam ad Prælaturas, dignitates, gradus, & alia Officia à Prælatis pro tempore regimini dictæ Congregationis deputatis assequenda, quàm etiam ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & alia Officia quęcumq; tàm spiritualia, quàm temporalia, à Prælatis, & Superioribus singulorum Monasteriorum impetranda, ad prædictarum personarum Principum, & Prælatorum, de gremio dictæ Congregationis non existentium, fauores pro se, vel interpositam personam directè, vel indirectè, occultè, vel palam, aut aliàs quomodolibet recurrerint, vel ad Prælaturas, dignitates, administrationes, & alia huiusmodi dictæ Congregationis, & Monasteriorum Officia aspirauerint, vel alijs minùs legitimis, & honestis rationibus, ea obtinere conati fuerint, prædictas excommunicationis latæ sententiæ, aliasque inhabilitatis, & priuationis pœnas in præinsertis Gregorij Prędecessoris litteris, contrà similia perpetrantes comminatas, eo ipso incurrere, & incurrisse decernimus, & declaramus. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in pręinsertis litteris idem Gregorius prędecessor voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem harum litterarum Nostrarum notitia ad omnes Monasteriorum dictæ Congregationis Abbates, Superiores, & Monachos faciliùs deueniat, volumus illis in Generali dictæ Congregationis Capitulo singulo quoque anno publicè legi, illasque in dicto Capitulo lectas, sic arctare, ac si legitimè vnicuique personalitèr intimatæ fuissent, illorumque exemplis impressis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Præsidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate Ecclesiasticâ constituti munitis eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus, adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 11. Maij, 1638. Pontificatus Nostri Anno decimo quinto.

## CONSTITVTIO CCCXVII.

### SVMMARIVM.

*1638. Augusti 11.*

### VRBANVS PAPA VIII.

*Facultatem Alienandi vsque ad Summam Ducentorum & quinquaginta millium scutorum monetę, necnon reducendi annuos Census ad minus interusurium, concedit, ac respectiuè confirmat, Congregationi Casinensi.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Aliàs à nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Vrbanus Papa Octauus. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nupèr fecit dilectus filius modernus Procurator generalis Monachorum Congregationis Casinensis Ordinis Sancti Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusq; Regiminis nomine, quòd ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atque incommoda per eandem Congregationem accepta, ratione bellorū, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis eiusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bonâ ex parte eiusdem Congregationis prędia inculta reddiderunt, necnon graues solutiones, quæ pro summâ quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diuersorum Subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria dictæ Congregationis, ob defectum suorum reddituum ad præsens sunt adeò oppressa, vt illorum nonnulla iam ruinis euersa, & se subleuare impotentia reddita sint, alijs verò eadem ruina impendeat, nisi illis, de opportuno subuentionis auxilio, per Nos prouideatur, prout aliàs per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, Monasterijs huiusmodi fuit in similibus occasionibus prouisum, & præsertim per Pium V. qui similes & forsan minus vrgentes ob causas per quasdam suas sub die 19. Martij 1570. duodecim Congregationi-

tionibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum & triginta triamillia dictæ Congregationi Casinensi pro sua rata obtigerunt; & postmodum, quia summa huiusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili formâ Breuis respectiuè, expeditas litteras eidem Congregationi Casinensi bona stabilia pro aliâ summâ quinquaginta millium scutorum aureorum, vendendi facultatem, respectiuè, concessit; eoque modo damnis & periculis Monasterijs dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportunè occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subuentionem percepisse, experientiâ compertum est. Nobis propterea dictus Procurator, quò suprà nomine, humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, & aliàs vt infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a iure, vel ab homine, quâuis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; necnon prædictarum dicti Pij V. Prædecessoris litterarum tenores, pręsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis; quæ prædictis & alijs maioribus necessitatibus ad præsens grauata reperiuntur, vt cum approbatione tamen dilecti filij Nostri Francisci Sancti Laurentij in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Vicecancellarij, Nostri secundum carnem, ex fratre germano, Nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentiâ Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberandâ ab ære alieno Congregatione prædictâ, restaurationibusque necessarijs, & vtilibus in eius bonis faciendis, magis opportuna fuerint iudicata, vsque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusuis personis meliorem conditionem offerentibus, seruatisque modis & formis in prædictis Pii V. Prædecessoris Nostri litteris contentis, & iuxtà illarum tenores & continentias vendere, distrahere, atque alienare, siuè in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentiâ Sedis Apostolicæ impositos, cum pecuniis ad minorem rationem, pro quolibet centenario, & anno, siuè minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori Instrumento appositis, redimere; ità tamen, vt præsentes aliis eiusdem Congregationis Monasteriis minimè suffragentur, quàm ijs dumtaxat, quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integrè concurrerunt, & concurrunt, liberè & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ Secundi etiam Prædecessoris Nostri de rebus Ecclesię non alienandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cęterisque omnibus, quæ dictus Pius V. Prædecessor Noster in præfatis suis litteris voluit non obstare, ac alijs contrarijs quibuscumque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xix. Iunii MDCXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto. Cum autem sicut idem Procurator generalis Nobis nupèr exponi fecit, à quamplurimis, pręsertim verò à census super bonis eiusdem Congregationis, iuxtà tenorem præinsertarum litterarum imponendos, emere volentibus, dubitetur, an pro imponendis censibus huiusmodi dicti Francisci Cardinalis Protectoris huiusmodi approbatio, & regiminis prædicti licentia sint necessariæ. Nobis propterea dictus Procurator generalis humilitèr supplicari fecit, vt in pręmissis opportunæ declarationis Nostræ ministerio prouidere, de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis & illius Monasteriorum indemnitati peramplius consultum esse cupientes, illasque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie, absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. Quòd in vim præinsertarum Nostrarum litterarum, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis intelligatur, intelligique debeat, absque aliâ licentiâ, & approbatione, concessa facultas, super eorum, & dictę Congregationis Monasteriorum bonis stabilibus, nouos annuos, & redimibiles census, iuxtà formam Constitutionis præfati Pij Prædecessoris imponendi, ad effectum census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus, aliàs de Sedis Apostolicæ licentiâ, impositos, cum pecuniis nouorum censuum huiusmodi, ad minorem tamen rationem, pro quolibet centenario, & anno, siuè minori interusurio, obnoxijs, super eodem fundo, & non aliàs accipiendis, seruatâ in reliquis earundem literarum formâ redimendi, Apostolicâ auctoritate, tenore presentium, decernimus, & declaramus. Non obstantibus fœl. rec. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris Nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâuis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cęterisque omnibus, quæ dictus Pius Pędecessor voluit in pędictis suis, & Nos in Nostris voluimus non obstare, cęterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt nouorum censuum huiusmodi impositio, & veterum extinctio, vnico contextu fiant, vel saltèm, pecuniæ ex nouâ impositione huiusmodi prouenien: penès Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam, deponantur, inde non amouendæ, nisi ad effectum extinctionis prædictæ. Dat. Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xj. Augusti MDCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto. M.A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXVIII.

### *SVMMARIVM.*

*1638. Septemb. 6.*

VRBA-

VRBANVS PAPA VIII.

*Confirmat Decretum Congregationis EE. , & RR. DD. Cardd. Sac. Conc. Tridentini Interpretum. Quòd in Ecclesijs Parochialibus , quę sunt membra Monasteriorum Congregationis Casinensis , aut aliàs ab ipsis dependentes, Cura animarum exerceri possit, etiam per Monachos ad nutum suorum Superiorum amouibiles ,*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Aliàs à Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilii Tridentini Interpretibus , supèr subinserto supplici libello , sibi tunc porrecto, emanauit decretum tenoris subsequentis, videlicet. Illustrissime & Reuerendissime Domine. Monasterium Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis Ciuitatis Patauinæ, habet nonnullas Parochiales Ecclesias in eâdem Diœcesi , quæ non sunt vnitæ Monasterio, sed sunt Parochiales, dependentes ab illo, in quibus dictus Episcopus Patauinus dicit Monasterium fuisse solitum deputare Presbyteros sęculares, qui pręuio ipsius Episcopi examine, & approbatione , Curam animarum exercuerunt, sed ab aliquot annis cępisse deputari vnum Monachum, qui sine Socio Regulari, & cum solo famulo habitat in dictâ Parochiali, & Curam administrat, etiam sine Episcopi approbatione. Vnde nunc quæritur, An in dictis Parochialibus ab ipsis Monasteriis quoquomodo dependeñ, non autem vnitis, debeat Cura animarum exerceri per Monachum , vel per Presbyterum sęcularem , ab ipsis Monachis nominatum, & ab Episcopo approbatum. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partibus auditis, censuit, in Parochialibus, quæ sunt membra monasteriorum Congregationis Casineñ, aut aliàs ab ipsis dependentes, Curam animarum exerceri posse , etiam per Monachos ad suorum Superiorum nutum amouibiles ; ita tamen vt iidem priùs examinentur, & approbentur ab Episcopo, eiusque iurisdictioni subiiciantur in his, quæ ad ipsam Curam , & Sacramentorum administrationem pertinent, & cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius saltem Monachus eiusdem Ordinis professus, ad pręscriptum Concilii Lateraneñ sub Alexandro III. cap. 10. CVM autem sicut dilectus filius Procurator generalis dictæ Congregationis Nobis nupèr exponi fecit ipse, decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentiâ, Apostolicæ Nostrę confirmationis patrocinio communiri summoperè desideret. Nos eundem Procuratorem generalem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibèt innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine, Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati. Decretum prę insertum, cum omnibus, & singulis in ęo contentis, Apostolica auctoritate, tenore pręsentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desupèr quomodolibet interuenerint, supplemus. Decernentes illud, necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabilitèr obseruari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cęterisq; contrariis quibuscumque. Dat. Romę apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die vi. Septembris MDCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto. M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO CCCXIX.

*SVMMARIVM.*

1638. *Nou.* 17.

VRBANVS PAPA VIII.

*Monachos Casinenses non esse vllo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, statuit, seu confirmat.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa Octauus. Ad futuram rei memoriam. Nupèr, pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, Nobis expositum fuit, quòd aliàs, seù nupèr à Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanauit Decretum tenoris subsequentis videlicet. Pro Monacis S. Sixti Congregationis Casinen: Placentiæ commorantibus, narratum fuit, quòd ipsi Monaci, nunquàm in eâdem Ciuitate , nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, preterquàm ad Processionem Sanctissimi Sacramenti . Nunc verò Episcopus vult cogere, vt accedant etiam ad Processiones, quæ fieri solent pro Rogationibus maioribus, & minoribus singulis annis , ad quas antea nunquam accesserunt, & propterea petierunt non adstringi, vltrà eorum solitum, & consuetum. Sacra Rituum Congregatio respondit, Monachos prædictos non esse vllo modo cogendos accedere, nisi ad Procesśionem Sanctisśimi Sacramenti, iuxtà eorum antiquam consuetudinem, quam tàm dictis Monacis Placentiæ commorantibus, quàm alijs eiusdem Congregationis Casinen: vbique conseruandam esse censuit, & declarauit. Die 10. Iunij 1602. Dat. hac die 9. Octobris 1638. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dictus Procurator generalis Decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentiâ Apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri, summoperè desideret. Nos eumdem Procuratorem generalem, specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibèt innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat,

xat, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus, illius nomine Nobis supèr hoc humilitèr porrectis, inclinati. Decretum præinsertum, cum omnibus & singulis in eo contentis, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desupèr quomodolibèt interuenerint, supplemus. Decernentes illud, necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inuiolabilitèr obseruari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocircà dil. fil. Nostro, & Sedis Apostolicæ nunc & pro tempore existenti in Regno Neapolis Nuncio, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, Decretum, & præsentes litteras huiusmodi, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quotiès pro parte, tàm prædictorum Monasterij Placentini, quàm aliorum quorumcumque eiusdem Congregationis Monachorum requisiti fuerint, solemnitèr publicantes, illisque in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant illos, auctoritate Nostrâ, præmissorum omnium & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam, quâuis auctoritate, quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; Inuocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusuis Congregationis, & Monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâuis firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xvij. Nouembris MDCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto. M.A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXX.

### SVMMARIVM.

1639. Maij 30.

### VRBANVS PAPA VIII.

*Confirmat munia Episcopalia ad fauorem Abbatis Monasterij Casinensis.*

*Ex Arch. Casin.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Exponi Nobis nupèr fecit dilectus filius Abbas Monasterij Casinensis nullius Diœcesis, Prouinciæ Capuanæ Ordinis S. Benedicti, quod aliàs felicis recordationis Sixto Papæ V. prędecessori Nostro, pro parte tunc existentis Abbatis, & Conuentus Monasterij huiusmodi, exposito quod dictum Monasterium per diuersos Romanos Pontifices etiam Nostros, tunc suos prædecessores, multis, & varijs gratijs, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, & indultis cumulatum, & decoratum fuerat, illiusque Abbas pro tempore existens nemini suberat, sed omnimodam iurisdictionem Episcopalem, ac proprium territorium, & Ius congregandi Synodum habebat, prout illam congregasse, & in eâ examinatores elegisse, ac posse Concursum constituere, Examinare, approbare, Oeconomos deputare, necnon Sacramentum Chrismatis contulisse, ac Commissiones gratiarum Apostolicarum executioni demandasse constabat; iuxta declarationem tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilio Tridentino interpretando Præfectorum desuper factam; idem Sixtus prædecessor, supplicationibus Abbatis, & Cōuentus prædictorum inclinatus, omnia, & singula, Priuilegia, immunitates, gratias, facultates, & indulta, præsertim conferendi Sacramentum Chrismatis, dummodo illud foret priùs per Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, consecratum. Concursum pro conferendis Beneficijs Ecclesiasticis Curatis in Mensibus Apostolicis faciendi, ac Commissiones gratiarum Apostolicarum, tam iustitiam, quam gratiam, etiam quoad Dispensationes Matrimoniales concernentes, Abbati Monasterij Casinensi prædicti, siue suo Vicario Generali pro tempore, directarum, debitæ executioni demandandi, aliaque desupèr necessaria, & opportuna faciendi, iuxtà decreta dicti Concilii, approbauit, & confirmauit. Nec non pro potiori cautelâ tunc, & pro tempore existenti Abbati dicti Monasterij, vel suo Generali Vicario, vt cum Parochialis Ecclesiæ, iurisdictionis dicti Monasterij, vacatio contingeret, Concursum instituere, examinare, approbare, & magis idoneos eligere, ac Ecclesiam huiusmodi legitimè conferre, & in Mensibus Romanorum Pontificum collationi reseruatis, personas in concursu electas, Romano Pontifici, & Sedi prædictæ pro collatione obtinenda significare; nec non Sacramentum Chrismatis, dummodo illud priùs sit per Antistitem prædictum consecratum, vt præfertur, conferre; ac quascunque litteras Apostolicas, tam iustitiam, quam gratiam, etiam quoad Matrimoniales dispensationes personarum dictæ iurisdictionis concernentes, sibi tamen, & nulli alteri dirigendas, debitæ executioni demandare liberè, & licitè valeret, iuxtà decreta dicti Concilij, concessit; decernens irritum, & inane ex tunc, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contingeret attentari, & aliàs, pro vt in eiusdem Sixti prædecessoris litteris, quarum tenores præsentibus pro sufficientèr expressis haberi volumus, dicitur vberius cōtineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, iuxtà litterarum huiusmodi tenorem, fuerint retroactis temporibus Commissiones gratiarum Apostolicarum prædictarum Abbati dicti Monasterij, seu Vicario Generali à Datariæ, Secretariæ Breuium, Cancellariæ, Pœnitentiariæ, & Cameræ Apostolicæ Nostrarum officialibus directè, & illæ, quæ propter subditorum iurisdictioni dicti Monasterij, vel expeditionum similium gratiarum ignorantiam, à dictis Officialibus prædictæ iurisdictionis ignaris, interdum directæ fuerunt Episcopis viciniorbus, correctæ fuerint, & Abbati, seu eius Vicario huiusmodi directæ; non absque tamen Abbatis, & Conuentus prædictorum incommodo, quos de titulo, eiusque obseruantiâ docere, ac subditorum prædictorum dispendio, quos nouas propterea

pterea expeditiones soluere oportuit. Quarè, vt similia incommoda, & dispendia imposterum euitentur. Nobis Abbas prædictus humilitèr supplicari fecit, vt desupèr opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos igitur Abbatem prædictum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eumq; à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore cēsentes; ac prædictarum Sixti prædecessoris litterarum tenorem, præsentibus, pro expresso habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati; Dilectis filijs Magistris Ægidio Vrsino de Viuarijs, ac Marco Aurelio Maraldo nūc, & pro tempore existentibus Nostris, & Romanorum Pontificum successorum Nostrorum Datarijs, & Breuium Nostrorum Secretorum Secretarijs, nec non Cancellariam Apostolicam Regentibus, ac omnibus, & singulis alijs Datariæ, Secretariæ Breuium prædictorum, Cancellariæ, Pœnitentiariæ, & Cameræ Apostolicæ Nostrarum officialibus, cœterisque, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum pro potiori cautelâ, & in executionem dictarum Sixti prædecessoris, litterarum, districtè præcipiendo mandamus; vt ipsi posthàc, quascunque, tam institiam, quam gratiam, etiam quoad Dispensatiores Matrimoniales concernentes, etiam in formâ Breuis, ac in formâ Significauit, & Collationum Beneficiorum in formâ Dignum, & Gratiosa, ac Commissionum Si in euidentem, respectiuè nuncupatarum, & Absolutionum, aliarumque similium gratiarum litteras Apostolicas, personarum infrascriptorum locorum, videlicet Ciuitatis S. Germani, Casalis S. Basilij de Chairâ, necnon Sancti Eliæ, S. Victoris, S. Petri in fine, S. Apollinaris, S. Andreæ, S. Ambrosii S. Georgij, S. Petri in Curulis, S. Angeli in Theodice, S. Saluatoris de Cucurutio, S. Petri de Auellanâ respectiuè nuncupatorum, ac Vallis Rotundæ, Bellimontis, Cerbarij, Terocuili, Rocchæ Euandri, Pignatarij, Vallis Frigidæ, Castri Noui, Pesculatum propè Iserniam, Vallis Regiæ, Ciuitellæ, Villettæ, Pesculi Constantij, Serræ Monacceschæ, Faræ filiorum Petri, & Citrarij, Castrorum, seu Terrarum, quæ vt dictus, vt suprà, Abbas asserit, eius, & prædicti Monasterij Casinensis iurisdictionis, ac Diœcesis existūt eidem moderno, & pro tempore existenti Monasterij huiusmodi Abbati, siue eius Vicario in spiritualibus Generali, & non alteri dirigant; decernentes ex nunc irritum, & inane si secùs super his à quoquam, quâuis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Concilijs Vniuersalibus, Prouincialibus, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenorem præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialitèr, & expresse derogamus, cœterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem vt presentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Maij MDCXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto. M.A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXI.

*SVMMARIVM.*

*1639. Sept. 10.*

*Decretum Sacrę Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. Sacri Concil. Tridentini Interpretum. Quod non liceat Episcopis Vota Monialium Regularibus subiectarum exquirere vel recipere in electione Abbatissę, sed excipi debere à Superioribus Regularibus.*

*Peyrin. de Priuil. Regul. Dec. 56.*

Die decimâ Septembris 1639. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Episcopum, in electione Abbatissæ Monasterii Monialium, Regularibus subiectarum, non posse exquirere, seu recipere Vota Monialium, sed illa exquiri, & recipi debere à Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo. I.B Card. Pamphilius. Franciscus Paulutius S. Cong. Secr.

## CONSTITVTIO CCCXXII.

*SVMMARIVM.*

*1640. Apr. 21.*

*Decretum Sac. Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. Controuersijs Iurisdictionalibus Prępositis. Pro exemptione bonorum Ecclesiasticorum ab oneribus, & impositionibus.*

*Peyrin. Priuil. Reg. Dei 18 in fine.*

Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Controuersijs Iurisdictionalibus Præpositorum, aliàs censuit, bona per Ecclesiasticos possessa, gaudere exemptionibus, à quibuscumque Impositionibus, & Oneribus, quæ non sint copulatiuè certa, realia, & inuariabilia, iuxtà decisionem in Brundusinâ Gabellæ, coram bon. memoriæ Pœnia, & concordan: nec non ab impositionibus Cameralibus, etiam comprahensiuis Ecclesiasticorum, quando Ecclesiastici, libertatem ea non soluendi præscripserint, iuxtà Decretum anni 1600. tempore sa. me. Clementis VIII. editum. Datum hàc die 21, Aprilis 1640. Io: Baptista Card. Pamphilius. Franc. Paulutius S. Congr. Secr.

## CONSTITVTIO CCCXXIII.

*SVMMARIVM.*

*1640. Octob. 16.*

## VRBANVS PAPA VIII.

*Confirmat, ac Declarat Constitutionem CLEMENTIS Papæ VIII. De Largitione munerum Regularibus vtriusq.*

*vtriusque sexus interdicta. Eamdemque Clementis VIII. Constitutionem, cum præsenti declaratione singulo anno, de mense Ianuarij, à Regularibus, in Mensa publicà, seu in aliquà Congregatione legendas statuit.*

*Ex Impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Nuper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio Nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, Maiori Pœnitentiario, ac Nostro in Almâ Vrbe Prouicario in spiritualibus generali, & Nostro secundum carnem Fratre germano, à Nobis deputatâ, emanauit declaratio tenoris subsequentis videlicet. Cum circà interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub dat. xiij. Kal. Iulij Pontificatus sui anno III. de Largitione munerum Regularib. vtriusque sexus interdictâ, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ; Congregatio specialitèr à Sanctissimo D.N. VRBANO, Diuinâ Prouidentiâ, Papâ VIII. coràm Eminentissimo Cardinali Sancti Onuphrij Maiori Pœnitentiario, ac Vrbis Prouicario deputatâ, auctoritate sibi attributâ, declarauit, & declarat, Munera à Religiosis vtriusque sexus, tribui posse, ex causis gratitudinis, cóciliationis beneuolentiæ, eiusque conseruationis ergà ipsam Religionem, vel Conuentum, alijsuè causis, ex sui naturâ actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentiâ, ac etiam cum consensu maioris partis Conuentus, si talis consensus de iure, vel ex Constitutionibus, seu consuetudinibus cuiusque Religionis respectiuè, in huiusmodi casibus requiratur. Consensum vero Conuentus in §. 3. eiusdem Constitutionis ad leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda, &c. requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de iure requisito; & vbi concurrit ambitionis suspicio, quâ cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §. 4. eiusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenùs eiusdem concessam, declarat. Comessationes autem, compotationes, & conuiuia in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorificè & lautè, de quibus in §. 5. & 6. eiusdem Constitutionis; censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status Regularis aduersentur. Restitutionem vero receptorum Conuentibus faciendam, de quâ in §. 7. ibidem cautum est, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data, donata, seu missa de iure pertinent, si id commodè fieri potest, aliàs Conuentui eiusdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eâdem facultate sibi tributâ, omnes, qui hucusque aduersus supradictæ Constitutionis Capitula, hic moderata, largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuscumque in eâdem Constitutione inflictis, & incursis, posse, & debere à proprijs Confessarijs absolui in foro conscientiæ, etiam non factâ priùs huiusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos verò, qui prætèr modum prædictum, grauiori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam, restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit Maiori Pœnitentiario, vt de præteritis vsquè ad diem datę pręsentium, in foro conscientiæ absoluat, dispenset, & condonet, seu absolui, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit. Et nè prædictæ Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuscumque Monasterij, Conuentus, Domus, ac Collegij Regularis, sub pœnâ priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso iure incurren. efficere teneantur, vt in perpetuum singulis annis Mense Ianuario, non solùm prædicta Constitutio (quam in reliquis eius partibus, eadem Sanctitas omnino obseruari iubet, & quatenùs opus sit innouat, quemcumque pretensum non vsum, aut prætensum vsum, seu prætensam consuetudinem, damnando, & irritando) verùm etiam hoc decretum in aliquâ publicâ Congregatione, vel saltèm in publicâ Mensâ perlegantur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis etiam Regularibus, quàm Laicis cuiuscumque sint Ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis etiam speciali notâ dignis, & qui sub generali dispositione non compræhenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contrà præsentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdictâ, super quibus Sanctissimus mandauit expedir. Breue. Datum Romæ die 15. Septembris, M. DC. XXXX. Quâ propter, vt præmissa firmiùs subsistant, & inuiolabilitèr obseruentur, quantùm cum Domino possumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam, cum omnibus, & singulis in eâ contentis, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus, illaque inuiolabilitèr ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, obseruari, sicque, & non alitèr in premissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosuis alios, quâcumque auctoritate fungentes; sublatâ eis, & eorum cuilibet quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate, sciènter, vel ignorantèr contigerit attentari, decernimus. Non obstan: quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diuersa, Constitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. prędecessoris Nostri prędicti, ac omnibus illis, quę idem Clemens in Constitutione, huiusmodi voluit non obstare, cęterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xvj Octobris M. DC. XXXX. Pontificatus Nostri Anno Decimo octauo. M. A. Maraldus.

*Sequitur Constitutio Clementis VIII. vndè supradicta Vrbani VIII. Declaratio emanauit.*

CLEMENS Episcopus Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Religiosę Congregationes, ab insigni sanctitate viris, Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesię Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conseruandas, & instaurandas, Romani Pontifices Prædecessores Nostri, magnam, iure optimo, diligentiam semper adhibuerint. Nam, cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura; vt etiam quæ optimè fundata, & constituta sunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis astutiâ,

paulatim deficiant; ac, nisi curâ peruigili sustententur, in deteriùs prolabantur. Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnoperè laborauit, vt Regularium Ordinum disciplina, aut labefacta, in pristinum restitueretur; aut salutaribus Constitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum Nos vestigijs, pro eodem Officij munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) diuinâ adiutrice gratiâ, cupimus imitari. Quare nè ex Muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio, quibusuis hominibus, quâuis ex causâ sępè tribuuntur, grauia incommoda, & mala, etiam boni specie existant præcauere studentes; hâc Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, vniuersis, & singulis cuiuscumq; Ordinis Mendicantium, vel Non Mendicantium, bona immobilia, & redditus certos, ex indulto Apostolico, possidentium, vel non possidentium, seu cuiusuis Congregationis, Societatis, & Instituti (non tamen Militiæ) Regularibus personis vtriuslibet sexus, omnem, & quamcumque largitionem, & missionem munerum, penitùs interdicimus. Sub quâ prohibitione comprehendi volumus omnia, & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tàm singulorum Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Prępositurarum, Pręceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouincię, siuè vniuersi Ordinis, Societatis, aut Instituti: eorumque; vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscumque Officiales, & singulares personas: Ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores, quascumq; dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine prefectos; nec non Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores etiam maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quouis titulo Præsidentes, tàm ipsis Regularibus, quàm locorum Ordinarijs, seu quibusuis Superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeò, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palàm, vel occultè, tàm communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis Statuti, vel consuetudinis, seu veriùs corruptelæ, aut alio prętextu, vel quâcumque causâ, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congreg. rè mature discussâ, vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu, causâ approbatâ fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Id autem ità absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omninò fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, siuè eleemosynis, aut subsidijs certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinarijs, mensæ, seu massæ communis, vel cuiusuis Fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communitèr, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecunijs, etiam, quæ à singulis, quouis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à proprijs affinibus, propinquis familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pijs Christi fidelibus, etiam eleemosinæ, aut charitatis, & illius propriæ personę intuitu attributæ, seu quoquomodo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisitæ, eique vt ad libitum de eis disponat, per Superiores concessæ fuerint: Prętterquam leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantùm, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda.

Sed & huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis vtriuslibet sexus non solùm per se, verùm etiam per alios, tàm directè, quàm indirectè Prohibitas, declaramus.

Neque verò quispiam ab hâc generali prohibitione se excusare valeat, etiam si Munera miserit, cuiuis personæ Laycę, vel Ecclesiasticę, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quâuis non solùm mundanâ, & Ducali, Regiâ, Imperiali, verumetiam Ecclesiasticâ, & Pontificali, aut aliâ maiori, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causâ, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsurę, aut Professionis Monialium, tàm sibi subditarum, quàm non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicumque, etiam simplici, & particulari Religioso. Itaut inter ipsos quoque Religiosos (nè prauâ ambitione impulsi pro consequendis in suâ Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentiâ expressâ, & in scriptis Superiorum) sit penitùs interdicta.

Insupèr prohibemus, nè vnquam eisdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorum acceptorum memoriam gratique animi testificationem, seu pro prędictis personis, quâuis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opipatè excipiendis, seu pro quibusuis conuiuijs eisdem aut cuiuis alteri quâcunque occasione, vel causâ exhibendis, vel pro commessationibus, aut compotationibus quibusuis personis, tam eiusdem Ordinis, Congregationis, Monasterij, domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intrà Ecclesias, Monasteria, & domos sacras, seù pias, vel extrà eas, in quibusuis publicis, aut priuatis sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita aut res piè gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicę populis spectandę proponuntur, aut aliàs in prędictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus, Nisi ... ipsi pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentijs, seruato in hoc charitatis Ordine, & habitâ necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum, subleuandis: aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsan prescriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc, laudabilem & Apostolicâ doctrinâ, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem præsertim ergà pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmò si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institu-

tis,

tis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, sine aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integre in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasterijs, seu locis desertis, & à laycorum ædibus longiùs remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò ditiores, occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causâ eò diuertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque, & ferculis communibus, nequaquam à cœteris distinctis, contentos esse. Verùm omninò ipsi Regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas, Religiosa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione districtè inhibemus, nè quispiam ex prædictis, Laycus aliàs, quam vt superiùs dictum est, vel Clericus sæcularis, vel Regularis, quocunq; honore, præeminentiâ, nobilitate, aut excellentiâ, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumuè affines, propinqui, familiares, aut Ministri vtriuslibet sexus, quicquam contrà hanc superiùs expressam prohibitionem recipiant.

Quod si vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siuè ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint; id quod acceperint suum non faciant. Verùm ipso facto, absque aliquâ monitione Iudicis, decreto, sententiâ, aut declaratione, ad illius restitutionem omninò in vtroque foro teneantur; adeò vt restitutione ipsâ realitèr non factâ, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint.

Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, vèl si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans Professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, paritèr communi mensæ aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur; ità vt, nèc qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel, vt in Pauperes eroget concedere, quoquomòdo possit.

Quod si quis ex supradictis Regularibus vtriuslibet sexus cuiuscunque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus coniunctim, cum cœteris, seu diuisim Nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs, eò ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinẽda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetuâ infamiâ, & ignominiâ notatus existat. Et prętereà priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, absque vllo Superioris decreto, aut Ministerio, ipso facto incurrat; necnon vltrà huiusmodi pœnas, etiam tanquam cõtrà furti, & Simoniæ criminum reum, tàm per viam denunciationis, accusationis, aut quærelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisq; supplicijs affici debeat.

Pœnis alijs à iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propriâ cuiusuis Ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus aut loci, statuta, vel cõsuetudines, contrà personas aliquid præmissorum committentes, forsan decretis, & inflictis, nihilominùs in suo robore permansuris.

Quocircà vniuersis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs, & Officialibus, necnon quorumcumq; Ordinum, Prioratuum, Monasteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Prouincialibus, cœterisque ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentiâ, auctoritate, & vigilantiâ, præsentem Constitutionem firmitèr, & inuiolatè obseruari, & contrà inobedientes, vel transgressores condignis pœnis animaduerti. Eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescẽdo; inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictorumque Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum, necnon Ordinum, Cõgregationum, Collegiorum, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis quorumcumq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus præsentis Nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis. Quæ omnia, quatenùs præmissis in aliquo aduersentur, prorsùs tollimus, & abrogamus; cœterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, vt præsentes litteræ in valuis S. Io. Lateranen: & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimissis. Quodque earum exempla, seu illorum compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monasteriorum Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiusque Regionis sermonem versa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta, inserantur, & saltem quotannis in capitulis, siue Congregationibus cuiusque earum alia, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies à die publicationis (vt præfertur) in Rom. Curiâ facienda vnumquemque citrà montes, vltrà montes, verò post quatuor menses, perindè arctent, & afficiant, ac si cuique personalitèr intimatæ, & per eos iuratæ fuissent.

Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in Iudicio, & extrà illud vbiq; adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in Monte

te Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Tertiodecimo Kal. Iulij, Pontificatus Nostri anno 3. L. Card. Prodat. M. Vestrius Barbianus. A. de Alexiis. Registrata apud Marcellum Secretarium.

## CONSTITVTIO CCCXXIV.

### SVMMARIVM.

*1642. Martij 27.*

### VRBANVS PAPA VIII.

*Constitutiones in Regulam S.P.N. Benedicti à Congregatione Casinensi correctas, approbat.*

*Ex lib. Constit. Casinen.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Sacri Apostolatus Ministerio, per abundantiam Diuinæ gratiæ, nullo licet merito Nostro, præpositi; ad ea, per quæ Christi fidelium, præsertim Altissimo, sub suaui Religionis iugo, & Monasticâ disciplinâ, famulantium, prospero statui, felicique directioni, consulitur, libentèr intendimus; & ijs, quæ propterea facta fuisse dicuntur, vt ab omnibus, quos illa concernunt, inuiolabilitèr obseruentur, Apostolici muniminis adijcimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubritèr expedire. Cum itaque, sicut Nobis nupèr exponi fecit dilectus filius Gregorius de Parmâ Monachus expressè professus Congregationis Casinen:, Ordinis S. Benedicti, & eiusdem Congregationis Procurator Generalis, Constitutiones antiquæ, & declarationes supèr Regulam S. Benedicti Congregationis prædictæ, aliàs Apostolicâ auctoritate confirmatæ, in quodam Capitulo Generali eiusdem Congregationis, auctoritate dilecti Filij Nostri Francisci S. Laurentij in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Vicecancellarij, Nostri, secundum carnem, ex Fratre germano, Nepotis, & Ordinis prædicti apud Nos, & Apostolicam Sedem, Protectoris; & in vim facultatis eidem Congregationi per fel. rec. Eugenium Papam IV. prædecessorem Nostrum, vt ipse Gregorius asserit, concessæ, in aliquibus correctæ, & declaratæ fuerint, vt ad præscriptum litterarum Apost. tàm à Romanis Pontificibus etiam prædecessoribus Nostris, quàm à Nobis, post confirmationem Constitutionum, & declarationum huiusmodi, pro bono eiusdem Congregationis regimine, emanatarum, reducerentur; ac earum obseruantiæ, quæ ad præsens in Congregatione prædictâ viget, vniformes redderentur. Nobis propterea dictus Gregorius, totius Congregationis nomine, humilitèr supplicari fecit, vt Constitutiones, & declarationes huiusmodi, vt præfertur, correctas, & declaratas, Apostolicæ confirmationis robore communire, de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos igitur eundem Gregorium specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxàt, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones, & declarationes prædictas in dicto Capitulo generali, vt præfertur, correctas, & declaratas, dummodo tamen Sac. Canonibus, ac Concilij Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non aduersentur, neque sint reuocatæ, aut sub aliquâ reuocatione comprætensæ, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibèt interuenerint, supplemus; atque Constitutiones, & declarationes huiusmodi in eâdem Congregatione perpetuò obseruari, sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quauis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari; decernimus. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenùs opus sit, quibusuis alijs Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apost. vel aliâ quâuis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs, quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris. Die 27. Martij 1642. Pontificatus Nostri anno decimo nono. M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXV.

### SVMMARIVM.

*1643. Apr. 15.*

### VRBANVS PAPA VIII.

*Facultatem imponendi annuos Census, extensiuam alterius, aliàs Congregationi Casinensi concessæ, alienandi, vsque ad summam scutorum ducentorum quinquaginta millium, iterum concedit.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Aliàs à Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Vrbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nupèr fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Casinen. Ordinis Sancti Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusque regiminis nomine; quòd ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atq; incommoda per eamdem Congregationem accepta, ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis eiusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ, bonâ ex parte, eiusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt; necnon graues solutiones, quæ pro summâ quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diuersorum Subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria dictæ Congregationis ob defectum suorum redditnum, ad præsens sunt adeò oppressa, vt illorum nonnulla, iam ruinis euer-

euersa,& se subleuare impotentia reddita sint; alijs verò eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subuentionis auxilio,per Nos,prouideatur,prout aliàs per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, Monasterijs huiusmodi fuit in similibus occasionibus prouisum;& præsertim per Pium V.qui similes,& forsan minùs vrgentes ob causas,per quasdam suas sub die xix. Martij M. D. LXX., duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis, bona stabilia, pro summâ quadringentorum millium scutorum auri,quorum centum, & triginta tria millia d. Congregationi Casinen. pro suâ ratâ obtigerunt,& postmodum, quia summa huiusmodi non sufficiebat, per alias suas, sub die v. Octobris M. D. LXXI in simili formâ Breuis respectiuè expeditas litteras, eidem Congregationi Casinen. bona stabilia, pro aliâ summâ quinquaginta millium scutorum aureorum,vendendi facultatem respectiuè concessit,eoque modo damnis, & periculis Monasterijs dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportunè occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subuentionem percepisse,experientiâ compertum est. Nobis propterea dictus Procurator, quo suprà nomine, humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, & aliàs, vt infrà, indulgere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis,& illius Monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes; ac illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis,suspensionis,& interdicti,alijsque Ecclesiasticis sententijs,censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium,dumtaxat,consequendum,harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, nec non prædictarum dicti Pij V. Prædecessoris litterarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & alijs maioribus necessitatibus ad præsens grauata reperiuntur, vt cum approbatione tamen dilecti filij Nostri Francisci S. Laurentij in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E.Vicecancellarij,Nostri secundum carnem, ex fratre germano, Nepotis,ac prædictæ Congregationis,apud Nos, & Apostolicam Sedem, Protectoris, ac licentiâ Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberandâ ab ære alieno Congregatione prædictâ, restaurationibusque necessarijs,& vtilibus in eis bonis faciendis magis opportuna fuerint iudicata, vsque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusuis personis meliorem conditionem offerentibus, seruatisque modis, & formis in prædictis Pij V. Prædecessoris Nostri litteris contentis, & iuxtà illarum tenores, & continentias, vendere, distrahere, atque alienare, siue in emphyteusim dare,necnon census annuos supèr ipsius Congregationis bonis stabilibus, de licentiâ Sedis Apostolicæ impositos, cum pecunijs ad minorem rationem pro quolibet centenario,& anno,siue minori interusurio obnoxijs, supèr eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori Instrumento appositis,redimere; Ita tamen,vt præsentes, alijs eiusdem Congregationis Monasterijs minimè suffragentur,quàm iis dumtaxàt,quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum, debitam solutionem integrè concurrerunt,& concurrunt, liberè,& licitè possint & valeant, auctoritate Apostolicâ,tenore præsentium,concedimus, & indulgemus. Non obstan.fel.rec. Pauli Papæ II, etiam Prędecessoris Nostri De rebus Ecclesiæ non alienandis,aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,necnon Congregationis, Ordinis, Monasteriorum prædictorum,etiam iuramento,confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statis,& consuetudinibus,cęterisque omnibus, quæ dictus Pius V. Prædecessor Noster, in prędictis suis litteris, voluit non obstare; ac aliis contrariis quibuscunque Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xix. Iunii M.DC. XXXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto. Cum autem,sicut idem Procurator Generalis Nobis nupèr exponi fecit, à quamplurimis, præsertim verò à Census super bonis eiusdem Congregationis iuxtà tenorem pręinsertarum litterarum imponendos emere volentibus,dubitetur, an pro imponendis Censibus huiusmodi,dicti Francisci Cardinalis Protectoris huiusmodi, approbatio, & Regiminis prædicti licentia sint necessariæ; Nobis propterea dictus Procurator Generalis humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunæ declarationis Nostræ ministerio prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati perampliùs consultum esse cupientes, illaque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis,suspensionis,& interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet,innodatæ existant, ad effectum præsentium,dumtaxat,consequendum,harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinari. Quòd in vim pręinsertarum Nostrarum litterarum,Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis intelligatur, intelligique debeat,absque aliâ licentiâ,& approbatione,concessa facultas supèr eorum, & dictæ Congregationis Monasteriorum bonis stabilibus, nouos annuos, & redimibiles Census, iuxtà formam Constitutionis prædicti Pij prædecessoris imponendi, ad effectum Census annuos supèr illius Congregationis bonis stabilibus aliàs,de Sedis Apostolicę licentiâ, impositos, cum pecunijs nouorum Censuum huiusmodi, ad minorem tamen rationem pro quolibet centenario,& anno,siue minori interusurio obnoxijs, super certo fundo,& non aliàs accipiendis; seruatâ in reliquis earumdem litterarum formâ, redimendi, Apostolicâ authoritate,tenore præsentium decernimus, & declaramus. Non obstan: fel.rec.Pauli Papæ II.etiam Prędecessoris Nostri De rebus Ecclesiæ non alienandis, alijsque Constitutionibus, & ordinarionibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum,etiam iuramento,confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâuis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cęterisque omnibus, quæ dictus Pius Prędecessor voluit in prædictis suis, & Nos in Nostris voluimus non obstare, cęterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem,vt nouorum censuum huiusmodi impositio, & veterum extinctio, vnico contextu fiant, vel saltem pecuniæ ex nouâ impositione huiusmodi prouenien., penès Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam, deponantur,inde non amouendæ,nisi ad effectum extinctionis prædictæ. Dat.Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xj. Augusti

ſti M. DC. XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto. Cum autem, ſicut dilectus filius Gregorius à Parmà Abbas, & modernus Procurator Generalis dictæ Congregationis, Nobis nupèr exponi fecit, non reperiantur in promptu, qui bona dictæ Congregationis emant, niſi cum illius detrimento, Nobis, propterea idem exponens, dictæ Congregationis, illiuſque Regiminis nomine, humilitèr ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur eiuſdem Congregationis, & illius Monaſteriorum præfatorum indemnitati peramplius conſulere, eaque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, ac illorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus, quomodolibet, innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium, dumtaxat, conſequendum, harum ſerie, abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatis Monaſteriorum dictæ Congregationis Abbatibus, quòd ipſi in vim præinſertarum Noſtrarum litterarum huiuſmodi, quas ad effectum infraſcriptum valere, & paritèr ſufficere declaramus, de conſenſu eiuſdem Franciſci Cardinalis Protectoris, vnum ſeu plures annuos, & redimibiles Cenſus, vſque ad præfatam ducentorum quinquaginta millium ſcutorum huiuſmodi in eorum ſorte principali aſcendentes, loco bonorum ſtabilium, quæ iuxtà eaſdem preinſertas litteras vendi poſſe, vt præfertur, conceſſum fuit, ſupèr Monaſteriorum eorumdem Abbatum, dictæque Congregationis bonis ſtabilibus, vbilibèt exiſtentibus, imponere, illumque, vel illos ſic impoſitos vni, ſeu pluribus perſonis meliorem conditionem offerentibus, ſeruatâ eiuſdem Pij prædeceſſoris Conſtitutionis, & præinſertarum Noſtrarum litterarum formâ, vendere, & alienare, ac pecunias indè prouenientes in vſus, & neceſſitates ſuprà expreſſas, ac aliàs inſupèr, vt Montiſtis Cameralibus ſatisfiat, conuertere, & erogare, ac pro emptoris, ſeu emptorum cenſuum huiuſmodi, necnon fideiuſſoris, ſeu fideiuſſorum per eoſdem Abbates forſan præſtandorum ſecuritate, releuatione, & indemnitate, vltrà bona, ſupèr quibus cenſus huiuſmodi impoſiti fuerint, alia omnia, & ſingula dictorum Monaſteriorum, & Congregationis huiuſmodi bona mobilia, & immobilia, etiam in ampliori formâ Cameræ Apoſtolicæ, obligare, & hypothecare, ac ſuper his vnum, ſeu plura inſtrumenta, cum renunciationibus, vinculis, clauſulis, & decretis in ſimilibus apponi ſolitis, celebrare, ſeu celebrari, aliaque omnia & ſingula in præmiſſis, & circà ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere, & exequi liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, necnon emptorem, ſeu emptores cenſuum huiuſmodi ad probandum, ſeu verificandum in quos vſus pretium ipſorum Cenſuum conuerſum fuerit, minimè teneri, nec obligatos exiſtere, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſupèr his à quoquam, quâuis auctoritate, ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtan. præfatis Pauli, & Pij prædeceſſorum huiuſmodi, alijſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd pecuniæ ex impoſitione, & venditione cenſuum huiuſmodi prouenientes, vnico contextu, in vſus, & neceſſitates in eiſdem præinſertis, & præſentibus litteris expreſſas conuertantur, vel ſaltèm penès Montem Pietatis, aut perſonam fide, & facultatibus idoneam deponantur, inde non amouendæ, niſi ad effectum illas, vt petitur, conuertendi; quòdque cenſus præfati intrà tempus ab eodem Franciſco Cardinale Protectore præfigendum, ſub excommunicationis pœnâ, per eos ad quos ſpectabit, eò ipſò incurrendâ, extingui, & redimi omnino debeant. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xv. Aprilis M. DC. XLIII. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo. M. A. Maraldus.

*Diſtributiones reformatæ, & approbatæ pro Alienationibus faciendis, ſeu pro Cenſibus imponendis à Congregatione Caſinenſi, iuxtà Conſtitutionem Vrbani Papæ VIII. ſub die 15. Aprilis 1643.*

*Ex impreſſo.*

NOs D. STEPHANVS à Mediolano Abbas, & Præſidens Congregationis Caſinenſis. Cum poſt diſtributionem aliàs factam in Monaſteria noſtræ Congregationis, pro alienandis bonis ſtabilibus, vſque ad ſummam ſcutorum ducentorum quinquaginta millium, iuxtà facultatem à Sanctiſs. D. N. tributam, ſub die 19. Iunij 1637. cognitum fuerit portiones Monaſterijs aſſignatas reformatione indigere; eaque inſpecta fuerit ratio ad nos â P. D. Gregorio à Parmâ Abbate, & Procuratore Generali noſtro delata, vt facultas, quæ nouiſſimè ab eodem Sanctiſs. D. N. extenſa eſt ad imponendos, loco bonorum ſtabilium alienandorum, Cenſus, vt per aliud Breue ſub die 15. Aprilis 1643. ſingulis Monaſterijs prodeſſe poſſit. Hinc eſt, quod cum priùs ad nos, per eundem P. Procuratorem Generalem, tranſmitti iuſſerimus, tàm ſummas pecuniarum, aliàs ſingulis Monaſterijs præſcriptas, quam alienationes indè ſequutas, nec non quidquid ſupereſt alienandum; tandem antiquam reformantes, hanc nouam edidimus Diſtributionem, quam in primâ huius paginæ Columnâ ſubiecimus, & obſeruari mandamus, vbi primum Eminentiſſimus D. Cardinalis Franciſcus Barberinus Protector noſter illam approbare dignatus fuerit. Dat. Mediolani in Monaſterio S. Simpliciani die 25. Iunij 1643.

| *Nomina Monasteriorum.* | *Portiones Reformatæ pro alienationibus faciendis.* | *Summæ pecuniarum ex alienationibus collectarum.* | *Summæ pecuniarum intra quas bona alienanda supersunt.* |
|---|---|---|---|
| Monast. Andriæ S. Mariæ Miraculorum | scut. 1500 | | scut. 1500 |
| Aretij SS. Floræ,& Lucillæ | scut. 1500 | scut. 600 | scut. 900 |
| Ast. S. Bartholomæi | scut. 1400 | | scut. 1400 |
| Auersæ S. Laurentij | scut. 2000 | | scut. 2000 |
| Bobij S. Columbani | scut. 3500 | scut. 500 | scut. 3000 |
| Bononiæ S. Proculi | scut. 1500 | | scut. 1500 |
| Brixiæ S. Euphæmiæ | scut. 1000 | | scut. 1000 |
| Brixiæ S. Faustini | scut. 12000 | | scut. 12000 |
| Caietæ S. Angeli | scut. 500 | | scut. 500 |
| Casini S. Benedicti | scut. 17000 | scut. 4630 | scut. 12370 |
| Cataneæ S. Nicolai | scut. 1000 | | scut. 1000 |
| Cauæ Sanctissimæ Trinitatis | scut. 10000 | scut. 1800 | scut. 8200 |
| Caueosi S. Angeli | scut. 8000 | | scut. 8000 |
| Cesenæ S. Mariæ | scut. 3500 | scut. 2352 | scut. 1148 |
| Farfæ S. Mariæ | scut. 1500 | | scut. 1500 |
| Ferrariæ S. Benedicti | scut. 7000 | scut. 4612 | scut. 2388 |
| Florentiæ S. Mariæ | scut. 3000 | | scut. 3000 |
| Gratijs S. Mariæ | scut. 500 | | scut. 500 |
| Mantuæ S. Benedicti | scut. 16000 | | scut. 16000 |
| Mediolani S. Petri Inglassiatæ | scut. 8000 | | scut. 8000 |
| Mediolani S. Simpliciani | scut. 10000 | scut. 5500 | scut. 4500 |
| Messanæ S. Placidi | scut. 1000 | | scut. 1000 |
| Mutinæ S. Petri | scut. 9000 | scut. 3619 | scut. 5381 |
| Neapolis S. Seuerini | scut. 4000 | scut. 60 | scut. 3940 |
| Paduæ S. Iustinæ | scut. 10000 | | scut. 10000 |
| Panormi S. Martini | scut. 4000 | | scut. 4000 |
| Papiæ S. Saluatoris | scut. 3000 | | scut. 3000 |
| Papiæ S. Spiritus | scut. 3000 | scut. 50 | scut. 2950 |
| Parmæ S. Ioannis Euangelistæ | scut. 14000 | scut 3903 | scut. 10097 |
| Perusij S. Petri | scut. 12600 | scut. 8100 | scut. 4500 |
| Placentiæ S. Sixti | scut. 11000 | scut. 8[illegible]95 | scut. 2705 |
| Pontidæ S. Iacobi | scut. 6000 | | scut. 6000 |
| Ragusij S. Mariæ Cromæ | scut. 500 | | scut. 500 |
| Rauennæ S. Vitalis | scut. 4000 | | scut. 4000 |
| Regij S. Petri | scut. 3500 | scut. 1389 | scut. 2111 |
| Regalis S. Mariæ | scut. 1000 | | scut. 1000 |
| Romæ S. Pauli | scut. 30000 | | scut. 30000 |
| Sauiliani S. Petri | scut. 2500 | scut. 300 | scut. 2200 |
| Senarum S. Eugenij | scut. 2500 | scut. 500 | scut. 2000 |
| Sublaci S. Scholasticæ | scut. 8000 | scut. 1579 | scut. 6421 |
| Venetiarum S. Nicolai de Littore | scut. 2000 | | scut. 2000 |
| Veronæ SS. Nazarij, & Celsi | scut. 8000 | | scut. 8000 |
| | scut. 250000 | scut. 47789 | scut. 202211 |

D. Steph. à Mediolano Præsid. Casin. &c.

Nos Franciscus S. Laurentij in Damaso Diaconus Card. Barberinus S.R.E. Vicecancell. Necnon Congregationis Casinensis apud Sanctissimum D. N. & Sedem Apostolicam Protector. Cum aliàs Sanctissimus D. N. facultatem concesserit Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, eorumdem Monasteriorum bona alienandi, vsque ad summam scutorum ducentorum quinquaginta millium, vt per suas litteras in formà Breuis expeditas sub die 19. Iunij 1637. Et cùm nouissimè sub die 15. Aprilis 1643. aliæ Sanctissimi D. N. litteræ in simili formâ Breuis, pro eâdem Congregatione emanauerint, cum facultate, vt eorumdem Monasteriorum Abbates, de consensu nostro, vnum, seu plures annuos, & redimibiles census, vsque ad dictam summam in eorum sorte principali ascendentem, loco bonorum stabilium, quæ in vim superioris facultatis vendi posse concessum fuit, super Monasteriorum eorumdem Abbatum dictæque Congregationis bonis stabilibus imponere possint; Hinc est, quod, vt huiusmodi assensus noster semper præstò sit (ità apud nos eiusdem Congregationis P. D. Gregorio à Parmâ Abbate, & Procuratore Generali postulante) eumdem consensum nostrum, tenore præsentium interponimus; vt propterea præfati Monasteriorum Abbates, imponere valeant supèr bonis stabilibus eorumdem Monasteriorum, ad fauorem vnius, seu plurium personarum, vnum, seu plures annuos redimibiles census, in illius summæ proprietatem, intràquam vnumquodque Monasterium alienare potest, iuxtà formam Breuis; Ita tamen vt Census, qui sic ab Abbatibus imponentur, infrà quindecim annos à die impositionis, extinguantur. Vt verò in alienationibus faciendis, seù Censibus, vt suprà imponendis, vniuersæ Congregationi innotescat, intrà quam summam vnumquodque Monasterium ritè id age-

id agere possit, Nos reformatas à P. Præside, & in Monasteria distributas portiones, approbantes, easdem, hisce litteris, præinseri, ac typis mandari duximus, vnâ cum summis pecuniarum ex alienationibus hactenus collectis, earumque, intrà quas bona alienãda supersunt, seu Census imponi possunt. Datum Romæ die octauâ Iulij 1643. Franciscus Cardinalis Barberinus Protector. Io. Nicolaus Tighettus Secr.

## CONSTITVTIO CCCXXVI.

### SVMMARIVM.

1643. *Maij* 23.

### VRBANVS PAPA VIII.

*Prorogat redemptionem, seù extinctionem Censuum, & ac ratarum eorum depositionem faciendam per Congregationem Casinensem, ad decennium.*

*Ex impresso.*

VRBANVS Papa Octauus. Ad futuram rei memoriam. Nupèr, pro parte dilecti filij Gregorij à Parmâ Abbatis, & Procuratoris Generalis Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, Nobis expositum fuit, quòd aliàs, diuersis vicibus, à maiori parte Monasteriorum eiusdem Congregationis, supèr eorum bonis stabilibus, diuersi annui, & redimibiles census impositi fuerunt, cum debitis licentijs, & cum hoc, vt census huiusmodi intrà certum, tunc expressum, tempus, extingui, & redimi, & ad hunc effectum certæ pecuniarum ratæ, sub certis tunc expressis censuris, & pœnis ipso facto incurren. deponi deberent. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, etiamnum malus eorundem Monasteriorum status perduret, itàut, illa penitùs, & omninò reddantur imparia ad dictos census extinguen: ratasque huiusmodi consequentèr deponen: tempusque, seu tempora aliàs ad eorundem censuũ extinctionem assignata, maiori parti eorumdem Monasteriorum propediem expiratura, & forsàn etiam, pro aliquibus ex eisdem Monasterijs expirata sint; Nobis propterea idem Gregorius humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos igitur eumdem Gregorium specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; Huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Gregorio Procuratori, & seu omnibus, & singulis Monasterijs eiusdem Congregationis, quæ censibus huiusmodi grauata sunt, vt præfertur, tempus, seu tempora decem annorum à datâ præsentium computan. intrà quæ, census huiusmodi per eos ad quos spectabit, sub pœnis, in concessione licentiarum eosdem census imponendi, expressis, extingui, & redimi omninò debeant, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus, & assignamus; & insupèr dictum Gregorium Procuratorem, & seu Monasteria huiusmodi ab onere deponen: ratas huiusmodi interim liberamus, ac quoscunque eorumdem Monasteriorum Abbates, & Cellerarios tam præteritos, quàm præsentes, ob non factam dictorum censuum infrà tempora sibi aliàs assignata extinctionem, à quibusuis censuris, & pœnis Ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, dictâ auctoritate, eorumdem tenore præsentium, absoluimus, & totalitèr liberamus, dictasque pœnas illis gratiosè remittimus, & condonamus, ac eosdem in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum restituimus, reponimus, reintegramus, & rehabilitamus. Non obstantibus litteris Apostolicis sub concessione licentiarum huiusmodi expeditis, ac quibusuis concessionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Maij MDCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo. M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXVII.

### SVMMARIVM.

1644. *Apr.* 16.

*Decretum EE. & RR. DD. Cardd. Sac. Cong. Rituum. In causâ Benedictionis Altarium fixorum, & portatilium pro Congregatione Casinensi.*

*Ex Arch. Monasterij S. Sixti de Placentia.*

IN Causâ Placentinâ Benedictionis, intèr Episcopum Placentinum ex vnâ, Abbatem S. Sixti eius Ciuitatis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis partes ex alterâ, supèr iure consecrandi quęcumque Altaria fixa, aut portatilia.

Die 16. Aprilis 1644. Sacra Rituum Congregatio, proponẽte Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Franciotto, auditis partibus, & attentis Priuilegijs Ordini prędicto ab Apostolicâ sede concessis, Censuit, Non licere Abbati Consecrare Altaria, nisi pro vsu propriarum Ecclesiarum, & Religiosorum eiusdem Ordinis tantum. Et ità seruari mandauit. Iulius Episcopus Tusculanus Cardinalis Sabellus. C. Paulutius Sacra Congregatione Rituum Secretarius.

## CONSTITVTIO CCCXXVIII.

### SVMMARIVM.

1644. *Oct.* 1.

### INNOCENTIVS PAPA X.

*Confirmat Decretum Congregationis Casinensis Reuocationis Affictuum bonorum dictæ Congregationis ad fauorem Monachorum eiusdem factorum, & faciendorum.*

*Ex impresso.*

INNOCENTIVS Papa X. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nupèr fecit dilectus filius Præsidens generalis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregatiobis Casinensis quod à Capitularibus

tibus Capituli generalis eiusdem Cógregationis nouissimè celebrati, conditum fuit pro felici gubernio, & regimine publico eiusdem Congregationis decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Cum ad aures nostras, non sine ingenti animi dolore peruenerit, in aliquibus Congregationis nostræ Monasteriis, non deesse Prælatos, qui in afflictum ducunt, vel Monachis ipsis, cum euidenti animarum iacturâ, vel sæcularibus, suorum Monasteriorum possessiones locent, eâ conditione, vt Monachus aliquis ab ipsis nominandus, dictorum bonorum curæ, & administrationi assistat, extrà claustra, à Superiorum obedientiâ immunis degens: Idcircò tàm graui, ac periculoso excessui, opportunum, ac necessarium remedium adhibere volentes; inhærendo ordinationi S.P.N. Benedicti C 33. & Constit. Nostris in decl. dicti cap. & cap. 57. & 2. par. Const. cap. 2. Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis in nostris Const. expressis, omnibus Prælatis, nè, quouis quæsito colore, aut prætextu, præsumant in posterum similes locationes facere, vel accipere, vel Monachis mediatè, vel immediatè conferre: factas vero, & hactenùs collatas, irritas, cassas, & nullas esse declarent respectiuè, tàm quoad ipsos Prælatos, quàm quoad Monachos; nec permittant in publicis Instrumentis prædictarum locationum, quæ sæcularibus personis committuntur, pacta, & conditiones inseri, quibus Monachi, prædictis bonis, & possessionibus administrandis præsidere; & cogant omnes, qui hâc de causâ extrà Cœnobiorum septa cómorantur, relictâ administratione, ad Monasterium reuerti. Vt autem præsentis decreti obseruationi maior vis, & pondus accedat, mandamus Procuratori nostro in Curiâ Romanâ degenti, quamprimum satagat, Breue aliquod excommunicationis ipsi Summo Pontifici reseruatæ, contrà præsentis edicti violatores, impetrare. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus exponens, decretum huiusmodi, quò firmiùs subsistat, & exactiùs obseruetur, Apostolicæ Nostræ confirmationis robore cómuniri summoperè desideret. Idcircò Nos, eiusdem Præsidentis generalis votis huiusmodi annuere, illumq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet, innodatus existat, ad effectum præsentium, dumtaxat, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; supplicationibus, illius nomine, Nobis supèr hoc humilitèr porrectis inclinati; stante prohibitione sacrorum Canonum, & Constitutionum dicti Ordinis, Apostolicâ auctoritate confirmatarum, Decretum præinsertum, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, ad abundantiorem cautelam confirmamus, & approbamus; illique inuiolabilis, & perpetuę firmitatis vim, & robur adijcimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desupèr, quomodolibet, interuenerint, seu interuenisse dici, vel censeri possint, supplemus; mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Congregationis Superioribus, Monachis, & personis, in virtute sanctæ obedientię, ac sub excommunicationis pœnâ, per eos ex dictâ Congregatione, qui decreto præinserto huiusmodi contrauenerint, eò ipsò, absque vllâ aliâ declaratione, incurrendâ, & à quâ, non nisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui queant, quatenùs præinsertum decretum prædictum inuiolabilitèr, & inconcussè obseruent, obseruarique curent, & faciant. Decernentesque præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & non alitèr in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquàm, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, cófirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis eorumdem Ordinis, & Congregationis Religiosis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio, habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret; illorum omnium tenores, præsentium pro plenè, & sufficientèr expressis habétes illis aliàs in suo robore permásuris; ad præmissorum effectum specialitèr, & expresè derogamus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ alicuius in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die primâ Octobris MDCXLIV. Suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo. M. A Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXIX.

*SVMMARIVM.*

1644 *Decemb.* 7.

INNOCENTIVS PAPA X.

*Dietæ celebrationem pro anno 1644. Congregationi Casinensi interdicit. Administrationes, & Officia, vsque ad futurum Capitulum Generale prorogat.*

*Ex Arch. Congr. Casin. Romæ.*

INNOCENTIVS Papa X. Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut Nobis nupèr exposuit dilectus filius Noster Franciscus Tit: Sancti Laurentij in Damaso Presbyter Cardinalis Barberinus nuncupatus, Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, apud Nos, & Apostolicam Sedem Protector, pro bono regimine eiusdem Congregationis, præsertim verò, vt grauibus expensis indè resultantibus parcatur, ac oneribus Cameralibus faciliùs satisfiat, celebrationem Dietæ eiusdem Congregationis, ante Capitulum Generale celebrari solitæ, & quæ circà proximum Festum Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, iuxtà Constitutiones dictæ Congregationis,


aucto-

auctoritate Apostolicâ confirmatas, celebrari deberet, intermitti expediat; cum iam eiusdem Congregationis Monasterijs de Administratoribus idoneis prouisum sit, nècnon insimul dilectos filios, Abbates, Priores, & alios officiales eiusdem Congregationis infrascriptos in suis respectiuè officiis, vt infrà continuari. Idcircò Nos, eiusdem Congregationis, commodis, & indemnitati, felicique statui, quantum Nobis ex alto conceditur, consultum esse cupientes, celebrationem Dietæ huiusmodi, quæ circà proximum Festum Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi fieri deberet, vt prædicitur, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ità vt antè proximum eiusdem Congregationis Capitulum Generale nullatenùs fiat, suspendimus, necnon Abbates, Priores, Cellerarios, ac Magistros Nouitiorum, qui quinquennium ab eisdem Constitutionibus præfixum compleuerint, vsque ad dictum Capitulum Generale eiusdem Congregationis proximè futurum, in suis respectiuè Officijs confirmamus, prorogamus, ac continuare volumus cum omnibus, & singulis facultatibus, auctoritatibus prerogatiuis, priuilegijs, gratijs, & indultis, quibus hactenùs, eorumdem officiorum ratione, vsi, & gauisi fuerunt, ac vti, & gaudere potuerunt, seu etiam debuerunt. Decernentes præsentes litteras, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabilitèr obseruari, sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs, quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibèt concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis haben., illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialitèr, & expressè derogamus; ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Decembris 1644. Pontificatus Nostri Anno primo. M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXX.

### *SVMMARIVM.*

1645. *Nouembr.* 7.

## INNOCENTIVS PAPA X.

*Confirmat Decretum Capituli generalis Congregationis Casinensis, Pro electione Decanorum facienda ex Monachis, qui Sacra Theologiæ per septennium, Iuri Canonico per quadriennium studuerint, vel saltem Casibus conscientiæ operam dederint.*

*Ex impresso.*

INNOCENTIVS Papa X. Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, Nobis nupèr exponi fecit, à Capitularibus proximè præteriti Capituli generalis eiusdem Congregationis, quò illius Monachi studio feruentiùs incumbant, & ad bonarum litterarum cognitionem impensiùs incitentur, factum fuerit decretum tenoris sequentis, videlicet. Nullus deinceps in Decanum eligi possit, nisi priùs in S. Theologiâ, vel Sacris Canonibus, consuetos cursus, sinè interruptione peregerit, earumque facultatum publicas conclusiones laudabilitèr sustinuerit, habitâ de his omnibus in scriptis, ac iuramento firmatâ ab ijs Lectoribus, & Prælatis, apud quos prædictis facultatibus insudauerit, attestatione, à Capitulo generali approbandâ. Theologiæ vero cursus, nonnisi per integrum septennium, computato triennali cursu Philosophiæ, adimpleri possit; Sacrorum etiam Canonum per quatriennium. Huius tamen decreti obligatione non teneantur, nisi qui nondum sexennium in Congregatione impleuerint. Quò verò Religionis ordine prouectiores fuerint, studio moralis saltem Theologiæ incumbere debeant, nisi supradictos cursus, & ipsi peregerint, aliâs in Decanos eligi nequeant. Datum in Monasterio Sancti Petri de Perusiâ xv. Maij M. DC. XXXXV. D. Gregorius ab Aretio Cancellarius. Quò verò decretum præinsertum firmiùs subsistat, & exactiùs obseruetur, idem Procurator generalis, dictæ Congregationis nomine, illud per Nos confirmari summoperè desideret. Nos eumdem Procuratorem generalem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; supplicationibus illius nomine Nobis supèr hoc humilitèr porrectis, inclinati. Decretum præinsertum, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus; illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desupèr quomodolibèt interuenerint, supplemus. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inuiolabilitèr, & inconcussè obseruari; sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstan: Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibèt concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, illorum teñ. præsentibus pro plenè & sufficientèr expressis haben. illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialitèr, & expressè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides

in

in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die vij. Nouembris MDCXLV. Pontificatus Nostri Anno II. M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXXI.

### SVMMARIVM.

1646. Aug. 28.

### INNOCENTIVS PAPA X.

*Confirmat Decretum Capituli Generalis Congregationis Casinensis, circà solutionem Taxarum. Pœnasque contrà eas non soluentes indicit.*

*Ex impresso.*

INNOCENTIVS Papa X. Ad futuram rei memoriam. Ea, quæ pro Religiosorum Ordinum quorumcunque fœlici directione, prosperoque statu ab eorum Superioribus, in Capitulis generalibus facta, & ordinata fuisse noscuntur, vt firma & illibata persistant, libentèr, cum à Nobis petitur, Apostolicæ confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubritèr expedire. Cum itaque, sicut Dilectus filius Ludouicus Balbus Procurator Generalis Congregationis Casinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti, Nobis nupèr exponi fecit, Anno superiori, Capitulares Capituli generalis eiusdem Congregationis, tunc celebrati, decreuerint; Quod ij ex dictæ Congregationis Abbatibus; qui onera Cameralia, vtcumque eorum Monasterium tangentia, Procurariæ Romanæ non soluissent, voce actiuâ in Capitulo generali eiusdem Congregationis subsequenti, priuati remanerent, & subinde experientiâ docuerit, Decretum huiusmodi ad consequendum à singulo quoque dictæ Congregationis Monasterio solitas Taxas valdè proficuum extitisse, Proindèque Capitulares Capituli generalis eiusdem Congregationis, hocce præsenti anno celebrati, ediderint Decretum infrascriptum, tenoris qui sequitur, videlicet. Vt tandem prouideatur periculis, & damnis imminentibus, ob retardationem, & omissionem solutionum debitarum per Monasteria nostræ Congregationis, tam Procurariæ generali Romæ, quàm Capsæ Venetiarum, respectiuè, committimus Reuerendiss. Patri Procuratori Generali, vt à Sanctiss. Domino curet per litteras in formâ Breuis, prohiberi accessum ad Capitulum Generale singulis futuris annis, illis Prælatis, & Cellerario priuationem Officij Cellerariæ, quorum Monasteria, suis debitis temporibus, Taxas, & Annatas debitas, nec non solutiones, vel debita nuncupata Conto à parte, non persoluerint, tàm ipsi Procurariæ, quàm Capsæ Venetiarum; & si contrà præsens Decretum accesserint ad locum Capituli, suspendantur Abbates per annum ab administratione Abbatiæ; nec liceat prædictis Reuerendiss. Patri Procuratori, & Capsario affirmari in suis computis se recipisse pecunias, quas effectiuè non receperint, in virtute sanctæ obedientiæ. Dat. Perusij die xxix. Aprilis M. DC. XXXXVI. Idcirco dictus Ludouicus Procurator Generalis, quò præfata onera Cameralia exactè (vt par est) persolui possint. Nobis humilitèr supplicari fecit, vt præmissa confirmare de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur eumdem exponentem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volen., & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine, quàuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectû præsentium, dumtaxat, consequendû, harum serie, absoluentes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati. Decretum præinsertum, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos, tàm iur's, quàm facti defectus, si qui desupèr quomodolibèt interuenerint, supplemus. Decernentes, decretum huiusmodi in eâdem Congregatione perpetuò obseruari debere; præsentesque Nostras litteras validas, firmas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâuis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibèt concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1646. Pontificatus Nostri Anno Secundo. M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXXII.

### SVMMARIVM.

1647. Martij 15.

### INNOCENTIVS PAPA X.

*Administrationem Cellerariæ Monasteriorum Congregationis Casinensis committendam tantummodò Decanis, cum titulo Cellerarij, non autem simplicibus Sacerdotibus, cum titulo Oeconomi, constituit.*

*Ex impresso.*

INNOCENTIVS Papa X. Ad futuram rei memoriam. In his Apostolicæ Nostræ solicitudinis partes libentèr interponimus, per quæ Religiosorum Ordinum quorumlibet felici statui, opportunè consulitur. Exponi siquidem Nobis nupèr fecit dilectus filius Ludouicus Balbus Procurator Generalis Cōgregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti, Quod Constitutionibus eiusdem Congregationis, Apostolicâ auctoritate confirmatis, cautum reperitur, vt in Cellerarios Monasteriorum dictæ Congregationis, nulli omnino, præter Decanos, eligantur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, per abusum

in eâdem Congregatione introductum, administrationes officiorum Cellerariatuum huiusmodi, simplicibus Sacerdotibus, qui non sunt Decani, sub titulo, & nomine Oeconomiæ, committi consueuerint; quod directè Constitutionibus præfatis, & solito eiusdem Congregationis repugnat, & ex quò grauia perturbationes, & incomoda in eâdem Congregatione prouenire possunt. Nobis propterea, idem Ludouicus Procurator Generalis humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur eumdem Ludouicum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat, consequeñ; harum serie, absoluentes, & absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negocijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, vt in posterum ad Officium Cellerariatus, Decani tantum promoueantur, ad præscriptum præfatarum Constitutionum eiusdem Congregationis Casinensis, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, statuimus, & ordinamus; saluâ tamen semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes quascunque electiones quorumcunque aliorum, quam ipsorum Decanorum ad Officia Cellerariatuum huiusmodi, de cętero, quandocunque, & quomodocunque aliàs, quam iuxtà præsentium litterarum formam, & tenorem faciendas, nullas, irritas, & inanes fore, & esse, neminique suffragari posse, ac ipsas præsentes litteras, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inuiolabilitèr, & inconcussè obseruari; sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secùs supèr his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâuis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibèt concessis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialitèr, & expresse derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impresis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die quintâ decimâ Martij M. DC. XXXXVII. Pontificatus Nostri Anno tertio.

M. A. Maraldus.

## CONSTITVTIO CCCXXXIII.

### *SVMMARIVM.*

1 *Decreta Sac. Congregationis EE. & RR. DD. Cardũ. Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum. Quod Confessarij Monialium Congregationis Casinensis, in locis, vbi non adsunt Monasteria Monachorum, vel sunt extrà mœnia Ciuitatum, possint habitare in domibus proximis Monasterijs earumdem Monialium, sed ab eisdem penitùs disiunctis.*

2 *Confessarij prædicti, possint pernoctare in eisdem domibus, etiam in locis vbi adsunt Monasteria Monachorum.*

3 *Monachi, seu Regulares quilibet, quantumuis consanguinei, vel Fratres Monialium, indigeant facultate easdem alloquendi.*

Illvstrissimo, & Reuerendissimo Signor Per lo decreto di cotesta Illustrissima Congregatione vscito sopra l'accesso, & colloquio de Religiosi con Monache, nascono alcune difficoltà à Prælati della Congregatione Casinense, che di esse hanno il gouerno; per la resolution de quali al fonte dell' Illustrissima Congregatione istessa si ricorre.

1 L'Abbate di San Paolo di Roma ha doi Monasterij, l'vno nella Città di Todi, l'altro nella Città d'Amelia, in niuna de quali si troua Monasterio de Monaci dell' istessa Congregatione, & però è stato solito fin hora, di mantenere continuamente per Ordinario Confessore à ciascheduno di detti Monasterij vn Padre di età vecchio, & di costumi maturo, nelle stantie per questo effetto fabricate, attaccate, & contiguè al Monasterio delle Monache si, ma però senza prospetto alcuno dall' vna, & l'altra, & iui esso Confessore sta à mangiare, & dormire, & giorno e notte.

L'Abbate di Piacenza similmente ha sotto sua cura le Monache del Monasterio di San Benedetto di Cremona, nella qual Città non è Monasterio di Monaci dell' istessa Congregatione, & però vi mantiene il Confessore nell' istesso sudetto modo, fuor che le stantie del Confessore sono talmente contigue col Monasterio, che non si possono per l'angustia del loco in modo alcuno separarare da quelle delle Monache, che non vi sia prospetto dall' vne nell' altre, & nell' istesse stanze son sforzati di habitare i Reuerendi Visitatori, & Prelati proprij, che per l'offitio di Visita, ò di altra necessaria occasione iui si transferiscono. Si desidera dunque sapere se ne i sudetti luoghi si puo seguitar come fin'hora si è fatto, o come s'habbia da fare.

Vbi non adsunt Conuentus Monachorum, vel sunt positi extrà mœnia, Censuit Congregatio concedendam esse domunculam à muris Monasterijs Monialium penitùs disiunctam. Cæterum nihil. Die 2. Iulij 1590.

2 Si ritrouano diuersi Monasterij di Monache distãti da Monasterij de loro Padri, chi vn miglio chi vno è mezzo, chi due & più, & alcuni anco fuori delle Città, le porte delle quali si sogliono la sera chiudere, & però è stato fin hora consueto, che nel tempo delle Confessioni hanno pernottato iui, si per poter nell'infirmità, anco nel tempo di notte ministrare li estre-

estremi Sacramenti si perche se fussero sforzati nel tempo delle confessioni ritornare al Monasterio la sera, doppio tempo vi bisognaria in esse confessioni, oltre che troppo saria faticoso questo viaggio ad alcuni di essi Confessori che sono vecchissimi; la onde si desidera sapere, se si può seguitare nelle sudette occasioni l'istesso vso, ò pur come s'habbia da farè.

Congregatio respondit vt suprà.

3 Essendo li mesi adietro stato decretato di ordine di N. S. dall' Illustrissima Congregatione sopra il Concilio che particolarmente nella Città di Milano i Fratelli carnali possano senz'altra licenza visitar le loro Sorelle Monache; vietandosi hora in questo vltimo decreto indifferentemente l'accesso ad ogni Religioso, senza espressa licenza di cotesta Illustrissima Congregatione: Si desidera sapere, se detti Religiosi vengano anch' essi in questa vltima prohibitione compresi, ò se pure possono godere della gratia prima concessali; nelle quali difficoltà tutte, qnanto sarà da cotesta Illustrissima Congregatione risolutamente concluso, come humilmente si supplica, sarà inuiolabilmente da sudetti Padri osseruato, come da obedientissimi seruitori delle Illustrissime Vostre Signorie, per le quali non si mancarà di pregare il Signor Dio.

Prohibentur Regulares, & indigent Congregationis licentia. Cardinalis Alexandrinus.

## CONSTITVTIO CCCXXXIV.

### SVMMARIVM.

*1649. Sept. 20.*

***Decretum** Serenissimi Senetus Veneti, Confirmationis Priuilegiorum, & Exemptionum Monialium Monasterij S. Petri de Vicentià, Congregationis Casinensis.*

***Ex autentico.***

**1649. 20. Settembre in Pregadi.**

COMPROBATI plenamente rimangono dalle scritture hora lette gli antichi Priuilegij, & prerogatiue libere delle Monache di S. Pietro di Vicenza, che viuono sotto la sola tutela; & sopraintendenza spirituale della Congregatione Casinense, con le istesse dipendenze, & Immunità godute da essa, & stanno in oltre rassegnate nella immediata suprema protettione, & assoluta giurisdittione della Republica.

Siano però fermi, & inalterati li medesimi Priuilegij, Superiorità, & Giurisdittioni respettiuamente; quali per le cose sin hora fatte non doueranno intendersi punto pregiudicati, così non possa in auuenire farsi nouita alcuna, senza expressa licenza di questo Conseglio. Onde illese in primo capo le publiche ragioni, si continui in tutti gli altri nell' ordine pratticato, & nella regola piu puntuale, a gloria del Signore Dio, & à consolatione di ogni vno. Girolamo Giauarina Secretario.

## CONSTITVTIO CCCXXXV.

### SVMMARIVM.

*Decretum Sacræ Congregationis EE. RR. DD. Cardd. Sacri Concilij Tridentini Interpretum. Pro licentijs ingrediendi Clausuras Monasteriorum Monialium Regularibus subiectarum non concedendis, nisi à Superioribus Regularibus; nisi adsit alia consuetudo legitimè præscripta.*

***Ex impresso.***

CONGREGATIO Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium, qui Sacri Concilij Tridentini Decretis interpretandis præpositi sunt, consulta, respondit, vt infrà, videlicet. Congregatio Concilij censuit, Licentias ingressus, ex vera tantum necessitate, concedendas, quò ad Monasterià Monialium Regularibus subiectarum; spectare ad ipsos Superiores Regulares, nisi in loco esset consuetudo, legitime præscripta, vt huiusmodi licentiæ, etiam quò ad Monasteria, quæ Regularibus subsunt, ab Episcopo tantum, vel ab Episcopo, & Superiore Regulari coniunctìm obtinerentur; tunc enim consuetudinem esse obseruandam. Hier. Card. Matthæius.

Finis Tom. I. Bullarij Casinensis.

PRIVI-

# PRIVILEGIA, ET INDVLGENTIÆ

## Concessa per Summos Pontifices Congregationi Casinensi absque expeditione Bullæ.

*Ex impresso in fine Constit. Cong. Casinen. in Regulâ S. P. N. Benedicti.*

BEATISSIME Pater supplicant S. V. deuoti Filij, & Oratores vestri Præsidens, & Visitatores Congregationis Monachorum de Obseruantiâ Sanctæ Iustinę; quatenus de singulati gratiâ, & in fauorem Obseruantiæ Regularis concedere dignemini, quòd Præsidens Visitatores, Abbates, Priores, Administratores, & qui loco eorum in ipsorum absentiâ constituuntur Monasteriorum, siue locorum dictæ Congregationis præsentes, & futuri; omnibus, & singulis Monachis, Nouitijs, Conuersis, & Commissis, eiusdem Congregationis, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint Confiteri volentibus pro omnibus, & singulis peccatis, delictis, & excessibus, de quibus Sedes Apostolicâ esset meritò consulenda pro semel tantum; pro alijs verò quibuscunque, prętter Sedi Apostolicæ reseruata, quotiens opus fuerit, authoritate Apostolicâ, possint absolutionis beneficium impendere, & pœnitentiam iniungere salutarem.

1 Similiter omnes, & singulos prædictos a quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdictorum sententijs, alijsque censuris, & pœnis ecclesiasticis, à iure, vel ab homine, authoritate Apostolicâ, vel quâuis aliâ generalitèr, vel specialitèr promulgatis, & quarum absolutio esset etiam Sedi Apostolicæ generalitèr, vel specialitèr reseruata, si quas incurrerint, iniunctâ debitâ satisfactione, quotiens opus fuerit, absoluere valeant.

2 Possint etiam super irregularitatibus, quibuscunque, & quomodocunque contractis, homicidio, seu mēbri mutilatione propriâ manu commissis, aut falsificatione litterarum Apostolicarum, & bigamiæ, irregularitatibus dumtaxat exceptis, semel tantum, cum supradictis dispensare.

3 Super irregularitatibus verò, si quas ex censuris supradictis, vel earum aliqua, diuina officia celebrando, dum tamen non in contemptum clauium, forsan incurrere contigerit, quotiens opus fuerit, valeant similitèr dispensare; ita vt omnes, & singuli, cum quibus super irregularitatibus supradictis dispensari contigerit, vt præmittitur, ad omnes Sacros Ordines promoueri valeant, & in Ordinibus sic susceptis liberè ministrare.

4 Quodque Præsidens, Visitatores, Abbates, Priores, & Administratores, & qui eorum loco in ipsorum absentia deputantur à Confessore, quem elegerint in præmissis absolui possint, quotiens expedierit, & cum eis, vt præmittitur dispensari.

5 Quodq; deputati ad audiendum Confessiones Congregationis huiusmodi, possint audire omnes ad se venientes, absque aliâ suorum Superiorum licentiâ, & eos pęnitentiâ, & satisfactione iniunctis quotiens oportuerit absoluere ab omnibus, & singulis peccatis, & à quibuscunque, suspensionum, & excommunicationum sententijs, alijsque ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à iure, vel ab homine latas, incurrisse quomodolibet censebuntur, ac in omnibus, & singulis casibus cum eis dispensare, præter ea peccata, censuras, pœnas, & casus, de quibus ipsis Confessoribus videbitur eorum Ordinarijs deferendum, aut de quibus esset meritò Sedes Apostolicâ consulenda, & eis ministrare Eucharistiæ Sacramentum.

6 Quodque pœnitentia ieiuniorum, quæ imposita est Monachis, & personis dictæ Congregationis, occasione Plenariæ Indulgentiæ in articulo mortis per Priuilegium Apostolicum concessæ, possit per Prælatos, seu Visitatores dictæ Congregationis modificari, alterari, variari, augeri, & minui dictorum Prælatorum arbitrio.

7 Et quòd hæc & aliæ gratiæ amplectantur Nouitios, qui dumtaxat perseuerauerint, licet de eis in Apostolicis litteris non caueatur

8 Quodque in omnibus gratijs eidem Congregationi, siue eius Monasterijs, vel personis concessis, si quid dubitationis, vel scrupuli emerserit, non secundum iuris rigorem, seu subtilitates, aut difficultates, sed secundum bonam æquitatem, in fauorem salutis animarum largissimè intelligantur, & interpretentur. Fiat vt petitur de omnibus. G.

Et quod supradicta omnia per solam signaturam. S. V. vim & effectum obtineant, ac si super illis litteræ Apostolicæ confectæ, & per Bullam Plumbeam obtenta fuissent. Non obstantibus Apostolicis, & alijs Cancellariæ constitutionibus, consuetudinibus, & ordinibus contrarijs quibuscunque. Fiat G.

1 VNiuersis, ac singulis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Cōuersis, Cōmissis, & Nouitijs Congregationis Monachorum Sanctæ Iustinæ, Ordinis Sancti Benedicti præsentibus, & futuris, ad quos nostræ huiusmodi peruenerint litteræ salutem, & pacem in domino Iesu Christo.

2 Fidem facimus, & testamur nos Definitores Capituli Generalis eiusmodi Congregationis, celebrati in Monasterio Sancti Benedicti de Padolyrone, Mantuanę diocesis, eiusdem Ordinis, & Congregationis; Anno Domini Mccccxxxv. Die verò xiiii. mensis Maii. Qualiter Sanctissimus Dominus Noster Dominus Eugenius Papa IIII. concessit pręfatę Congregationi anno primo sui Pontificatus infrascriptas gratias, per signaturam manus proprię, quam absque Bullarum confectione voluit valere, ipsamq; signaturam in aliquibus, minus plenam, Oraculo viuæ vocis postea suppleuit, prout inferiùs tenore præsentium duximus annotandum, vt sit memoriale perpetuum, ad faciendam fidem præsentibus, & futuris, ac de mentibus fratrum ambiguitates, & scrupulositates tollendas, videlicet, quòd Præsidens, Visitatores, Abbates, seu Priores Monasteriorum, siue locorum dictæ Congregationis præsentium, & futurorum, omnibus, & singulis Monachis, Conuersis, Commissis, & Nouitijs eiusdem Congregationis, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint, confiteri volentibus, pro commissis singulis, etiam si talia fuerint, propter quæ esset Sedes Apostolicâ consulenda, authoritate præfatâ, in fauorem Religionis, absolutionis beneficium impendere, ac pœnitentiam salutarem iniungere,

gere, illosque à quibuscunque suspensionum, & interdicti sententijs, alijsque ecclesiasticis censuris, & pęnis, quas à iure, vel ab homine, etiam per Legatorum, vel Delegatorum Sedis Apostolicæ sententias promulgatas incurrisse, quomodolibet censebuntur; etiam si propterea ad Sedem Apostolicam, vel quęlibet alium specialitèr habendus esset recursus, debita satisfactione, siqua propter huiusmodi censuras esset fienda, præmissa, vel de eâ facienda loco, & tempore debitis præstita promissione, & alias pœnitentias, & satisfactione iniunctis, absoluere possint, ac cum eis super irregularitatibus, siquas propter huiusmodi sententias, vel alitèr quomodocunque, præterquam in homicidij propriâ manu commissi, aut bigamiæ casibus, etiam si Missas, & Diuina Officia, non tamen in contemptum clauium, post huiusmodi censuras celebrauerint, aut se immiscuerint, dispensare & eos absoluere possint; abolendo etiam omnem inhabilitatem, & infamiæ notam, ita vt ad omnes Sacros Ordines valeant promoueri.

3 Abbates quoque, & Priores Congregationis præfatę, ab ipsius Congregationis Præsidente, & Visitatoribus, in præmissis absolui possint, & secum dispensari.

4 Præsidens verò à quocunque Visitatore; Visitatores ab ipsis inuicem, & à Præsidente absolui, & cum eis dispensare valeant in omnibus, vt præmittitur.

5 Quodque deputati ad audiendum Confessiones, per Monasteria, seu loca dictæ Congregationis possint audire ad se venientes, absque aliâ Superiorum suorum licentiâ, & eos absoluere ab omnibus peccatis, ac in omnibus casibus, cum eis dispensare, præter ea peccata, & illos casus, de quibus ipsis Confessoribus videbuntur eorum Episcopis deferenda, aut de quibus esset Sedes Apostolicâ meritò consulenda, & eis ministrare Eucharistiæ Sacramentum.

6 Insuper, quòd pœnitentia ieiuniorum, quæ imposita est Monachis, & personis dictæ Congregationis, ratione Plenariæ Indulgentiæ in mortis articulo, per Priuilegium Apostolicum concessæ, possit per Prælatos, seu Visitatores dictæ Congregationis modificari, alterari, variari, augeri, & minui, dictorum Prelatorum arbitrio. Et quod huiusmodi gratia, plenariæ indulgentiæ, amplectatur etiam Nouitios; licet de eis in Apostolicis litteris non caueatur. Data Ferrariæ, quinto Kal. Iulii. Anno. XIII.

Ego Dominus Ioannes de Sicilia Scriba Capituli, ad fidem prædictorum me subscripsi. Anno, & die, quo suprà.

1 CALISTVS III. concessit, vt Oblati Congregationis S. Iustinæ, seu Casinensis gauderent omnibus Gratijs spiritualibus, sicut Monachi.

2 PIVS II. concessit, quod pro consequendâ Indulgentia Plenaria in articulo mortis, respectu Priuilegij Eugenij IV. in quo continetur, quod per annum, semel in hebdomadâ septem Psalmi Pœnitentiales dicantur; possit tempus abbreuiari, & sit satisfactum Priuilegio, si totiens prædicti Psalmi dicantur, quot sunt in anno hebdomadæ.

3 Concessit etiam, quod si Monachus in articulo mortis constitutus, reperiretur in loco, vbi Sacerdos de Congregatione haberi non posset, quilibet alius Sacerdos possit eidem dare prædictam Indulgentiam.

4 Concessit insuper, quod, qui præfatam pœnitentiam pro Indulgentiâ in mortis articulo consequendâ compleuerint; ex tunc ipsam gratiam, ab hâc luce decedentes assequantur; etiam si Sacerdotis copiâ in ipso suæ vitæ termino caruerint; dummodò in ipsius Congregationis gremio esse reperiantur. Iulius II. ampliauit, quod si moriens non perfecerit prædictam pœnitentiam septem Psalmorum, possint alij pro eo supplere.

5 Idem Anno 1464. Viuæ vocis oraculo concessit Præsidenti, & Definitoribus Capituli generalis quod Monachis incorrigibilibus licentiam impertiri possent transeundi ad aliam Religionem eiusdem Regulæ, etiam laxiorem, in quâ etiam minùs regularitèr viueretur.

6 Item concessit, quod per omnia Monasteria Congregationis prædictę, Hospitibus, Peregrinis, & famulis, possint â Monachis conferri Ecclesiastica Sacramenta, quotiès opus fuerit, si quos illorum contigerit infirmari.

7 PAVLVS II. concessit, quod Infirmi, qui ad Ecclesiam accedere non possunt, si in camerâ in quâ habitant dicant quinquies Psalmum Miserere, gratiam stationum Vrbis consequantur. 1469.

8 SIXTVS IV. concessit Stationum Vrbis Indulgentiam diebus singulis quibus generale Capitulũ celebratur omnibus eiusdem Congregationis visitantibus Altaria, & facientibus prout aliis diebus Stationum fieri consueuit. Anno 1473.

9 Idem concessit, quod si Congregationis prædictæ Monachi aliquâ essent necessitate, vel infirmitate prępediti, vel in itinere constituti, ita quod Ecclesias pro consequendis Indulgentiis, & aliis gratiis eidem Congregationi concessis, adire non possent; illas nihilominus consequantur, dicendo dumtaxat illud, quod in Ecclesiâ dicturi erant.

10 Idem confirmauit eidem Congregationi Indulgentiam Plenariam in Mortis articulo.

11 Idem concessit eidem Congregationi Indulgentiam Plenariam in die coronationis suæ, dicentibus ante Altare Maius ter Psalmum Miserere, aut duodecies Pater noster, & Aue Maria. Idem concessit Innocentius VIII. Alexander VI. Iulius II. Leo X.

12 Item concessit, quod Monachi, qui diuersis occupationibus impediti Diuinis Officijs in Festo Corporis Christi, & Visitationis B.V. Mariæ, atque eorum Octauis interesse non possent, earumdem Indulgentiarum gratiam, ac si personalitèr interessent, consequantur.

13 Item concessit, quod obligatis ad Diuinum Officium, sufficiat attentio ad Antiphonas, Responsoria, & alia huiusmodi, quæ dicuntur per vnum in Choro.

14 Item declarauit, quod quibuscumque verbis vtantur legantes, vel testantes, seu alij imponentes, & acceptantes Missas, intelligantur ij tales ad participationem tantum admissi, & non ad totum Missæ effectum.

15 INNOCENTIVS VIII. declarauit quod Indulgentias Vrbis Congregationi concessas, Itinerantes assequantur dicentes Psalmum Miserere tam in alijs locis, quam in Nostris. Quam etiam Indulgentiam assequuntur Infirmi, dicendo Psalmum Miserere prout possunt: & declarauit intelligi debere non solum de Indulgentijs Ecclesiarum, quę sunt intrà Vrbem, sed etiam extrà, & propè.

16 Idem quoque Pontifex Anno 1492. ampliando prædictam gratiam, Viuæ vocis oraculo indulxit omnibus præfatis, etiam Oblatis in Monasterijs commorantibus, quod addendo ad Psalmum Miserere, vel ad quinque Pater noster Orationem Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum Innocentium &c. Consequantur Indulgentiam omnium Ecclesiarum, non solum Romæ, & propè existentium; verum etiam in toto terrarum Orbe constitutarum. Volens insupèr legitimo impedimento detentis, ad easdem consequendas Indulgentias, satis esse,

esse, si semel tantum Dominicam Orationem, cum Angelicâ salutatione dixerint, aut si nihil omnino dicere nequiuerint, solam intentionem sufficere. Idem confirmarunt Alexander VI. & Iulius II. & Gregorius XIII.

17 Idem concessit Indulgentiam Plenariam in Mortis articulo, cum absolutione ab omnibus casibus, cum omnimodâ auctoritate Apostolicâ, ac si Confessor in illo actu esset Summus Pontifex, de Anno 1492. 29. Aprilis, Viuæ vocis Oraculo.

18 Idem concessit, quod Cappellani Monasteriorum, qui pro tempore fuerint, sint participes earumdem gratiarum spiritualium, seruatis seruandis.

19 Idem concessit tàm Abbatibus, quàm Prioribus principale regimen Monasterij habentibus, quod possint, & valeant benedicere Corporalia, Vestimenta, cœteraque ornamenta Ecclesię, & ad cultum Diuinum pertinentia, tàm suæ Ecclesiæ, quam etiam vndecumque delata, & tàm à Nostris, quam ab alijs 1487.

20 Idem concessit, quod Superiores Congregationis in Quadragesimâ, & alijs Ieiunijs de præcepto possint anticipare horam Comestionis ante horam Nonam vt eis expedire videbitur.

21 Idem concessit, seu declarauit, Quod Prælati Congregationis, correctionis gratiâ, non solum per se ipsos, sed etiam per alium Monachum verberare valeant 1490.

22 IVLIVS II. concessit quod Prælati Congregationis possint habere in viâ Altare portatile, ac etiâ possint erigere, vel transferre Altare, etiam irrequisito Conuentu.

23 Idem concessit Quod Prælati, & Conuentus sine aliquo conscientiæ scrupulo possint renunciare hæreditatibus non aditis.

APPEN-

# APPENDIX

## AD TOMVM I.

## BVLLARII CASINENSIS,

Seu

PRIVILEGIA REGVLARIBVS CONCESSA,

Quæ à Congregatione prædictà directè, vel indirectè

PARTICIPANTVR,

Vnà cum Constitutionibus, quæ eisdem Regularibus

PRIVILEGIA CONGREGATIONIS CASINENSIS
directè, vel indirectè

COMMVNICANT.

346

## CONSTITVTIO CCCXXXVI.

*SVMMARIVM.*

*1264. Septembris 12.*

## VRBANVS PAPA IV.

*Abbati Montis Virginis Pontificalium vsum, Ordinum Minorum Collationem, Sacrorum Vasorum Benedictionem, Indulgentiæ quadraginta dierum elargitionem, Causarum Matrimonij intèr Vassallos cognitionem, elargitur.*

*Ex Priuil. Cong. Montis Virginis.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Montis Virginis, ad Romanam Ecclesiam, nullo medio, pertinentis, Ordinis S. Benedicti, Auellanæ Diæcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ecclesia Romana, veluti circumspecta Mater, & prouida, nonnullas Ecclesias, tamquam filias prædilectas, maioribus effert honoribus, munere præuenit gratiæ potioris, & gratioribus insignit titulis dignitatum; vt sicut venustatis, & Sapientiæ filiæ in Matris obedientiam, & reuerentiam sempèr promptę habeantur, feruentes, & studiosæ ad ipsius seruitia, beneplacita, & mandata. Cum igitur Monasterium vestrum, vtpotè, sicut â fide dignis accepimus, piâ religione conspicuum, & â fidelibus populis illarum partium venerabilitèr frequentatum, ac perspectum, ipsius, ex prerogatiuâ specialis dilectionis, & gratiæ, sinceritatis brachijs amplexamur. Vestris proptèr hoc honoribus, & vtilitatibus libentèr intendimus, sperantes vos haberi deinceps in Apostolicæ Sedis obsequijs, ex impensis vobis acceptioribus ab eâ beneficijs, honoris, & gratiæ, promptiores. Nos itaque ob deuotionem B. Mariæ Virginis, gloriosæ in cuius honore dictum Monasterium est fundatum; vestris supplicationibus inclinati, vsum Mitræ, Baculi, Annuli, Sandaliorum, Chirotecarum, Tunicæ, Dalmaticę, Benedictione solemni ad populum, ordinatione Minorum Ordinum, Indulgentiâ quadraginta dierum, benedicere etiam Calices, & omnia alia ornamenta Ecclesiastica, & cognoscere de Matrimonio inter Vasallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili, Abbas, & successoribus tuis, in perpetuum, quos potiùs signitis intendere cupimus; dummodo tibi, & eisdem successoribus sit more, ac modo debito munus benedictionis impensum, & te, ac eos constet existere Sacerdotes, auctoritate præsentium concedimus, de gratiâ speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem veterem. 2. Idus Septembris Pontificatus Nostri Anno III.

## CONSTITVTIO CCCXXXVII.

*SVMMARIVM.*

*1407. Apr. 3.*

## GREGORIVS XII.

*Congregationi Canonicorum Regularium S. Saluatoris, Priuilegia Canonicorum Regularium Lateranensium, ac Fratrum Eremitarum S. Augustini Communicat.*

*Ex Bullar. Rom. Tom. I. Greg. XII. Const. 2.*

GREGORIVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Excitat Nostrę mentis arcanum, specialis, & affectuosa dilectio, quâ domum Prioratus S. Saluatoris de Siluâlacus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem Ordinis S. Augustini, Senensis Diœcesis sumus hactenùs prosecuti, & paterno prosequi studio non cessamus, vt circâ statum eius attentæ considerationis intuitum dirigentes, opem impendamus, & operâ, vt illa ad Dei laudem, & gloriam non solum in suis bonis, & iuribus conseruetur, sed etiam prosperis iugitèr gratuletur euentibus, & votiuis, fauente Domino, in spiritualibus, & temporalibus successibus augeatur. Hinc est, quod Nos Motu proprio non ad Dilectorum filiorum Fratrum dictæ domus, quæ hactenus Ordinis Fratrum Eremitarum dicti S. Augustini extitit, vel alicuius alterius, pro ipsis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostrâ merâ liberalitate, ex certâ scientiâ eandem domum in Prioratum Conuentualem auctoritate Apostolicâ erigimus, per Priorem sub conditione, & modo infrascriptis perpetuò gubernandam. Volentes, & eâdem auctoritate statuentes, quod ipsi Fratres actu in eâdem domo residentes, eorumque successores, qui erunt pro tempore, Canonici Regulares, & secundum Regularia instituta huiusmodi Canonicorum Regularium deinceps viuere, & fratres S. Saluatoris nuncupari debeant, & quorum quilibet sub Scapulari Rochetum, superius autem Cappam grisei coloris lanæ mordentis ad instar capparum Conuersorum Carthusiensium Ordinis gestabit, quâ quidem Cappâ ipsi Fratres vtantur, cum eos exire contigerit septa Prioratus, seu domus huiusmodi ad Populum siue turbam. Necnon Prioratum siue domum huiusmodi cum eisdem Fratribus, & Conuersis, & personis in ea degentibus præsentibus, & posteris, cum omnibus membris, necnon bonis mobilibus, & immobilibus ipsius domus siue Prioratus, ad domum siue Prioratum huiusmodi, tàm ratione domus, siue Prioratus, quàm personarum huiusmodi quomodolibet pertinentibus, & deuolutis, & deuoluendis pro tempore, ab omni superioritate, Dominio, & Potestate Prioris Generalis, dicti Ordinis Fratrum Eremitarum, necnon Episcopi existentis, pro tempore, ac Dilectorum filiorum Capituli Senensis, ac quorumlibet aliorum Superiorum Sęcularium, & Regularium, auctoritate prædictâ prorsùs eximimus, & totalitèr liberamus. Ita quod Prior generalis, Episcopus; Capitulum, & alij Superiores prædicti nullam possint in eos visitationem, correctionem, vel aliam iurisdictionem exercere, sed Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè sint subiecti. Et insuper pręsentibus adijcimus, quod ipsi Canonici, seu Fratres qui Regularem vitam eorundem Canonicorum Regularium pro tempore professi fuerint, & sub eâdem obseruantiâ Regulari dictorum Canonico-

rum Regularium, pro tempore in domo huiusmodi residebunt, possint quoties opportunum fuerit, tamen iuxta eadem Regularia instituta Canonicorum Regularium, idoneum Fratrem, etiam eiusdem Ordinis professorem, in Priorem eorum, & eiusdem domus eligere. Qui tamen postquàm electioni de se factæ præstiterit consensum, Diœcesano loci, vel eius Vicario in spiritualibus generali, qui erit pro tempore per Electores huiusmodi duntaxat debeat reuerenter, & humiliter præsentari. Quique postquam taliter præsentatus extiterit censeatur eo ipso à Sede præfata confirmatus, & ex tunc dictum Prioratum in eisdem spiritualibus, & temporalibus liberè, & licitè valeat gubernare. Qui quidem Prior semper vno anno completo intelligatur absolutus, nisi tunc per maiorem partem eorumdem Fratrum, domus prædictæ in electione dicti Prioris vocem habentium determinatum fuerit ipsum Priorem in dicto debere Prioratus officio domus eiusdem vlterius remanere. Quodque dicta domo, Prioris solatio destituta, per mortem Prioris eiusdem, vel aliquo alio casu eadem vacatione contingente, quod durante vacatione huiusmodi, prædictum officium per antiquiorem Fratrem dictæ domus in Sacerdotio constitutum exerceatur, quousque noua electio alterius Prioris, iuxta præfatum modum fiat, & ad effectum debitum perducatur. Volentes etiam, & auctoritate præfata concedentes eisdem Priori, & Fratribus, siue Canonicis, Conuersis, & personis quos pro tempore in domo huiusmodi residere contigerit, vt præfertur, quod ipsi potiri, & gaudere possint, & debeant liberè, & absolutè omnibus Priuilegijs, indulgentijs, gratijs, exemptionibus, & libertatibus eis hactenus, ac Ordini Fratrum Eremitarum, & Canonicis Regularibus huiusmodi, ac Monasterijs, & locis eorum, tàm per Sedem præfatam, quàm per alios quoscunque concessis, & quibus ipsi Fratres Ordinis Eremitarum, ac cæteri Canonici Regulares, ac eorum domus Monasteria, & loca quomodolibet potiuntur, & gaudent. Et insuper volumus, & ordinamus, quod Ven. Frater noster Antonius Episcopus Bononiensis Camerarius, ac Dilecti filij Gabriel Electus Senensis Thesaurarius Noster, necnon Ioannes Electus Ragusin eisdem Priori, & Fratribus, siue Canonicis Conuersis, & personis, de conuenientibus constitutionibus, & norma viuendi, pro conseruatione Prioris, & Fratrum, siue Canonicorum, Conuersorum, & personarum prædictorum prouideant, & omnia alia, & singula faciant, ordinent, & disponant in præmissis, & circà ea, prout eis visum fuerit expedire. Decernentes ex nunc irritos, & inanes omnes processus, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quos forsan circà hæc quacunque auctoritate contigerit promulgari, & etiam ex nunc ratum, & firmum motu simili habemus, quicquid per eosdem Camerarium, Thesaurarium, & Electum Ragusinum in præmissis, & circa ea dispositum fuerit, seu quomodolibet ordinatum. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Dat. Lucæ Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri Anno II.

## CONSTITVTIO CCCXXXVIII.

*SVMMARIVM.*

1435. Apr. 25.

## EVGENIVS PAPA IV.

*Facultatem Minorum Pœnitentiariorum Vrbis pro absolutionibus in foro Pœnitentiali concedit Ordini, & Fratribus B.V. Mariæ de Monte Carmelo.*

*Ex Priuil. Frat. Ord. B.M. Virg. de Monte Carmelo.*

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Qui mundanis illecebris abiectis deuotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, promeretur honestas, vt illa, fauore eis beneuolo, concedamus, per quæ Fratres ipsi, conscientiæ pacem, & animæ salutem, Deo propitio, faciliùs consequantur. Hinc est, quod Nos, Prioris generalis Ordinis Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, in hac parte supplicationibus inclinati, eidem, ac quibuscunque successoribus suis pro tempore existentibus Generalibus, Prioribus, necnon ab eo, vel eis ad id pro tempore deputandis Vicarijs, Prouincialibus, Prioribus, ac Fratribus Ordinis prædicti, in Confessionibus audiendis, absolutionibus impendendis, & pœnitentijs iniungendis, alijsque (salutem animarum dumtaxat concernentibus) exequendis, omnium, & singulorum dicti Ordinis Fratrum, præsentium, & futurorum, eamdem, & talem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis Minores Pœnitentiarij Nostri in Romana Curia præsentes, ex officio habent, & exercent, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, de speciali gratiâ, concedimus, atque damus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis, & dationis infringere, &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadragentesimo tricesimo quinto. Septimo Kal. Maij Pontificatus Nostri Anno Quinto.

## CONSTITVTIO CCCXXXIX.

*SVMMARIVM.*

1461
1462. Oct. 5.

## PIVS PAPA II.

*Congregationis S. Iustinæ de Paduà, seu Casinensis Priuilegia, Congregationi Montis Oliueti communicat, aliquibus exceptis.*

*Bull. t. 1. Pij II. Const. 9. & ex lib. Priuil. dicti Ordinis fol. 51.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licèt ex debito ministerij Pastoralis, quibuslibet Ecclesiastici Ordinis viris Nos deceat, in suis opportunitatibus, esse fauorabiles, & benignos; illis tamen, qui sub Religionis habitu, vitæ castimoniâ, & Obseruantiâ Regulari, gratum, & sedulum exhibent, cum puritate mentium, Altissimo, famulatum; mundanisque relegatis illecebris, cœlestium contemplationi insistunt, vt in suis bonis operibus huiusmodi, nil eos impediat, vel conturbet, eò propensioribus auxilijs Nos conuenit opportunè adesse, quò per arctioris eiusdem obseruantiæ semitas, se Creatori omnium, spontè deuouerunt, tantoque deuotiùs ipsi Diuinis, & contempla-

plationi insistere, ac sacris actionibus vacare possint quanto eorum status quietior, amplioribus fuerit præsidiis communitus. Cupientes itaque Monasterium Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, Aretinæ Dioec. quod inter alia ipsius Ordinis, & Congregationis Monasteria, insigne, & præcipuum, & per nonnullos præclaros viros ex progenitoribus Nostris nobilibus de Piccolominibus, & Ptolomeis, domorum, à quibus sumpsit exordium, magnâ ex parte fundatum, atque dotatum est, & in quò dilecti filij Abbas Generalis dicti Ordinis, vnà cum illius Conuentu, prout ipsi, qui deuotionis causâ prædictum Monasterium visitando, experientiâ edocente, comperimus, gratum, & deuotum exhibent, virtutum, Domino famulatum; atque alia ipsius Ordinis Monasteria, Prioratus, & Membra, ac in eis degentes personas, condignis muneribus gratiarum, & fauoribus decorare; & non solum ad instar prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, cum nonnullis infrascriptis modificationibus, concessa eis priuilegia communire; verum etiam illa, prout sæpiùs in similibus fieri contingit, & quemadmodum alijs Regularibus iuris, eorumque Monasterijs concessum fuisse dignoscitur, Abbatis, Conuentus, & Monachorum meritis, & virtutibus exigentibus, quò ad aliqua ampliare; eiusdem Abbatis in hâc parte supplicationibus inclinati, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, indulta, & gratias, eisdem Monti Oliueti atque alijs Monasterijs, Prioratibus, Membris, & locis dicti Ordinis, necnó præfato, & aliis Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, Monachis, & personis in eis degentibus per Nos, vel Sedem Apostolicam, siue aliàs quouis modo concessa, & indulta, rata habentes, & grata, ac illa, auctoritate Apostolicâ, ex certâ scientiâ approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Et nihilominùs, vt idem Abbas, Conuentus, Monachi, & personę eò magis sinè cuiusuis turbationis, vel impedimenti distractione, bonis actibus insistere, pijs quoque, & meritoriis operibus continuò vacare possint, quò Nostræ ergà eas paternæ charitatis intelligent exuberare affectû, sentientque Nostræ munificentiæ gratiam eis non deesse; hâc perpetuò valiturâ constitutione Apostolicâ auctoritate statuimus, & ordinamus, quod inanteà, perpetuis futuris temporibus Monasteria, Prioratus, & loca dicti Ordinis, ab eodem Monasterio Montis Oliueti dependentia, quæ nunc sunt, & in posterum (auctore Domino) Ordini, siue Congregationi eisdem, quomodolibet vnientur, incorporabuntur subijcientur, seu applicabuntur, per ipsius Ordinis Prælatos, dumtaxat, regi, & gubernari debeant, & quotiès illa, vel eorum aliquod, vbicumque, etiam apud Sedem Apostolicam, & qualitèrcunque vacare contigerit, etiam si quæuis speciales, vel generales de illorum prouisionibus, siue dispositionibus, per Sedem ipsam, reseruationes factæ fuerint, Capitulum, si tunc celebrabitur, alioquin Abbas dicti Monasterij Montis Oliueti, & Visitatores prędicti, cum alijs ad hoc, iuxtà eorum consuetudines, & statuta deputatis, illos ex Monachis dicti Ordinis præsentibus, & futuris, quos ad hoc idoneos fore repererint, in Abbates, seu Priores tunc vacantium Monasteriorum, Prioratuum, & locorum huiusmodi, aliàs iuxtà ipsorum consuetudines, & statuta, eligere, & nominare, ac etiam ad nutum, & beneplacitum ipsorum, talitèr electos, siue nominatos à regimine, siue administratione dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum, quibus pręfuerint, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absoluere, amouere, & ad claustrum reuocare, præfatique sic electi, & nominati, absque alicuius Sedis prędictæ, vel alterius prouisionis, siue præfectionis, vel dispensationis adminiculo, & præter id, quod propterea munus benedictionis, ratione Monasteriorum, quibus præfuerint, impendatur, eisdem Monasterijs, Prioratibus, & locis ad quæ sic electi, & nominati fuerint, peæesse, ac illa in huiusmodi spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, ac omnia, & singula, quæ per Abbates, & Priores aliorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Ordinis, & Congregationis eorumdem, iuxtà prædicta statuta, & ordinationes fieri potuerunt, liberè, & licitè valeant exercere. Per hoc tamen constitutioni Nostræ, ac etiam Fęlicis recordationis Eug. PP. IV, prædecessoris Nostri, quâ cauetur, quod Monasteria, & Beneficia vnita, statutis in eâ temporibus, Annatam soluere teneantur, non intendimus in aliquo derogare. Etnè ipsos supèr Monasteriis, Prioratibus, & locis prædictis aliorum motibus, & instantiis improbis turbari contingat; volumus, & auctoritate præfatâ similitèr statuimus, & ordinamus, quod per quascunque litteras Apostolicas, etiam Motu proprio, & cum reseruationibus antedictis, ac quibuscunque derogatoriis clausulis, proptèr quas effectus pręsentium quomodolibet impediri, vel differri possit, concessas hactenùs, & in posterum forsan concedendas aduersus statuta, & ordinationes Nostras huiusmodi, nullus prædictæ Congregationis, vel alicuius cuiuscumque gradus, status, vel conditionis fuerit, etiam si Cardinalatu, aut Pontificali, siue aliâ quâuis præfulgeat dignitate, aliquod ex ipsis Monasterijs, Prioratibus, siue locis in Titulum, vel Cōmendam, seu administrationem, aut aliàs, seu supèr cuiusuis illorum fructibus, & redditibus, & prouentibus, quamcunque Pensionem sibi vendicare, vel ius desupèr aquirere possit; nisi in ipsis litteris, de præsentibus, ac ipsâ Congregatione, specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, & aliàs, ex ipsarum tenore litterarum, euidentèr appareat singulos Romanos Pontifices, qui eas concesserint, ex certâ scientiâ, cum rationabilis causæ subiunctione, prædictis statutis, & ordinationibus voluisse, ac velle derogare; decernentes, ex nunc ipsas litteras ad aliquod ex eisdem Monasterijs, Prioratibus, & locis nullatenùs extendi debere; ac irritum, & inanè quicquid in contrarium à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Et insupèr Abbatem Priores, Conuentus, Monasteria, Prioratus, Membra, & loca Ordinis huiusmodi à quârumcunque prædialium, & aliarum Decimarum, nec non Subsidiorum, prout hactenùs consuetum est, ac etiam Canonicæ portionis, seu Quartæ locorum Ordinarijs faciendæ dumtaxat, solutione, & contributione absoluimus, & penitùs liberamus. Ita etiam, quod ipsi Abbas, & Priores, Conuentus, & Monachi dicti Ordinis à solutione, seu præstatione quarumcūque Decimarum de fructibus terrarum, hortorum, prædictum, siue possessionum suarum, quas possident, & in futurum (præstante Domino) poterunt adipisci, quas, seu quos proprijs manibus, & sumptibus colunt, vel per boues suos, aut alios ex sumptibus dictorum Monachorum excoli faciunt, ac de noualibus, seu nutrimento animalium suorum sint prorsus exempti. Et ad subeundum iuramenta, & facienda testimonia (nisi in causis vbi aliàs veritas inueniri non posset, & tunc in eorum Monastetijs) seu accedendum ad Processiones, nisi præcipuas, vel ad Concilia, prætérquam vniuersalia, auctoritate Apostolicâ indictâ, personalitèr compelli nequeant quo-

quoquomodo. Eis similitèr concedentes, vt quascunque hæreditates per medias personas, tam Monachorum, seu personarum dicti Ordinis, quam aliàs, quouis modo sibi de iure delatas, & in antea deferendas, nomine dicti Ordinis, ac Monasterij, cuius dicta persona, Monachus, vel Oblatus fuerit, adire, & pro ipso Monasterio retinere. Nec non quotiès opus fuerit à quocunque Catholico Antistite Monachos, & Nouitios dicti Ordinis ad hoc idoneos, absque aliquo alio examine, & cuiusuis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ, ad omnes Sacros Ordines promoueri facere, & conferendorum Ordinum huiusmodi, aut Altarium consecrandorum causâ ipsos Antistites ad se in eorum Monasterijs aduocare. Interdicti quoque tempore, dummodo ipsi causam illi non dederint, submissâ voce, ianuis clausis, & interdictis, seu excommunicatis exclusis, eorum tamen Cappellanis, & habitantibus infrà septa Monasteriorum intromissis celebrare. Quodque etiam quoscunque, Ordinem ipsum introire volentes, etiam si alium Ordinem, prætérquam Carthusien: ingredi vouissent, dummodo professionem non emiserint, eosdem recipere, & Voto non obstante prædicto, eos ad Professionem Regularem admittere. Prohibemus tamen eisdem Abbati, & Visitatoribus, atque alijs personis dicti Ordinis nè præsentium tenore, Laycorum, & exterorum Confessiones audire, aut alia vota commutare, siuè eos ab excommunicationis sententiâ, à iure, vel ab homine promulgatâ absoluere, aut, cum eisdem excommunicatis participare, siuè cum patientibus defectum Natalium, quoad obtinendum dignitates Ecclesiasticas dumtaxat, dispensare, seu Pontificalia insignia deferre quoquomodo præsumant. Cæterum præfato, & alijs Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, Conuentibus, Personis, Monasterijs, Prioratibus, Locis, & Membris dicti Ordinis, quod omnibus alijs, & singulis Priuilegijs, Immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratijs dilectis filijs Præsidéti, Visitatoribus, Monachorum Congregationis S. Iustinæ Paduan. Ordinis S. Benedicti prædicti, eorumque Monasterijs, Prioratibus, Membris, & personis, & bonis, tam per Nos, quám per præfatum Eugenium, & alios Romanos Pontifices etiam prædecessores Nostros, sub quãuis formâ, & expræssione verborum, tam in specie, quam in genere concessis, & quibus Præsidens, Abbates, Visitatores, Priores, Monachi, & personæ, Monasteria quoque, Prioratus, Membra, loca & bona eiusdem Congregationis S. Iustinæ vtuntur, & gaudent, siue vti, & gaudere possunt, quæ omnia præsentibus haberi volumus pro expressis, & specificè enarratis, & quæ ad Abbatem, Conuentum, Monachos, personas, Monasteria, Prioratus, Membra, & bona dicti Ordinis Montis Olíueti, cum modificationibus tamen præinsertis, ac etiam infrascriptis extendimus, & eis de nouo concedimus, ac etiam impartimur; ipsi Abbas, & Professores Montis Oliueti, eorumque Monasteria, Prioratus, Membra personæ, & bona prædicta pariformitèr, & ad eorum instar, sinè tamen Præsidentis, ac personarum dictæ Congregationis, eorumque Monasteriorum, & bonorum præiudicio, perindè in omnibus, & per omnia vti valeant paritèr, & gaudere, ac si illa omnia, & singula eis paritèr à Nobis, & prædecessoribus, aut Sede prædictis specialitèr, & expressè concessa, indulta, & attributa fuissent, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ concedimus paritèr, & indulgemus. Sub exemptione tamen prædictâ, ipsorum Cappellanos, & Benefactores, ac eorum Cappellanorum familiares, nequaquam comprehendi, neque ipsi Abbati, Visitatoribus, & alijs supradictis, illam quoad onera realia suffragari volumus. Et in quantum eis libera sepultura conceditur, casus excipimus à iure exceptos, nisi hæc eis per specialia Sedis eiusdem Priuilegia sint concessa, aut fuerit hactenùs consecuta. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam Nostrorum declarationis, constitutionis, mandati, statuti, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Petreoli Senen. Anno Incarnationis Dominicæ 1462. Tertio nonas Octobris. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

## CONSTITVTIO CCCXL.

### SVMMARIVM.

1477. *Augusti* 23.

### SIXTVS PAPA IV.

*Canonicis Regularibus Lateranensibus Priuilegia Congregationis Sanctæ Iustinæ de Padua, seu Casinensis communicat.*

*Ex lib. Priuil. Later. fol.* 345.

SIXTVS Episcopus. Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum ad vniuersos Regulares Ordines, & loca iugo sanctimoniæ dedita, personasque voto Religionis adstrictas, pro iniuncto Nobis Apostolicæ seruitutis officio, crebris vigiliis, & indefessis studiis attendimus, ad illum præcipuè Canonicorum Regularium Cōgregationis Lateran. Ordinis S. Augustini, eo libentiùs Nostrę mentis oculos conuertimus, quo Ordo ipse in nascentis Ecclesiæ sanctâ institutione, ac primorum Christianæ Religionis Clericorum normâ, traditionibusque fundatus, & sacris institutis, ac diuinis Regulis eloquiisque præmunitus extitit, ab eiusque primæuâ fundatione, variis virtutum meritis semper resplenduit. Quamobrem nonnulli Romani Pontifices prædecessores Nostri, innumeris Religionem ipsam priuilegiis, dignisque honorum titulis non immeritò decorarunt. Vnde Nos eorum ductos exemplo, decet, vt Congregationem ipsam Lateranen. in agro Dominico multiplices, & vberes Sanctæ conuersationis fructus in dies afferentem, Nostris etiam specialibus gratiarum muneribus muniamus, & iis quę pro ipsius Ordinis, & Congregationis laude, ac personarum vota sua, sub suaui iugo inibi exoluentium pace, & quiete processerunt, ne in conuentionis scrupulum labantur, sed firma pariter, & illibata persistãt, Nostri adiiciamus muniminis firmitatem. Dudùm siquidem felicis recordationis Martin. Papa Quintus prædecessor Noster, dilectos filios tunc singulorum Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, & Ecclesiarum Ordinis Sancti Augustini Priores, Præpositos, Rectores, Canonicos, & Conuentus de Congregatione Sancti Saluatoris Lateranen., tunc de Frixonariâ vulgaritèr nuncupatos, vt Deo quietiùs perpetuò famulari valerent, gratiosis fauoribus prosequi volens, ad honorem Omnipotentis Dei, eiusque Matris Virginis gloriosæ, ac Beati Au-

ti Augustini Confessoris pro Religionis incremẽto, Quod ex tunc in anteà Priores, Præpositi, Rectores, Canonici, & Conuentus præfati pro eorum perpetuâ soliditate, ac conuersatione, quam quam diuersorum locorum, ac Monasteriorum professi existāt. Nihilominùs vnum corpus, vnaque Congregatio simul, & inuicem connexa censerentur, ac sub vnâ, & eâdem lege, atque Obseruātię Regularis vnitate, morumque conformitate, & eisdem consuetudinibus, Priuilegiis, ordinationibus, & statutis subessent, ac pro Religionis, & Congregationis huiusmodi cõseruatione, & augmento, & felici in Domino obseruantiâ verâ, sanctitatisque successu, pro celebrandis eorum Capitulis, eligendis Rectoribus locorum ipsorum, ac quam pluribus aliis Monasteriorum, & locorum prædictorum regimen, & gubernationem in spiritualibus concernentibus, acceptandisque, & recipiendis iusto titulo locis, & Monasteriis, tàm factis, quàm de nouo construendis à quocunq; Prælato Catholico, & Ecclesiasticâ personâ, necnon Rege, Principe, Duce, vel Barone, Domino, vel Cõmunitate, & quolibet alio Christi fideli, quàm plura salubria statuit, & ordinauit, ac voluit, quod tàm statuta, & ordinationes prædicta, quāq; cętera dicta Priuilegia dicta, Concessiones, Immunitates, & gratiæ singulis antedictis Monasteriis, ac locis ipsius Religionis, & Congregationis per Romanos Pontifices prædecessores Nostros, seu pro Romanis Põtificibus se gerentes, Reges, Duces, Barones, Principes, Dominia, & Communitates concessa, quę omnia haberi voluit pro expressis, & in posterum concedenda, in omnibus, & per omnia ad vniuersa, & singula loca, Monasteria, Prioratus, Præposituras, & Domos, eorumque personas, quæ tunc, & procedente tempore ad huiusmodi Religionem, & Congregationem, ac eiusdem Canonicos reducta, & vnita essent, seu reduci, & vniri contigent, cũ illius, ac illorum suppositis, vel vnitis aut per eosdem Canonicè acquisitis, & iusto titulo acquirendis, vt

2 præfertur, extendi debere. 2 Et deindè piæ memoriæ Eugenius Papa Quartus etiam prædecessor Noster, Sacrosanctam, & Venerandam Basilicam Lateranen. ad primam institutionem, primæuumque eius statum, videlicet Canonicorum Regularium, ex certis tunc expressis causis, post deliberationem prouidam, quam cum Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus habuit diligentem, pro Ecclesię Dei, & Catholicæ fidei, Christianæque Religionis honore, ac Saluatoris nostri gloria, publicaque vtilitate, & ipsius Basilicæ Lateran. statu, veneratione, commodo, & honore, reducens ac reponens. Vt ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam ibi noscebatur institutus, perpetuis futuris temporibus, in dictâ Ecclesiâ vigeret, & inuiolabiliter obseruaretur; Ordinem, & Congregationem huiusmodi in præfatâ Ecclesiâ instituit, & erexit, ac deputauit: dictamque Lateran. Basilicam cum omnibus suis, spiritualibus, & temporalibus bonis, membris, iuribus, iurisdictionibus, priuilegijs, & exemptionibus in perpetuum eidem Congregationi concessit, & commisit, eorumque curæ, & administrationi tribuit, & donauit.

3 3 Atque decreuit, & statuit, vt omnes deinceps dictæ Congregationis Conuentus, & loca ab huiusmodi Sanctæ Basilicæ Lateranen. titulo, & totius Congregationis capite nomen acciperent, & Saluatoris Congregatio appellaretur, ac singulos dictæ Congregat. Canonicos, vbicũq; Domino seruientes, huius Basilicę Clericos, & ministros, & Religiosos, ac de ipsius Capituli gremio in omnibus iuribus, & priuilegijs censeri decreuit.

4 4 Et successiuè Sanctæ memorię Nicolaus Papa V. similiter prædecessor Noster, tàm Martini, quā Eugenij litteras prædictas, necnon omnia, & singula in eis contenta, ac quæcunq; inde secuta indè approbans, & confirmans, eaque pleno firmitatis robore subsistere, necnon perpetuis futuris tẽporibus inuiolabilitèr obseruari debere decernens; per quasdam etiam suas concessit, & indulsit omnibus, & singulis Ecclesijs, Monasterijs, Prioratibus, locis, & personis vbicunque consistentibus, & constituendis, præsentibus, & futuris, Congregationis Canonicorum huiusmodi vt illis omnibus in eorundem Martini, & Eugenij prædecessorum litteris contentis, ac alijs exemptionibus, Priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, gratijs, & indultis, bonisque, & iuribus, spiritualibus, & temporalibus, concessis, & concedendis, quibus præfata Ecclesia Nostra Lateranen. & ab ea dependentia vtuntur, & gaudent, seu vti, & gaudere consueuerunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, loca, & personæ huiusmodi, in omnibus, & per omnia, pariformitèr, & absque vllâ differentiâ, perpetuò vti, & gaudere, liberè, & licitè possint.

5 5 Posteà vero eodem Nicolao prædecessore rebus humanis exempto, cum Canonici dictæ Congregationis, à præfatâ Ecclesiâ per nonnullos ciues Romanos fuissent eiecti, piæ memoriæ Callixtus Papa III. similitèr prædecessor Noster, etiam per aliàs suas litteras statuit, & ordinauit, quod Canonici Congregationis huiusmodi, à curâ, & gubernatione Ecclesiæ eiusdem desisterent, & illam in posterum per Canonicos sęculares regi, & gubernari debere.

6 6 Et licet postmodum recolendæ memoriæ Paulus Papa II. etiam prædecessor Noster, Canonicos Regulares, ac Congregationem huiusmodi, ad regimen, & gubernationem prædictę Ecclesiæ restituisset, nihilominùs eo quoque de medio sublato, Canonici eiusdem Congregationis denuò ab eadem

7 Ecclesiâ fuerunt amoti. 7 Atque ex ordinatione, & mandato Nostris, decretum, & statutum fuit, quòd eadem Ecclesia, per dictos Canonicos sęculares de

8 cætero regeretur, & gubernaretur. 8 Et demum ne in dubium reuocari possit, an ex Callisti, & Nostris litteris huiusmodi, Nomen, & Titulus, seu intitulatio Congregationis Lateranen. suppressa, & sublata essent, ac immunitates, gratiæ, Priuilegia, & indulta, eidem Congregationi Lateranen. tàm per ipsum Eugenium, quàm per alios Romanos Pontifices prædictos concessa, censerentur reuocata, per nonnullas etiã aliàs litteras Nostras, omnes, & singulas tàm Eugenij quoad nomen, & intitulationem Congreg. Lateranensis, quã omnium, & singulorum Priuilegiorum, & Immunitatum, aliorum prædecessorum litteras approbantes, & confirmantes, decreuimus, & declarauimus, tàm per prædictas eiusdem prædecessoris Callisti, quàm Nostras priores litteras, & indè secuta quæcunque, præfatę Congregationi Lateranensi, quoad nomen, & intitulationem prædictam, necnon Immunitates, Priuilegia, gratias, & indulta huiusmodi, tàm per Eugenium, quã per alios prædecessores prædictos, eidem Congreg. Lateranēsi, eiusq; Canonicis, & personis concessa, in nullo præiudicatum, aut derogatum fuisse, aut esse quoquomodo. Et pro potioris cautelæ suffragio, litteras Eugenij prędicti prædecessoris, in pristinum, & eum statum, videlicet quoad nomen, & intitulationem Congregationis, necnon Immunitates, Priuilegia, gratias, & indulta illi concessa, in quo erant antequàm à Callisto prædecessore præfato, & etiam à Nobis litteræ huiusmodi emanassent, & quomodolibet

dolibet existebant, reposuimus, restituimus, & ple-
narie reintegrauimus, prout in singulis prædecesso-
rum, & Nostris litteris prædictis respectiuè, qua-
rum tenores præsentibus haberi volumus pro ex-
9 pressis, & insertis pleniùs continetur. 9 Nos
qui Congregationi huiusmodi, illiusque Monaste-
rijs, Ecclesijs, locis, & personis, propter eorum lau-
dabilem, & religiosam vitam, ac multiplices, & vbe-
res fructus, quos in vineà Domini (Altissimo mini-
strante) dietim afferũt, singulari deuotione afficimur,
ipsos, & eorum Monasteria, Ecclesias, atque loca,
etiam maioribus gratijs prosequi volentes, Motu
proprio, & non ad eorundem Canonicorum, vel
alicuius pro eis Nobis super hęc oblatæ petitionis in-
stantiam, sed de Nostra merà liberalitate, & certâ
scientiâ, ac de Nostræ plenitudine potestatis, quæ-
cunque Priuilegia, gratias, immunitates, libertates,
& exemptiones, tàm per prædictos, quàm per alios
Summos Pontifices prædecessores Nostros, Roma-
nosque Imperatores, Reges, Principes, & alios Chri-
sti fideles, eidem Congregationi, eiusque membris,
locis, Ecclesijs, Monasterijs, & personis quomodoli-
bet concessa, ac omnia, & singula in eis contenta, &
quæcunque indè secuta, tenore præsentium confir-
mamus, & approbamus, ac plenum robur, & omni-
modam firmitatem, perpetuis futuris temporibus
obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere volu-
10 mus, atque decernimus. 10 Attendentes autem,
quantæ Venerationis, & sanctimoniæ semper fuerit
Congregatio huiusmodi in Ecclesiâ Dei, & quantũ
plantatio Sacra, normaque Religionis Christianæ
floruerit, ac propterea decens, quinimmò debitum
reputantes, vt spiritalibus prærogatiuis gaudere, ac
sub Nostra, & eiusdem Sedis protectione militare,
præcipuisque honoribus, & gratijs extolli, & deco-
rari debeat; Congregationem ipsam, illiusque Mo-
nasteria, Ecclesias, & loca quælibet, ac illorum Ca-
nonicos, seu personas, præsentes, & futuras, (vaga-
bundis, & fugitiuis exceptis, aut alitèr extrà Ordi-
nem, seu Congregationem ipsam, absque Superio-
rum licentiâ commorantibus, quibus nolumus hæc
aliqualitèr suffragari) à quorumcumque prædictæ
Sedis Legatorum, ac eius Nunciorum, Patriarcha-
rum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum
quorumcunque Iudicum, ordinariorum aut extra-
ordinariorum iurisdictione, auctoritate, potestate,
Dominio, visitatione, curâ, ac charitatiui subsidij
subuentione, & exactionum quorumcunq; præsta-
tione, necnon Synodalibus, & alterius cuiuscunque
Congregationis, seu Processionum conuocationibus;
motu, & scientiâ prædictis, penitus, & omninò exi-
mimus, ac totalitèr liberamus, eamque in ius, &
proprietatem Beati Petri, ac Sedis eiusdem, & sub
eorum speciali protectione, atque Nostrà suscipi-
11 mus. 11 Ita quod de cætero cum Monasterijs,
membris, Ecclesijs, locis, personis, & iuribus suis
quibuscumque, eidem Sedi immediatè subiecta
existat, & omninò esse censeatur. Quodque Legati,
aut Nuntij præfati, seu locorum Diœcesani, aut alij
Ordinarij quicunque, vel aliæ quæuis personæ quâ-
càcunque amplâ præfulgeant dignitate, seu præemi-
nentiâ, in Congregationem, Canonicos, personas,
Monasteria, Ecclesias, membra, & loca prædicta,
vtpotè prorsus exempta, excommunicationis, su-
spensionis, & interdicti sententias; seu alias censu-
ras, siue pœnas, specialitèr, vel generalitèr, eorum
auctoritate ordinariâ promulgare, nec vllam in
Monasteria, Ecclesias, personas, & loca huiusmodi
præeminen[illegible]tiam, superioritatem, & iurisdictionem
quo[illegible]rere possint, etiam ratione con-



tractus, vel delicti, seu rei de quâ ageretur, vbicum-
que ineatur contractus, committatur delictum, &
res ipsa consistat. Decernentes ex nunc omnes, &
singulos processus, ac excommunicationis, suspen-
sionis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas,
quas, & quicquid contra Congregationem, seu il-
lius Canonicos, Monasteria, personas, Ecclesias, &
loca, haberi, & fieri contigerit, seu etiam promulga-
ri, irritos, & inanes, nulliusque roboris, & momenti
esse, ac pro nullis, & infectis haberi debere, etiam
exemptione Congreg. huiusmodi, quà tanquàm no-
toriâ, & manifestam haberi volumus, non alitèr al-
12 legata, seu alias de eà mentione factâ. 12 Præte-
rea, ne Congregationem ipsam, & illius Canonicos,
per locorum Ordinarios, quauis occasione, vel cau-
sâ, & præsertim ratione Parochialium Ecclesiarum,
seu aliorum locorum dictæ Congregationis pro tem-
pore, quibus cura animarum imminet molestari
contingat, & huiusmodi prætextu in Congregatio-
nem, & Canonicos prædictos, aliquam Superiorita-
tem, seu dominium habere prætendant, ipsis quo-
que concedimus, & indulgemus, vt in Parochiali-
bus Ecclesijs huiusmodi, possit Congregatio ipsa,
seu illius Canonici prædicti, per se aut per presbyte-
ros Seculares, vel Regulares, sui aut cuiuslibet alte-
rius Ordinis, alias tamen habiles, & idoneos, ad ip-
sorum nutum deputandos, & amouibiles, anima-
rum curam prædictorum Parochianorum, Eccle-
siarum Parochialium huiusmodi, liberè, & licitè
exercere. Quodque ipsi Capellani, dum curam hu-
iusmodi gerent, eâ libertate, & exemptione fungan-
tur, & vbique fruantur, ac si ex Canonicis Congre-
13 gationis, & Ordinis existerent. 13 Et quia eiusdem
Congregationis Canonici, de locis ad loca illius sæ-
pius transferuntur, propter quod perpetuam in cer-
tis, & determinatis dictæ Congregationis Monaste-
rijs, seu Ecclesijs, aut locis non habent mansionem;
volumus, atque concedimus, vt liceat eidem Con-
gregationi suos Canonicos ad omnes, etiam Sacros
Ordines promouendos, idoneos tamen, & iuxtà
conscientiam Prælatorum illius approbatos, qui-
buscumque maluerint Catholicis Antistitibus, gra-
tiam, & communionem Apostolicæ Sedis habenti-
bus præsentare; ipsique Antistites præsentatos à suis
Prælatis Canonicos, sine vlla examinatione per ea-
dem Antistites facienda, vel absque alia promissio-
ne, aut obligatione promouendorum Canonico-
rum, ad Ordines quoscunque etiam Sacros promo-
14 uere possint, ac debeant. 14 Porro, vt Congregatio
ipsa circa celebrationem Missarum etiam peculia-
ribus priuilegijs gaudeat, eidem pariter, & illius Ca-
nonicis pro tempore concedimus, vt in ipsorum iti-
neratione Altare portatile cum debita reuerentia, &
honore habere, super quo, tamen in locis congruis,
& honestis, Missas, & alia diuina officia, etiam per
vnam horam ante diem, & vsque ad horam Nonam
in ipsa itineratione, aut alias ad hoc causa subsisten-
te celebrare, & Sacramenta Ecclesiastica inibidem re-
15 cipere possint. 15 Et vbi generale, seu in aliquo spe-
ciali loco interdictum fuerit, in Ecclesijs suis, ac in
Altari portatili prædictis, & alijs quibuscunque lo-
cis honestis, huiusmodi Missas, & alia diuina officia
celebrare. Ita tamen quod in locis Ecclesiastico in-
terdicto suppositis, debeant ianuis clausis, & ex-
communicatis expulsis, atque exclusis, non pulsatis
campanis, & summisa voce, eadem diuina celebra-
re. Dum tamen ipsi Canonici causam non dederint
interdicto, nec contingat id eisdem specialiter inter-
dici, nec Ecclesiæ, & loca ipsa merito specialiter in-
16 terdicta. 16 Et cum excõmunicatis dumtaxat à iure,
non

non tamen pro talibus publicatis conuersari, dummodò in contemplum clauium non fiat.
17 17 Necnon omnibus, & singulis, qui in eorum, & dictæ Congregationis existunt obsequijs, ac in ipsorum morantur locis, cunctà ministrare Ecclesiasticà sacramentà, & eos, cum decedere contigerit, in Ecclesijs suis prædictis, liberè, & licitè sepelire possint, ac valeant, plenam licentiam concedimus, & facultatem.
18 18 Ceterùm, vt Congregatio ipsa, & illius Canonici, maioris immunitatis gratià fruantur, motu, scientià, & tenore similibus, volumus atque decernimus, vt ad præstationem, procurationum Legatorum dictæ Sedis, & Nuntiorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut exactionum, vel collectionum, vel subsidiorum, vel prouisionum, aut onerum quorumcunque, nec etiam ad solutionem decimarum, quas Papales appellant, & quas Sedes Apostolicà pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpè necessitatibus imponit, minimè reneantur, neque obligati sint. Etiamsi per quoscunque exemptos persolui mandarentur, cum quibusuis derogatoriis, & fortioribus clausulis. Nec eos ab eàdem solutione cessando, censuras, & pœnas incurrere, nisi præsentibus de verbo ad verbum, & earum toto tenore inserto, & non per generales clausulas, specialitèr, & expresè derogetur, & de ipsis omnimoda, & indiuiduà mentio fiat.
19 19 Prætereà vt ijdem Canonici cum maiori animi sui quiete, Altissimo exoluant vota sua prouidere volentes; statuimus, & ordinamus, vt ipsi per litteras eiusdem Sedis, aut Legatorum, seu Delegatorum ipsius iam forsan concessas, aut de cætero sub quàcunque verborum formà concedendas, à quoquam ad pecuniam colligendum, seu correctionis, aut visitationis officium, Monasterijs, vel Ecclesijs, siue quibuscunque personis impendendum, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denuntiationem sententiarum Interdicti, & excommunicationis procedendum, aut curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum recipiendum minimè cogi possint, nisi in huiusmodi litteris de hoc indulto, ac Congregatione, & Ordine prædictis, expressa, vt præfertur fiat mentio.
20 20 Sepulturam quoque in locis, Cœmeterijs, & in Ecclesijs dictæ Congregationis concedimus, & eam liberam esse decernimus, ita quod deuotioni, & extremæ voluntati eorum, qui in locis huiusmodi sepeliri voluerint, nullus obsistat. Saluà tamen iustitià illarum Ecclesiarum, à quibus Mortuorum corpora assumuntur.
21 21 Statuentes nihilominùs, vt pro rebus, quæ in ornamentis, libris, fabricà, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum, aut pro victu, & substentatione dictorum Canonicorum, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquę Ecclesię, seu Monasteria dictæ Congregationis obligata noscuntur, vel de domibus, prædijs, hortis, & bonis, aliisque locis dictæ Congregationis opportunis, quæ Canonicis, & Congregationi huiusmodi relinquuntur, nulli teneantur Canonicam portionem tradere. Ita tamen quòd in reliquis casibus, quàm in prædictis, in quibus Quarta ipsà soluenda foret, soluere, vel conuentiones si quæ essent inter Canonicos, Præfatos, & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum Rectores, laudabiles, & honestæ, in posterum obseruari debeant. Prohibentes insuper omnibus, & singulis cuiusuis status, gradus, ordinis, vel conditionis, seu nobilitatis, & preeminentiæ fuerint, & quàcunque Ecclesiasticà, vel mundanà præfulgeant dignitate, ne in præmissis à Congregatione, & Canonicis huiusmodi, vel vltimarum voluntatum executoribus, seu decedentium hæredibus, occasione præmissà aliquid exigere, vel extorquere præsumant. Et si fortè per eos, vel Sedem prædictam de legatis piè dispositis, & relictis, in genere, vel in specie, decima, vel alia portio seu quota alteri piæ, vel non piæ rei, ex quàuis causà hactenus, & præsertim Ecclesiæ S. Petronij Ciuitatis Bononiensis concessa fuissent, aut in futurum concedi, seu solui, aut dari, mandari contigerit, Congregationem, & Canonicos huiusmodi, & illorum Ecclesias, Monasteria, & loca, & eis legata, atque relicta, aut aliàs in eorum fauorem exposita, ipsa in concessionibus, & mandatis huiusmodi includi, seu comprehendi non debere decernimus, nisi de Congregatione, Canonicis, & Ordine prædictis, ac præsenti decreto, specifica mentio fiat in eisdem.
22 22 Porrò volumus, ac decernimus, quod contrà Congregationem, Ecclesias, Monasteria, loca, res, bona, & iura sua prædicta, tàm præsentia, quàm futura, præscribi non possit, nisi spatio 60. annorum continuorum. Quodque nulla alia, quàm Sexagenaria, contrà Congregationem, Canonicos, ac bona, & iura sua prædicta currat præscriptio. Cassantes, annullantes, abrogantes, & penitùs irritantes omnem aliam præscriptionem, quàm Congregatio ipsa, tàm ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum, rerum, bonorum, & iurium suorum huiusmodi, quàm aliàs forsitan incurrere cœpissent.
23 23 Vt autem Rector, & Visitatores, ac singuli Priores dictæ Congregationis, & qui loco eorum in ipsorum absentià constituuntur, præsentes, & futuri, qui nunc sunt, & qui pro tempore erunt, amplioribus prærogatiuis, & Indulgentiis gaudeant, eis concedimus, vt cum Canonicis, Nouitiis, Conuersis, & Commissis eiusdem Congregationis dispensatione indigentibus, siue priusquàm intrauerint Congregationem, & ordinem huiusmodi, siue post, in casibus quibus excesserint, & pro quibus Excommunicationis, vel Interdicti, aut suspensionis sententias, à iure, vel ab homine, generaliter promulgatas incurrerint; & huiusmodi sententijs innodati, aut in locis generali, aut speciali Ecclesiastico suppositis Interdicto, diuina officia celebrantes, vel suscipientes Ordinem sic ligati, notam irregularitatis similitèr incurrissent: & in omnibus alijs casibus, etiam, & causà cuiuscunque Simoniæ, qualitercunq; generalitèr, vel specialitèr Sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis duntaxat hæreticorum, relapsorum, Schismaticorum, deferentium prohibita ad infideles, & litteras Apostolicas falsificàtium, quos omninò ad eandem Sedem remitti volumus) absolutionis, & dispensationis beneficium, iuxta casuum exigentiam valeant impartiri. Canonici vero, & alij, quos pro tempore Rector generalis, Visitatores, & Priores prędicti, in proprios habuerint Confessores, eisdem Rectori, Visitatoribus, & Prioribus, absolutionis, & dispensationis huiusmodi beneficium etiam concedere possint. Et vt Canonicis dictæ Congregationis omnis vagandi adimatur occasio, & ne ipsi ad Sedem prędictam veniendi, seu recurrendi sumere valeant occasionem, Diffinitoribus Capituli generalis duntaxat eiusdem Ordinis, cum quibusuis personis defectū Natalium ex adulterio incestuoso, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, necnon Rectori, & Visitatoribus, cum ijs qui ex quàuis causà (præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, mutilationis membrorum irregulares forent) postquàm Congregationem ipsam ingressi, & illam expresè professi fuerint perpetuò dispensandi, vt defectu, & irregula-



Y y rita-

ritatibus huiusmodi non obstantibus, ad quoscumque etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoueri, & in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, & ad quęcunque officia, administrationes, seu dignitates prædictæ Congregationis, aut illius Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere, liberè, & licitè, & absque dispensatione dictæ Sedis quotiès opus fuerit valeant, licentiam, & facultatem similitèr conce-
24 dimus, & indulgemus. 24 Necnon vt ipsi Canonici, aliàs tamen idonei, per Superiores Congregationis prædictæ, ac locorum suorum pro tempore deputandi ad Confessiones omnium, & singulorũ vtriusque sexus, liberè, & licitè, tàm in locis ipsorum Canonicorum, quàm extrà audire, ac confitentibus huiusmodi pro commissis pœnitentiam possint iniungere salutarem, & eisdem confitentibus Eucharistiæ Sacramentum, in Ecclesijs præfatæ Congregationis, liberè, & licitè similitèr ministrare possint. Præterquàm in festo Resurrectionis Domini No-
25 stri Iesu Christi. 25 Et cum sicut accepimus Congregatio ipsa in Insulà Tremitanà, in mari Adriatico, in partibus Italiæ, propè Prouinciam Apuliæ consistente, & longè à terrâ distante, insigne habeat Monasterium, ad quod sæpiùs maritimi, & nauigantes, vt inibi portum recipiant declinant, & nulla in dicta Insulâ existat Ecclesia, præter ipsius Monasterij Ecclesiam. Ne declinantes huiusmodi Ecclesiasticis careant Sacramentis, Congregationi, & Canonicis prædictis paritèr concedimus, ipsis declinantibus, ac Seruitoribus, quos ad seruitium Monasterij retinent, possint etiam in festo Resurrectionis, Eucharistiæ, & omnia alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare. Necnon cum pyratis, & cæteris excommunicatis humanitèr conuersari, ac eisdem in dicto loco vitæ necessaria exhibere, cum difficile admodum foret Canonicis, & personis eiusdem loci, pyratas huiusmodi euitare, propter eorum sæpiùs, & dictorum Canonicorum per illas partes transitum, cum facilè admodum inuicem sæpè casualitèr conueniant: & nisi ipsi Canonici cum dictis pyratis humanitèr agerent, ab eis multiplicitèr offendi possent. Dummodo dicti Canonici non participẽt cum dictis pyratis, aut alijs excommunicatis in crimine, propter quod excommunicationis sententiam in-
26 currerent. 26 Cæterum, vt Congregatio, & Canonici prædicti, vberiori facultate circa vtilitatem, & commodum Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum suorum huiusmodi, ac illorum iurium gaudeant, Capitulo generali Congregationis prædictæ, ac illius pro tempore Rectori maiori, per præsentes impertimur auctoritatem, concedendi Præpositis, Abbatibus, Prioribus, & Capitulis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & locorum suorum huiusmodi licentiam permutandi, seu alienandi, quotiès opus fuerit, quæcunque bona immobilia Congregationis prædictæ, ac illius Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum pro ipsorum tamen euidenti vtilitate.
27 27 Demum saluti animarum Canonicorum prædictorum salubritèr consulere volentes, eis paritèr concedimus, vt liceat ipsis, & cuilibet ipsorum, necnon Conuersis, Commissis, & Nouitijs suis præsentibus, & futuris, in articulo mortis quemcumque Presbyterum ex Canonicis præfatæ Congregationis, in casu vero necessitatis, alium Presbyterum idoneũ, vel sæcularem, vel cuiusuis alterius Ordinis Regularem, in suum eligere Confessorem, qui confessionibus huiusmodi diligentèr auditis, pro commissis per eos criminibus, delictis, & peccatis, in omnibus, & singulis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, debitam absolutionem, & plenariam omniũ peccatorum suorum remissionem possint auctoritate Nostrâ impendere, & pœnitentiam iniungere salutarem. Ita tamen quod quilibet ex confitentibus huiusmodi, postquàm Congregationem huiusmodi fuerit ingressus, & antequàm ad articulum mortis deueniat, teneatur si Clericus, vel Presbyter fuerit, septem Psalmos Pœnitentiales, si vero Conuersus, vel Commissus, quinquagies Orationem Dominicam: & totidem Salutationem B. Mariæ Virginis, singulis Septimanis per vnum annum dumtaxat, pro conseruatione status Romanæ Ecclesiæ, legitimo tamen impedimento cessante, dicere, & omittentes, alia vice supplere teneantur; Et si interim aliquem post inceptam, & non perfectam pœnitentiam huiusmodi, ab hâc luce migrare contigerit. Ipsam nihilominùs plenariam remissionem consequatur, dummodò intentionis fuerit illam, si
28 superuixisset perficiendi. 28 Dexteramque Nostræ liberalitatis erga dictam Congregationem liberiùs extendere volentes, & in eo præsertim, vt Canonici prædicti suarum animarum saluti magis consulere valeant, Canonicis, Conuersis, Commissis, & Nouitijs prædictis, præsentibus, & futuris, qui in diebus quibus Stationes in nonnullis, tàm intra, quàm extrà Almam Vrbem Ecclesijs consistentibus existunt, quinque Altaria Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum suorum, in quibus tunc eos moram trahere contigerit deuotè visitauerint, & Psalmum Dauid, Miserere, videlicet, illum scientes, alij vero quinquies Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam, coram quinque Altaribus huiusmodi, pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ dixerint, easdem concedimus Indulgentias, perindè ac si dicti Canonici, Conuersi, Commissi, & Nouitij personalitèr, Ecclesias Vrbis præfatæ visitassent. Ita quod in defectu Altarium, alia pia, & deuota loca ad visitationem huiusmodi, & alia præmissa faciendum eligere possint, etiamsi eos extra Monasteria,
29 & loca esse contigerit. 29 Repetentes autem animo quot, & quanta sint merita Religionis, & Congregationis huiusmodi in Ecclesiâ Dei, & quantum inter aliàs polleat Religiones, dignum proptereà quin etiam debitum iudicamus, vt etiam excellentioribus prærogatiuis, & honoribus gaudere debeat, de illis potissimum, quæ ad illius ampliationem, atque augmentum tendunt. Statuimus ergo, ac similitèr ordinamus, vt omnes, qui votum simpliciter ingrediendi aliquam aliam Religionem, etiam arctiorem emiserint, ad Congregationem, & Ordinem præfatum, illorumque professionem liberè, & licitè in-
30 gredi, inibi recipi, & admitti valeant. 30 Et quia forsan nonnulli Congregationis, & Ordinis huiusmodi habitum assumentes, diuersis personis, quæ ignorari, & non reperiri possent, in aliquibus rebus seu bonis obnoxij essent, eisdem Rectori, Prioribus, ac eorum Vices gerentibus concedimus, vt ipsorum singuli, in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus, liberè ac licitè conuertere possint, prout secundum
31 Deum meliùs viderint expedire. 31 Cupientes vero Congregationem eandem in suo salubri statu multiplicari, & cõseruari, statuimus paritèr ac decernimus, quod de cætero perpetuis, futuris temporibus, nullus ex dictis Canonicis, præsentibus, & futuris, transeat de aliquo Congregationis, et Ordinis huiusmodi Monasterio siue loco, ad aliquod aliud S. Benedicti, in quo Regularis non vigeat obseruantiâ, seu Augustini prędicti, vel alterius cuiuscunque Ordinis, Monasterij, siue Monastici loci, vigore cuiuscunque concessionis, licentiæ seu facultatis, etiã

per Apostolicas litteras, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de voluntate, ac statuto huiusmodi mentionem, quibusuis personis, cuiuscunque gradus, status, & conditionis existant. Nec prætextu alicuius officii, etiam Capellanatus cuiuscunque Prælati, cuiuscunque, status, & conditionis fuerint, etiamsi Patriarchali, vel Cardinalatus præfulgeant dignitate, & honore, sub quâcumque expressione, in genere, vel in specie concessas, aut forsan in posterum concedendas. Quodque nullus alterius Monasterii, siue loci Prælatus, aut alius quicunque in eo, aliquem Canonicorum præsentium, & futurorum eorundem, in Monasteriâ recipiat, vel admittat, sub excommunicationis pœna, quàm tàm recepti, quàm recipientes huiusmodi pro tempore eo ipso incurrant, si admoniti non destiterint, & quàm ex nunc contrà quemlibet transgressorem proferimus, & à qua à nullo alio, prçterquàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui possint, absque Rectoris maioris, & alterius ex duobus Ordinis, & Cõgregationis huiusmodi Visitatoribus pro tempore existentibus licentiâ speciali. Decernentes irritum, & inanè quicquid contrà præmissa per quoscunque quauis auctoritate scientèr, vel

32 ignorantèr contigerit attemptari. 32 Cumque acceperimus, & re ipsâ didicerimus, Congregationem S. Iustinæ de Paduâ Ordinis S. Benedicti à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, quàmpluribus dignissimis Priuilegijs, indultis, & gratijs decoratam fuisse, & censeamus Congregationem Lateranensem meritis, & virtutibus suis non minora promereri, maximè vbi quos par labor coniungit, paria quoque Priuilegia contingere debent, eidem Congregationi Lateranen. etiam concedimus, vt omnibus Priuilegijs, Indulgentijs, gratijs, fauoribus, & indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, à Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, seu aliàs eidem Congregationi S. Iustinæ concessis, ipsa quoque Congregatio Lateran. pariformitèr potiri, & gaudere possit, & valeat absque vllâ prorsus differentiâ, perindè ac si ea dictæ Congregationi Lateranen. specialitèr, & nominatim cencessa fuissent, quorum tenores hic pro sufficientèr expressis haberi volumus, & non secùs ac si presentibus de verbo ad verbum inserta forent, quæ ad ipsam Congregationem Lateranensem extendi, ac illam pari modo comprehendere volumus; ac de-

33 cernimus. 33 Quodque ipsi Canonici officio prædicandi verbum Dei vti possint, quemadmodum Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum, per Nos etiam, & dictos Romanos Pontifices con-

34 cessum fuit. 34 Vt autem mentes dictorum Canonicorum à dubijs, quæ super præsentibus, aut alijs gratijs huiusmodi, per Nos, & prædecessores Nostros, Imperatores, Reges, Principes, & alios prædictos concessis, & in posterum concedendis, apud præfatos Canonicos quomodolibet oriri possent releuentur. Volumus, vt vbi in aliquo redderentur ancipites, seu dubij, secundum bonam æquitatem, in fauorem salutis animarum suarum largissimè intelligantur, & interpretentur, non autem secundum iuris rigorem, vel Doctorum opiniones, & subtilita-

35 tes. 35 Adijcientes, vt si quando contigerit per aliquem, seu plures actus contrà huiusmodi, vel quæcunque alia decreta, Priuilegia, indulta, gratias, & immunitates præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquid, à quocunque, cuiuscunque conditionis, dignitatis, gradus, & status existat, ex negligentiâ, seu ignorantiâ præsentium, & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quâuis causâ alitèr attemptari, vel obseruari scientèr, vel ignorantèr; nullum tamen per hoc præiudicium decretis, indultis, gratijs, & immunitatibus præfatis generetur, sed illa suo vigore, & pleno robore firmata perpetuò

36 permaneant. 36 Postremò cum contingat plerumque ex importunitate petentium, & negotiorum multitudine, ac suppressione veritatis, Summos Põtifices fatigatos, & circumuentos, ea concedere, quibus aliàs nullatenùs annuerent; auctoritate præsentium statuimus, & ordinamus, quod quæcunque litteræ Apostolicæ, etiam proprio motu confectæ, aut in futurum conficiendæ, etiamsi in eis clausulæ, Priuilegijs, & indultis dictæ Congregationi, concessis non obstantibus, &, de quibus expressa mentio fieri debeat expressè, contineantur quæ obuient, & contrafaciant Priuilegio præsenti, aut quibuslibet earum particulis, nisi appareat euidentissimè, & apertissimè, quod Summus Pontifex, qui pro tempore fuerit, huic indulto, vel alicui ei parti vellet per Apostolicas litteras derogare, faciendo specialem mentionem de verbo ad verbum, ex certâ scientiâ de huiusmodi Priuilegio, & ipsa Congregatione, diuersis nominibus eam nominando, per hæc præcisè vocabula: Congregationem, Vnitatem de Obseruantiâ, aliàs de Frixonariâ, nunc Lateranen. appellatam, causasque legitimas allegauerit, cur hic obuiare intendat decretis, nullius sit roboris, vel momenti.

37 37 Districtiùs inhibentes eisdem Ordinariis locorum, sub interdicti ingressus Ecclesię, & suspensionis à diuinis, ac regiminis, & administrationis Ecclesiarum suarum; Rectoribus vero Parochialium Ecclesiarum, & quibuslibet alijs personis, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum bonorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent; necnon inhabilitationis ad illa, & alia obtinenda in posterum, pœnis, quas scientes, contrafacientes eo ipso incurrere volumus, Ne ordinem, & Congregationem Canonicorum Regularium huiusmodi, ac illius Canonicos, Ecclesias, Monasteria, & loca prædicta, preter ac contrà tenorem, ac formam huius præsentis Nostri indulti, & aliarum concessionum, vt præmittitur, Congregationi prædictorum Canonicorum Regularium, seu Ecclesijs, Monasterijs, membris, & locis suis prædictis factarum quoquomodo inquietare; Nec eos aut testamentorum, & vltimarum voluntatum executores, ac testantium hçredes, seu quoscunque alios directè, vel indirectè, ad solutionem alicuius Quartæ Parochialis, seu Canonicæ, vel alterius portionis, siue oneris compelle-

38 re quoquo pacto, vt præfertur, presumant. 38 Statuentes quoque, vt nullus inuitis Canonicis huiusmodi, protsùs audeat in eorum Ecclesijs, seu Monasterijs, aliquid officium mortuorum, vel alia celebrari facere, etiamsi apud eos Corpora Defunctorum

39 rum sepeliri contingat. 39 Mandantes insuper expresè ipsis locorum Ordinarijs, ac Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, ne eorum Parochianis, quòd Canonicis dictæ Congregationis non confiteantur, aliquo pacto prohibere, seu persuadere præsumant, & nullatenùs denegent ministrare huiusmodi confitentibus eisdem Canonicis, quæcunque Ecclesiastica Sacramenta; dummodò aliqua

40 Canonica, & rationabilis causa non subsistat. 40 Et nihilominùs vniuersis, & singulis personis in dignitate Ecclesiasticâ vbilibet constitutis, & aliis de iure communi habilibus, & idoneis ad causas audiendas, per hęc Apostolica scripta mandamus, cum aliqui ex eisdem personis, pro parte eiusdem Congregationis Lateranen. seu Rectoris generalis, aut alio-

rum, per se, vel alium, seu alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit publicantes, ac eisdem Congregationi, & Canonicis, illorumque Ecclesijs, Monasterijs, membris, & locis prædictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Congregationem ipsam, illiusque Canonicos pacificâ possessione Priuilegiorum, & concessionum huiusmodi liberè gaudere: Non permittentes eos, seu testamentorum executores, & heredes predictos, contra illorum tenores per Ordinarios, & Rectores Parochialium Ecclesiarum prædictos, seu alios quoscunque indebitè molestari, aut eis grauamen, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari; quinimmò dictæ Congregationi, ac illius Canonicis prædictis, in quibuscunque casibus seu causis, tàm Ecclesiasticis, quàm profanis, per eos coram dictis personis cuiusuis qualitatis, conditionis, gradus, ordinis, dignitatis, nobilitatis, preeminentiæ, & status fuerint, etiam quâcunque mundanâ, vel Ecclesiasticâ, aut Patriarchali præfulgeant dignitate, sine expensis, summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ iudicij, solâ facti veritate inspectâ, auctoritate Apostolicâ ministrent iustitiam, denuntientque palam, & publicè, omnes, & singulos excommunicatos, quos eis constiterit censuras, & aliàs pœnas incurrisse; ac faciant eos ab omnibus arctiùs euitari, & vbique pro excommunicatis, suspensis, & interdictis nuntiari. Et legitimis desuper factis processibus, illos quotiès opus fuerit iteratis vicibus aggrauent, seu aggrauari procurent, contradictores quoslibet per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo. Inuocato etiam ad præmissa seu aliquid eorum, si opus fuerit, auxi-
41 lio brachij Secularis, 41 Non obstantibus constitutionibus fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri, quibus cauetur, ne quis extrà suam Ciuitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, vt in illis, vltrà vnam dietam à fine suę Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apostolicâ deputati, extrà Ciuitates, & Diœceses in quibus deputati fuerint, contrà quoscunque procedere, aut alijs vices suas committere præsumant, et de duabus dietis in Concilio Generali, necnon quæincipiunt. Super Cathedram, Bonifacij, & Dudum, Viennen. Concilij, ac Callisti Papæ III. etiam prædecessoris Nostri, & quorumcunque aliorum Pontificum similitèr prædecessorum Nostrorum litteris, forsan his Nostris contrariis, ac etiam Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis, specialibus vel Generalibus, Ecclesiarumque, & locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, & inter quoscunque eiusdem Congregationis Lateran. Canonicos, & locorum Ordinarios, seu Rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenùs obseruatis, pactis, & conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate roboratis, cæterisq; contrariis quibuscunque. Quibus omnibus, ac si his de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum, derogatorias clausulas in se continerent, præsentibus pro expresè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, quo ad præmissa specialitèr, & expresè derogamus. Aut si Patriarchis Episcopis, & Rectoribus præfatis, vel quibusuis aliis, communitèr, vel diuisim à Sede præfatâ indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut vltrà, vel extrà loca ad iudicium euocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quâlibet aliâ dictæ Sedis Indulgentia, generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quàm præsentibus non expressam, vel totalitèr non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de cuius toto tenore habenda sit in Nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcunque alia, quæ in futurum per Nos, vel Sedem Apostolicam, quomodolibet concedi, statui, decerni, vel ordinari contigerit, contrà, vt præmittitur, eorundem predecessorum, & præsentium litterarum huiusmodi tenorem: necnon si secùs super ijs à quoque, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari, irrita, & inania, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse decernimus. Etiamsi motu, & scientiâ prædictis, & super similibus, ac fortioribus clausulis emanatæ existerent, seu in futurum ema-
42 nare contingeret. 42 Et quia difficilè foret præsentes litteras, ad singulas Prouincias, & loca, vbi necesse foret destinare; volumus, & dictâ auctoritate decernimus, quòd transumptis earum manu Notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, vel alicuius Archiepiscopalis, seu Episcopalis, vel dictæ Congregationis Lateranen. Rectoris generalis sigillo munitis, ea prorsùs in iudicio, & extrà, vbicunque exhibita, & ostensa erunt, fides adhibeatur, ac si ipsæ origiuales litteræ forent exhibitæ, & ostésæ. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, decimo Calend. Septembris, Pontif. Nostri Anno sexto.

## CONSTITVTIO CCCXLI.

*SVMMARIVM.*

1479. *Iulij* 26.

SIXTVS PAPA IV.

*Ordinibus Fratrum Prædicatorum, ac Minorum, Priuilegia Ordinum Eremitarum, Carmelitarum, ac Seruorum B.V. Mariæ communicat.*

*Bullar. Rom. Sixti IV. Const.* 19.

SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacri Prædicatorũ, & Minorum Fratrum Ordinis, instar duorum primorum fluminum à cœlestium voluptatum, & amenitatum à Paradiso Egredientium Sacrosanctæ Vniuersalis Ecclesiæ terram, nè mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore arescat, pręclare doctrinę, virtuosorum operum, ac multiplicium meritorom imbribus irrigantes, magis illam in dies fructuosam efficiunt. Hi sunt duo Seraphim qui insublime contéplationis, & Seraphici amoris altius eleuati, à terrenisque rebus abstracti, assiduo diuinarum laudum clamore, & immensorum beneficiorum humano generi à Summo opifice Deo exhibitorum declaratione, feruentissimis prædicationibus populos instruendo, & ad cœleste iter dirigendo insistentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo munde segetes, animarum scilicet, Redemptoris Nostri Iesu Christi, preciosi Sanguinis effusione, redemptarum, copiosos in horrea Sanctæ Ecclesiæ manipulos referunt. Hi sunt duæ Tubę, per quas Dominus pręcipit, ad pabulum Sacri Euangelij vniuersum populum, assiduis prædicationibus aduocari; vt in omnem terram exiret sonus eorum, & redderet sibi Populum

pulum acceptabilem, & bonorum operum factorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, quos pro eorum amplissimis meritis, & vberrimis fructibus, quos in Dei Ecclesiâ continuè afferunt, præ cæteris paternâ charitate diligimus, Nostræ considerationis intuitum dirigentes, illa eis libentèr concedimus, quæ in eis optatæ quietis fructum inducant, & statum eorum faciant pacificum, & tranquillum. Dudum siquidem, vt Ordinum eorundem professorum statui, & quieti consuleremus, Motu proprio, nonnullas litteras diuersorum Romanorum Pontificum prędecessorum Nostrorum dictis Ordinibus concessas, & in illis cõtenta approbauimus, & quò ad aliqua declarauimus ampliauimus, & extendimus, ac nonnulla de nouo eis concessimus, prout in diuersis Nostris litteris desupèr confectis, pleniùs continetur. *cæteris omissis*. Postremò, quia Prædicatorum, & Minorum Fratrũ prædictorum Ordinum professores pro fidei Catholicæ dilatatione, incremento, & defensione continuè, & indefesse laborant, & eorum exemplari vitâ, prædicationibus Verbi Dei, audientiâ Confessionum, sanâ doctrinâ, assiduâ Sacrarum litterarum instructione, & deuotâ Diuinorum Officiorum celebratione, Hæreticorum extirpatione, alijsque innumeris pijs operationibus, prę cęteris Ordinum Mendicantium professoribus, fructus in Ecclesiâ Dei salutares, copiosiùs attulerunt hactenùs, & continuè afferre non cessant, atque allaturos in futurum, Deo propitio, spe firmâ, tenemus, & propterea conuenit, vt ipsi præ cœteris ampliores fauores, & gratiarum prærogatiuas à præfatâ Sede recipiant, & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis, & Priuilegijs apud Sedem præfatam gaudeant: nè illis inferiores esse videantur, Omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, Priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, qualiacumque sint, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, ac Seruorum Beatæ Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Ecclesiis, oratorijs, & domibus, Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuersis, & Oblatis, ac vtriusque sexus personis de Pœnitentiâ nuncupatis à prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus prædictis, & à Nobis, aut alijs auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur haberi hic volumus pro sufficientèr expressis, coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in communi concessa, eisdem, & eorum cuilibet Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordinibus Domibus, Ecclesijs, oratorijs, Generali Magistro Ministro, Prioribus, & Ministris Prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, Guardianis, Sororibus, Oblatis Cõuersis, & vtriusq. sexus Tertij Ordinis, seu de Pœnitentiâ nuncupatis, & alijs eorumdem Ordinum personis, de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim, directè, & expresse concessa fuissent. Mandantes etiam motù, & scientiâ, & auctoritate prædictis, vt dùm Priuilegiorum, Indulgentiarũ, prærogatiuarum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum, dictorum Fratrum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, & Seruorum S. Mariæ, originales Litteræ, seù transumpta authentica ex illis prò, & in fauorem Ecclesiarum, domorum, & Fratrum prædictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extrà iudicium, & alijs locis, quibus opus fuerit, ac si pro, & in fauorem dictorum Ordinum, Ecclesiarum, domorum, & Fratrum Prædicatorum, & Minorum à Sede Apostolicâ emanassent, ac eis, & cuilibet ipsorum fuissent immediatè concessa. Inhibentes districtiùs ipsis locorum Ordinarios sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & alijs quibuscunque, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Ecclesiarum Parochialium, & omnium aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eò ipso, quò contrafuerint incurrendis, nec personis quibuslibet Ecclesiasticis, vel sæcularibus, ingenere, vel in specie, directè, vel indirectè aliquid inhibeant præcipiant, ordinent, vel statuant, quòminus Ordinis prædicti illorum domus, & professores, prædictis gratijs eis concessis liberè vti possint. Non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ac prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non Parisiẽsis, & aliorum locorum generalium studiorum Vniuersitatibus, & Curiæ Vicegerentiæ Auinionensis, & quibusuis Ordinarijs, Prælatis ac Personę concessis, & concedendis litteris, Priuilegijs, ac per illos deputatis in çis Conseruatoribus Priuilegiorum huiusmodi facultatibus, & iurisdictione, cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ac fortioribus, & insolitis: quibus omnibus, illa etiam, si de eis, eorumque totis tenoribus, & datis, non per huiusmodi generales clausulas, etiam specialem mentionem importantes, sed specifica, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum, seù quæuis alia mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, quo ad præmissa specificè, & nominatim derogamus, & ea nemini in præiudiciũ premissorum, suffragari posse, aut debere, ac irritum, & inane quicquid secùs contigerit attentari decernimus, nec non omnibus illis, quæ in dictis litteris Nostris, præfatis Ordinibus concessis, voluimus non obstare, cœterisque contrarijs quibuscumque. Verum, quia difficile foret præsentes litteras ad singulas Prouincias originalitèr destinare, volumus, & dictâ authoritate decernimus, quod transumptis earum, manu Notarij publici, & Curię Causarum Cameræ Apostolicæ Auditoris, vel Protectoris, qui est, & qui pro tempore erit, aut alicuius Archiepiscopalis, vel Episcopalis, seu cuiuscumque in dignitate constituti sigillo munitis, ea prorsus in iudicio, & extrà, vbicumque exhibita vel ostensa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac si ipse originales litteræ forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1479. Septimo Calendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno octauo.

## CONSTITVTIO CCCXLII.

### *SVMMARIVM.*

*1483. Feb. 13.*

### SIXTVS PAPA IV.

*Priuilegia Congregationis S. Iustinæ seu Casinensis, Hospitali S. Spiritus in Saxiâ de Vrbe, communicat.*

*Bullar. t. 1. Sixti IV. Const. 22.*

SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Pio de Ruuere Præceptori Hospitalis Nostri S. Spiritus in Saxiâ de Vrbe, Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, supèr quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio Nos inducunt, vt votis tuis, præsertim, quæ ad animarum salutem, & Religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus, fauorabiles annuamus. Et insupèr, vt Hospitale prædictum de bono in meliùs dirigatur, & auctore Domino fœlicibus proficiat incrementis, aliorum prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes; Motu, auctoritate, & scientiâ similibus statuimus, decernimus paritèr, & ordinamus, quod de cœtero, perpetuis futuris temporibus, occurrente Præceptoriæ Hospitalis huiusmodi vacatione, Fratres Conuentus huiusmodi in vnum conuenientes, debeant electionem de Præceptore futuro, quibusuis pactionibus semotis, cum consilio tamen, & auctoritate, ac præsentiâ Præceptoris pro tempore existentis dicti Hospitalis facere, & sic electum Romano Pontifici, pro tempore existenti, canonicè intranti, præsentare, qui illum debeat confirmare. Quodq; similitèr vnũ ex Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus, quotiescunque dictum Hospitale carere contigerit Protectore, in Protectorem eligere, & illum Romano Pontifici presentare confirmandum. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ Preceptori pro tempore existenti dicti Hospitalis, vt tàm Pueros, quam Puellas, qui ibidem pro tempore exponuntur, quemadmodum ad bonum, & pium Patrem spectat, manuteneat tamquam filios, & conseruet; illosque, & illas sub optimis disciplinis instituere studeat, vt sic apud Deum meritum, & apud homines laudem consequi mereatur. Concedentes insupèr Motu, scientiâ, & auctoritate similibus, tam Hospitalis prædictis, quam omnium aliorum eius membrorum, & locorum in obedientiâ, subiectione, correctione, & omnimodâ dispositione Præceptoris dicti Nostri Hospitalis Sancti Spiritus in Saxiâ de Vrbe solum, & dumtaxàt existentium, ab eodem depẽdentium, Præceptoribus, Prioribus, seu Rectoribus, pro tempore existentibus, quod de relictis, & obuentionibus eis, ratione dictarum Præceptoriarum, mẽbrorum, & locorum, factorum, ad soluendam aliquam Quartam Episcopalem, seu Parochialem, seu aliquam Gabellam, passum, seu impositionem, & quoduis aliud onus, etiam occasione rerum, bonorum, fructuum, & animalium dicti Hospitalis Nostri S. Spiritus de Vrbe, in quibus locis deinceps perpetuis futuris temporibus non teneantur, nec ad id à quoquam inuiti compelli, seu coarctari posint, aut valeant. Prætereà, vt Preceptores, & Fratres predicti quietiùs, & liberiùs sua vota Altisimo exoluere, ac Præceptoriæ, Ecclesiæ, Hospitales, & alia loca eorum à dicto Hospitali de Vrbe, vt suprà, dependentia, meliùs, & salubriùs gubernari posint, quò Sedis eiusdem fuerint præsidio communita, Hospitale prædictum, illiusque modernum, & pro tempore existentem Præceptorem, ac Conuentum, & Fratres, & personas, ac familiares omnes, eorumque quoslibet, & alias Præceptorias, membra, Hospitalia, & loca ab ipso Hospitali Nostro dependentia, illorumque similitèr Præceptores Fratres, Conuentum, & personas, necnon Castra, Terras, & Oppida, illorumque Vassallos, & subditos, bonaque omnia, & singula mobilia, & immobilia, quæ ad præsens possident, & in futurum, largiente Domino, poterunt adipisci, sub Beati Petri, & dictæ Sedis, ac Nostrâ protectione, motu, auctoritate, & scientiâ prædictis suscipimus, ac ab omni Iurisdictione, Superioritate, Visitatione, Correctione, dominio, & potestate Ordinariorum, & eorum Vicariorum, & Officialium quorumcumque, etiam quoad Curam animarum ipsis, & Ecclesiis eis subiectis imminẽtem perpetuò, penitùs, & omninò eximimus, & totalitèr liberamus, ac prorsùs exemptos, & liberos, exemptaque & libera fore, ac Nobis, & dictæ Sedi dumtaxàt immediatè, quoad omnia subiacere (eorumdem Præceptoris, & Conuentus Hospitalis S. Spiritus de Vrbe iurisdictione, superioritate, potestate, & preeminentiâ semper saluis) decernimus, & declaramus; Ita quod Ordinarij, Vicarij, & officiales prædicti, etiam ratione delicti, contractus, aut rei, de quâ agitur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, in eos, vel in ea, tamquam prorsùs exemptos, & exempta, iurisdictionem, dominium, & potestatem, aut superioritatem quomodolibet exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aliasue sententias, censuras, & pœnas promulgare, neque ipsi Præceptores, Fratres, & personæ coram illis, aut dictæ Sedis Delegatis, vel Subdelegatis pro tempore directis, de præsentibus litteris specialis & expressa mẽtio fiat, ad iudicium auocari, aut quouis modo directè, vel indirectè inquietari, vel molestari possint, nec debeant quoquomodo. Decernentes omnes & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos & quas contrà exemptionem, liberationem, susceptionem, decretum, & declarationem huiusmodi, forsan haberi, vel promulgari; nec non quidquid secùs super hijs à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti: Ac pro maiori Hospitalis, & aliarum Præceptoriarum, ac membrorum, & Fratrum, aliarumque personarũ, subditorum, & Vassallorum prædictorum fauore, & quiete; motu, & scientiâ similibus, concedentes eisdem, quod de cœtero perpetuis futuris temporibus, omnibus prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, conseruatorijs, priuilegijs, gratijs, & indultis præfatæ Congregationis S. Iustinæ, illorumque locis; membris, & personis per sedem predictam vel aliàs quomodolibet in genere, & in specie concessis, aut in posterum concedendis, quorum omniũ tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro sufficientèr expressis, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè in omnibus, & per omnia possint, & debeant, perindè, ac si eis specialitèr concessa fuissent, quæ ad eos, & ea omninò extendimus, & ampliamus. Et insupèr eisdem Episcopis, etiam motu, & scientiâ similibus, mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, aut alios faciant, dictâ auctoritate Nostrâ, eosdem Præceptores, Fratres, Conuentus, & personas, Præceptorias, Ecclesias, Oratoria, Hospitalia, atque loca prædicta, sub obedientiâ, correctione, potestate, & auctoritate Præceptoris Hospitalis S. Spiritus de Vrbe, vt caput existentis, exemptionis, & liberationis huiusmodi specificâ possessione gaudere, ac præmissa omnia, & singula vbi, & quando expedierit solemnitèr publicantes, ac Præceptoribus, Conuentibus, Fratribus, & personis, Præceptorijs, Ecclesijs, Oratorijs, membris, Hospitalibus, atque locis præfatis in eisdem præmissis, efficacis defensionis presidio assistentes; non permittentes eos, eas, vel ea, seu eorũ aliquam, vel aliquod per Ordinarios, Vicarios, & officia-

ficiales prædictos, seu quoscunque alios contrà, præsentium tenorem, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore impedire, seu quomodolibet molestare; impedientes, contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, ecclesiasticas, & alia iuris oportuna remedia, cum censurarum prædictarum aggrauatione & reaggrauatione, appellatione, postpositâ, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac Nostrâ super expressione fructuum, reddituum, & prouentuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quę vniuntur, & quibus, ac commissione desupèr ad partes fienda; nec non recolendæ memoriæ Innocentij Papæ IV. similitèr prædecessoris Nostri contrà exemptos, quæ incipit Volentes; & alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non de quibusuis conuentualibus, ac alijs per Nos, vel Sedem prædictam, pro tempore, factis generalibus, vel specialibus reseruationibus, ac statutis, & consuetudinibus supradictis contrarijs quibuscumque. Aut si Ordinarijs, Vicariis, & officialibus prædictis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibuslibet alijs pactis, & conuentionibus, necnon Priuilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, & specialibus, ac præscriptionibus, etiam longissimi temporis quorumcunque tenorum existant, per quæ pręsentibus non expressis, vel totalitèr non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, quorumq; totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis, quę quoad hoc, eis nolumus aliquatenùs suffragari. Cæterum, quia difficile foret pręsentes litteras ad singula quęque loca in quibus expediens foret, deferre; Volumus; atque decernimus quod ipsarum litterarum, ac omnium, & singulorum Priuilegiorum dictę Congregationis S. Iustinæ, seu Apostolicarum, & quarumcumque aliarum litterarum desupèr confectarum transumptis, manu alicuius publici Notarij inde rogati subscriptis, & sigillo Auditoris Cameræ Apostolicæ, vel præfati Præceptoris dicti Nostri Hospitalis de Vrbe munitis, ea prorsùs fides in iudicio, & extrà, ac aliàs vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus litteris, & priuilegijs, ac litteris Congregationis prædictæ adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ, ac Priuilegia, & litteræ Congregationis prædictæ eisdem Hospitali de Vrbe, illius membris, Pręceptorijs, Pręceptoribus, Fratribus, ac alijs personis prædictis concessa, & pro eis expedita fuissent. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1483. Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

## CONSTITVTIO CCCXLIII.

### SVMMARIVM.

1489. Apr. 9.

### INNOCENTIVS PAPA VIII.

1 *Abbati Monasterij Cistercij Cabilonensis Diœcesis, alijsque Quatuor principalium Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus Ecclesiastica paramenta, Sacra Vascula, Calices, Cruces benedicere, non tantum pro vsu propriarum Ecclesiarum, verum etiam pro quibuscumque Ecclesijs externeis.*

2 *Altaria de nouo constructa, vel translata consecrare. Benedictionem solemnem in omnibus Ecclesiis & locis dicti Ordinis in Missis, Vesperis, & Matutinis elargiri.*

3 *Sacros Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines Monachis dictæ Congregationis conferre.*

4 *Missam ante diem celebrare, vel audire.*

5 *Benedictionis munus idem Abbas Cistercij alijs Abbatibus, & Abbatissis dicti Ordinis impertiri posse, indulget.*

*Rodéric. Bullar. Apost. Innoc. VIII. Const. 5.*

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto Filio Ioanni Abbati Monasterij Cistertij, Cabilonensis Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Exposcit tuæ deuotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, vt tàm te, quem speciali dilectione prosequimur, quàm tuum, & alia quatuor principalia tui Cistercienſis Ordinis Monasteria, post, & per dictum Monasterium tuum immediatè fundata, primas quatuor illius Filias nuncupata, condignis honoribus attollamus, ac specialibus fauoribus, & gratijs prosequamur: Cum itaque, sicut exhibita Nobis nupèr, pro parte tuâ, petitio continebat, ex Priuilegijs, & indultis Apostolicis, tibi, & aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum Abbatibus, pro tempore existentibus, vt omnes Ordines Minores, personis Ordinis eiusdem intrà Monasteria prædicta, conferre ac pallas Altaris, & omnia ornamenta Ecclesiastica benedicere, ac Mitrâ, & Annulo, & alijs Pontificalibus insignijs vti: necnon in ipsis, & alijs Monasteriis, & Prioratibus illis subiectis, ac Parochialibus & alijs Ecclesiis ad eos communitèr, vel diuisim pertinentibus, quamuis eis pleno iure non subessent, benedictionem solemnem, post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia) dummodo in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, vel Apostolicæ Sedis Legatus præsens non foret) elargiri. Ac Ecclesias, & Monasteria dicti Ordinis, quotiès foret opportunum, dummodò, ex homicidio illa polluta non forent, reconciliare, aquâ priùs per aliquem Catholicum Antistitem, vt moris est benedictâ obtètâ, valerèt, diuersis vicibus, ac partibus, quandoque sigillatim, quandoque simul, prout ipsa Priuilegia edocent, concessum fuerit. Et ab aliquibus hæsitetur, an tù, & dicti Abbates Pallas, & alia ornaméta huiusmodi, extrà ipsius Ordinis Monasteria, & etiam illa, quæ ad Monasteria, & Loca dicti Ordinis non spectarent, & an possint in quibuslibet aliis Monasterijs, & locis dicti Ordinis vtriusque sexus, benedicere licet Abbates prædecessores à tanto tempore citrà, cuius contrarij hominum memoria non extitit, pręmissa omnia, seu maiorem partem
1 facere consueuerint. 1 Nos qui Ordinem ipsum præcæteris in visceribus gerimus charitatis, & illum intendimus, non minoribus gratijs, & Priuilegiis, quâm prædecessores Nostri fecerint, decorare, tuis, in hâc parte supplicationibus inclinati, Tibi, & successoribus tuis, ac dictis Abbatibus aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum, & pro tempore existentium, vt de cętero perpetuis futuris temporibus, prædicta, & quæcumque alia, vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica, Corporalibus

bus, vasculisque ad reponendum Sacram Eucharistiam, ac Imaginibus quibuslibet comprehensis, in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & Calices consecrare, tàm de dicto Ordine, quàm si ad vos
2 aliundè nonnumquam deferantur. 2 Ac Altaria de nouo constructa, seu translata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro priùs ab aliquo Antistite recepto, consecrare; Et etiam benedictionem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia in quibuslibet Monasteriis, Domibus, atque locis dicti Ordinis vtriusque sexus seruatis gradibus superioritatis inter vos, elargiri.
3 3 Ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus extrà claustrum discurrere hinc indè cogantur, Tibi, & successoribus tuis, vt quibuscumque dicti Ordinis Monachis, alijs verò quatuor Abbatibus, præfatis, ac eorum successoribus, vt suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines huiusmodi
4 aliàs ritè conferre. 4 Ac cum negotiorum qualitas pro tempore ingruentium id exegerit, antequàm illucescat dies, circà tamen diurnam lucem, ità quod id, nec vobis, nec Sacerdoti talitèr in præsentiâ vestrâ celebranti ad culpam valeat imputari, Missam in vestrâ, & cuiuslibet vestrum, ac familiarium vestrorum, vobiscum, præsentiâ, per vosmetipsos Missam celebrare, & per alium Sacerdotem ido-
5 neum facere celebrari. 5 Et quia interdum proptèr munus benedictionis, quod per Episcopos Abbatibus, & Abbatissis dicti Ordinis impenditur, contentiones, ac Priuilegiorum Ordinis vestri læsiones oriuntur, sub eo prætextu, quod Episcopi præfati ex impressione muneris huiusmodi prætendunt aliquã postmodum in eos, & eorum Monasteria iurisdictionem, & superioritatem contrà dicti Ordinis vestri Priuilegia habere; Tibi, & successoribus tuis prædictis dumtaxat, vt munus benedictionis huiusmodi quibuscumque dicti Ordinis Abbatibus, & Abbatissis impendere, ac Abbatibus, & Abbatissis prædictis, vt dictum munus à te, & à successoribus tuis recipere liberè, ac licitè positis, & possint, auctoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ, tenore præsentium, de speciali dono gratiæ, indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon omnibus, quæ in litteris Priuilegiorum, & indultorum huiusmodi concessum est non obstare, cœterisque contrarijs quibuscumque. Prouiso, quod huiusmodi concessione ante diem celebrandi, seu celebrare faciendi parcè vtamini, quia cum in Altaris officio immoletur Dominus Noster Dei Filius Iesus Christus, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc, non noctis tenebris fieri, sed in luce. Verum, quia difficilè foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre; volumus, & præfatâ auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu publici Notarij indè rogati, subscriptis, & sigillo tuo, aut alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, ea prorsus fides in dubia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &cet. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Domini 1489. quinto Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO CCCXLIV.

### SVMMARIVM.

1497. *Martij* 8.

### ALEXANDER PAPA VI.

*Priuilegia Ordinum quorumcumque, quibus Eremitarum S. Augustini Priuilegia sunt communicata, eisdem Eremitis concedit.*

*Bullar. Apost. Rodriq. tom. 1. Alex. VI. Const. 12.*

ALEXANDER Papa VI. Dilectis filijs Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini. Dilecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacræ Religionis, sub quâ, in humilitatis spiritu, deuotum, & sedulum exhibere studetis Domino famulatum, promeretur honestas, vt supèr his, quæ vobis, vestræque Congregationi prosperi status incrementum afferre valeat gratiosum, Apostolici fauoris præsidium libentèr impendamus. Accepimus quidem diuersorum Ordinum Religiosos per Sedem Apostolicam, vt Priuilegijs vobis, vel Ordini vestro concessis frui, & gaudere possent, concessum fuisse. Quarè æquum fore arbitramur, vt pari modo vos eorumdem Ordinum, & Religiosorum Priuilegijs gaudere possitis. Nos igitur, qui vos degentes in Ecclesijs, quæ sub titulo de Populo Gloriosæ Virginis Mariæ, cui deditissimi sumus, ad quam habemus singularem deuotionis affectum, in visceribus charitatis Nostræ amamus. Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de plenitudine potestatis, Vobis, vestræque Congregationi, & omnium singulorum Religiosorum cuiuscumque obseruantiæ fuerint, domorum, & locorum, personarumque in illis degentium, quibus, vt Priuilegijs vestri Ordinis vti possint concessum est per eamdem Sedem, ipsarumque Domorum, locorum, & personarum in illis habitantium Priuilegijs, indultis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, Indulgentijs quâcumq; auctoritate Apostolicâ concessis, quorum tenores omnium, & singulorum, ac si de illis specifica, & expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum mentio facta fuisset præsentibus, haberi volumus pro expressis, specificatis, & insertis; perpetuis futuris tẽporibus vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeatis concedimus in omnibus, & per omnia, perindè ac, si illa omnia, & singula, cum suis clausulis vobis, vestræque Congregationi specialitèr concessa fuissent. Non obstantibus Constitutionibus, & Apostolicis Ordinationibus, cœterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Martij 1497. Pontificatus Nostri Anno quinto. L. Podocatarus.

## CONSTITVTIO CCCXLV.

### SVMMARIVM.

1507. *Iulij* 15.

### IVLIVS PAPA II.

*Priuilegia Congregationis Casinensis seu S. Iustinæ de Paduâ*

*Padua Congregationi Vallisumbrosæ communicat.*

*De Iure Aub.tom.1.*

IVLIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Militantis Ecclesiæ regimini, disponente Domino, præsidentes, ex commisso Nobis Pastorali officio inducimur, vt ijs, quæ pro Religiosorum quorumlibet in humilitatis spiritu famulantium, felici successu, à Sede Apostolicâ concessa, cum Nostræ approbationis munimine, fauorabilitèr roboremus, vt eò firmiùs subsistant, quò Sedis eiusdem firmitate sæpiùs fuerint circumfulta; ac etiam alia de nouo, ex Sedis eiusdem benignitate concedamus, prout eisdem Religiosis, & aliàs in Domino conspicimus, salubritèr expedire. Sanè, pro parte dilectorum Filiorum Blasij Abbatis Monasterij Diuæ Mariæ Vallis Vmbrosæ Nobis nupèr exhibita petitio continebat, quod aliàs felicis recordationis Vrbanus Secundus, Vrbanus Tertius, Paschalis Secundus, Innocentius Tertius, Innoc. Octauus, Cœlestinus Secũdus, Cœlestinus Tertius, Gregorius Octauus, Bonifacius Octauus, & quamplures alij Romani Pontifices Prædecessores Nostri, Monasterijs Ordinis, & Congregationis prædictorum, illorumque membris, ac Monasterijs, & personis eorumdem, multa, & diuersa Priuilegia, indulta, & immunitates concesserunt, prout in litteris ipsorum prædecessorum pleniùs dicitur contineri. Quarè pro parte Blasij Abbatis, qui, vt asseritur, etiam Generalis Ordinis, & Congregationis prædictorum existit, ac Definitorum prædictorum, asserentium, quod Monasteriorum Congregationis huiusmodi Abbates, & Monachi iuxtà eamdem Regulam, & Obseruantiam Regularem, dilectorum Filiorum Monachorum Congregationis S. Iustinæ, aliàs Casinensis Ordinis Sancti Benedicti reguntur, Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt illis, pro eorum subsistentiâ firmiori, robur Nostræ approbationis adijcere, ac illa innouare, eisque modo, & formâ, quibus concessa sunt, de nouo concedere, necnon infrascriptorum tenorum, quascunque aliàs piæ memoriæ Eugenij Quarti, & Alexandri Sexti, ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum Nostrorum, litteras eidem Congregationi Sanctæ Iustinæ, aliàs Casinensi, concessas, & in illis contenta Priuilegia, immunitates, Indulgentias, & indulta quæcumque eidem Congregationi Sanctæ Iustinæ, seù Casinensi, & illius Monasterijs, Monachis, & personis per Sedem eamdem quomodolibet concessa, ad Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ huiusmodi, ac illius Monasteria, & loca, ac personas, & bona extendere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ huiusmodi, propter vberes fructus, quos in militanti Ecclesiâ in diuinis contemplandis, & assiduis orationibus, & præcibus ad Deum producere noscuntur, in visceribus charitatis, & dilectionis Nostrę complectimur, Blasium Abbatem, & Definitores, necnon Congregationem Vallis Vmbrosæ huiusmodi, ac eiusdem Congregationis singulares personas, à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet, innodati existant, ad effectum præsentium, dumtaxàt, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; Necnon Priuilegiorum, libertatum, immunitatum, gratiarum, & indultorum, tàm per dictos Prædecessores, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes Sæculares, ac Prælatos quoscumque eisdem Ordinibus, & Congregationi, ac illorum Monasteriis, locis, & personis concessorum tenores, qui præsentibus non sunt inserti, ac si de verbo ad verbum insererentur, eisdem præsentibus, pro expressis habentes; Priuilegia, indulta, immunitates, & libertates Congregationis Vallis Vmbrosæ huiusmodi per prædecessores, ac, quatenùs sint licita, & honesta per Imperatores, Reges, Principes, & Prælatos prædictos concessa, ac prout concernunt omnia, & singula in litteris Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum sæcularium, ac Prælatorum prædictorum desupèr confectis contenta, innouamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus; supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan in Priuilegijs per Imperatores, Reges, & Principes sæculares, ac Prælatos prædictos concessa interuenirent, illaque omnia eisdem modo, & formâ, quibus concessa sunt de nouo concedimus; Necnon litteras Eugenij, & Alexãdri infrascriptas, ac quasuis aliàs ipsorum, ac quorumcumque aliorum Prædecessorum litteras huiusmodi, & in illis contentas; Necnon alia Priuilegia, immunitates, Indulgentias, & indulta, quæcunque, & qualiacunque sint, Congregationi Sanctæ Iustinæ, & illius Monachis prædictis, tàm per dictos, quàm quoscunque alios Romanos Pontifices quomodolibet in genere concessas, & concessa, quatenùs similitèr sint in vsu, ac in posterum reconcedendas, & reconcedenda, ad Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ, ac illius Monasteria, etiam Monialium, & loca, ac personas, & bona prædicta, eâdem auctoritate extendimus. Ac statuimus, & ordinamus, quòd Ordo, & Congregatio Vallis Vmbrosæ huiusmodi illis, absque vllâ penitùs differentiâ, vti potiri, & gaudere, eâque omnia, & singula intèr ipsos communia esse, & eis suffragari debere in omnibus, & per omnia, perindè, ac si illa eidem Ordini, & Congregationi Vallis Vmbrosæ communitèr à principio concessa fuissent, & in futurum concederentur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis. Nec non Congregationum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac Priuilegijs, & indultis Ordinibus, & Congregationibus prædictis forsan sub quibuscumque tenoribus concessis, quibus tenores huiusmodi præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxàt, harum serie, specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Et insupèr, quia difficile foret, præsentes litteras ad singula, vbi opus fuerit, deferre, volumus, & dictâ auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu publici Notarij inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu alterius Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, munitis, ea prorsùs fides indubia vbilibèt adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si originaliter essent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, innouationis, approbationis, confirmationis, communicationis, suppletionis, concessionis, extensionis, statuti, ordinationis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apo-

Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1507. Idibus Iulij Pontificatus Nostri Anno Quarto.

## CONSTITVTIO CCCXLVI.

### SVMMARIVM.

1508. *Iunij 30.*

### IVLIVS PAPA II.

1 *Viuæ vocis oracula à Summis Pontificibus Mendicantium Ordinibus concessa, ac concedenda Fratribus Eremitanis S. Augustini Motu proprio, & ex certà scientià communicat. Priuilegiaque omnia Mendicantium concedit, & confirmat.*

2 *Ob inobseruantiam conditionum, non cadere à iure bonorum, sub conditione concessorum, concedit.*

*Ex Priuil. Eremit. S. Augustini.*

IVLIVS Papa II. Vniuersis, & singulis Fratribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionem vestram multis gratijs à Summis Pontificibus prædecessoribus Nostris donatam, à Nobis quoque, & de-
1 fendendam, & augendam esse existimauimus. Decernimus itaque primò, communicationem Priuilegiorum aliorum Mendicantium Ordinum, ad ea etiam extendi, quæ Viuæ vocis oraculo ab illis impetrata, aut eis in genere donata sunt. Volentes, vt quidquid alicui eorundem, & hoc modo, aut quouis alio concessum est hactenùs, aut in posterum concedetur, siue Conuentualibus, siue Obseruantibus nuncupatis, id omne Motu proprio, & certà
2 scientià vobis esse concessum. 2 Deindè loca omnia, domos, templa, agros, fructus, & singulas denique res, ac earum iura, tàm à Sede Apostolicà, quàm à quibusuis Christi fidelibus quomodolibet concessa, siue industrià, & vestro labore parta fuerint, vt hactenùs iustè, & pacificè possedistis, ità in futurum possideatis, eisdem motu, & scientià concedimus, & confirmamus. Addentes, quod si vlla earum rerum sub certà conditione vobis concessa sit, ob cuius non obseruationem, à iure, quod in illis vobis competebat, iam cecideritis, vos in eo statu esse, in quò eratis, antequàm à vestro iure cecidissetis, restituimus, & motu proprio, certà scientià, ac de potestatis plenitudine, plenariè reintegramus, singulis conditionibus illis non obstantibus, quibus auctoritate præfatà specialitèr, & expressè derogamus. Et insupèr statuimus quascunque de domibus vestris, ac rebus alijs hactenùs factas impetrationes, ac quas in posterum, sub quibuscunque verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & alijs fortioribus, efficacioribus, & insolitis fieri contigerit, nisi in huiusmodi faciendis impetrationibus Generalis, & Prouincialis Priorum dicti Ordinis pro tempore existentium ex præmissis accesserit assensus, nullum robur omninò obtinere debere, immò prorsùs præfatis motu, & potestate extinguimus, cassamus, & annullamus, ac pro nullis, & infectis haberi volumus, decernimus, & declaramus quotièsque contigerit huiusmodi fieri impetrationes, totiès de nouò inanes, & irritas illas esse volumus. Et quia contingere posset, quod supèr præfatis, aut ratione concessionis, aut ratione non obseruationis certæ conditionis, (vt præfertur) lites aliquę, tàm super proprietate, quàm possessorio, vel aliquo prætenso spolio, quoquo modo vobis illatæ, & motæ fuissent, prout de præsenti per Siluium Thomasium pro Clerico se gerentem super S. Luciæ Vallis Rosiæ, ac Monticuli, & Sanctæ Mariæ de Griptà, Volaterranæ, & Senensis Diœcesis, domibus vestris, & illarum possessionibus, ac fructibus motæ sunt, eas omnes, & eam præcipuè, quàm intèr vos, & dictum Siluium super dictis domibus, ac fructibus S. Luciæ Monticuli, & S. Mariæ de Griptà præfatis, coram dilecto filio Ioanne Vannullio Capellano Nostro, & causarum Palatij Auditore, siue Vicario Episcopi Volterrani, aut alio quocunque Iudice, quorum nomina, & cognomina pro expressis habentes, indecisam pendere percepimus, in quàcunque instantià existant, quarum status, & merita pręsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, ex certà Nostrà scientià, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, sublatà illis, aut eorum cuilibet, potestate supèr his decernendi, harum serie ad Nós aduocamus, & extinguimus: ac præfato Siluio, & alijs quibuscunque quàcunque dignitate, & præeminentia præditis, motu, & scientià, & potestate similibus, perpetuum silentium imponimus: Cùm Nostræ intentionis, & primi propositi semper fuerit, & sit, pro conseruatione, & augmento Religionis, Monasteria, & loca dicto Ordini ab olim concessa, pręsertim antiquiora, qualia pręmissa asseruntur à dictà Congregatione Eremitarum S. Augustini, & ab eius Ordine, non debere dismembrari, vel auferri pręsertim à personis diuersæ Religionis, vel Presbyteris, seu Clericis sęcularibus: impetrationesque de illis quomodolibet, & qualitèrcunque etiam Motu proprio factas, non tenere, nulliusque esse roboris, vel momenti, prout per pręsentes Nostras attestamur, & declaramus, dictasque impetrationes per inaduertentiam, & præter meatem Nostram, & voluntatem concessas. Volumus denique, & statuimus, vt quæ Ordini vestro, tempore generalis interdicti concessa sunt, eà omnia in speciali interdicto concessa esse, in quo licere vobis volumus eadem omnia, quæ in generali licere actum est. Et quia contingere posset, Vos, ac vestrum quemlibet ratione constitutionis felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris Nostri, aut ex quàcunque alià causà, excommunicationis sententiam incurrisse, aut irregularitatem cõtraxisse, præfatas domos retinendo; idcircò ab ipsis omnibus absoluimus, & absolutos esse decernimus. Harum autem litterarum transumptis (si Sigillo Religionis signentur) non minorem fidem haberi volumus, quàm si præsentes essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die trigesimà Iunii, Millesimo quingentesimo octauo, Pontificatus Nostri Anno sexto.

CON-

CONSTITVTIO CCCXLVII.

*SVMMARIVM.*

1510. *Feb.* 27.

IVLIVS PAPA II.

*Fratribus Ordinis Prædicatorum indulget, Quod per publicationem Bullæ in die Cœnæ Domini, non derogetur Priuilegijs dicti Ordinis absoluendi Fratres prędictos à Casibus in dictis Bullis contentis, aliquibus exceptis.*

*Peyrin. Priuil. Reg. Iulij II. Const.* 14.

IVLIVS Papa II. Dilecto filio Thomæ de Vio Caietano Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis fecisti, quod licet fel. recor. Sixtus Papa IV. prædecessor Noster, secundum carnem Patruus, extendendo declarauerit, in quibus casibus ad Sedem Apostolicam recurrendum esset pro absolutione, & dispensatione censurarum, & irregularitatum à personis Ordinis Prædicatorum; nihilominùs propter clausulas derogatorias positas in Bullâ, quæ singulis annis in Cœnâ Domini publicatur, dubitas facultatem illam Ordini prædicto ademptam. Super concessione quoq; quàm nupèr fecimus Sororibus de pœnitentiâ B. Dominici nuncupatis, collegialitèr viuentibus, quod possint tria Vota Religionis emittere, nonnulla declarari desideras, & proindè supplicasti humilitèr, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Religiosorum quieti, quantum cum Deo possumus, libentèr consulimus; Volentes occasiones tollere vagandi, attendentesque quod multa in prædictâ declaratione concessa sunt, quæ in Bullâ prædictâ continentur, eiusdem Sanctæ Sedis auctoritate decernimus, quod illi, quibus in prędictâ declaratione concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licitè possint perpetuis temporibus absoluere, & dispensare ab omnibus, & singulis, ac si prædicta Bulla in Cœnâ Domini non esset facta, nec fieret; prætterquàm à conspiratione in Romanum Pontificem, & ab illis, propter quæ prædictus prædecessor Noster declarando, voluit ad eandem Sanctam Sedem etiã recurrendum. Sorores quoque de Pœnitentiâ B. Dominici nuncupatæ collegialitèr viuentes, & volentes vouere, tria Religionis Vota iuxtà, Nostram concessionem; eâdem auctoritate volumus, vt profiteantur obedientiam tibi, & pro tempore existenti Magistro Generali, vel alteri vices generalis Magistri gerenti, vsque ad mortem, secundum Regulam B. Augustini, & propter hoc tamen non teneantur ad clausurã, nec ad officium diuinum magis, quàm ex suâ Regulâ tertij habitus tenentur. Et quod exemptæ, tamquã dictæ Religionis membra, gaudeant omnibus Priuilegijs actiuè, & passiuè, quibus Fratres Ordinis supràdicti gaudent, modo Priuilegia illa sexui non repugnent. Non obstantibus quibuscumque Apostolicis constitutionibus, ordinationibus, suspensionibus, reuocationibus, & restitutionibus, ac etiam constitutionibus, & ordinationibus, nec non Priuilegijs, & consuetudinibus dicti Ordinis, vel dictarum Sororũ iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quãuis firmitate aliâ roboratis; nec non Curię Vice gerentis Auenion: Et quibusuis ordinarijs Prælatis, ac personis concessis, & concedendis litteris, Priuilegijs, & facultatibus, cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus, & insolitis, quibus omnibus, etiamsi de eis, & supràdictis omnibus, eorumque totis tenoribus, & datis, non per huiusmodi generales clausulas, etiam specialem mentionem importantes, sed specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, seu quæuis alia mentio habenda esset; præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, quo ad præmissa specificè, & nominatim derogamus, nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere, ac irritum & inane quicquid secùs contigerit attentari, decernimus, cœterisque contrarijs quibuscumq; Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 27. Februarij, Anno 1510. Pontificatus Nostri Anno 7.

CONSTITVTIO CCCXLVIII.

*SVMMARIVM.*

1513. *Iunij* 10.

LEO PAPA X.

*Priuilegia omnium Ordinum Regularium, Ordini Eremitarum Sancti Augustini concedit, & confirmat.*

*Ex lib. Priuilegiorum Ordinis Eremitarum S. Augustini.*

LEO Papa X. Dilecto filio Fratri Ægidio Viterbiensi Ordinis Eremitarum S. Augustini Priori Generali Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem. In rerum Christianarum curam vocatis Nobis, nihil visum est antiquiùs, quàm vt rem diuinam, vt pietatem, vt Religionem excolamus, augeamusque. Ordinem itaque tuum Eremitarum S. Augustini, cui tu pro singularibus tuis virtutibus, iudicio felicis recordationis Iulij Secundi prædecessoris Nostri, & eiusdem Ordinis tui postulatione, præsidere coactus fuisti, libentèr amplectimur. Cupientes itaque præter diuini etiam cultus honorem, atq; incrementum, tibi gratificari, quem ob doctrinam, ac vitæ continentiam, admirabilemq; in sacris concionibus habendis, & tibi (Deo dante) acquisitam gloriam, & populo Fideli vtilitatem, in visceribus paternæ charitatis gerimus, ipsum Ordinẽ tuum, omniaque Priuilegia, concessiones, indulta, exemptiones, immunitates, indulgentias, facultates, loca prætterea omnia, templa, agros, fructus, alia denique omnia, atque eorum iura, tàm à Sede Apostolicâ, quàm à quibuscunque alijs, quãuis ratione concessâ, Motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine rata, firma, perpetua esse volumus, & vt illæsa perpetuò sint, Apostolicâ auctoritate approbamus, atq; confirmamus. Quidquid ita concessum est hactenùs, aut concedetur in posterum, siue ab Apostolicâ Sede per litteras plumbo signatas, vel in formâ Breuium, vel quocunque alio modo, siue ab alijs quibuscumque personis, stabilia, æternâ firmitate esse decernimus. Communicationem quoq; Priuilegiorum cum alijs Ordinibus omnib. confirmamus, & roboramus: volentes Priuilegia

Nostra omnia integrè,& ad verbum (ut sonant)plenissimè, atque inuiolabilitèr vbique gentium obseruari. Si quid verò impetratum fuerit, vel hactenùs, vel in posterum, vndè quidquam eorum, quæ diximus,lædendum,vel infringendum,vel quouis modo minuendum videatur, à quocunque tentatum id fuerit,siue à Clericis,siue à Laycis,siue à Fratribus, tàm alieni Ordinis,quàm tui,id omne delemus, improbamus, & prorsus sublatum esse constituimus. Quin etiam quascunque impetrationes,tàm factas, quàm faciendas, quibus vllum lædatur eorum, quæ diximus,vel eorum, quæ ad totius Ordinis, vel partium iura pertineant,vel etiam eorum, quæ in legibus,aut Regulâ, aut constitutionibus, aut diffinitionibus, aut consuetudinibus contineantur, à quibuscunque eorum, quas narrauimus factæ fuerint, sub quibuscunque verborum formis, & clausulis, etiam derogatorijs derogatoriarum,& alijs fortioribus,efficacioribus,& insolitis fieri contigerit,nisi tuus, vel Generalis Prioris,pro tempore existentis expressè,& canonicè scriptus appareat consensus,nullum omninò robur obtinere decernimus. Sed per has Nostras litteras,eas omnes impetrationes infirmamus,tollimus,nulliusq; esse momēti volumus, decernimus,& declaramus.Et quotiès impetrationes tales,vel quales,quâcunque ratione,tuo Ordini incommodo esse possent, fieri contigerit, totiès eas de nouo irritas inanes, & nullas esse volumus.Et quoniam euenire posset,quod supèr his, aut ratione concessionis, aut ratione non obseruationis certarum conditionum lites aliquæ,tàm super proprietate,quàm possessorio, vel alio quocunque prætenso spolio vel quocūque modo vobis inferantur, in quâcunque instantiā existant, quarum status, & merita præsentibus pro expressis habentes,sub quibuscunque Iudicibus agitentur, quorum nomina, & cognomina pro expressis haberi etiam volumus: lites eiusmodi omnes supèr his, quæ diximus, ad Nos aduocamus, & extinguimus,atque his perpetuum silentium imponimus, quocunque gradu,statu,conditione illi existant, qui vexare in his vos audeant: Vos enim vt sanctis ritibus, precibusque operam detis, pace frui cupimus, non litibus,non molestijs agitari. Impetrationesque illas,quæ aduersus aliquid eorum,quæ narrauimus, factæ fuerint,à quibuscunque,& qualitèrcunque factæ fuerint,etiamsi Motu proprio emanarint,nisi,vt priùs diximus, fuerint, statuimus nullius esse roboris, vel momenti;proindeque per præsentes Nostras testamur,& declaramus per inaduertentiam,& præter Apostolicæ Sedis mentem excidisse;quæ quidem Sedes,Sacra,Religiosa,& quæ diuino cultui seruiunt imperturbata, ac tutissima esse vult. Si quam verò excommunicationem,aut irregularitatem, censurāuè aliam vtcunque incideritis, Vos per has Nostras (sine tamen tertij præiudicio)absoluimus.Verum vt firmissima omni ex parte sint hæc;idcircò quidquid in præsentibus litteris dedimus, concessimus, decreuimus, vel constituimus, ijsdem Motu proprio, ac certâ scientiâ Nostrâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine datum,concessum, decretum, constitutum esse significamus,affirmamus,approbamus, declaramus,volumus.Denique transumptis harum litterarum plenam fidē adhiberi vbique,etiam in iudicio sancimus, ac si earum originale exemplar ostenderetur,modo legalis Notarij manu, vel Prælati in Ecclesiasticâ dignitate constituti, vel Religionis sigillo,authenticè scripta, & obsignata sint. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimâ Iunij. Millesimo quingentesimo decimo tertio,Pontificatus Nostri anno primo.

## CONSTITVTIO CCCXLIX.

### SVMMARIVM.

1513. *Iulij* 23.

### LEO PAPA X.

*Ordinis Minimorum, S.Francisci de Paulà Correctori Generali concedit, vt cum suis Fratribus dispensare valeat, vt pro singulis Collectis, totidem Missis, vsque ad nouem numero satisfaciant.*

*Peyrin. Priuil. Regul. Leon. X. Const. 5.*

LEo Papa X.Vniuersis, & singulis presentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Exposcit Dilectorum Filiorum Fratrū Ordinis Minimorum deuotionis sinceritas,& Religionis promereretur honestas, vt eorum pijs petitionibus libentèr annuamus. Licet aliàs fel. record. Iulius Papa II. prędecessor Noster dilecto filio Francisco Binet,tunc Correctori Generali dicti Ordinis, per suas informâ Breuis, litteras concesserit, quòd si ipse in visitatione Domorum dicti Ordinis, & quàm iuxtà illius Regularia instituta, facere tenebatur,vel aliàs in aliquibus domibus, vel locis dicti Ordinis, tàm pro Ecclesiarum fabricis, quàm alijs Fratrum necessitatibus, Missarum multitudinem copiosam inueniret,& cognosceret, quod illæ per Fratres locorum, & domorum huiusmodi, in Ecclesijs eorum, iuxtà obligationem per eosdem Fratres factam, aut relinquentium ordinationem, celebrari non possent, prout in Ianuen.& Parisien. domibus per illorum Fratres factum esse cognouerat,vt cum Fratribus locorum, & domorum huiusmodi,aut etiam ibidem pro tempore degentibus,& cum eorum quolibet dispensare posset. Ità quod dispensatio supèr his per eundem Franciscum facta, ab eodem prædecessore facta censeretur cum eisdem Fratribus. Ac nouem collectę per eos, aut eorum quemlibet in vnâquâque missâ recitatæ, pro nouem Missas, ac septem collectæ pro septem Missis,atque ità de alijs descendendo, seu citrà dictum numerum,cum omnium, & singulorum locorum, & domorum huiusmodi Fratrum, ac etiam totius Ordinis Minimorum huiusmodi suffragiorum,orationum,sacrificiorum, ieiuniorum, vigiliarum, disciplinarum,& aliorum quorumcumque bonorum generalitate, singulis eiusdem Ordinis benefactoribus,& benefactricibus, qui Missas ipsas, in Ecclesijs domorum, & locorum huiusmodi recitandas dederint, adeò plenè, & integrè valerent, & sufficerent,ac si Missę huiusmodi pro eis, & eorum quolibet,iuxtà piam eorum deuotionem, & intentionem particularitèr, & separatim recitatæ fuissent, prout in dictis litteris pleniùs continetur. Cùm autem,sicut Nobis nupèr dilectus filius Germanus Lionet, Modernus Corrector Generalis dicti Ordinis exponi fecit,pro eo, quòd officium Correctoriatus præfati Francisci expirauit, antequàm domos dicti Ordinis partium Bohemiæ, & Alemanniæ visitaret, quarum Fratribus pro illorum substentatione, & aut aliàs deuotionis causâ,duo baiochi, seu septem quatrini monetæ Iuliæ,pro celebratione vnius Missæ per Christi Fideles communitèr dari consueuerunt,

runt, & adeò pauci Fratres in ijsdem domibus existunt, quod non possunt singulas Missas pro singulis eleemosynis celebrare, dubitauerit ipse Generalis Corrector vigore earum litterarum eidem Francisco tunc Correctori concessarum, posse cum dictis, ac alijs Fratribus Domorum Bohemiæ, & Alemanniæ huiusmodi, necnon Regni Neapolis, ac Siciliæ, Terræ laboris, ac Calabriæ dispensare, vt singuli Fratres dictarum Domorum in celebratione vnius Missæ vnius Sancti, vel Sanctæ, vel aliàs quomodocumque ad eorumdem Fratrum deuotionem recitatæ, seu etiam Mortuorum, dicendo septem, vel nouem commemorationes, satisfacerent pro septem, vel nouem particularibus, & integralibus Missis, etiamsi Missæ huiusmodi specialitèr de Requiem, vel de quocumque Sancto, vel Sanctâ, vel aliàs integralitèr recitatæ forent, pro quibus etiam, tamquàm pro Missis specialitèr de Requiem, vel de quibuscumque Sanctis integralitèr celebrandis eleemosynas vndecumque reciperent, satisfacere valeant, ac commemorationes huiusmodi per eosdem Fratres, ad eorum deuotionem in vnicâ eorum Missâ talitèr factæ, illis plenè valeant, & eis, qui Missas huiusmodi celebrare mandauerint, suffragentur, ac supèr illis talitèr recitatis Fratres ipsi exonerentur, proindè ac si ijsdem Fratres septem, aut nouem Missas specialitèr de Requiem, vel de quocumq; Sancto, seu de diuersis Sanctis, vel aliàs, iuxtà quorumcumque benefactorum huiusmodi piam deuotionem, & intentionem, integralitèr, diuersis diebus celebrassent. Quarè pro parte eiusdem Germani Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt in præmissis, pro eorum conscientiæ pace prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus Fratribus domorum dicti Ordinis in partibus Alemanniæ, & Bohemię pro tempore consistentium, vt de cœtero perpetuis temporibus, in celebratione vnius Missę, septem, vel nouem commemorationes ad eorum deuotionem pro tempore recitatæ, pro septem, vel nouem specialibus, & integralibus Missis, etiamsi illæ specialitèr de Requiem, vel de quibuscumque Sanctis recitandæ forent, vel aliàs quomodocumque etiamsi pro illis recitandis eleemosynas recepissent, seu in posterùm reciperent, plenè satisfacere valeant. Ac commemorationes huiusmodi de quibuscumque Sanctis, vel etiam Defunctorum, vel aliàs ad eorumdem Fratrum deuotionem talitèr factæ, eisdem Fidelibus, qui eleemosynas huiusmodi pro ipsis Missis celebrandis, eisdem Fratribus pro eorum sustentatione dederint, seu in posterum eos dare contigerit, plenè suffragentur. Ipsique Fratres super singulis Missis huiusmodi, cum septem, vel nouem Collectis ad eorum deuotionem talitèr recitatis, integralitèr in eorum conscientijs exonerentur, proindè ac si Fratres ipsi, singulas Missas huiusmodi, & earum quamlibet specialitèr de Requiem, vel de ipsis Sanctis, aut eorum quolibet, vel aliàs quomodocunque, iuxtà piam benefactorum huiusmodi, & cuiuslibet eorum deuotionem, & intentionem, diuersis diebus integralitèr celebrassent. Quodque dicti Ordinis Generalis Corrector pro tempore existens, cum omnib. Fratribus quarumcumq; Domorum dicti Ordinis Minimorum, in dictis, & alijs quibusuis Regnis, & locis consistentium, super dictis Missis, modo præmisso celebrandis, dispensare liberè, & licite valeat, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium licentiam concedimus, paritèr, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscat. die 23. Iulij Anno 1513. Pontif. Nostri Anno I.

## CONSTITVTIO CCCL.

### *SVMMARIVM.*

*1516. Septembris 6.*

### LEO PAPA X.

*Fratribus Ordinis Minimorum Diuina Officia tempore Interdicti ianuis Ecclesię apertis celebrare, indulget.*

*Peyrin. Priuil. Regul. Leonis X. Const. 11.*

LEo Papa X. Dilectis filijs Correctori Generali, & Fratribus Ordinis Minimorum. B. Francisci de Paulâ vbilibet constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem. Quamuis in Priuilegijs, & Indulgentijs Apostolicis, vobis, & Ordini vestro concessis, intèr alia caueatur expresè, & indultum existat, quod vos omnibus, ac singulis Priuilegijs, & gratijs omnibus quatuor Mendicantium Ordinibus quomodolibet cóceßis vti frui, & gaudere liberè, & licitè possetis, & valeretis; Et in dictis Mendicantium Ordinum, & præsertim Fratrum Minorum Priuilegijs, intèr cœtera, vt accepimus, expresè contineatur, quòd ipsi Fratres Mendicantes, præsertim Minores in eorum Ecclesiis tempore Interdicti Ordinariâ auctoritate pro tempore appositi, etiam ianuis apertis, celebrare possint, & valeant; Et licèt vobis dicta Priuilegia Ordinum Mendicantium concessa, cômunicata, & ad vos extensa fuerint, vt præfertur, ipsiq; Mendicantes, & præsertim Fratres Ordinis Minorum consueuerint, & soliti sint tempore interdicti huiusmodi in Ecclesiis domorum suarum ianuis apertis, celebrare, & propterea idem vobis iure meritò licere minimè dubium sit; cupitis tamen, id vobis specialitèr denuò concedi, & indulgeri. Nos igitur, qui Ordinem vestrum huiusmodi, illiusque Religiosas personas in visceribus charitatis complectimur, vos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, Motu proprio, & ex Nostrâ certâ scientiâ, vobis, vt in quibusuis Ecclesiis domorum vestrarū, nunc, & pro tempore in quibusuis locis consistentibus, tempore Interdicti Ordinariâ auctoritate appositi, etiam ianuis apertis, diuina officia celebrare liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, licentiam, & facultatem concedimus, paritèr, & indulgemus. Et insupèr omnibus, & singulis locorum quorumcumque Ordinariis, quâcumque, etiam Archiepiscopali, Episcopali, vel aliâ inferiori dignitate præfulgeant, sub Interdicti Ecclesiarum suarum, ac suspensionis, à Diuinis, necnon quibusuis personis aliis Ecclesiasticis, etiam Laycis, ac Parlamentis Regiis, vel aliorum D.D. têporalium, seu Principum vbilibèt constitutis, quàuis auctoritate, & dignitate præfulgeant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, harum serie, expressè inhibemus, nè uos, quo minùs in Ecclesiis vestris tempore Interdicti huiusmodi, etiam ianuis apertis, celebrare possitis, ac vos, & res vestras quascumque, quæ sub speciali Apostolicæ Sedis protectione immediatè consistunt, quouis quæsito ingenio, vel colore, perturbare, seu molestare, aut de vobis, & rebus

vestris

vestris ex quâuis causâ se se quomodolibet intromittere audeant, vel præsumant. Decernentes nihilominùs, eos, qui huiusmodi excommunicationis sententiam incurrere non formidauerint, ab illâ absolui non posse, nisi à Nobis, aut Sede præfatâ, præterquàm in mortis articulo constituti. Et insupèr irritum, & inane fore quicquid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis litteris, etiam Apostolicis, aduersus præmissa forsan concessis, quibus, illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum insertus esset, præsentibus pro expresso habentes, harum serie specialitèr, & expressè derogamus, ac quibusuis friuolis appellationibus, etiam desupèr forsan interponendis, per quas, & alia quæcumque contraria, litteras huiusmodi, & illarum effectum impediri, aut suspendi nullo modo volumus; cœterisque alijs in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscat. die 6. Septembr. 1516. Pontif. Nostri Anno IV.

## CONSTITVTIO CCCLI.

### SVMMARIVM.

1523. Octob. 31.

## CLEMENS PAPA VII.

*Fratribus Eremitanis S. Augustini communicat Priuilegia omnium Ordinum, ac Congregationum Regularium, & Confraternitatum.*

*Ex lib. Priuileg. Eremit. S. Augustini.*

CLEMENS Papa VII. Dilecto filio Gabrieli Veneto, totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Priori Generali. Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex quandoque per prædecessores suos Romanos Pontifices pro personarum sub Religionis iugo, & Regulari castimoniâ Deo seruientium prospero, & fœlici successu, ac quiete concessa approbat, & innouat, ac innouata communi, & alia de nouo concedit, prout in Domino conspicit salubritèr expedire. Sanè præ cœteris curis, quæ permultæ sunt, demandato tibi Generalatus officio incumbentibus, hæc cura potissima est, vt Priuilegia, exemptiones, gratias, & indulta ab eisdem Romanis Pontificibus Ordini S. Augustini tibi commisso, & illius Fratribus concessa, in suo robore conseruentur, & firmitèr obseruentur. Et proptereà Nobis humilitèr supplicari fecisti, vt omnia, & singula Priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, libertates, & gratias ab ipsis Prædecessoribus concessa, & forsan etiam per viam communicationis, & ampliationis extensa, & ampliata, approbare, & innoare, ac aliàs in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos ad vberes fructus, quos in agro Dominico præfatus Ordo produxit, debitum respectum habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati ex Nostrâ merâ deliberatione, & ex certâ scientiâ, omnia, & singula Priuilegia, gratias, concessiones, immunitates, libertates, facultates, & exemptiones, etiam per modum extensionis, & communicationis, ac ampliationis tibi, & dicto tuo Ordini, & vtriusque sexus, etiam Corrigiatis, & Mantellatis, atque alijs personis, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Monasterijs, Ecclesijs, & locis quibuscunque per eosdem Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & præsertim per fęlicis recordationis Bonifacium Octauum, Sixtum Quartum, Iulium Secundum, & Leonem Decimum, aliosque Romanos Pontifices prædecessores Nostros hactenùs quomodolibet cōcessa, & innouata, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis, & insertis haberi volumus, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabilitèr obseruari debere decernimus: ac pro potiori cautelâ, illa cum illorum extensionibus, ampliationibus, communicationibus, etiam de nouo concedimus, ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, personas, Monasteria, domos, Ecclesias, & alia loca Religionis huiusmodi, omnibus, & singulis Priuilegiis, exemptionibus, indultis, & gratiis quibusuis, dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium etiam de Obseruantiâ nuncupatorum, ac Ordinis Prædicatorum, Carmelitarum Beatæ Mariæ Seruorum, ac Minimorum, & aliorum quorumcunque Ordinum, Fratribus, & personis, ac Cōgregationibus, Confraternitatibus, illorumque Ecclesijs, Oratorijs, Domibus, & alijs pijs locis, illorumque Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuersis, & Oblatis, Corrigiatis, Mantellatis, & de Pœnitentiâ nuncupatis, & aliis vtriusque sexus personis, per eosdem prædecessores, ac etiam per Nos hactenùs quomodolibet, etiam viuæ vocis oraculo, in genere concessis, & in posterùm forsan concedendis, & præsertim felicis recordationis Clementis Quarti prædecessoris Nostri, inter alia disponentis, quod nulli ex Mendicantium Ordinum professoribus Ecclesias, Oratoria, loca, vel domos propè Ecclesias, Oratoria, vel domos Fratrum Minorum, & Prædicatorum Ordinum prædictorum per trecentas Cānas per aera distantes construere, vel ædificare, seu construi, vel ædificari facere possent) vti, frui, & gaudere posse, & debere in omnibus, & per omnia, perindè, ac si tibi, & Ordini tuo, ac Fratribus, Monasterijs, Ecclesijs, & locis eiusdem Ordinis tui concessa fuissent, scientiâ, auctoritate, & tenore prædictis, etiam decernimus: illorumque transumpta tibi, dictoque tuo Ordini, illiusque personis locis, & bonis in iudicio, & extrà illud, vbicunque per te, vel per aliàs dicti Ordinis tui personas, seu illarum nomine fuerint exhibita, vel ostensa suffragentur, ac si in eis dictus tuus Ordo, illiusque Prælati, personæ, & loca nominatim fuissent, & essent expressa. Non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & specialibus Constitutionibus, necnon Parisiensis, & aliorum locorum generalium studiorum Vniuersitatibus, & Curiæ Vicegerentibus Auinionis, & quibuscunque Ordinarijs Prælatis, & personis concessis litteris, ac Priuilegiis, etiamsi ad illorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficientèr expressis, & insertis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat, quoad præmissa, specialitèr, & expressè derogamus, & illa nemini in præiudicium præmissorum

sorum suffragari posse, aut debere etiam decernimus, nec non omnibus illis, quæ præfati Prædecessores in suis literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod transumptis præsentium, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, tàm in judicio, quàm extrà illud, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si illæ essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die vltimâ Octobris MDXXX. Pontificatus Nostri Anno septimo.

## CONSTITVTIO CCCLII.

### SVMMARIVM.

1525. *Maij* 30.

## CLEMENS PAPA VII.

*Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Priuilegia, Ordini Fratrum Minorum de Obseruantiâ S. Francisci communicat.*

*Bullar. Rodriquez t. 1. Clem. VII. Bulla 2.*

CLEMENS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Dum fructus vberes, quos Ordo sacer dilectorum filiorum Fratrum Minorum Regularis obseruantiæ, in agro militantis Ecclesiæ, cum propagatione Religionis, ac defensione, & augumento Fidei Catholicæ, ac salute Christifidelium produxit hactenùs, & in dies producit, diligentèr attendimus, dignum, quin potiùs debitum reputamus, vt eius statutum prosperum, & tranquillum, omni diligentiâ procuremus, illiusque Religiosas personas spiritualibus fauoribus, & gratijs prosequamur. Hinc est, quod Nos Motu proprio, & ex certâ scientiâ, tenore præsentium, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exemptiones, præsertim de non soluendo Clericis sæcularibus quartam funeralium, quoad Fratres in possessione non soluendi quartam huiusmodi existentes, ac omnia, & singula indulta, indulgentias, peccatorum remissiones dictis Minorum & S. Claræ, ac Tertio de Pœnitentiâ nuncupato Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, sororibus, & vtriusque sexus personis, ac Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, & locis quibuscumque etiam per modum extensionis, seu communicationis, & aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam prædictam concessa, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabilitèr obseruari debere; ipsosque Fratres, & Moniales, Sorores, personas, Monasteria, Domos, Ecclesias, & alia loca huiusmodi, omnibus, & singulis Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, indulgentijs, peccatorum remissionibus, & gratij quibusuis Congregationibus dictorum Ordinum Mendicantium quomodolibet concessis & concedendis, necnon etiam quibusuis facultatibus, & gratijs suæ professioni non contrarijs regulari, obseruantiæ, alijs Ordinibus quibuscumq; non Mendicantibus, quomodolibet concessis, & concedendis vti, frui, & gaudere posse, atque debere in omnibus, & per omnia, ac si eis generalitès concessa fuissent. Et Constitutiones in vltimo Capitulo generali dicti Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ in Prouinciâ Burgensi Regni Castellę factas, plenam roboris firmitatem obtinere, & ab omnibus quamdiù per aliud Capitulum generale dicti Ordinis immutatæ non fuerint inuiolabilitèr obseruari debere. Nec non Regularem ipsam per S. Franciscum pro Fratribus Ordinis Minorum institutam, obseruabilem, meritoriam, fundatam super Sacrum Euangelium existere. Et quoscumque, cuiuscumque dignitatis, conditionis scribentes, aut asserentes Regulam ipsam non meritoriam, vel inobseruabilem, seu Sacro Euangelio repugnantem esse, in hoc assertionem huiusmodi non esse tenendam, nec admittendam, auctoritate, & tenore præmissis decernimus, ac volumus, ac mandamus; ipsosque Fratres ab Inquisitoribus hereticę prauitatis eximimus, & sub Nostrâ, & Apostolicæ Sedis protectione suscipimus; ipsisque Inquisitoribus sub excommunicationis sententiâ, & officiorum suorum priuatione inhibemus, vt dictis Fratribus, etiam ratione criminis hæresis, quoquomodo se intromittere præsumant; sicque per quoscumque tam ordinariâ, quam delegatâ, & mixtâ auctoritate fungentes Iudices, & personas vbique iudicari, cognosci, atque decidi debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, cognoscendi, & decidẽdi facultate; nec non irritum, & inane si secùs supèr his a quoquam, quauis auctoritate, sciêntèr, vel ignorantèr contigerit attentari, etiam decernimus. Et nihilominus Venerabili Episcopo Tornacensi, & Dilectis Filijs Guembloæ, ac S. Bertini Simonensis, & Leodiensis Diœcesis Monasteriorum Abbatibus committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, auctoritate Nostrâ faciant præsentes litteras, & in eis contenta quecumque plenum effectum sortiri; illisque Monasteria, Domos, Fratres, Moniales, & Sorores, ac persones S. Claræ, ac Tertij Ordinis prædictorum, & alios quoscumque, quos quomodolibet concernunt pacificè frui, & gaudere. Nec permittant quemcumque contrà tenorem præsentium modo aliquo impediri, molestari, aut inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles etiam per priuationem quorumcumque Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad illa, ac alia iuris oportuna remedia, appellatione postpositâ, compescendo, inuocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri, de vnâ, & in Concilio generali de duabus dietis edita, ac alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis; necnon Priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusuis irritantibus, annullatiuis, cassatiuis reuocatiuis, modificatiuis, persuasiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis mentis, attestatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacibus, & insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluriès concessis, reformatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut exqui-

exquisita forma seruanda foret, & eis caueatur expressè, quod illis nullatenus derogari possit, illorum omnium, necnon quorumcumque etiam in forma Breuis litterarum, occasione præmissorum quomodolibet cōfectarum, & quorumcumque in eis contentorum tenores præsentibus pro sufficienter expressio, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruandos pro individuo seruatis habentes, hâc vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris harum serie specialiter, & expressè derogamus; nec non omnibus illis, quæ in dictis concessum est non obstare, contrarijs quibuscumq; aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod præsentium transumptis, manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Maij Anno Domini 1525. Pontificatus Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLIII.

### SVMMARIVM.

1528. Iulij 3.

### CLEMENS PAPA VII.

*Fratrib. Capuccinis Priuilegia Eremitarum Camaldulensium, ac Fratr. Min. Conuentualium, communicat.*

*Ex Bull. Rom. Clem. VII. Const. 21.*

CLEMENS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Ludouico, & Raphaeli de Forosempronienſi Ordinis Fratrum Minorum professoribus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendamini testimonio, Nos inducunt, vt votis vestris, præsertim quæ animarum salutem, & Religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte vestrâ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos olim feruore seruiendi Altissimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de Obseruantiâ nuncupatum ingressi, in eo ad Professionem emissi, per certum tempus permansistis, & deinde de licentiâ vestri tunc Superioris, iuxta formam litterarum Apostolicarum, super vnione, & concordiâ inter prædictos, & Conuentuales, nuncupatos Fratres dicti Ordinis editâ confectarum ad ipsorum Fratrum Conuentualium consortium vos transtulistis, & à tunc Magistro Prouinciali Prouinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conuentualium eiusdem Prouinciæ numero, & consortio aggregati fuistis. Et deinde vobis desiderantibus pro animarum vestrarum salute, ac Dei Gloriâ, Eremiticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas Regulam Beati Francisci obseruare; dictus Magister Prouincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & à Nobis, ac Sede Apostolicâ, quæcumque ad animarum vestrarum salutem, ac Dei Gloriâ opportuna vobis viderentur, petendi, & impetrandi cōcessit. Ac etiam Dilectus filius Noster Andreas tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, vobis vt similem impetrationem facere, ità tamen, quod vnus ex consortio vestro omnium vestrorum nomine Magistro Prouinciali, seu Capitulo Prouinciæ dictorum Fratrum Conuentualiū, in quâ habitaretis, singulis annis se præsentare, subiectionis teneretur, & ipse Magister (si sibi videretur) semel in anno, & non vltrà vos visitare, & si inuenerit vos Regulam prædictam non obseruare, ad eam pleniùs obseruandam vos admonere, ac debitis modis compellere posset; præter hæc autem, nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud vobis iniungere, aut à vobis exigere valeret, sed potiùs vos tueri, & defendere teneretur, vt in pace possetis Altissimo in diuinis famulari, prout in litteris patentibus eorundem Cardinalis Protectoris, & Magistri Prouincialis desupèr confectis pleniùs dicitur contineri. Quarè pro parte vestrâ Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt vobis vitam Eremiticam huiusmodi ducendi facultatem concedere, aliasque in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui salutem cupimus animarum, vestrum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat, consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, ac litteras prædictas, & in eis contenta, quæcumque, præsentibus pro sufficientèr expressis, habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, vobis, secundum Regulam prædictam, vitam Eremiticam ducere; & habitum cum capuccio quadrato gestare. Nec non omnes, tam Clericos sæculares, & Præsbyteros, quàm Laycos ad vestrum consortium recipere. Ac tàm illi, quàm vos barbam deferre, & ad Eremitoria, seu loca quæcumq; cū consensu Dominorum eorundem locorum vos conferre, & in eis habitare, vitamque austeram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuscumque locis mendicare. Nec non omnibus, & singulis Priuilegijs, indultis, & gratijs Ordinis Fratrum Minorum huiusmodi, ac Eremo Camaldulen. B. Romualdi illiusque Eremitis, in genere vel in specie hactenùs concessis, & in posterum concedendis, & quibus ipsi quomodolibet vtuntur potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt in futurum, vos quoque æque principalitèr, sicut ipsi, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeatis, plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus. Et nihilominùs vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, alijsque in dignitate Ecclesiasticâ constitutis personis, nec non Canonicis Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum, ipsorumque Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, Vicarijs in spiritualibus, generalibus, discretioni, per Apostolica scripta, mandamus, quatenùs eorum quilibet per se vel alios, seu alij, vobis, & vestrum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistat, & faciat vos, & vestrum quemlibet, præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere, nec permittat vestrum quemlibet, contrà tenorem præsentium, modo aliquo, molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascunque, de quibus sibi placuerit, censuras, & pœnas, & alia in

in eis remedia, appellatione postpositâ compescendo inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris Nostri, etiã de vnâ, & in Concilio generali de duabus dietis edita, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, Priuilegiis quoque, indultis, ac litteris Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis legis, ac statuti perpetui ac motû proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, et consistorialitèr quomodolibet, etiam plurìes concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, indiuidua, ac de verbo, ad verbum, non autē per clausulas generales idem importantes mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut certa exquisita forma seruanda foret, & in eis caueatur expresè quod illis nullatenùs derogari possit, illorum etiam tenores, præsentibus pro sufficientèr expressis ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruandas, pro indiuiduo seruatis habentes, hâc vice duntaxàt, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie, specialitèr, & expresè derogamus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo &c. Datum Viterbij Anno Incarnationis Dominicæ 1528. quinto non. Iulij Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO CCCLIV.

### SVMMARIVM.

1528. *Iulij* 25.

### CLEMENS PAPA VII.

1 *Superiori Eremi Camaldulensis Priuilegia cæterorum Abbatum sub Regulâ S. Benedicti militantium, vsu Pontificalium excepto, communicat.*

2 *Sal ex locis Romanæ Ecclesiæ subiectis, pro vsu eorumdem Eremitarum extrahi posse, concedit.*

*Ex Bull. Rom. Clem. VII. Const. 23.*

1 CLEMENS Papa VII. Dilectis Filijs Maiori, & Vniuersis Eremitis S. Romualdi Ordinis Camaldulen. præsentibus, & futuris. Vestrum Ordinem in Agro Dominico speciosum ad salutem animarum in dies vtilitèr fructificantem, Priuilegijs, & gratiarum donis libentèr ornamus, vt quietiùs, & decentiùs valeatis Altissimo famulari. Itaque Maiori vestro, vt quibus Abbates Generales Vniuersorum Ordinum sub Regulâ Sancti Benedicti militantium, Priuilegijs, immunitatibus, & gratijs vti possunt, vel consueuerunt, vti in perpetuũ, (citrà tamen facultatem vtendi Mitrâ, & Baculo, ac alijs Pontificalibus, & benedictionem Populo solemnitèr impedendi) possitis, & valeatis; Priuilegiaque ipsa illis concessa, quorum tenores sic habemus pro sufficientèr expressis, vobis concessa esse censeantur. Quodque quemadmodum alij Ordines ab Ecclesiâ approbati, ita etiam vos, & vester Ordo in perpetuum à quibusuis gabellis, datijs, talijs, collectis, exactionibus datiuis, decimis, & quibus vis impositionibus, ex quâuis causâ, & consideratione, etiam auctoritate Apostolicâ, impositis, & impo-
2 nendis, exempti censeamini, 2 Salemque pro vsu vestro necessarium ex quouis loco Sedis Apostolicæ immediatè subiecto, ad vestra Eremitoria transferre liberè, & licitè possitis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Quocircà vniuersis, & singulis Archiepiscopis, & Episcopis, ac quorumuis Ordinum Abbatibus per hæc scripta mandamus, vt per se, vel alium, seù aliàs vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant vos contra præsentium tenorem à quouis indebitè molestari, contradictores per censuras, Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postpositâ compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictorumque Ordinum, statutis, & Priuilegijs, quibus, illorum tenores pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialitèr, & expresè ad effectum præsentium derogamus, contrarijs quibuscumque, aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab Apostolicâ sit Sedem indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod præsentium transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & Sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Viterbij sub Annulo Piscatoris die vigesimâseptimâ Iulij 1528. Pontificatus Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO CCCLV.

### SVMMARIVM.

### CLEMENS PAPA VII.

1530. *Augusti* 12.

*Ordini Carmelitarum, Priuilegia Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium, ac Confraternitatum, communicat.*

*Ex Bullar. Rom. Clem. VII. Const. 31.*

CLEMENS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex Clementi Sedis Apostolicæ prouisione, necnon personarum Deo deuotarum sub Religionis iugo, & Regulari Castimoniâ, Domino militantium, piâ deuotione prouenire dignoscitur, vt Rom. Pont. quandoque per prædecessores suos Rom. Pont. pro personarum earumdem, ac illarum locorum felici successù, & quiete, ac Christifidelium pijs operibus vacantium, animarum salute concessa, approbet, & innouet, ac innouata communicat, & alia de nouo concedat, prout in Domino conspicit salubritèr expedire. Sanè pro parte Dilectorum filiorum Nicolai Audet Generalis, ac Prouincialium, & Priorum Do-

morum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, necnon Confratrum vtriusque sexus Cõfraternitatum in Ecclesijs domorum eiusdem Ordinis institutarum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs fel.record.Ioannes XXII. & Alex.V.Rom.Pont.prædecessores Nostri, vniuersis, & singulis, Christi fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seù Confratrum Confraternitatum huiusmodi numero abscribi, ipsiusque Ordinis statuta obseruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seque Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod si mulier Virgo castitatem, vidua vero continentiam, coniugata tamen matrimonij iura prout Sancta Ecclesia præcepit, tempore earum ingressus inuiolabilitèr seruare velle promitterent, & obseruarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipsâ gloriosissima Dei Genitrix semper Virgo Maria, ipsorum Confratrum, seù Religiosorum, ac Sororum Animas post eorum transitum, suis intercessionibus continuis, pijs suffragijs, & speciali protectione adiuuabit. Quodque Confratres ipsi gratiarum earundem prædecessorum participes fieri volentes, horas Canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarchâ dicto Ordini concessam, & ordinatam recitare. Ignari verò litterarum, diebus quibus Sancta Ecclesiâ ieiunare præcipit, necnon quartâ Feriâ, & Sabbato toto tempore vitæ eorum, præterquam die, quâ aliquam ex Ferijs prædictis Natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi occurrere contigerit, à carnibus abstinere deberent. Ac etiam nonnulli alii Rom.Pont. etiam prędecessoris Nostri, quàmplura, & diuersa Priuilegia, immunitates, exemptiones, præsertim quartam funeralium presbyteris sæcularibus non soluendi, ac indulta, Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac gratias dicto Ordini, illiusque Fratribus, Monialibus, Sororibus, & vtriusque sexus personis, ac Monasterijs Monialium, & domibus Sororum, eorumque Ecclesijs, & locis quibuscumque, etiam per modum extensionis, seù communicationis, ac aliàs concesserunt, prout in diuersis eorum prædecessorum litteris desuper confectis, dicitur pleniùs contineri. Quare pro parte Generalis, Prouincialium, Priorum, vtriusque sexus Confratrum prædictorum, asserentium refrigescente in dies fidelium deuotione, domus Fratrum, & Sororum, & Monasteriâ huiusmodi non modicâ reparatione indigere, & propterea fideles ipsos ad têporalia bona pro huiusmodi reparatione concedenda, spiritualibus bonis, gratijs inuitare oportere, ac ad inducere necesse fore, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt Priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, & gratias, ac alia prædicta approbare, & innouare, & inuiolabilitèr obseruari mandare, illaque pro potiori cautelâ denuò concedere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Ordinis, quem præ cęteris in visceribus gerimus charitatis, prosperum, & tranquillum statum, ac animarum salutem paterno zelantes affectu huiusmodi supplicationibus inclinati, Ioannis, & Alexandri, ac aliorum prædecessorum litteras, ac per eosdem prædecessores, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exêptiones, etiam non soluendi quartam funeralium presbyteris sæcularibus (quo ad Fratres domorum in possessione quartam ipsam non soluendi existentes dumtaxat) ac indulta, Indulgentias, citrà plenarias, peccatorum remissiones, & gratias, Ordini, & illius Fratribus, Monialibus, Sororibus, & vtriusque sexus Confratribus, & personis, domibus, & Monasteriis, Ecclesiis, & locis quibuscumque etiam per modum extensionis, seù communicationis, & aliàs quomodolibet, etiam per Nos, & Sedem Apostolicâ concessa, quorum omnium tenores præsentibus pro sufficientèr expressis, & insertis haberi volumus, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, & inuiolabilitèr obseruari debere. Ipsosque Fratres Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domos, & Ecclesias, & alia loca huiusmodi, omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, indulgentijs, (citrà tamen plenarias) peccatorum remissionibus, & gratijs, quibusuis Cõgregationibus dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium Fratribus, & Personis, ac Confraternitatibus, suæ professioni, non contrarijs alijsque Ordinibus, quibuscumq; etiam Non Mendicantium quomodolibet concessis, & concedendis in genere, vti, frui, & gaudere posse, atque debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis concessa fuissent, decernimus. Nec non potiori prò cautelâ ea omnia, etiam de nouo concedimus. Ipsiusque Ordinis, Fratres, ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis penitus eximimus, & sub Nostrâ ac dictæ Sedis protectione suscipimus, ac eisdem Inquisitoribus sub excommunicationibus latæ sententiæ, & officiorum suorum priuationis pœnis districtè inhibemus, nè de dictis Fratribus etiam ratione criminis hæresis quoquomodo sè intromittere præsumant. Decernentes irritum, & inane quicquid per eos, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Omnibusque, & singulis vtriusque sexus Confratribus, & cuilibet eorum, aliquem præsbyterum idoneum sæcularem, vel cuius suis Ordinis etiam Mendicantium, & de Obseruantiâ Regularem in suum possint eligere Confessorem, qui vita, eis comite, eos, & eorum quem libet à quibusuis etiam maioris excomunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis, a iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa, prò tempore latis, & quibusuis etiam prò tempore irretiti fuerint, etiam si illorum absolutio Sedi prædictè specialitèr, vel generalitèr (præterquam per litteras in Cęnâ Domini legi solitas) reseruata foret, ac quorumcumque votorum, & iuramentorum, nec non Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, periuriorum, Simoniæ, & homicidij mentalis, vel causalis reatibus, mannum violentarum in quasuis personas Ecclesiasticas, non tamen Episcopos, vel eorum Superiores, de prętèrito iniectionibus, ieiuniorum, horarum Canonicarum, diuinorum officiorum, ac pœnitentiarum iniunctarum, in toto, vel in parte ommissionibus, omnibusque alijs eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam talibus propterquæ Sedes predicta merito consulenda foret, in casibus dictæ Sedis qualitercunque reseruatis (exceptis contentis in dictis litteris Cœnę Domini) semel in vitâ, & in mortis articulo, de alijs vero dictæ Sedi non reseruatis casibus, totiens, quotiens opportunum fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis absoluere, illisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere. Vota vero visitationis, quæcumque vltrâ marina (liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compostellâ, nec non Religionis, & castitatis, votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quæcumque sine tertij præiudicio relaxare, ac omnium eorum peccatorum semel in vitâ, & in mortis articulo, vt pręfertur, etiam si tunc non subsequatur plenariam

nariam remissionem, & absolutionem, auctoritate Apostolicâ impendere possit. Liceatque omnibus, & singulis, vtriusque sexus Confratribus prædictis, & cuilibet eorum, haberè Altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, superquò in locis ad hoc congruentibus, & honestis, etiam non sacris, & quàuis, etiam Apostolicâ auctoritate interdictis, seù tempore cessationis à diuinis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, seù cessationi, & per eos non stet quò minus pareatur Apostolico interdicto, etiam antequam illucescat dies circa tamen diurnam lucem, seù circa meridiem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum præsentia, clausis ianuis excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, Missas & alia diuina officia per Sacerdotes sæculares, vel Regulares, huiusmodi celebrare, ac quocumque tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica à quocumq; maluerint presbytero idoneo, & vbicumque sine rectoris parrochialis Ecclesiæ præiudicio, recipere, & administrare, libere, & licite valeant; & si contingat eos, vel eorum aliquem, tempore Interdicti huiusmodi ab humanis accedere, corpora eorum Ecclesiasticæ cũ aliqua honesta tamen funerali pompa tradi possint sepulturæ. Quodque singulis quadragesimalibus & alijs cuiuslibet anni temporibus, & diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum Almę Vrbis Romæ, & extra illius muros, vnam, vel duas Ecclesias, aut vnum, duo, vel plura Altaria in partibus illis vbi eos, seu eorum aliquem residere, seù quò declinare contigerit, quas, vel quæ ipsi, vel quilibet eorum duxerint eligendas, vel eligenda deuote visitando, tot & singulas, ac similes Indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si singulis diebus, easdem singulas dictæ Vrbis, & extra eam Ecclesias pro Stationibus huiusmodi deputatas personaliter visitarent. In super etiam omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui pro Monasteriorum, & domorum reparatione, ac Fratrum huiusmodi sustentatione, manus porrexerint adiutrices, supradictas Indulgentias consequi possint, & consequantur. Omnibus vero, & singulis alij Christifidelibus vtriusque sexus, qui dictorum Ordinem illiusque Domos, & Monasteria, Fratres, Sorores, & Moniales, huiusmodi suis eleemosinis, & subsidijs pro tempore iuuerint, & manutenuerint, vt ipsi & quilibet eorum omnium præcum, suffragiorum, eleemosinarum, ieiuniorum, Orationum, Missarum, horarum, Canonicarum, disciplinarum, peregrinationum, & cęterorum, spiritualium bonorum, quæ pro tempore in vniuersali sacrosancta Ecclesia militante fiunt in perpetuum, participes fiant, & omnibus eius meritis gaudeant, ac omnibus alijs qui gratijs eorundem Confratruum gaudere voluerint, aliquam eleemosynam, siue charitatem, pro vt eis, ac præsidentibus Confraternitatum huiusmodi visum fuerit, dando, & largiendo, gratiarum huiusmodi participes fiant indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate roboratis, nec non Priuilegijs, & indultis, & litteris Apostolicis, per quoscumq; Rom. Pont. prædecessores Nostros ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Motù proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ, potestatis plenitudine, & cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cessatiuis, reuocatiuis, modificatiui, præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, mẽtis attestatiuis, ac derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulss quomodolibet, etiam pluriès concessis, & confirmatis, & innouatis quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habẽda, aut exquisita forma seruanda forent, & in eis caueatur expresè, quod illis nullatenus derogari possit, illorumque omnium, nec non quarumcumque, etiam in forma breuis litterarum, occasione præmissorum quomodolibet confectarum, & quorumcumq; in eis contentorum tenores, præsentibus pro sufficientèr expressis ac de verbo ad verbum insertis necnon modos, & formas ad id seruandos, pro indiuiduo seruatis habentes, hâc vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialitèr, & expresè derogamus, nec non omnibus illi quæ præfati prædecessores in eorum litteris voluerunt non obstare, cœterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem quod p ręsentium transumptis manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1530. Pridie idus Augusti Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CCCLVI.

### *SVMMARIVM.*

*1535. Iulij 25.*

### PAVLVS PAPA III.

*Clericis Regularibus S. Pauli decollati, Priuilegia Canonicorum Regularium Lateranensium, elargitur.*

*Ex Bullario Romano Pauli 3. const. 5.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Antonio Mariæ de Zacharijs, & Bartholomæo de Ferrarijs Præsbyteris Cremonensi, & Mediolanen. salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Clementi Papæ septimo prædecessori Nostro, pro parte vestrâ exposito, quod vos, cum tribus alijs vestræ voluntates socijs, vt liberius diuinis beneplacitis insistere, & quæ Dei erant perquirere possetis, cupiebatis professionẽ trium votorum substantialium Religionis, in manibus tunc Archiepiscopi Mediolanen: seu eius tunc Vicarij in spiritualib. generalis emittere, & insimul in aliquo loco Ciuitatis, seù Diœcesis Mediolanen: per vos eligendo morari, ac remanere. Idem Prædecessor, vestris in eâ parte supplicationibus inclinatus vobis, & vestrum singulis vt Professionem ipsam in eiusdem Archiepiscopo seu Vicarij, qui vero ad vos de cætero conuerti vellent, in alterius vestrum, seu Præpositi vestræ Congregationis pro tempore existentis, manibus professionem trium votorum eorũdem emittere, ac insimul, sub obedientiâ tamen Ordinarij loci, in ipso loco per vos eligendo, cohabitare, & in communi viuere; necnon pro vestro, & rerũ

vestrarum salubri statu, ac directione, quæcumque statuta, & ordinationes, rationabilia, & honesta, ac sacris canonibus non contraria, concedere, & facere, illaque, vt vobis pro temporum qualitate expedire videretur, mutare, & in totum tollere, aliaq; illorum loco de nouo facere, liberè & licitè valeretis concessit, & indulsit; prout in eiusdem prædecessoris litteris desuper in formâ Breuis confectis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, pleniùs continetur. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis, vos, & nonnulli alij eiusdem voluntatis Socij vestri, qui professionem aliquam nondum emisistis, Diuinâ, vt creditur inspiratione ducti, cupiêtes cum maiori animi quiete Deo seruire, & illi magis adhęrere posse, tria substantialia religiosæ vitæ, paupertatis scilicet, & castitatis, & obedientiæ vota emittere, & sub solito, & communi habitu clericali in vnum habitantes, & in communi ac de communi viuentes, nec non Deo humilitèr, & deuotè, quantum ipse dederit, feruientes sub Nostrâ, & Apostolicæ Sedis humili, & immediatâ subiectione, & speciali protectione Clericalem vitam ducere, ac prædicatione Verbi Dei, audientiæ confessionum, & administrationi Sacramentorum, sacræque Theologiæ, & Sacrorum Canonum studijs, ad vestrarum, & aliorum Christi fidelium animarum profectum vacare decreueritis; Nobis humiliter supplicari fecistis, vt vobis in premissis benignè annuere, ac opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur qui omnium Christifidelium pijs, & honestis desiderijs libenter annuimus, vestrum in hâc parte laudabile desiderium plurimum in Domino commendantes, vestrisque huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet vestrum, & quandocumque vobis visum fuerit, possitis tria substantialia religiosæ vitæ, vt petitis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota, publicè emittere, in manibus cuiuscumque Presbyteri sæcularis, vel cuiusuis Ordinis Regulari, solemnitèr profiteri. Ac sub solito, & communi habitu clericali subque nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium, in communi, ac de communi viuentes in locis religiosis, aut sæcularibus pro vt vobis, ab illis, quorum loca ipsa fuerint, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub Nostrâ, & huius sâctæ Sedis Apostolicæ immediatâ subiectione, & speciali protectione, ad quinquenniû dumtaxat in vnum habitare. Atque ex vobis, & inter vos singulis annis Superiorem Præpositum nuncupandum, qui vsque ad triennium, & non vltrà confirmari possit, eligere. Ac alios quoscumque seculares Clericos quâuis, dignitate fulgentes, Episcopo tamen inferiores, ac etiam laicos, qui Deo aspirante ad huiusmodi vitæ frugem & communem viuendi modum sese conferre voluerint recipere, & post annuam probationem ad talem trium votorum professionem in manibus ipsius Superioris emittendam, & ad huiusmodi communem viuendi modum admittere. Ac horas canonicas diurnas, pariter, & nocturnas, nec non Missas, & alia diuina officia, simul, & diuisim, secundum vsum, & morem Romanæ Ecclesiæ, etiam iuxta breuiarium nouitèr compilatum, ita tamen quod cum publicè ea recitaueritis vos inuicem conformetis, in Ecclesia, dicere, & recitare. Necnon quibuscumque fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ad vestram Ecclesiâ pro tempore accedentibus, quocumque anni tempore, prætterquàm in Festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare liberè, & licitè valeatis, & ad aliû vsum super huiusmodi Horis, Missis, & Officiis dicendis, obseruandum minimè teneamini, nec ad id à quoquam inniti compelli valeatis. Necnon, vt dictus Superior vester pro tempore existens Clerici, & Socij vestri, qui infirmitate grauati, aut circa infirmorum in domibus vestris morantium curationem adeò impediti fuerint, vt congruum eis tempus ad diuinorum officiorum recitationem non supersit, vt infirmitate, aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante, certum Psalmorum per ipsumSuperiorem eis assignandorum numerum, non minùs septem, aut sex, cum diuisione, & orationem Dominicam septies, ac Symbolum Apostolorum bis; grauiter autem ægrotantibus orationem Dominicam semel, & salutationem Angelicam septies in die, recitando, septem horis Canonicis, & toto diuino Officio satisfecisse censeantur, & cum quibusuis Clericis, & Socijs vestris super preuentione, vel postpositione temporis recitationis horarum Canonicarum, aliquâ subsistente causa legitimâ dispensare. Quodque tempore ieiunij, etiam dè præcepto, etiâ tempore Quadragesimæ, cum his, qui indiguerint, quorum conscientiæ acquiescant, vt collationem, etiam cum pane facere possint, & valeant, auctoritate Nostrâ dispensare. Ac quod vos inter vos mutuas, seù etiam alij Sacerdotes, sæculares, vel Regulares à vobis, de Superiorum vestrorum licentiâ ad hoc pro tempore eligendi, vestras, ac vos, dum illi confessores vestri fuerint eorum confessiones audientes in absolutionibus, congruâ tamen satisfactione premissâ faciendis, sic inter vos faciendis, hac formâ vti possitis, & illi possint, videlicet, post Misereatur &c. & Indulgentiam, &c. Dominus Noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli mihi commissa, Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, maioris, vel minoris, suspensionis, & interdicti, præterquàm Apostolicâ auctoritate, latæ, vel lati, necnon ab omni irregularitate, præterquàm occasione homicidij, aut ex causâ à beneficiis Ecclesiasticis quocumque modo dependente, & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiæ, vnionique, & participationi Fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Iterum auctoritate Apostolicâ, &c. Vobisque insuper, qui speciali deuotionis affectu ducti, erga Doctorê gentium Paulum Ecclesiam, sub eius nomine, etiam Apostolicâ auctoritate insignitam habere cupitis, vt primum Templum, quod construi feceritis, quod tamen sine alicuius præiudicio vos facere volumus, sub ipsius Pauli nomine, ac inuocatione habere liceat, & denominare, ac ab alijs denominari, & appellari mandamus. Necnon vt omnibus, & singulis Priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, Indulgentijs, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, concessionibus, & gratijs spiritualibus, & temporalibus quibus potiuntur, & gaudent, ac in futurum potientur, & gaudebunt Canonici Regulares Congregationis Lateranen: ac personæ, & loca eorum, quorum tenores præsentibus pro sufficientèr expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, ita vt litteræ Apostolicæ super eisdem Priuilegiis, exêptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratijs eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, & diebus ad libitum vestrum expediri possint, perindè ac si omnia illa, & singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem de verbo ad verbum, expressa, & inserta fuissent, vos personæ, & loca vestra, vti, potiri, & gaudere possitis, vobis per has Nostras litteras, tenore

nore præsentium, ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, concedimus paritèr, & indulgemus. Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, constitutionibus, & ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis. etiãsi qua specialitèr, seu de verbo ad verbum exprimenda essent, quæ pro expressis haberi, & quibus quoad effectum præsentium dumtaxat, specialitèr, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, octauo Calend. Augusti, Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CCCLVII.

### SVMMARIVM.

1551. Aprilis 10

### IVLIVS PAPA III.

*Priuilegia quorumcumque Ordinum Mendicantium, ac Non Mendicantium, communicat Ordini Seruorum B. V. Mariæ.*

*Ex lib. Priuilegiorum Ordinis Seruorum B. V. Mariæ.*

IVLIVS Papa III. Dilectis filijs, Augustino de Aretio Priori Generali Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ sub Regulâ Sancti Augustini, & Philippo Castello Vicario Generali Congregationis de Obseruantiâ nuncupatæ, eiusdem Ordinis. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nupèr fecistis, quod, licet diuersi Romani Pontifices prædecessores Nostri, diuersa Priuilegia, sub varijs formis, Ordini, & Congregationi vestris, illorumque Fratribus hactenùs concesserint; nihilominus vos, pro serenitate mentium vestrarum desideratis illa Apostolico munimine roborari, ac approbari, & confirmari. Quarè Nobis humilitèr supplicari fecistis, vt omnibus, & singulis Priuilegijs, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus, Ordini, & Congregationi prædictis, & illorum Fratribus concessis, pro illorum subsistentiâ firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adijcere, illaque iuxtà formas eorum obseruari mandare, ac aliàs super his opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur attendentes fructus salutares, quos Ordo vester in Ecclesiâ Dei hactenùs produxit, & producit in dies, ac sperantes, quod de bono in meliùs perseueret; huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula Priuilegia, exemptiones, indulta, immunitates, & libertates, tàm per felicis recordationis Innocentium VIII. eius litteris sub datâ Romæ Millesimo Quadringentesimo octuagesimo septimo, sexto Kalendas Iunij, Pontificatus sui Anno Tertio, quæ incipiunt (Apostolicæ Sedis) & Mare magnum Fratrum Vestri Ordinis nuncupatum; necnon per Iulium II., & Clem. VII. ac Paulum III., quàm per quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros hactenùs quomodolibet, & sub quibuscunque tenoribus, & formis in genere concessa, & innouata, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro sufficientèr expressis, & insertis haberi volumus, auctoritate Apostolicâ, & ex certâ Nostrâ scientiâ, tenore præsentium, approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabilitèr obseruari debere decernimus, & pro potiori cautelâ, illa cum illorum extensionibus, ampliationibus, communicationibus etiã de nouo concedimus; Vosque, & pro tempore existentes Priores, & Vicarios Generales, ac Fratres, & personas Ordinis, & Congregationis vestrorum huiusmodi, necnon domos, Ecclesias, & loca vestra omnibus, & singulis Priuilegijs, exemptionibus, indultis, & gratiis quibusuis dicti, & aliorum etiam Mendicantium, etiam de obseruantiâ nuncupatorum, etiam Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, Minorum, Carmelitarum, ac Minimorum, & aliorum quorumcunque Ordinum Fratribus, & personis, ac Congregationibus, illorumque Ecclesijs, Oratorijs, domibus, & alijs pijs locis, illorumque Prioribus, Fratribus, etiam Conuersis, & Oblatis, Corrigiatis, Mantellatis, & de Pœnitentiâ nuncupatis, & alijs personis per eosdem Prædecessores, ac forsan etiam Nos, & Sedem prædictam hactenùs quomodolibet, etiam Viuæ vocis oraculo in genere concessis, & præsertim piæ memoriæ Clementis IV. etiam Prædecessoris Nostri, inter aliã disponentis, quod nulli ex Mendicantium Ordinum professoribus, Ecclesias, oratoria, loca, vel domos, apud Ecclesias, oratoria, loca, vel domos Fratrum Minorum, & Prædicatorum Ordinum prædictorum per trecentas cannas per aera construere, vel ædificare, aut construi, vel ædificari facere possent, vti, frui, & gaudere, posse, & debere in omnibus, & per omnia, perindè ac si vobis, Congregationi, & Ordini vestris, necnon domibus, Ecclesijs, ac locis vestris concessa fuissent, scientiã, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, illorumque transumpta vobis, dictoque Ordini, & Congregationi vestris, illorumque personis, locis, & bonis in iudicio, & extrà illud, vbicunque per vos, vel alias dicti vestri Ordinis, seu Congregationis personas, seu illarum nomine fuerint exhibita, vel ostensa, suffragentur, ac si in eis Ordo, & Congregatio vestri huiusmodi, illorumque Prælati personæ, & loca nominatim insererent, & essent expressa. Non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis æditis generalibus, & specialibus, constitutionibus, necnon quorumcunque locorum generalium studiorum Vniuersitatibus, & quibuscunque Ordinariis, Prælatis, & personis concessis, litteris ac Priuilegiis, etiamsi ad illorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda essent, Illarumque tenores præsentibus pro sufficientèr expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, quoad præmissa, specialitèr, & expressè derogamus, & illa nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere etiam decernimus; necnon omnibus illis, quæ præfati Prædecessores in suis litteris huiusmodi voluerunt non obstare; cœterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod transumptis præsentium, etiam impressis, manu alicuius publici Notarii subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, munitis, eâdem prorsùs fides vbicunque adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extrà illud, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si illæ essent

essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Aprilis. MDLI. Pontificatus Nostri Anno secundo Rom. Amasæus.

## CONSTITVTIO CCCLVIII.

### SVMMARIVM.

1567. *Feb.* 13.

### CLEMENS PAPA VII.

*Priuilegia Congregationum, & Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium Congregationum, etiam Societatis Iesu, Clericis Regularibus, qui Theatini dicuntur, concedit.*

*Bul. Rom. tom. 2. Pij V. Const. 31.*

PIVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad immarcescibilem vitę æternæ coronam, ad quam fortes Christi athletæ non aduersus carnem, & sanguinem præliantes, sed contrà spirituales antiqui hostis nequitias, & huius mũdi tenebrarum principatus, assiduo Fidei clypeo, & scuto bonæ voluntatis armatis, lumbisque præcinctis colluctantes, reiectis vanitatibus, & illecebris indefessè aspirant, & quo optatum finem tutiùs consequantur, Religionis arcem, vndè inimicorum insultibus, dante Domino, securiùs resistere, & hostilia tela propulsare queant, animosè ascendũt, eleuantes oculos mentis Nostræ, paternâ pietate, & beneuolentiâ ex Nostri pastoralis officii debito non ab re iugitèr inducimur, vt tranquillo eorum statui, quantum cum Deo possumus promptè consulamus, & his quæ propterea facta esse dignoscuntur, auctoritatis Nostræ adijciamus firmitatem, aliàsque desupèr opportunè prouideamus, prout personarum, & temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubritèr expedire. Dudum siquidem fel. record. Clemens Papa VII. prædecessor Noster sibi pro parte, &c. *Quæ habes in Bullar. Rom. Clementis V I I. Constit.* 11. Et deindè pro eadem parte, eidem Clementi prædecessori etiam exposito, quod ipsi, &c. *Quæ habes in Bullar. Rom. Clementis V I I. Constit.* 38. Ac postmodum recol. mem. Paulus Papa III. similitèr prædecessor Noster viuæ vocis oraculo eidem Paulo IV. prædecessori, qui etiam tunc in minoribus constitutus, tituli S. Sixti presbyter Cardinalis erat per eundem Paulum III. prædecessorem facto, eidem Congregationi Clericorum Regularium inter alia. Quod maior pars habentium vocem id Capitulo, in quocunque loco commoraretur, repræsentaret totum Capitulum Congregationis Clericorum Regularium huiusmodi. Et vbicunque Vocalium maior pars foret, semper repræsentaret Capitulum Generale, & haberet in ipsis Cõgregatione Clericorum Regularium super Prępositos omnes, & Superiores Sacerdotes, & alios professos in spiritualibus, & temporalibus, post Sanctam Sedem Apostolicam, cui immediatè subijciebantur, supremam iurisdictionem, & potestatem donec Capitulum Generale solemnitèr celebraretur. Et si Vocales in Ecclesijs, & locis corumdem Congregationis Clericorum Regularium pares numero forent, ibi ex gratiâ, & Priuilegio intelligeretur adesse Capitulum repræsentans Generale, vbi foret Vocalis, qui antiquior esset omnibus alijs Vocalibus, qui in locis particularibus pares numero forent. Capitulumque huiusmodi haberent in prædictis Congregatione Clericorum Regularium ius supremum. Et quandocunque in Ecclesijs, & locis prædictis, omnibus casibus, & necessitatibus prouidere possent: & maximè superueniente causâ de Superiore cassando, transferendo, & de nouo creãdo, quocunque nomine appellaretur, vt in spiritualibus, & temporalibus liberè administraret. Quodque tempus suæ administrationis non posset vltrà annum prorogari, & omnibus Congregationis Clericorum Regularium gauderet Priuilegiis. Et generalitèr quicquid possent Præpositi per Priuilegia possent etiam eorum Locatenentes. Et si ille, qui vt Superior administrasset, in Præpositum eligeretur, tempus, quo sine titulo Præpositurę administrauisset, non impediret quo minùs posset, sicut cæteri Præpositi, vsque ad triennium confirmari. Ac etiam tempore, quo contingeret per lapsum anni officium Præpositorum vacarę, suprad. Capitulum scribere possent Præpositis sub hac, vel simili formâ. Licèt officium Præpositurę tunc tali die vacaret, tamen vt Superior non desistas in spiritualibus, & temporalibus liberè, vt anteà administrare, donec alitèr fuerit prouisum, prouisioque suum sortiatur effectum. Nec non quod antiquior in voce, qui in loco esset, succederet ipso iure Præpositurę vacanti per lapsum anni, cessum, vel decessum Prępositi, & gauderet omnibus Priuilegiis Congregationis Clericorum Regularium huiusmodi, donec per Capitulum Generale, vel repræsentans Generale, de alio Superiore, vel alitèr prouideretur, & obseruaretur, vt dictus Antiquior, vt sup. administraret in causâ absentiæ, vel infirmitatis ipsius Præpositi, nisi ipse Præpositus alitèr prouidisset. Quodque Laici ad Congregationem venientes, si videretur eos non diuino officio mancipandos, vterentur vestibus Clericalibus, quæ tamen secundùm conditionem locorum, & personarum honestę censerentur, eisque tempore probationis simplicitèr assignatæ ad professionem trium votorum more eorumdem Congregationis, sine tamen vestium mutatione, & benedictione admitti. Ac omnibus Priuilegijs prædictis gaudere possent, dictâ auctoritate concessit, & declarauit. Ac posteà pro parte quondam Bonifacij Presbyteri Alexandrini eiusque Sociorum Congregationis Clericorum Regularium huiusmodi, inclitę mem. Iulio Papę etiam Tertio prædecessori Nostro, exposito quod ipsi qui in locum Pauli Prædecess. & Caietani huiusmodi successerant, vt litteræ prædictæ, firmiùs permanerent, & inuiolabilitèr obseruarentur, cupiebant illas ab eodem Iulio Prædecessore approbari, & innouari, idem Iulius Prædecessor eorum supplicationibus, in ea parte inclinatus, concessiones, & statuta, ac ordinationes, necnon cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis singulas litteras prædictas, etiam per suas in simili formâ breuis sub die 10. Iunij Anni Domini Millesimi, quingentesimi quinquagesimi primi, Pontificatus sui Anno II. expeditas litteras approbauit, & innouauit, illisque perpetuæ, & validæ firmitatis robur adiecit, ac illa omniâ, & singulâ obseruari, & Bonifacio, & socijs præfatis, & eorum successoribus Clericis Regularibus suffragari, ipsosque illis perpetuis futuris temporibus vti, frui, potiri, & gaudere posse, necnon si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contingerit attentari irritum, & inanè decreuit. Et deindè prædictus Paulus IV. Prædecessor, diuinâ fauente clemen-

mentiâ ad summi Apostolatus apicem assumptus, Motu proprio per eius cedulam dictas in formâ Breuis præfati Iulij prædecessoris litteras præinsertas habentem, sub Datum videlicet septimo Idus Octobris Pontificatus sui Anno primo, quædam per cedulam ipsam declarata, & Capitula, ac ipsas litteras,& omnia in eis contenta, necnon curam,& administrationem Congregationis de Somascâ eisdem Congregationi Clericorum Regularium per prędictum Paulum III. prędecessorem commissam, etiam ad hoc, vt illorum, & de Somascâ Congregationis huiusmodi, ac omnes illorum personæ omnibus, & singulis Priuilegijs, & prerogatiuis, ac alijs quibus vtebantur, potiebantur,& gaudebant, ac vti, & gaudere possent quomodolibet in futurum, ad inuicem,& altera alterius,& è conuerso vti, potiri, & gaudere licitè possent,& valerent, Apostolicâ auctoritate approbans, confirmans,& innouans, illisque perpetuæ, & validæ firmitatis robur adijciens, & illa omnia,& singula obseruari, & eis suffragari, eosque perpetuo illis frui,& gaudere,& ita iudicandum fore, sublatâ quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate, ac irritum,& inanè eisdem quicquid secùs attentari contingeret. Decernens Congregationi Clericorum Regularium, ac tunc,& pro tempore existentibus Clericis Regularibus pręfatis, vt ipsi, qui idonei forent Eucharistię Sacramentum, in omnibus, & singulis etiam ad eos non spectantibus Ecclesijs, quibuscunque vtriusque sexus Christi fidelibus debitè, etiam non per eos, sed alios confessis,& aliàs, vt moris est, administrare. Ipsisque, vt omnibus,& singulis Priuilegijs, Indulgentijs, prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, gratijs,& indultis dilectis filijs Societati de Iesu Almæ Vrbis Nostræ, tàm in spiritualibus, quàm temporalibus, in specie, vel in genere, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & dictam Sedem quomodolibet concessis, & concedendis, & quibus Societas huiusmodi, tàm in vitâ, quàm mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, & ipsius Eucharistiæ administrationem, & aliàs quomodolibet vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poterant, similitèr ipsi Congregatio,& Clerici Regulares, vti, potiri, & gaudere liberè,& licitè possent, & valerent, ac illorum omnium participes esse deberent concessit, & indulsit. Priuilegia quoque Indulgentias, prærogatiuas, & alia omnia eidem Societati, vt præfertur, etiam communatiuè concessâ, ad Congregationem, & Clericos Regulares præfatos extendit, & ampliauit, ipsisque, vt omnia, & singula, tam per eosdem Clementem VII. Paulum III. quàm Iulium etiam Tertium prædecessores eis concessa, & per eumdem Paulum Quartum etiam prædecessorem, & alios ex tunc in posterum concedenda Priuilegia, gratiæ, Indulgentiæ, prærogatiuæ, exemptiones, & indulta, toties reintegrata, confirmata, & innouata, ac in pristinum statum restituta esse censerentur, quotiès per eundem Paulum IV. prædecessorem, & Sedem prædictam, alia quæcunque Priuilegia, alijs Congregationibus, & quorumuis Ordinum Religiosis,& Monachis concessa,& concedenda reintegrari, confirmari, vel innouari, & in pristinum statum restitui contingeret, etiam concessit,& indulsit, cum decreto, & clausulis, ac alias certis modo, & formâ tunc expressis, &c. Cum autem sicut accepimus, &c. Motu proprio, &c. prædicta omnia præsentium tenore confirmamus, approbamus, & innouamus, &c. Et insupèr eisdem Congregationi Clericorum Regularium, tàm Romæ, quàm Venetiis, & Neapoli, ac alias vbiq; locorum degentium, ac illius nunc, & pro tempore existentibus Clericis pręfatis, vt ipsi,& eorum singuli, qui Præpositi fuerint, quorumcunque qui Congregationem huiusmodi ingressi, iuxtà illorum ritum professionem per eosdem Clericos Regulares emitti solitam solemnitèr emittere voluerint, in eorum,& cuiuslibet ipsorum professionis emissionis, seu alio anteriori die quocumque, eorum confessionibus per dictos Præpositos, aut eorum aliquem diligentèr auditis, ipsos,& eorum singulos ab omnibus,& singulis eorum peccatis, criminibus excessibus, & delictis, ac quacumque per eos eatenùs quomodolibet contracta irregularitate, & peccatis alijs quantumcunque grauibus,& enormibus, per ipsorum, & eorum singulos vsque ad dictam diem quomodolibet perpetratis, commissis,& incursis, etiamsi talia forent, de quibus hic specialis,& expressa mentio habenda, & propterea dicta Sedis merito consulenda esset. Nec non priuationis, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & quibusuis alijs Ecclesiasticis sententiis, censuris,& pœnis in eos à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quib. profitendos ipsos tunc quomodolibet innodatos, & vt tales declaratos, & publicatos esse reperiri contigerit, sine tamen alicuius præiudicio, in quibuscunque, etiam prædictæ Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, prætterquàm tamen contentis in Bullâ in die Cœnæ Domini legi consueta, huiusmodi Apostolicâ authoritate prædicta aliàs in superiùs dictâ formâ plenè absoluere, & totalitèr liberare, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac cum ipsis,& eorum quolibet super irregularitate per ipsos, & eorum quemlibet indè, ac etiam quia sententiis, censuris, & pœnis prædicti ligati Missas forsan, ac alia diuina officia, nõ tamen in contemptum clauium celebrauerint, aut aliàs se in eis immiscuerint per pridem vsque tunc, ac etiam ex quocunque eorum defectu,& impedimento, non tamen ex homicidio voluntario proueniente, ac alias quomodolibet contracta. Quodque his præmissis,& aliis non obstantibus in suis quos anteà susceperunt etiã presbyteratus Sacris Ordinibus, & quando in illis aut aliquo, vel aliquibus eorum adhuc non fuerint tunc promoti, ad illos omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines huiusmodi, aliàs tamen ritè promoueri, & in eis promoti etiam in Altaris ministerio in dictis, & aliis quibusuis Ecclesijs, atque locis ministrare liberè, & licitè valeant, dispensare. Et ab illis,& eorum quolibet omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam ex præmissis circâ eos quomodolibet insurgentem, & per ipsos contractam penitùs abolere. Nec non eos, & quemlibet ipsorum in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant statum, & alias iuxtà supradictam formam restituere. Et tam Præpositi, quàm cœteri omnes Clerici, Romæ, Venetijs, Neapoli ac alias vbique locorum degentes, Congregationis huiusmodi, nunc,& pro tempore existentes, qui tamen Presbyteri fuerint Eucharistiæ etiam pro viatico, ac etiam constitutis in articulo mortis, ac extremæ Vnctionis cœteris Clericis, et Fratribus Congregationis huiusmodi, ac etiam mercenariis famulis, operariis,& seruis eorumdem Congregationis, ac quibusuis hospitibus etiam sęcularibus, et extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis huiusmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, et quoties de illo dubitari contigerit, etiam Diocesan. locorũ, & Sacerdotum Curatorum quorum-

rumcunque, etiam in quorum Ciuitatibus, et Diœcesibus, ac Ecclesiarum Parochijs respectiuè, Ecclesiæ, & loca ipsorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunque licentiâ minimè petita, nec obtenta. Et in casum, quo non daretur spatium petendi talem licentiam, propter repentinam necessitatem, etiam quibuscunque alijs personis, quæ in huiusmodi necessitate intra Ecclesias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extrà illa, alijs quibusuis infirmis, etiam in mortis articulo constitutis, vbique in causâ necessitatis supradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis concessa licentiâ cuiusuis Sacerdotis Curati, pœnitentiæ Sacramenta Ecclesiastica ministrare possint. Ac etiam eisdem, & aliis Clericis Regularibus Congregationis huiusmodi, Romæ, Venetijs, Neapoli, ac aliàs vbique locorum degentibus, cum ipsi ferè totos dies in orationibus, ac Missis, & aliis diuinis Officiis dicendis transigant, & frequenter ipsos ab audiendis pœnitentium confessionibus esse, & verbum Dei populo prædicare oporteat. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipsi sicut alij, qui in strictiori clausura perpetuo viuunt, ad, cum cæteris Vrbis Nostræ, & Neapolitan. prædictarum, ac aliarum Ciuitatum, Terrarum, & locorum in quibus dictæ eorum Ecclesiæ domus, & loca sunt, & erunt quomodolibet in futurum, personis Ecclesiasticis, tàm sæcularibus, quàm præfatorum, & aliorum quorumcunque Ordinum Regularium, processionaliter in eorum processionibus, publicis vel priuatis, etiam solemnibus, aut extrà illas de per se, incedendum minimè teneantur, nec ad id, etiamsi ceteræ personæ huiusmodi tàm de iure, vel statuto, quàm vsu, & consuetudine, ac aliàs quomodolibet astringantur inuiti, quâuis, etiam Apostolicâ auctoritate cogi, moneri, vel compelli, nec propterea aliquibus Ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis innodari, vel ligari possint. Ac etiam singulis ex ipsis, qui tàm in eorum proprijs Ecclesijs, & locis existentes, quàm etiam quotiès, ac quamdiu pro quibusuis rebus, & causis de suorum Congregationis Regularium huiusmodi Superiorum licentiâ iussu commissione, vel mandato, proprijs Ecclesijs, vel domibus abfuerint, & ad quæuis alia Ciuitates, Oppida, Terras, & loca declinare, et eos inibi esse, ac etiam permanere contigerit, quadragesimalibus, et quibusuis alijs anni temporibus, atque diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum dictę Vrbis, & extra illius muros, atque dictis eorumdem Congregationis, & aliis quibuscunque Ecclesiis, et locis, illaque, & illa visitantibus concessarum Indulgentiarum, propriam Ecclesiam, siue Oratorium, aut vnã aliam Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum ad quæ, vt præmittitur declinauerint, & vbi permanserint, aut in eis quinque, vel quatuor, si tot extent, aut pauciora Altaria deuotè visitando, & semel Psalmum Miserere, &c. & Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, et Symbolum Apostolorum pro felici statu, & conseruatione militantis Ecclesiæ, ac exaltatione Fidei Catholicę, Nostrâ quoque, & successorum Nostrorum Romanorum Pontificum quorumcunque prosperitatem recitando, omnes, et singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones visitantibus Basilicas, et alias præfatæ Vrbis, et extrà illius muros ad id deputatas, ac ipsorum Congregationis, & aliorum quorumcunque, tàm in Vrbe, & Neapolitan. quàm aliis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis sitas Ecclesias visitantibus concessas consequantur, quas consequerentur, & consequi possent, si singulis temporibus, & diebus supradictis Basilicas, & alias Vrbis prædictæ, ac extrà illius muros, necnon in Neapolitan. & aliis Ciuitatibus, Oppidis, Villis, & locis præfatis sitas Ecclesias personalitèr visitarent, ac omnia, & singula, quæ pro huiusmodi Indulgentiis consequendis quomodolibet requiruntur, adimplerent, Apostolicâ auctoritate prædictâ concedimus, & indulgemus, ac etiam perpetuò statuimus, & ordinamus. Decernentes præsentes Nostras litteras, quæ ad plenam probationem præmissorum omnium, et singulorum, itaut nulla probatio in contrarium admittatur, sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri debeat, ac eadem præmissa, seu eorum aliqua de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ defectu notari, seu impugnari non posse, sed semper valida, & efficacia existere, ac eisdem Congregationi, & illius Regularibus Clericis, & aliis personis suffragari, et sub nullis, etiam totum earumdem præsentium tenorem in se continentibus, reuocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis alterationibus, similium, vel dissimilium confirmationum, concessionum, & gratiarum, sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu, & scientiâ similibus, etiam consistorialitèr, etiam per Nos, et successores Nostros Rom. Pont. pro tempore existentes ex quibusuis causis etiam iustissimis, pro tempore quomodolibet factis, nullatenùs comprehendi, sed semper ab illis excipi, ac quotiès ille emanabunt, totiès in pristinum statum restituta, & plenariè reintegrata existere, & censeri, & ita per quoscunque Iudices, et Commissarios, vt præfertur, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quâuis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, sententiari, & diffiniri debere, necnon irritum, et inanè quicquid secùs super his à quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Neapolitano, Placentin. ac Amerin. Episcopis per Apostolicâ scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, et quando opus fuerit, ac quotiès super hoc pro parte Congregationis, & illius Clericorum Regularium, ac aliarum personarum prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemnitèr publicantes, eisque, & cuilibet ipsorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra litteras, & in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari, illosque, & quemlibet illorum eis pacificè frui, et gaudere, non permittentes illos, vel eorum quempiam per quoscunque desuper quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, qua cauetur, ne quis extrà suam Ciuitatem, vel Diœc. nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltrà vnam dietam à fine suæ Diœc. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apostolicâ deputati extrà Ciuitatem, vel Diœc. in quibus deputati fuerint, contrà quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere quoquo modo præsumant, & de duabus

bus dietis in Concilio Generali edita, dummodo vltrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur. Nec non aut Regulis Nostris de vnionibus,& illarum confirmationibus committendis ad partes,vocatis quorum intereſt, ac de Indulgentijs ad instar non concedendis. Nec non Lateranen. Concilij nouiſſimè celebrati, ſi opus ſit, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,nec non ſupradictis,& omnibus aliis,quæ ſinguli Prædeceſſores prædicti, in dictis eorum cedulis litteris, & ſupplicatione voluerunt non obſtare, & quæ reuocarunt,quibuſque derogarunt,cum perpetui deſuper ſilentij impoſitione, & inhibitione aliàs prorsùs ſimilibus modo,& formâ ſupradictis. Quibus etiam omnibus,& ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione,aliàs de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes,mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habẽda,aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret,tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ,nihil penitùs omiſſo,& formâ in illis tradita obſeruata inſerti forẽt præſentibus pro ſufficiẽter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permãſuris,hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialitèr, & expreſsè derogamus,contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communitèr, vel diuiſim à præfatâ ſit Sede indultum,quod interdici,ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam,& expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis,eàdem prorsùs fides,tàm in Romanâ Curiâ,quã extrà eam vbilibet adhibeatur, & illis ſtetur etiam in iudicio,& extrà,quæ eiſdem litteris adhiberetur, ſi in medium exhibitæ forent,vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Noſtræ abſolutionis, auocationis, extinctionis, perpetui ſilentij impoſitionis, approbationis, confirmationis, innouationis,decreti,mandati, derogationis, & voluntatis infringere,vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ſeptimo Id. Februarij Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

## CONSTITVTIO CCCLIX.

### SVMMARIVM.

1567. Aug. 16.

PIVS PAPA V.

*Mendicantium Ordinum Priuilegia, Congregationibus Caſinenſis,Montis Olineti,Ciſtercienſi. Carthuſienſi, Camaldulenſi, Vallis vmbroſæ, Lateranenſi, S. Saluatoris,S. Crucis Colimbricenſis, S. Hieronymi Hiſpaniarum, ac Militiæ Ieſu Chriſti Reformatorum Portugalliæ,communicat.*

*Appendix ad Tom.I. Bull. Caſ.*

*Ex impreſſ.*

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei,Ad perpetuam rei memoriam.Ex ſupernæ diſpoſitionis arbitrio Gregi dominico præſidentes, inter curas multiplices,quas ex miniſterio Noſtri paſtoralis officij,Nobis incumbere cenſemus,illam,per quam,perſonarum quarumlibet, earum præſertim, quas ſub ſuaui religionis iugo ſedulum in dies altiſſimo famulatum exhibere conſpicimus, ſtatui & quieti ritè conſulitur,libentèr amplectimur,ac vt perſonæ ipſæ idem exoptantes, à Nobis gratias & fauores reportaſſe lætentur,grato intendimus animo,ac in his,Noſtri paſtoralis officij partes, fauorabilitèr impartimur,prout temporum qualitate penſata,id perſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Nuper ſiquidẽ à Nobis emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis. Pius Epiſcopus ſeruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Etſi Mendicantium Ordines, qui ſedulum in vinea Domini,quotidie exhibere non ceſſant famulatum, ſummo ſemper ſtudio, etiam dum in minoribus eſſemus,amplexi ſumus, ad ſummi tamẽ Apoſtolatus apicem(meritis licet imparibus) diuina fauente clementia aſſumpti, dum id mente recolimus,facere non poſſumus,quin eos propenſiori charitate & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudijs, honeſtiſque laboribus, proq; ſalute animarum, ab Apoſtolica Sede, cuius continuè pacem,& dignitatem Ordines ipſi fortitèr tutati ſunt, tàm ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperint,& accipiant,quibus & ſancta ſua officia,ac vitam ſuam regularem faciliùs,atque expeditiùs exequi & tranſigere poſſint & cœteræ Religioſæ perſonæ,ordineſque alij exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſoluenda reddantur. 1 Hinc eſt, quod Nos attendentes,plerosque ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui eoſdẽ ordines præcipuè tanquam fructiferos in agro Domini palmites, & colere, & adiuuare deberent, non ſolum id exequi negligere, verum etiam, Concilij Tridentini decretis in prauum ſenſum retortis, eos & eorum quemlibet varijs afficere incommodis & perturbationibus, eorumque Priuilegijs non modicum afferre grauamen conantur. Quidam enim Epiſcopi, vt accepimus, nolunt admittere quoſdam Regulares ad Prædicationem,etiam in ſuis Eccleſiis faciendam, quamuis de eorum habilitate, ad huiuſmodi opus exercendum, habeant bonum teſtimonium à ſuis Superioribus. Alij verò volunt, vt nedum ſemel, ſed etiam pluries in anno coram ipſis, vel eorum Vicarijs Prædicatores præſententur, ac pro licentia prædicandi,quam nõ niſi in ſcriptis dare volunt,aliquid quandoque exigunt. Alii etiam Epiſcopi, maximam Regularibus iniuriam irrogare videntur,dum prętor ordinem & veterem conſuetudinem,abſque vlla ratione quoſdam reijciunt,& quoſdam, pro eorum libito,admittunt ad Prędicationem huiuſmodi habendam in locis ſuæ Diœceſis. Quorundam etiam locorum Ordinarii quoſdam Religioſos, probos viros & idoneos, etiam à ſuis Superioribus approbatos, ad Confeſſiones audiendas admittere, nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt,non ſolum ſingulis annis ſed etiam pluries in anno,in aliquibus partibus eoſdem Confeſſores ſibi præſentari. In aliquibus vero oppidis,tam Epiſcopi,ſeu eorum vicarii,quam presbyteri Curati nolunt, vt fratres mendicantes vocari ad audiendas confeſſiones infirmorum, maxime ſi infirmitas eſt grauis, aut etiam ſanorum in priuatis illorum domibus, vel alibi,preterquam in ſuis Eccle-

 ſiis,

sis, aut Monasteriis, possint accedere. Nonnulli etiam audent Confessores Monialium, qui pleno iure subsunt Regularibus, examinare, cum tamen id minimè per Concilium decernatur, sicut & de Fratribus, qui sunt audituri confessiones aliorum Fratrum. Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur asserere, seu facere, ne quisquam infra annum possit sacram Eucharistiam in Ecclesiis Mendicantium recipere, neque etiam Moniales Tertiarias nuncupatas suorũ Ordinum, vt aliqui asserũt, in aliquibus partibus fieri: cum tamen solum in Paschate, quoad seculares duntaxat, iuxtà Priuilegia Summorum Pontificum prędecessorum Nostrorũ eisdem Ordinibus concessa, id obseruari debeat. Alii verò Episcopi, seu eorum Vicarii audent, ad eorum libitum, dare licentiam quibuscunque, quæcunque Monasteria Monialium, etiam S. Claræ ingrediendi, etiamsi Regularium curæ subdita sint. Quidam verò, sub prætextu exquirẽdi voluntates puellarum, ante professionem earum, volunt eas extrahere a monasterijs, & per longum tempus alibi detinere, ipsasque puellas, seu Nouitias de plerisque rebus interrogant, neque necessarijs, neque in decreto Concilij Tridentini desuper contentis, ex quibus non modica potest oriri occasio scandali. Alij vero plerią; noluerunt quosdam Regulares aliarum diœcesum, Sacris Ordinibus initiare, ac etiam a sui Ordinis Prælatis approbatos admittere nolunt. Aliqui verò, singulis dominicis diebus in suos Parochianos ad sonum campanę, excommunicationem promulgant, vt non possint interesse missis, cõcionibus & diuinis officiis, nisi in propria Parochia. Alij verò ipsis prohibent, vt omnino in aliis Ecclesiis etiam requisiti non celebrent. Alii verò in aliquibus partibus in eorum Ecclesiis concionis sacræ scripturæ, & sermones pro mortuis haberi nolunt, & si aliquid ipsis relictum fuerit, vt ab ipsis missæ dicantur, vel alia officia pro mortuis celebrentur; ipsi sibi ea vsurpant dicentes, quod ipsi ea exequi non possunt, quia ipsi sunt pastores. Alij vero, sub excommunicationis latæ sententiæ, & exilij, per decennium à diœcesi, pœna inhibuerunt, ne missæ in eorum Ecclesiis celebrentur in diebus festiuis, antequam Rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Alij etiam nolunt, vt dum prædicatio in Ecclesia cathedrali habetur, alibi prædicetur. Ac insuper in quibusdam locis, omnem ordinem & quietem perturbant, dum controuersias iamdiu sopitas, & extinctas super præcedentia, excitarunt, & vbi nullæ erant, pepererunt, dum pro arbitrio & voluntate eorum, hos illis præferre voluerũt. Quidam etiam Episcopi, volunt Regulares à cura animarum excludi, & illam solis presbyteris secularibus committi. Quidam verò quartam funeralium extendere volunt etiam ad Missas, legata, & alia quæcunque quæ domibus Regularium relinquuntur. Alij autem volunt, quartam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum & eorum etiam, quæ pro victu Fratrum relinquuntur. Aliqui, etiam in quibusdam partibus etiam volunt, vt non solum ius sepulturæ solui consuetum, quod semper soluitur, neque denegatur, sed etiã omne illud, quod Ecclesijs Ordinum, ad eorum libitum partes dant, quando sepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum Curatis etiam, de nouo soluatur, instanter conantur, impedientes ne aliter corpora defunctorum, ad monasteria Fratrum deferantur, vnde in hoc maximè tam partes, quam ipsos Fratres grauari contingit. Aliqui verò, etiam ex locis Mẽdicantium, qui curam habent animarum, volunt pro Seminario decimas exigere, ac in casu renitentiæ, etiam pignus exigunt, Alij autem, præfatos, Fratres ac Moniales sub eorum degentes cura, subsidium regium persoluere cogunt, cum multæ earundem Monialium, vix habeant pro earum victu & vestitu necessaria vitæ. Alij etiam, in quibusdam partibus, pauperes mendicantes eleemosynas petere prohibent pro eorum duntaxat substentatione, & si inuenerint eos panem, vel aliquid aliud simile, amore Dei sibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur, afficientes eos graui iniuria & contumelia. Nonnulli verò Episcopi, vel Capitula Canonicorum, pauperes mendicantes, tam Fratres, quã Moniales suorum ordinum, tam de redditibus bonorum, si quæ habent, quæ de possessionibus, vineis, agris & alijs suis bonis quibuscunque, non solum largitione fidelium sibi concessis, sed etiam aliàs iustis de causis ab eis acquisitis, ac pecunijs emptis, sibi decimas, ac primitias alij respectiuè soluere cogunt. Alij autem, ausi sunt inquirere & processus facere contra aliquos Regulares intra claustra delinquentes, vel de quorũ delicti, aliqua erat suspicio, non expectata suorum Superiorum censura. Alii verò Episcopi, Monialium monasteria ingredi, & illa ingrediendi, licentias aliis concedere, & aduersus illas processus formare, ipsorum ordinum Superioribus irrequisitis, præsumunt. Aliqui etiam, dominium temporale super Moniales habere prætendunt. Nonnulli verò frequentissime Regulares citant, & iurisdictioni suæ subiicere tentant, ac eorum Cõuentum occupant, ipsos expellendo, ac in ipsos iurisdictionem, vel potestatem exercent. Aliqui verò, ipsos carceribus, absque causæ cognitione mancipant, ac manibus, pedibusą; laborant, vt Regulares Mendicantes, suę ditioni subijciant, & vsque adeo se intromiserunt in gubernatione Conuentuum, & in correctionibus Fratrum, vt Prouincialibus, & Generalibus, nullus amplius videatur relictus locus, aut vlla iurisdictio. Aliqui autem Conuentuum Priores, & Guardianos, rationes & computa facere cum syndicis Conuentuum huiusmodi prohibent. Fratres quoque qui ad Episcopos huiusmodi recursum habent, a Prioribus, & Guardianis præfatis, castigari, & puniri interdicuntur. Inhibent quoque Superioribus Ordinum, ne faciant processus contra Fratres, ac in ipsos imperium & brachium seculare exercent. Alij vero, ipsos extra claustra degẽtes, sub eorum protectione recipiunt, eosque sic permanere permittunt, eosque etiam inuitis suis Superioribus detinent. Aliqui verò, bonorum ipsorum Fratrum, tanquam ad eos, si extra claustra defuncti fuerint, spectantium possessionem occupare præsumunt, & ad habitum religionis reuersis, sua bona consignare nolunt. Ac etiam vniones à Sede prædicta, aut aliàs ritè factas de Beneficijs Ecclesiasticis impediunt, & sibi relaxari debere volunt, & contradictores, excommunicationis gladio feriunt. Alij verò, Regulares campanas diebus festiuis pulsare, vel eodem tempore, quo ipsi celebrant, missas celebrare nolunt. Aliqui etiam pro licentia danda ædificandi quandam domum regularem, triginta vel quadraginta ducatos exigere non erubuerunt. Alij verò, eos mortuorum corpora associare, alij autem illos cum parocho similia munera subire non permittunt, nisi maiori Canonicorum pars interuenerit. Alij verò, mortuorum officia in Regularium Ecclesiis peragi nolunt, nisi cum ipsorum præsentia, & ipsorum Moniales, vel alias personas, etiam si in earum funere Parochus interuenire non deberet, sepelire prohibent, nisi ipsi Parocho, prius certum quid solutum fuerit, & si aliquem ipsi sciuerint, in Regularium Ecclesiis sepulturam elegisse, cum (vt dicitur) non ante

ad

ad illas deferre finunt,quam ad Parochi Ecclesiam delatum,inibique officium peractum fuerit. Postremo verò, testamenta sine presbyterorum præsentia fieri prohibent,& si quid ipsis Regularibus relictum fuerit,id afferentes contra Concilij Tridentini canones esse,reuocare omnino procurant. Ac propterea volentes præmissis, ac alijs similibus excessibus & grauaminibus,exNostri pastoralis officij debito,prouidere,attendentes etiam illos,qui onus die & æstus tàm in prædicationibus, quàm in cœteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent,nisi etiam aliquãtisper subleuentur,facilè fore,vt oppressi,a suis officijs omninò desistant:ne in posterum eis aliquod inferatur grauamen,Concilij Tridētini huiusmodi decreta,quorum falsa, seu minus vera intelligentia, præmissa irrepserunt, quorumque declaratio non nisi ad Nos spectat,modo & forma infrascriptis, declarandum censuimus. 2 Nos igitur Motu proprio, non ad alicuius instantiam,sed de mera deliberatione & ex certa scientia Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus,Canonem Sessionis 23.cap.4.per quem,omnibus Regularibus, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, cōtradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum Fratres huiusmodi,quando à suis Generalibus,vel eorumMinistris prouincialibus,ad id deputati fuerint,non comprehendere, neque eos afficere posse,immò volumus,quod in suis Ecclesiis,quando eis placuerit, licitè & absque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicauerit,prædicare possint. 3 Quod vero in sessione 23. cap.15.Circa Cōfessiones à Regularibus non audiēdas statuitur, hoc etiam dictorum Ordinū Fratres, à præfatis suis Generalibus, vel Ministris prouincialibus, ad audiendas Cōfessiones vtriusque Christifidelium sexus approbatos,vt præmittitur,minime comprehendat: ita vt à Confessionibus audiendis, tam intra eorum Ecclesias & domos, quam extra, minimè prohibeantur, super hoc litteras fœlicis recordationis Pauli Papæ Quarti etiam prædecessoris Nostri cōcedentes eisdem Fratribus Mendicantibus regularis obseruantiæ,posse confessiones secularium personarum,etiam infirmarum, etiam extra domos & monasteria sua,& vbilibet audire,approbando & de nouo concedendo. 4 Statuimus etiam,quod ille,qui semel in vna diœcesi admissus per Episcopum fuerit,semper in eadem diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta diœcesi debeat,tam quo ad prædicationes faciendas quam quo ad confessiones audiendas, nec aliquid pro prædictis exigi,vel recipi debeat. 5 Confessores verò Monialium, quæ degunt sub cura Regularium, ab Ordinario examinari nolumus, quemadmodum,neque etiam fratres,si debeant audire confessiones aliorum fratrum,examinari debent. 6 Lectores insuper ex eisdem fratribus, & in theologia graduati, qui cum licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit,tam confessiones audituri,quã prædicationis munus subituri, ab Episcopis minimè examinentur. 7 Cumque inhonestum sit, quemlibet in alienam messem,falcem inijcere, cumq; monialium monasteria, non nisi de Episcopi, vel Superioris licentia,& in casibus necessariis,aliquis ingredi præsumat,in Sessione 25. cano.5. prohibetur, hoc tantùm in illis monasteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipsis pleno iure subsunt, in quibus in casibus necessariis ipsi dare licentiam possint,& non in aliis monasteriis:ita vt in prefatis monasteriis,quę Ordiuariis ipsis pleno iure nō subsunt, ipsi Ordinarii illa ingredi non possint,prout in Regulis earum, seu de iure statuitur: 8 Et eis aliquos processus aduersus Moniales ipsas,seu fratres huiusmodi propterea, seu alias, ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis,quoquomodo formare, aut facere posse omnino prohibemus:ita vt aliquam iurisdictionem,seu aliud quodcunque dominium in moniales, & fratres huiusmodi respectiuè habere,exercere,aut exequi nullatenus possint,aut debeant, immò illas & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate, eximimus & liberamus, prout eis concessam est per sua Priuilegia a Sede præfata obtenta: & ita præfatæ moniales, ac fratres sint exclusi à superioritate, & iurisdictione Ordinariorum respectiuè huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum syndicis aut procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus,vel alia sibi non competentia facienda,vllatenus non se intromittant,nec etiam Ordinarii ipsi Regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subijcere, ac eorum conuentus occupare ipsos ab eis expellēdo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliquid aliud facere possint,vt suæ ditioni subijciantur:neque etiam se intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione conuentuum, tam fratrum, quam monialium huiusmodi,& illorum correctionibus,sed omnia ista,& alia necessaria ad correctionem, & gubernationem fratrum, aut monialium huiusmodi, eorum Generalibus, ac Ministris, seu Prouincialibus, vel alias eorum, aut earum respectiuè Superioribus, etiam ratione computa faciēdi cum syndicis conuentuum huiusmodi, omninò relinquantur, nec vllo modo in præmisis & aliis, fratres & moniales huiusmodi tangentibus,Ordinarii prædicti per se,vel alios se intromittant. 9 Fratres quoque,si contigerit eos ad huiusmodi Ordinarios recursum habere,à præfatis Generalibus, Ministris, seu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis & aliis suis Superioribus castigari, & puniri posse, & debere, neque ipsos Ordinarios, præfatis Superioribus ordinum huiusmodi vllatenus inhibere,quinimmò præfatos Superiores procesus contra fratres suos & moniales huiusmodi, quando opus fuerit, circa delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse decernimus, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. 10 Inhibemus etiam ipsis Ordinariis, ne fratres extra claustra degentes, sub eorum protectione recipiant, eosque inuitis suis Superioribus detineant. 11 Prohibemus quoque iisdem Ordinariis,ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum fratrum extra claustra suorum monasteriorum pro tempore degentiur,siue decedentium, & quamuis in habitu, siue absque habitu moriantur, volumus,quod eorum bona mobilia & immobilia ad Ordinem,quem profesi sūt, pertineant disponenda iuxta constitutiones seu ordinationes prætatorum Ordinū: neque illa Ordinarii prædicti occupare præsumant,immò huiusmodi, & ad habitum Religionis reuertētium, bona omnia monasteriis ipsis, cum ea, quæ acquirit monachus, de iure monasterio acquirantur,pertinere etiam decernimus. 12 Ac ipsis Ordinariis, ne quascunque vniones, etiam perpetuas à Sede prædicta, vel alias, vt præfertur, hactenus factas, & pro tempore faciēdas de Beneficiis Ecclesiasticis, seu illorum fructibus,quin suum sortiantur effectum,impediant,omnino etiam prohibemus, & censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris, vel momenti similiter de-

13 decernimus & declaramus. 13 Insuper volumus,
quod præfati Regulares, quibus cura animarum
inest, possint per se ipsos, iuxta suorum Superiorum
ordinationem, aut alios Vicarios, seu Capellanos se-
culares, ipsorum Regularium nutu amouibiles, ab
eis deputatos & ab Ordinario pro idoneis nomina-
tos, & approbatos, præfatam curam exercere, neque
in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius
partis fructuum consignatione pro præfatis Capel-
lanis, seu Vicarijs sæcularibus, si per tales curam
exerceri contigerit, Episcopi vllo pacto se intromit-
14 tant. 14 Prohibemus insuper eisdem Ordinarijs
ac alijs quibuscunque personis, ne impediant ipsos
fratres, quando eis placuerit, tam in diebus domini-
cis, seu festiuis, aut alijs totius anni temporibus, cam-
panas pulsare, & etiam tempore, quo ipsi celebraue-
rint, missas celebrare: necnon mortuorum corpora
associare, & illa per fratres ipsos, quando in Ecclesijs
suis præfatis delata fuerint, etiam absque præsentia
Rectorum Ecclesiarum huiusmodi sepeliri facere,
ac officia mortuorum huiusmodi peragi posse,
15 15 Necessariamque præsentiam Rectorum, aut
aliorum Clericorum, quin infirmi liberè sua conde-
16 re possint testamenta, minimè esse. 16 Ac ipsos Re-
gulares legata, aut quęuis alia sibi in testamentis re-
licta exigere, & obtinere posse, neque aliquod ius in
17 contrarium esse decernimus & declaramus. 17 Vo-
lumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an
scilicet coactæ, vel seductæ fuerint, examen facien-
dum, non nisi infra quindecim dies, postquam iuxta
Concilium Tridentinum Episcopi, vel eorum Vi-
carij requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis
amplius in hoc illis se intromittere non liceat: cuius
occasione, nec Episcopus, nec eius Vicarius intra
septa Monasteriorum ingrediantur, sed stent ante
cratem ferream, & interrogationes alias, quàm eas,
quæ præfatum Concilium Tridentinum iubet, eis
fieri omnino prohibemus: ac similitèr volumus,
quod puellæ, seu Nouitiæ ipsæ ad alias interrogatio-
18 nes respondere minimè teneantur. 18 Sess. verò
23. cap. 8. neminem, nisi à proprio Episcopo ordinari
posse statuens, in Regularibus locum non habere,
omnino declaramus, ita quod fratres huiusmodi
præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antistite,
gratiam & communionem Apostolicæ Sedis haben-
te, Ordinarij loci minimè requisita licentia, in locis,
seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere
19 possint. 19 Et insuper Sessionis 2. decretum, per
quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem domi-
nicis, & maioribus festiuis diebus conuenire debere
monet, insequendo, volumus, quod fratribus mendi-
cantibus huiusmodi, non solum prohiberi non pos-
sit, ne missas & alia diuina officia faciant in eorum
Ecclesijs, verū etiā in quibuscunq; alijs, vbi celebrari
missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id
20 requisitis, celebrare valeant. 20 Ac etiam, quod con-
ciones, & lectiones sacræ scripturæ, & sermones
pro mortuis, etiam in Ecclesijs suis facere, ac elee-
mosynas pro celebrandis huiusmodi missis, & alijs
diuinis officijs peragendis, si eis illas donari, seu con-
21 tingat, recipere. 21 Necnon Missas, & diuina officia
huiusmodi, etiam in diebus Dominicis, vel festiuis,
etiam antequàm Rector Parochialis Ecclesiæ cele-
brauerit, celebrare, & facere, & quando eis videbi-
tur, etiamsi tunc in Ecclesiâ Cathedrali prædicetur,
prædicare: ac etiam quicunque vtriusq; sexus Chri-
stifideles totius anni tempore, illas, & in illa Eccle-
siis Fratrum huiusmodi audire possint, ipsique
Christifideles, vllatenus desuper molestari, aut im-
pediri per locorum Ordinarios, seu Rectores Paro-
chialium Ecclesiarum, aut alios quoscūque vllo pa-
cto, causa, vel occasione nō valeant, seu debeant, sed
prętati Christifideles, audiendo Missas, & alia diui-
na officia in Ecclesijs Fratrum huiusmodi diebus
Dominicis, aut festiuis, præcepto Ecclesiæ de illis
audiendis satisfecisse censeantur. Ipsique Christifi-
deles Sacramentum Eucharistiæ (Resurrectionis
Dominicæ festiuitate duntaxat excepta) sumere,
eisque illud per Fratres huiusmodi administrare
valeat, nec ad aliud faciendum per locorum Ordi-
narios, aut Ecclesiarum Rectores præfatos, seu alios
quoscunque, illorum licentiâ minimè requisita,
etiam sub censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis cogi,
vel compelli possint, seu debeant, etiam decerni-
22 mus, & declaramus. 22 Et licet in sess. 25. cap. 25.
caueatur, quod censuræ, & interdicta Ecclesiastica,
etiam à locorum Ordinariis promulgata, mandan-
te Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis pub-
licari debeant; tamen si tempore celebrationis ali-
cuius ex festis Sanctorum Ordinum eorundem, ac
aliàs in aliis festiuitatibus, iuxtà eorundem Ordi-
num Priuilegia Apostolicâ, interdictum huiusmodi
emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus, & earum
23 octauis suspendimus. 23 Controuersias autem om-
nes de præcedentia, quæ eâdem sess. 23. ca. verò 13.
per Episcopum terminari mandantur, non nisi du-
rantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto
24 innouari posse statuimus. 24 Cumque licèt cap. 11.
sess. 25. statuat, quod in domibus virorum, seu mu-
lierum, quibus animarum personarum sæcularium
cura imminet, nulli etiam ad nutum amouibiles ini-
bi deputentur, nisi de Ordinarij consensu, ac præuio
examine huiusmodi precedente, ad curam huius-
modi admitti posse omninò volumus prętatos Re-
25 gulares. 25 Quartam autem funeralium, de qua
sessione 25. cap. 13. nequaquam soluere teneantur
Monasteria, quæ à quadraginta annis citrà fundata
existunt, postquàm ipsum Concilium loquitur tan-
tùm de Monasterijs ante annos quadraginta funda-
tis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt, &
vbi solui consueuit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ
in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore,
quo defunctorum corpora ad sepulturam deferun-
tur, non autem de Missis, seu legatis, vel alijs, Fratri-
bus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut aliàs
quomodolibet donatis solui debet: sicque intelligi
Concilij decretum, quoad quartam huiusmodi sol-
uendam, debere decernimus: vbi verò non est con-
suetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo su-
prascriptorum solui debere declaramus. Nec ad
quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ
etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planeta-
rum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis
Ecclesijs relinqui, vel dari contigerit, etiamsi pro
victu Fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid con-
tribuere teneantur. Ac etiam ius sepulturæ solui
tantùm consuetum Curatis, & non aliquid aliud eis
solui debeat, quamuis partes ad earum libitum, Ec-
clesijs Ordinum huiusmodi, seu eorum Fratribus
alia quęcunque tribuant, seu eleemosynas elargian-
tur, quando sepeliuntur ibidem corpora mortuo-
rum huiusmodi: nec propterea impediri debeant,
quin possint defunctorum corpora præfata, ad eo-
26 rum Ecclesias tumulanda deferri facere. 26 Inho-
nestum quoque esse censentes Mendicantium Or-
dines ad aliquorum onerum contributionem tene-
ri, illos, illorumque loca, etiamsi curam animarum
habeant, ac quæcunque beneficia illis vnita, ad con-
tributionem pro Seminario, aut decimarum aliqua-
rum solutionem, immò illos, & eorum domos, Mo-
nalte

nasteria, beneficia, & loca quæcunque, & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcunque, tàm ad ipsos, quàm ad Moniales prefatas etiam largitione fidelium, seu aliàs iustis de causis ab eis acquisita, ac pecunijs empta, vel alias quomodolibet pertinentia, minimè teneri: illosque, & illas, à quibuscunque decimis, primitijs, quartis, medijs, & alijs fructum partibus, necnon subsidijs charitatiuis, etiã per nos concessis, ad quorumcunq; etiam Regum, Principum, & Dominorum temporalium instantiam, quacunque, etiam vrgentissima, & de necessitate exprimenda causa, ac etiam alijs quibuscunque oneribus, tàm ordinarijs, quàm extraordinarijs, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum, beneficiorum, & aliarum quarumcunque rerum, tàm pro victu, quàm vestitu, aut aliàs sibi necessariarum quomodolibet, etiam authoritate Apostolicâ nunc, & pro tempore impositis, ita vt penitus, & omninò ad alicuius rei contributionem minimè teneantur, omninò eximimus, & liberamus: illosque, & illas ad illos, & illa, etiamsi sæculares, & aliæ personæ quæcunque in ea exigendi possessione fuerint, minimè teneri debere volumus: nec sub cap. 21. sess. 25. comprehendi posse, vel debere decernimus.
27 27 Quod verò de vsu quæstorum eleemosynarum auferendo loquitur sess. 21. cap. 8. id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse, vel debere etiam decernimus: quin potiùs cum ex eleemosynis huiusmodi viuere cogantur, eis id facere liberum omninò esse declaramus.
28 Quoniam verò ex nimiâ Episcoporum, sibi irrogatâ authoritate ipsi personas Regulares suæ iurisdictioni subijcere omninò student, ac decreto Concilij præfati sess. 25. cap. 14. edito, quo cauetur, quod si Regularis intrà claustra existens, & extra ea, ita notoriè deliquerit, vt populo scandalosus sit, termino ab Episcopo præfigendo, à suo Superiore omninò puniatur, sin minus, ab Ordinario delinquens puniri possit, confisi, varijs, indebitisque grauaminibus Regulares afficiunt, Ordinarios præfatos aliquid contra Regulares in claustris degentes huiusmodi, quouis prætextu, occasione, vel causa innouare, non posse, vel debere, nec aliquos processus contra ipsas personas Regulares formare, aut facere posse volumus, nisi propter manifestum scandalum, & suorum Ordinum Superioribus priùs consultis, & negligentibus: alioquin omnia, & singula contra præmissa facta, & gesta, ac facienda in futurum, pro nullis, & in-
29 fectis habeantur. 29 Licentias verò pro construendis domibus Regularibus, quę 4. cap. sess. 25. nisi de Ordinarij licentiâ construi prohibentur, gratis omninò dari, & non nisi legitima subsistente causa Su-
30 perioribus explicanda, illas recusari posse. 30 Necnon Fratres præfatos, etiam solos mortuorum corpora associare: ac Mandatum in die Cœnæ Domini fieri solitum, in Ecclesijs, seu domibus Fratrum cuiuslibet Ordinis prædictorum solemniter facere, & prædicta die prædicare hora, qua eis videbitur: nec per locorum Ordinarios, aut Rectores Ecclesiarum, seu alios quoscunque prohiberi posse, etiam
31 decernimus, & declaramus. 31 Mandantes etiam vniuersis locorum Ordinarijs, ne mortuorum officiâ agere Rectores Parochialium, in Ecclesijs ipsorum fratrum, contra illorum voluntatem permit-
32 tant. 32 Ac Moniales dictis Fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum Ecclesijs eligentes, nulla soluta Parocho portione, sepelire: vel si Fratres ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa absque Fratrum huiusmodi præsentia sepe-
33 liri facere audeant, vel præsumant. 33 Cumque maximè deceat liberam esse cuiusuis testantis voluntatem, prauum illum vsum, paruo adhuc tempore (vt prefertur introductum, per quem testamenta, absque Presbyterorum præsentia fieri interdi-
34 cuntur, omninò abrogamus. 34 Postremò quod ca. 13. sess. 25. cautum fuit, quod omnes scilicet, tàm Clerici, quàm Regulares quicunque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur; id quo ad Fratres præfatos de illis tantùm processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinẽ antiquam locorum, soliti sunt accedere; vel quæ pro bono pacis Ecclesia, vel pro victoria contra infideles indicuntur: quod etiam de illis conuentibus; qui collegia nũcupantur, minimè intelligi volumus, in quibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro canteut, nec ad mortuos accedant; sed tantum
35 studijs & lectionibus vacent. Præterea si forte inter Episcopos, vel collegia, aut capitula, vel alias quasuis personas, & Præfatos Fratres, seu Moniales, aut eorum aliquos super præmissis, vel aliquo eorum, coram quocunque, seu quibuscunque iudicibus, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tam in Romana Curia quam extra eam vbilibet lis, seu lites respectiuè pendeant, Nos litem, seu lites, & causam, vel causas huiusmodi ad Nos aduocamus, ac illam & illas, quarum statum, ac nomina, & cognomina iudicum, & collitigantium præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cassamus & extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponi-
36 mus. 36 Ac insuper, vt facilius præmissa omnia illibata persistant, omnia & singula Priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores & gratias, quæ decretis Cõcilij tridentini aliàs, quam vt superius est dictum, concessum & declaratum, nõ contrariantur expressè, eisdem fratribus, necnon Monialibus quibuscunque, & Sororibus Tertij Ordinis prædictorum Ordinum respectiuè, Ordinibus, ac illorum Ecclesijs, domibus & personis, etiam viuę vocis oraculo in genere, vel in specie, tam per recolendæ memoriæ Eugenium quartum, Xystum quartum, Leonem decimũ, Paulum tertium, ac dictum Paulum quartum, & Pium etiam quartum, quam alios quoscunque Romanos Pontifices etiam prædecessores Nostros, ac Nos & Sedem eandem quomodolibet concessa, cõfirmata & innouata: necnon Nostras, & prædecessorum Nostrorum, ac alias quascunque desuper confectas litteras, quarum omnium tenores, ac eorundem Prædecessorum Nostrorum nomina, & alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, etiam præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus: eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabilitèr obseruari debere, ac Fratribus, Superioribus, & personis Ordinum huiusmodi, necnon alijs quibuscunque, quos illa concer-
37 nunt, suffragari debere, seu posse volumus 37 Necnon Priuilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispensationes, exemptiones, fauores, & gratias, tàm spirituales, quàm temporales, modo, & forma, quibus concessa sunt, etiam per viam communicationis, & extensionis, actiuè, & passiuè, inter se, & alios quoscunque Ordines respectiuè, de nouo concedimus: illaque omnia, & singula, ad domos, & loca quæcunque dictorum Mendicantium Ordi-

Ordinum,& Monialium quarumcunque, ac Sororum de Tertio Ordine nnncupatarum, in Congregatione viuentium, dictorum Ordinum (vt prætertur) hactenus recepta, & in posterum recipienda: necnon eorum personas, & bona (etiamsi Priuilegiorum, & aliarum gratiarum prædictorum, authentica originalia, propter temporis antiquitatem, vel varias Vrbis ruinas, deperdita existant, dummodò de eis aliàs legitimè constet, extendimus, & ampliamus. Et sic in præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque Iudices, & personas, quauis authoritate fungentes, etiam Cardinales, & Auditores præfatos, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere: necnon quicquid secùs super his à quoquam, quauis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irritum, & inanè decernimus.

38 38 Quocirca dilectis filijs, Nostro Predicatorum Cardinali Protectori, & Sancti Hieronymi Generali Ordinum, ac Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, etiam Generali Auditori, nūc, & pro tempore existentibus, per Apostolicā scripta, Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum, aut Monialium, vel alicuius eorum, fuerint desuper requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, authoritate Nostrâ, præsentes, & in eis contenta huiusmodi, firmitèr obseruari, ac singulos, quos litteræ ipsæ concernunt, pacificè, frui, & gaudere, non permittentes eos, vel aliquem eorum desuper, contra præsentium tenorem, per quoscunque, etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis, seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, & Interdictum Ecclesticum apponendo, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, & alijs Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, Generalibus, vel specialibus constitutionibus, & Ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Episcopis, vel quibusuis alijs personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu simili, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas Generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficiētèr expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialitèr, & expressè derogamus: Necnon omnibus illis, quæ in litteris confirmationis, & innouationis Priuilegiorum eorundem, aliàs per eosdem Paulum quartum, & Pium etiam quartū Prædecessores Nostros prædictos, Ordini Fratrum Minorum huiusmodi concessorum, concessum est non obstare, contrarijs quibuscunque. Aut si locorum Ordinarijs, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspēdi, vel excōmunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret, earundem præsentium litterarum notitiam, ad quascunque personas peruenire, & vbique illas præsentare, etiam Motu, & scientiâ similibus, volumus, & decernimus, quod transumptis earundem præsentium litterarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, aut Sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ sigillatis, quemadmodum adhiberetur præsentibus litteris originalibus, si præsentarentur, vbiq; adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extrà illud, plena, & indubitata fides. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostrę declarationis, prohibitionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, suspensionis, statuti, decreti, mandari, abrogationis, auocationis, cassationis, extinctionis, impositionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, extensionis, ampliationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, sexagesimo septimo, decimo septimo Kal. Iulii. Pontificatus Nostri, Anno secundo.

59 Et deinde pro parte dilectorum filiorum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, Congregationum Lateranensis, & Sancti Saluatoris, ac Sanctæ Crucis Colimbriensis: & Monachorum Sancti Benedicti, Congregationis, & Ordinum Cassinensis, Montis Oliueti, Vallis Vmbrosæ, necnon etiam Congregationum Cisterciensis, & Carthusiensis, necnon Sancti Hieronymi Hispaniarum, ac Camaldulensis, & Fratrum Militiæ Iesu Christi reformatorum nuncupatorum Regni Portugaliæ, Nobis nupèr exhibita petitio continebar, quod ipsi etiam iuxtà eorum cuiuslibet Regularia instituta, tum vita eorum exemplari, tum doctrina, ac verbi Dei prædicatione, aliasque summis eorum laboribus, & studiis, animarum salutem, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatis, & authoritatis augmentum, hactenus semper procurauerunt, & in dies, circa hoc tam laudabile ministerium, magis ac magis versari non cessantes, sibi fauente Superni Numinis auxilio, suauissimum, cunctisque fidelibus gratissimū suæ probitatis, & diligentiæ latius diffundunt odorem, pariterque in vinea Domini, laborare non desinunt, ac proindè eos, aliqua ratione, indignos censeri non posse, quin ipsi quoque gratiarum, facultatum, Priuilegiorum, & aliorum præfatis Fratribus Mendicantibus concessorum, participes fieri; necnon ipsorum Monasteria, etiam Monialium, & alia loca quæcunque, ad gratias, facultates, Priuilegia ac alia in eisdem præinsertis litteris contenta quæcunque extendi, ac illis gaudere debeant. Quare pro eorundem Canonicorum, Monachorum, & Fratrum parte, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt eorum statui, & tranquillitati consulentes, eos, & eorum singulos, necnon suorum Ordinum, & Congregationum Monasteria, etiam Monialium, ac domos, & loca alia quæcunque, ad declarationes, statuta, exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbatio-

bationes, extensiones, & decreta, ac alias gratias, facultates, & Priuilegia quæcunque, prædictis Fratribus Mendicantibus concessa prædicta, ita vt illis omnibus, & singulis, æquè, & pariformitèr, absq; vlla penitùs differentia frui, & gaudere possint, & debeāt, extēdere, &(quatenus opus sit) illa eis de nouo concedere, aliasque sibi desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui omni, qua fieri potest, ratione commodiori, personarum quarumlibet, præsertim Deo dicatarum, animi quietem, syncreis exoptamus affectibus, singulos Canonicos, Monachos & Fratres prædictos à quibusuis censuris, & pœnis ecclesiasticis, quauis occasione latis, si quibus innodati existūt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluētes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Canonicos, Monachos, & Fratres prædictos, si professionem regularem, iuxta eorum statuta & laudabiles consuetudines, ac priuilegia & indulta eis concessa emiserint respectiuè, illorumque Monasteria etiam Monialium, necnon domos & loca alia quæcunque, ad singula declarationes, statuta & immunitates (à contributione, ratione Seminariorum pauperum clericorum, iuxta ordinationem dicti Concilij Tridētini erigendorum & instituendorum, necnon Subsidiorū Apostolica authoritate pro tempore impositorum, ac quęstuatione eleemosynarum duntaxat exceptis) exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extensiones, decreta, & alia quæcunque gratias, facultates, & Priuilegia, eisdem Fratribus Mendicātibus (vt præfertur) concessa, & facta, ac alia in præinsertis litteris contenta & inde secuta quęcunque, dicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus, eaque omnia, & singula eis concedimus & indulgemus: illosque declarationibus, statutis, exemptionibus, voluntatibus, prohibitionibus, approbationibus, extensionibus, decretis, & alijs gratijs, facultatibus & Priuilegijs huiusmodi, pariformitèr, & absque vlla penitùs differētia, prout dicti Fratres Mendicantes vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri & gaudere posse, atque debere, illaque omnia, & singula sibi, eorumq; Monasteriis, domibus & locis huiusmodi, eorumq; Superioribus, & personis quibuscunque, quas illa concernunt, & pro tempore concernent, suffragari, necnon modo, & forma, quibus prędictis Fratribus Mēdicantibus concessa, & facta sunt, concessa, factaque esse, necnon ad singula Monasteria, domos, & loca quæcunque dictorum Canonicorum, Monachorum, & Fratrum, necnon Monialium, Congregationum, & Ordinum prædictorum, in Congregatione viuentium extensa & ampliata censeri, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & personas, etiam S.R.E. Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quāuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, necnon quicquid secùs super his à quoquam, quāuis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus & dilectis filiis, eiusdem S. R. E. Cardinalibus, dictorum Ordinum, & Congregationum huiusmodi respectiuè, nunc, & pro tempore, Protectoribus, per Apostolicā scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Canonicorum, Monachorum, & Fratrum, aut Monialium huiusmodi, vel alicuius eorum, fuerint desuper requisiti, solemnitèr publicātes, eisque in præmissis efficacis defensionis presidio asisistentes, faciant, authoritate nostra, præsentes, & in eis contenta huiusmodi, firmitèr obseruari, ac singulos, quos litteræ ipsæ concernunt, pacificè frui, & gaudere: Non permittentes eos, vel aliquem eorum desuper, tàm contra presentium litterarum, quam præinsertarum tenorem, per quoscunque etiam locorum Ordinarijs, quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, & alijs Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiā iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quāuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Episcopis, aut quibusuis alijs personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiā Motu proprio, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quęuis alia expressio habenda, aut aliqua aliā exquisita forma, ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi presentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialitèr, & expressè derogamus, contrarijs quibuscūque. Aut si locorum Ordinarijs, vel quibusuis alijs, communitèr vel diuisim, à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vèl excommunicari nō possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficilè foret, earundem præsentium notitiam, ad quascunque personas peruenire, & vbique illas præsentare, etiam dicta authoritate Nostra, volumus, & decernimus, quod transumptis illarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, siue sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cōstitutæ sigillatis, prout eisdem præsentibus adhiberetur, si præsentarentur, vbique adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extrà illud, plena, & indubitata fides. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ absolutionis, extensionis, ampliationis, concessionis, indulti, ac voluntatis, mandati, necnon derogationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo, quingentesimo, sexagesimo septimo, decimo septimo Kal. Septembris. Pontificatus Nostri Anno secundo.

CON-

# CONSTITVTIO CCCLX.

## SVMMARIVM.

1567. oct. 23.

## PIVS PAPA V.

*Spolia Monachorum Cisterciensium ad propria Monasteria, non autem ad Cameram Apostolicam, seù ad Commendatarios Monasteriorum, spectare decernit.*

*Ex Bullario Romano Pij V. const. 46.*

PIVS Papa V. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum Pontificem Iustitiæ supremum assertorem, ad ea libentèr intendere, per quæ gratiæ à Sede Apostolicâ in fauorem quarumcunque, præsertim, Religiosarum Personarum, pro tempore emanatæ, suum, vt par est, consequantur effectum, & vt id faciliùs subsequi possit, dubijs, & difficultatibus, quæ super indè, pro tempore, oriuntur, aliquando per declarationis, quandoque verò per alia remedia prouidere. Sanè, cum sicut dilecto filio Hieronymo dela fouchiere Abbate Generale, vel pro eo dilecto filio Dionysio Laceronis Procuratore, & Vicario etiam Generale Cistercien. Ordinis referente, accepimus, in statutis, & consuetudinibus, etiam iuramẽto, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ firmitate roboratis, dicti Ordinis, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis; eidem Ordini concessis, ac per felicis recordationis Pium Papam IV. prædecessorẽ Nostrum, & Sedem Apostolicam confirmatis, inter alia disponatur, quod in Spolijs, rebus, & bonis Monachorum Ordinem ipsum professorum in quibusuis locis, & Monasterijs, prò tempore, accedentium eorum Abbates, & Priores, Commendatarij prò tempore existentes, se intromittere nequeant, sed illa Monasterij, seu Prioratus, aut loci in quo dictum Ordinem expressè professi fuerint, & seu eos decedere contigerit, Conuentuali Mensæ applicari, & incorporari debeant. Defuncto tamen Superioribus diebus in Monasterio de Casâmari eiusdem Ordinis Verulan. Diœcesan. quod dilectus filius Fuluius Philonardus Clericus in Commendam ex concessione, seu despensatione Apostolicâ obtinet quondam Antonio Pollutio, ipsius Monasterij Priore, Præfatus Fuluius, & quidam Cameræ Apostolicæ Procurator, aut Commissarius, ipsius Antonij bona, vt ipsa forsan in proprios vsus conuertere possint, apprehendere, & sibi appropriare contendant, in grauem ipsius Monasterij Conuentualis Mensæ iacturam, præiudicium, & grauamen. Nos cupientes, vt ea, quæ per Prædecessores Nostros, & Sedem præfatam roborata dicuntur, firmitèr obseruentur, ac finem huiusmodi contentioni, futuris autem, quantum cum Deo possumus, obuiare volentes, eosdemq; Hieronymum Abbatem, & Dionysium, ac singulos Monachos Ordinis huiusmodi à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, Motu proprio, non ad ipsorum seù alicuius alterius, pro eis Nobis supèr hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostrâ merâ liberalitate; Quod de cætero, tàm præfatus Fuluius, quam quicumque alij Commendatarij quorumcũque, Monasteriorum, & Prioratuum, vel aliorum locorum dicti Ordinis, tàm citrà, quàm vltrà montes, & in quibuscumque Mundi partibus consistentium, & quicumque Nostri, & Cameræ præfatæ Commissarij, & Procuratores, quomodocunque, in Spoliis, bonis, & rebus, quæcunque sint, tàm præfati Antonij, quàm aliorum quorumcunque Monachorum dicti Ordinis in ipsorum Commendatariorum Monasterijs, Prioratibus, locis, & Iurisdictionibus, prò tempore, decedentium, se intromittere nõ possint, sed illa ad Monachos Monasteriorum, seu Prioratum, vel locorum huiusmodi, & seu eorum Conuentualem Mensam coniunctim, vel diuisim pleno iure spectare, & pertinere, ac eorundem Monachorum, seu Mensę fore, & esse, eorumque possessionem realem, & actualem adipisci, & continuare; ipsosque Monachos desupèr per quoscumque Commendatarios, etiam prætextu cuiusuis indulti, seu concessionis sibi desupèr facti, aut consuetudinis antiquitùs obseruatę, & seù præfatum Commissarium, seù quosuis alios, quâuis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari non posse, neque debere, auctoritate Apostolicâ, per præsentes decernimus, & declaramus; illaque, quatenùs opus sit, eisdem Monachis concedimus, & assignamus.

Necnon, tàm Fuluio, quàm quibusuis alijs Commendatarijs, & Commissarijs præfatis, ne in Spolijs, rebus, & bonis, pro tempore decedentium Monachorum huiusmodi directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio se de cætero intromittere audeant, vel præsumant, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ, & aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, etiam pecuniariis, arbitrio infrascriptorum Iudicium infligendis, & moderandis districtiùs inhibemus.

Ac tàm Venerabili Fratri Episcopo Soranen. & dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ præfatæ Auditori Generali, quàm quibusuis alijs Iudicibus, quâuis auctoritate fungentibus, per quos in præmissis, vt præfertur, & non aliàs, sublata eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi facultate iudicari debere volumus, per præsentes, motu simili mandamus, quatenùs ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seù alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès pro parte Hieronymi, & pro tempore existentis eiusdem Ordinis Abbatis, seù Dionysij, & Monachorum huiusmodi fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis, ac tàm dicti Antonij defuncti, quàm quorumcunque aliorum Monachorum dicti Ordinis decedentium Spolijs, & bonis, eorumque (cum Monachi ipsi decesserint) possessione adipiscenda, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Abbatem, & Monachos ipsos Statutis, Priuilegiis, & indultis, quoad dicta spolia, res, & bona, nec non decreto, declaratione, concessione, & assignatione, ac inhibitione præfatis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desupèr per quoscumque, quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pęnas Ecclesiasticas præfatas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo. Et nihilominùs legitimis super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pęnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam

etiam adhoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus Piæ Memoriæ Bon. Papæ VIII. etiã Prædecessoris Nostri de vnâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo vltrà tres, quis vigore præsentium, ad iudicium non trahatur, & aliis Apostolicis, necnon Prouincialibus, & Synodalibus Cõstitutionibus, & Ordinationibus, à quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, tàm Ordini, & Commendatariis præfatis, eorumque Superioribus, & personis, quam Cameræ præfatæ, ac quibusuis illius Commissariis, & Procuratoribus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Consistorialitèr concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs ommisso, & forma in illis tradita, obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, specialitèr, & expresè derogamus, cęterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 23. Octobris 1567. Pontific. Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLXI.

### SVMMARIVM.

1567 *Nouemb.* 18.

### PIVS PAPA V.

*Mendicantium Priuilegia concedit Congregationi Fratrum Iesuatorum S. Hieronymi.*

*Bull. Rom. Pij V. Constit.* 50.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex Priuilegia Religiosis Altissimo famulantibus à Sede Apostolicâ concessa, illis nedum conseruare, sed alijs etiam Religiosis concessa ad eos, quandoque extendere, & ampliare consueuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè sicut accepimus, licèt inter alia Priuilegia dilectis filijs Congregationi Fratrum S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatorum, cuius Fratres illam pro tempore ingredientes professionem per Religiosos Ordinis S. Augustini emitti solitam, expresè emittere, & in communi viuere soliti sint, concesa etiam omnia, & singula Priuilegia, exemptiones, immunitates, gratiæ, & indulta Ordini Eremitarum eiusdem S. Augustini, & illius professoribus, ac forsan alijs Ordinibus Mendicantium concessa, ad ipsam Congregationem, & illius Fratres, eorumque domos, & Ecclesias per Sedem Apostol. extensa, & ampliata fuissent. Et propterea Congregatio huiusmodi, & illius Fratres, dictis Priuilegijs gaudere, & sub Mendicantium numero comprehendi debeant, nec super præmissis à quoquam molestari possint. Cumq; nos nupèr in quedam declaratione per nos super Mendicantium Fratrum Ordinibus, certis tunc expressis, de causis facta, vltrà S. Dominici, & S. Francisci, ac Eremitarum S. Augustini, necnon Carmelitarum, Mendicantium Ordines, solum in illis Ordinem B. Mariæ Seruorum inseri voluerimus. Et propterea facilè à quibusdam dubitari merito posset, quod si dictam Congregationem, & illius Fratres sub illis comprehendi voluissemus, nos specialem etiam de illis omninò fecissemus mentionem. Nos itaque attendentes, eos cum actu mendicent, non nisi honesta de causa in Mendicantium Ordinibus huiusmodi esse adscriptos, ac propterea sua Priuilegia huiusmodi illæsa conseruare volentes, ac quarumcunque litium, & causarum status, & merita, ac nomina, & cognomina Iudicum, coram quibus illæ pendent, & collitigantium, aliorumque, necnon quorumcunque Priuilegiorum, indultorúm, exemptionum, & immunitatum ipsi Congregationi concessorum, tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad ipsius Congregationis, vel illius Fratrum, aut alicuius ex eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, ac ex certa scientia, & de eiusdem Sedis potestatis plenitudine, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & aliàs gratias, tàm per nos nuper, quàm quoscunque Rom. Pontifices prædecessores, & Sedem eandem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, eorum omnium ac desuper, & tàm sub plumbo, quàm in forma breuis confectarum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, ad ipsam Congregationem Iesuatorum, illiusque Fratres, domos, Ecclesias, & loca quæcunque de nouo quoad ea, quæ eorum Regulæ, & modo viuendi non repugnant tantum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium extendimus, & ampliamus. Ipsosque verè Mendicantes, & sub Mendicantium Ordinibus esse, & comprehendi debere, necnon omnia, & singula Concilij Tridentini decreta pro Mendicantibus huiusmodi declarata, & modificata, etiam pro Congregatione huiusmodi, eiusque Fratribus declaramus, & modificamus. Districtiùs inhibentes quibusuis locorum Ordinarijs, ne dictam Congregationem, illiusque Fratres contra eis sic concessa Priuilegia molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant. Decernentes quoq; præsentes litteras, vllo vnquam tempore de subreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenùs posse, minusue sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, & alijs contrarijs dispositionibus, tàm per Nos, quàm etiam successores Nostros, quomodolibet, ac etiam cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcunque tenorum existant, includi, sed illis non obstantibus in suis robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, totiès in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & sub data etiam per ipsos eligenda de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis Nostrę esse. Et ad hoc, vt perpetua roboris firmitate subsistant, vim validi & efficacis contractus inter Sedem Apostolicam, & præfatos Ordines Mendicantiũ, &

Congregationem huiusmodi illiusque Fratres habere debere. Sicque per quoscunque Iudices, & Cõmissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari debere, irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus Fratribus Amerin. & Maceraten. Episcopis, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes, Motu simili, committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alius præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, dum, & quando, ac quoties opus fuerit, & pro parte Congregationis, vel illius Fratrum huiusmodi, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra eos, & eorum quemlibet dictis Priuilegijs, exemptionibus, facultatibus, gratijs, & indultis, dictis Ordinibus Mendicantibus concessis, pacificè frui, & gaudere, ac præsentes litteras obseruari, non permittentes eos desuper, per quoscunque, quomodolibet molestari perturbari, aut inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras utiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, & fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis, auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac quibusuis litis pendentijs, quas nos harum serie ad nos auocamus, illasque extinguimus, & litigantibus huiusmodi perpetuum silentium imponimus, ac Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalib. Concilijs editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogarorijs, irritantibus, & alijs decretis, ac clausulis, etiam motu proprio, etiam cõsistorialiter, & de Fratrum Nostrorum consilio concessis, confirmatis, & pluries innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenorib. specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18. Nouembris 1567. Pont. Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLXII.

### SVMMARIVM.

1569. Dec. 8.

### PIVS PAPA V.

*Priuilegia Congregationum, & Ordinum quorumcumque Mendicantium, & Non Mendicantium Congregationi Canonicorum S. Georgij in Algà, communicat.*

*Bullar. Rom. t. 2. Pij V. Const. 92.*

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex incumbenti Nobis Apostolicæ seruitutis officio, quorumlibet Ecclesiasticorum, præsertim Religiosorum locorum, illorumque personarum in viâ mandatorum Domini ad illius honorem, & gloriam deambulantium, ac in pio, laudabilique illarum proposito permanentium directioni, prosperoque statui assiduè intenti, illa propterea quæ prouidè statuta dignoscuntur, quò firmiùs persistant, libentèr Apostolici muniminis præsidio, sublatis quibusuis obstaculis roboramus; personas ipsas paternis confouendo affectibus. Sanè, cùm sicut accepimus dilecti filij Rector Generalis, & Canonici Congregationis S. Georgij in Algâ Venetiarum, qui in eorum Capitulo, in Monasterio, seu Domo S. Saluatoris in Lauro de Vrbe, Congregationis huiusmodi, nouissimè celebrato, tamquam Nostri, & Apostolicæ Sedis obedientiæ filij, præcepto per Nos eis aliàs facto super professione regulari, vt eam, qui in huiusmodi Congregationem de cetero degere vellent, profiterentur, obtemperando, illam professionem, debitâ cum riuerentiâ, acceptarunt, in eorum Monasterijs, siue domibus religiosè, & laudabilitèr, prout hactenùs vixerunt, de cœtero viuere, & gratum Altissimo famulatum impendere intendant. Nos Rectoris, & Canonicorum ipsorum laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, & quò liberiùs in pace, & tranquillitate, iuxtà eorum instituta, viuere possint, impedimenta, si quæ sint, de medio tollere, ipsosque Rectores, & Canonicos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, ac illos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; necnon Constitutionum, Regularium, statutorum, priuilegiorum, indultorum, & aliarum concessionum, ac gratiarum infrascriptorum, omniumque in contrarium, aut præiudicium illorum, seu Congregationis huiusmodi, ac litterarum, etiam in formâ Breuis, etiam Motu proprio, vel aliàs quomodolibet desuper concessorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso insererentur, præsentibus pro expressis habentes, motu simili, non ad ipsorum Rectoris, & Canonicorum, vel alicuius eorum, aut quorumuis aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, & merâ deliberatione Nostris, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, perpetuò omnes, & singulas Constitutiones,

tiones, ac ritus, & mores, aliaque Regularia ipsius Congregationis instituta, quoad ea quæ Sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini contraria non sunt; ita quod Rector, & Canonici prædicti in Processionibus, & actibus publicis præcedant prout antea soliti erant; necnon concessiones, gratias, Priuilegia, & indulta ipsis Congregationi, ac Rectori, & Canonicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem eamdem, principalitèr, siue per viam communicationis, aut aliàs quomodolibet concessa confirmamus, ac illa de nouo, nec non etiam omnia alia per ipsos Prædecessores Nostros, ac Nos, quibusuis Ordinibus, ac Religionibus etiam Fratrum Mendicantium hactenùs quomodolibet concessa, & quæ de cætero concedentur, eisdem Rectori, & Canonicis, ac Congregationi gratiosè concedimus, ac confirmata, & concessa esse volumus: Nec non omnia etiam per Prædecessores prædictos, & Nos, etiam per quascunque, etiam in formâ Breuis litteras in contrarium præmissorum, seu ipsius Congregationis, & Priuilegiorum eidem concessorum præiudicium, quomodolibet, etiam hactenùs concessa, reuocamus, irritamus, & annullamus, ac irrita, & nulla esse, nec non quicquid a dicto Rectore, & dilectis filijs Patribus Capitibus Congregationis huiusmodi nuncupatis, factum, seu definitum fuerit, obseruari volumus, ac perpetuò statuimus, & ordinamus. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr attentare contigerit, irritum, & inane decernimus, ac ità mentis, & voluntatis Nostræ incommutabilis esse volumus, & declaramus. Quocirca Venerabili Fratri Nostro Episcopo Amerino, & dilectis filijs S. Georgij Maioris Venetiarum, ac S. Iustinæ Paduanæ Monasteriorum Abbatibus per Apostolicâ scripta, Motu pari, mandamus, quatenùs ipsi vel duo aut vnus eorum per se, aut alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès pro parte Rectoris, & Canonicorum prędictorum, fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, ac illis, & illorum singulis in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate Nostrâ præmissâ obseruari, ac Rectorem, & Canonicos prædictos confirmatione, concessione, voluntatibus, statuto, ordinatione, decreto, & declaratione huiusmodi pacificè frui, & gaudere; non permittentes eos, & illorum singulos, desupèr per quoscunq; contrà prȩsentium tenorem quomodolibet, indebitè molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias ipsorum, vel cuiuslibet ipsorum, eorum arbitrio imponen: moderan: & applican: aliaque opportuna iuris remedia compescendo necnon legitimis ad hoc seruatis habendis, processibus, illos censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarando, ac ipsas censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inter dictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus prȩmissis, ac quibusuis Apostolicis, nec non in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione

*Append. ad Tom. I. Bull. Cas.*

Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, consuetudinibus, priuilegiis, quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis Ordinibus, & illorum Superioribus, ac aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam per Prædecessores Nostros prædictos, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu, scientiâ similibus, concessis, confirmatis, approbatisque, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, ac totis eorum tenoribus specialis, specificâ, expressâ, & indiuiduâ, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis sufficientèr habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, & illis derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim â dictâ Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non posśint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1569. tertio Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno quarto.

## CONSTITVTIO CCCLXIII.

### SVMMARIVM.

1570. *Augusti* 23.

### PIVS PAPA V.

*Nouitias Monialium Ordinis Prædicatorum, in articulo Mortis constitutas, posse Professionem in manus suarum Superiorum emittere, dummodò existant in ætate legitimâ pro emittendâ Professione, concedit.*

*Bull. Rom. tom. 2. Pij V. Const. 109.*

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Summi Sacerdotij cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa, requirit, vt votis illius, per quæ animarum Christi fidelium, præsertim Sanctimonialium, virtutum Domino, sub suaui Religionis iugo, virgineaque perpetuæ castitatis laureola, famulantium, saluti, spiritualique consolationi consulitur, libentèr annuamus, illaque fauoribus prosequamur opportunis. Sanè exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Monialium Nouitiarum nuncupatarum, ad Regulam profitendam Ordinis Sancti Dominici Fratrum Prædicatorum, petitio continebat. Quod quoniam aliquando accidit, vt illæ, durante tempore probationis illarum ad emittendum professionem Regularem, & ante illius omissionem, ab hac vita migrare, & in dicto tempore probationis, obstantibus constitutionibus, siue statutis, & ordinationibus dicti Ordinis, non valentes dictam Professionem emittere, carent cælesti merito, quo ex dono, benignitate Sedis Apostolicæ cæteræ dicti Ordinis Moniales professæ in di-

cta professione, & Regulâ decedentes, gaudent. Quare nobis humilitèr supplicari fecerunt, vt sibi in præmissis opportunè prouidere ex benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur (qui salutem animarum dictarum Monialium Nouitiarum, sic ante professionis emissionem, & durante tempore probationis earundem decedentium syncero desideramus affectu) ipsasque Moniales Nouitias, & earum singulas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pęnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Monialibus Nouitijs, nunc, & pro tempore existentibus, & earum singulis, vt quãdo, & quotiès aliqua ex eis nondum professa, de alicuius Medici consilio, ab hoc sæculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animę suę, professionem prędictam ante tempus requisitum (quatenus tamen ætate legitima constituta sit) ad illam emittendam, in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ, vel alterius Superioris Nouitiarum ipsius Monasterij, seu Domus, ita tamen, quod ipsæ Moniales Nouitiæ sic decedentes, Indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè professæ decedentes consequũtur, consequi possint, emittere in articulo mortis liberè, & licitè valeant, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò concedimus, & indulgemus. Necnon eisdem Monialibus Nouitijs ita tunc professis decedentibus, plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem in forma Iubilęi misericorditèr in Domino, eisdem auctoritate, & tenore largimur. Ac concessionem indultum, & elargitionem huiusmodi, ac præsentes litteras, sub quibusuis similium, vel dissimilium indulgentiarum, & gratiarum suspensionibus, reuocationibus, & limitationibus, etiam in fauorem quorumcunq; factis, & faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & de nouo concessas existere, ipsisque Monialibus, & professionem emittentibus suffragari posse. Et sic per quoscunque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, & Sacri Palatij Apostolici causarum Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secùs super his, à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inanè decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterij, seu Domus, & Ordinis huiusmodi, etiam iuramento confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, pręsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 2. Augusti, 1570. Pontificat. Nostri Anno quinto.

## CONSTITVTIO CCCLXIV.

### SVMMARIVM.

1571. *Martij* 30.

### PIVS PAPA V.

*Congregationi Eremitarum Beati Petri de Pisis, sub Regulâ S. Augustini, Priuilegia Ordinum Mendicantium, communicat.*

*Bullar. Rom. Pij V. Const.* 125.

PIVS Papa V. Dilectis Filijs Congregationi Fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis, Ordinis Sancti Hieronymi. Religionis zelus, eximiumque Regularis Obseruantię desiderium, ac illibatus sinceræ deuotionis ergà Nos, & Sedem Apostolicam affectus, quibus in Domino flagrare comprobamini, promerentur, vt Nostram quoque, & Sedis prædictæ paternam sentiatis benignitatem, & clementiam. Hinc est, quod Nos Congregationem vestram Fratrum Eremitarum Beati Petri de Pisis, Ordinis Sancti Hieronymi, dictosque Fratres, & alias eiusdem Congregationis personas, aliquâ Nostrà, & dictæ Sedis beneuolentiâ amplecti, ac specialibus, fauoribus, & gratijs prosequi volentes, Motu proprio, non ad vestram, aut alicuius vestrum, seu alterius prò vobis, super hoc Nobis oblatę petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate, & ex certâ scientiâ Nostrâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Priuilegia, facultates, libertatęs, immunitates, exemptiones, prærogatiuas, indulta, & alias gratias vniuersas, spirituales, & temporales, vobis, & dictæ vestræ Congregationi, illiusque Capitulo, & personis, ac Monasterijs, & locis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & etiam forsan Nos, ac Sedem prædictam, & etiam illius Legatos, necnon etiam locorum Ordinarios quorumlibet hactenùs, & in præsentem vsque diem, ac etiam à quantumuis antiquo tempore concessa (quatenus Sacri Tridentini Concilij decretis, & Regulari Obseruantiæ contraria non sint, & quoad ea, quæ decretis Concilij, & Regulari Obseruantiæ huiusmodi non contrariantur, necnon desuper confectas litteras, instrumenta, documenta, & scripturas, quascumque, & in eis contenta, ac indè secuta, & sequenda quæcumque; illarum, & illorum, ac præmissorum omnium, & aliorum necessariorum tenores, & etiam datas, cum indè secutis, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus prò plenè, & sufficientèr expressis, & insertis habentes, & haberi decernentes, Apostolicà auctoritate, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, ac innouamus, & etiam de nouo perpetuo concedimus; necnon illis plenariæ, inuiolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur adijcimus, omnesque, & singulos, tàm iuris, quàm facti, & quoscumque alios defectus, si qui forsan interuenerint, quomodolibet in eisdem supplemus; illaque valida, & efficacia fuisse, esse, & perpetuò fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; necnon vobis, & Congregationi vestræ prædictæ, illiusque Fratribus, personis, Monasterijs, & locis suffragari, ac ab omnibus, & singulis, quos ea quomodolibet concernunt, & prò tem-

tempore concernent inuiolabilitèr,perpetuò obseruari debere, vosque, & Congregationem vestram, ac illius Fratres,personas,Monasteria, & loca,super præmissis, & infrascriptis, per quoscunque, quâuis auctoritate quomodolibet molestari, vel impediri non posse decernimus, et declaramus. Districtiùs etiam inhibentes,omnibus, & singulis, personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis,vel conditionis vbilibet existentibus,in virtute Sanctæ Obedientiæ,& sub indignationis Nostræ, ac aliis arbitrij nostri pœnis, ne vos, aut aliquem, vestrum super præmissis per sè,vel alium,seu aliàs publicè,vel occultè,directè,vel indirectè, quouis quæsito colore,vel ingenio quomodolibet molestare inquietare,impedire, vel perturbare audeant,seù præsumant. Ac insupèr de Omnipotentis Dei misericordiã, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi,vobis,& dictæ vestræ Congregationi,illiusque Fratribus,& personis,ac vestrũ, & eorum singulis plenariam omnium peccatorum vestrorum indulgentiam,& remissionem à culpâ,& pœnâ in formâ Iubilæi amplissimâ, quarto die Dominico cuiuslibet quadragesimæ in perpetuam rei memoriam professionis trium votorum, quam vos Fratres dictæ Congregationis,præeunte dilecto filio Fratre Ioanne Baptista de Monselice,vestro,& huius Congregationis Generali,prompto,& libenti animo in manibus Nostris solemnitèr sub Regulâ Sancti Augustini, & sub constitutionibus dictæ Congregationis,Romæ in Ecclesiâ Monasterij Sancti Honufrij die decimâ Octauâ Mensis Martij;Anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi noni, emisistis, eisdem auctoritate, & tenore misericorditèr in Dominò perpetuò concedimus,& impertimur. Et præterea vos,& eamdem Congregationem vestram, illiusque Fratres,& personas,ac Monasteria,& loca, Bullæ confirmationis,nouæque concessionis priuilegiorum, omnium Ordinum Mendicantium per Nos nuper,seu dudum editæ,illius etiam tenores,& datam cum indè secretis præsentibus pro plene, & sufficientèr expressis, & insertis habentes, in omnibus,& per omnia,ac ad instar dictorum Ordinum & æquè principalitèr,ex nunc,& perpetuò,auctoritate,& tenore prędictis aggregamus,ac proaggregatis haberi, censeri, & teneri in iudicio, & extraiudicium vbilibèt,volumus,declaramus,& Mandamus. Præsentes quoque de subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quouis alio defectu notari, vel impugnari, seù aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, suspendi, vel reuocari, seu eis in aliqno derogari nullatenùs vmquam posse,sed illas semper validas,& efficaces existere,ac suos plenarios,& integros effectus sortiri,& obtinere,nec non ab omnibus, & singulis,quos ea quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent,inuiolabilitèr,vt præfertur obseruari,sicque etiam in præmissis,& supradictis omnibus,& singulis ab omnibus censeri. Ac ità per quoscumque Iudices, & Commissarios, quâuis auctoritate fungentes,etiam locorum Ordinarios, etiam tamquam à Sede Apostolicâ delegatos,nec non etiam Rotę Auditores,seu Locatenentes,ac S.R.E.Cardinales, etiã de latere legatos, seu Nuncios, eorumque Vicelegatos,sublatâ eis,& eorum cuilibet, quàuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quâuis causâ,& instantiâ,iudicari,sententiari,& diffiniri debere,nec non quicquid super his à quocumque,quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus.Quocircà dilectis filijs Curię causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Sedis Apostolicæ Legatis etiam de latere, & Nuncijs vbilibèt,nunc,& pro tempore existentibus,pręsentibus,& futuris,per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi vel duo,aut vnus,eorum,si,& postquã præsentes Nostræ litteræ eis præsentatæ fuerint, per se,vel alium,seu alios,litteras ipsas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès super hoc pro parte vestrâ, aut alicuius vestrum fuerint requisiti, solemnitèr publicantes vobisquæ, & cuilibet vestrum in præmissi, efficacis defensionis præsidio assistentes,faciant,auctoritate Nostrâ,præsentes litteras,& in eis contenta huiusmodi,firmitèr obseruari, vosque, & quemlibet vestrum illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes vos, aut vestrum quempiam per quoscumque desupèr contrà earundem præsentium tenorem desupèr, quomodolibet indebitè molestari; Contradictores quoslibèt, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia,appellatione postpositâ compescendo, ac legitimis supèr his habendis,seruatis, processibus, censuras,& pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus fęlicis recordationis Bonifaci j Papę Octaui prædecessoris Nostri, quâ cauetur, ne quis extrà suam Ciuitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltrà vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seù ne Iudices à Sede Apostolicâ deputati,extrà Ciuitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint,contrà quoscumque procedere, seù alij, vel aliis vices suas committere præsumant, ac in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò vltrà tres dietas aliquis, auctoritate præsentium ad Iudicium non trahatur, & quibusuis aliis Apostolicis,ac vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus, specialibus, vel generalibus constitutionibus,& ordinationibus, necnon etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam quibusuis personis, & locis in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis, necnon irritantibus,& aliis decretis,ac etiam motu, scientiã,& potestatis plenitudine similibus, & etiam consistorialitèr,ac aliàs quomodolibet,etiam iteratis vicibus, concessis,approbatis,& innouatis; quibus omnibus, etiamsi prò illorum sufficienti derogatione,aliàs de illis,eorumque totis tenoribus,specialis, specifica, indiuidua,& expressa,ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma,ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs ommisso,& forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, harum serie specialitèr, & expressè derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eâdem sit, Sede indultum, quod interdici, suspendi,vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas,non facientes plenam, & expressam, ac de verbo, ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum,sub annulo Piscatoris die trigesimâ Martij, Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri Anno 6.

CON-

# CONSTITVTIO CCCLXV.

## SVMMARIVM.

1571. Iulij 7.

## PIVS PAPA V.

*Clericis Regularibus Societatis Iesu, Priuilegia Ordinum Mendicantium communicat.*

*Ex Bull. Rom. Pij V. Const. 131.*

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Dum indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantum Christianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint Dilecti filij Presbyteri, Societatis Iesu, ac planè conspicimus, eos verè mundi huius relictis illecebris, adeò Seruatori suo se dedicasse, vt conculcatis thesauris, quos ærugo, & tinea comedit, lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint, ac eorum aliquos, ità Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, Martyrio voluntario se supposuerint, per quæ eorum spiritualia exercitia, etiam regna ipsa, Fidem Christi agnouerint, ac tàm inibi, quã vbique terrarum Charitatis, & misericordiæ opera exercere studeant; facere nullo modo possumus, quin eos, tamquàm veros palmites in Christo, per Charitatem coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi specialitèr concedamus, quæ, & Paupertatis, per eos emissæ, voto, et eorum instituto, ac commoditati, credimus profutura. Hinc est, quod Nos attendentes, quod licet, Dilecti filii Præpositus generalis, et Presbyteri Societatis huiusmodi, tum quia ipsa Societas Mendicans existit, quippe, quæ ex eius Instituto, & Constitutionibus, Apostolicâ auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed in certis eleemosynis, fideliumque largitionibus, et subuentionibus viuit, tum quia non minùs, quàm cæteri Mendicantes in excolendâ vineâ Domini, assiduè laborant fructusque ingentes, & salutiferos producunt, ac propterea eisdem Priuilegijs, indultis, & gratijs Fratribus Mendicantibus hactenùs concessi vti, frui, potiri, & gaudere meritò possint, ac debeant. Cum tamen illud aliquando in controuersiam, deduci posset, ex eo quod dicta Societas, Collegia habeat secum adiuncta. Nos ambiguitatem huiusmodi, omninò amputare volentes, easdemque Præpositum, & Societatem, eorumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon dictæ Societatis Instituti, Constitutionum, & dispositionum, tàm de iure, quàm ab homine prouenientium, necnon Priuilegiorum, immunitatum, indulgentiarum, & gratiarum Mendicantibus Fratribus huiusmodi quomodolibet concessorum, ac litterarum desupèr confectarum tenores, præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio, non ad ipsorum Præpositi Generalis, & Societatis, vel alicuius eorum, aut alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex merâ liberalitate, & certâ scientiâ Nostris, illam, & illius Præpositum, ac singulas Personas Societatis huiusmodi verè, & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore, et inter aliorum Fratruum, & Religiosorum Mendicantium Ordines, aliosque Fratres, & Religiosos Mendicantes, prout illos Nos connumeramus, & connumerari debere; ac omnes, & singulas, tàm iuris, quàm hominum dispositiones in fauorem Religiosorũ, seu Fratrum Mendicantiũ, nunc, & pro tempore, emanatas, etiam in Societate, illiusq; Domib., Collegijs, Prepositro, et alijs Religiosis locũ habere. Necnon omnia, & singula quæcunque, quotcunque, & qualiacunque sint, etiam speciali notâ dignâ Priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, Indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias, tàm spirituales, quàm temporales, litterasque Apostolicas, etiam iustitiam, siue mixtim concernentia hactenùs per Nos, & quoscumque alios Romanos Pontifices, tàm prædecessores, quàm successores Nostros, & denique Sedem Apostolicam, & illius Legatos de latere, siue Nuncios, & quascumque alias Personas, quâuis auctoritate fungentes, etiam motu, & scientiâ similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, tàm in genere, quàm in specie, et tàm communitèr, & coniunctim, quàm particularitèr, & diuisim, etiam per modum extensionis, seu communicationis, et aliàs quomodolibet, quibusuis Ordinibus Fratrum, & Sororũ Mendicantium, quocumque nomine nuncupentur, illorumque Congregationibus, Conuentibus, & Capitulis, ac vtriusque sexus personis, ac illorum Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis hactenùs concessa, et in posterum concedenda, quorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis, et insertis haberi volumus, eisdem Præposito, ac Societati, & omnibus illius Personis, Domibus, ac Collegijs vbique terrarum sitis, ità quod Societas, Domus, Collegia, Præpositus, & personæ huiusmodi omnibus, & singulis prædictis Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, Indulgentijs, remissionibus, gratijs, & litteris eisdem Fratrum, & Sororum Mendicantium Ordinibus, Congregationibus, Conuentibus, Capitulis, personis, Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & aliis piis locis, vt præfertur cõcessis, ac cõcedendis, anteà potuerint, & nunc, ac in futurũ, dũmodo instituto Societatis, & Præpositi, seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati, & beneplacito non refragentur; possint liberè, & licitè, vti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformitèr, & æque principalitèr absque vllâ prorsùs differentiâ, perindè, ac si Societati, Præposito personis, Domibus, & Collegiis prædictis nominatim, et specialitèr, et generalitèr concessa fuissent, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò sancimus, volumus, et declaramus, ac paritèr concedimus, indulgemus, et elargimur. Decernentes præsentes litteras, nullo vnquam tempore per Nos, aut Sedem prædictam reuocari, aut limitari, vel illis derogari posse, neque sub vllis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, nunc, & pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quotiès reuocari, alterari, limitari, vel derogari, contingat, totiès in pristinum, & eum, in quo ante præmissa erant statum, restitutas, et de nouo, etiam sub posteriori datâ, per

pro

pro tempore exiſtentem Societatis huiuſmodi Præpoſitum generalem, eligenda, conceſſas eſſe, & fore, ac ità, & non alitèr per quoſcunque Iudices, tàm ordinariâ, quàm delegatâ, & mixtâ auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardin., etiam Sedis Apoſtolicæ Legatos de latere, & Nuncios, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi facultate, vbique, & in quâuis inſtantiâ interpretari, cenſeri, iudicari, cognoſci, et decidi debere. Irritum quoque, & inane quicquid ſecùs ſuper his â quoquam, quâuis auctoritate, ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quòcircà Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus, generalibus, et Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, et Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet ſpectat, et ſpectabit, per præſentes motu ſimili, mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alias præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès pro parte dictorum Præpoſiti, & perſonarum Societatis huiuſmodi, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemnitèr publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſupèr per quoſcumque, quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna, iuris, et facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimisque ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, ſententias, Cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam adhoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus Noſtra de non expediendis litteris ſuper Indulgentiis ad inſtar, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris Noſtri de vnâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo vltrà tres dietas quis, vigore præſentium, ad iudicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac quibuſuis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Priuilegiis quoque, indultis, et litteris Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam motu, & ſcientiâ ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, et cum quibuſuis irritatiuis, annullatiuis, ceſſatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præſeruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis atteſtatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, et ſingulis, etiamſi in eis caueatur expreſsè, quod illis nullatenùs derogari poſſit pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, et expreſſa mentio habenda, ſeù aliqua alia forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habètes, illis etiam in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, et expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus, communiter, vel diuiſim ab eâdem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu alicuius Notarii Publici ſubſcriptis, et ſigno alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, et extrà adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 7. Iulii MDLXXI. Pontific. Noſtri Anno 6.

## CONSTITVTIO CCCLXVI.

### *SVMMARIVM.*

*1575. Octob. 10.*

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Ordini Minimorum S. Franciſci de Paulâ, Priuilegia Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium, communicat.*

*Ex Priuil. Regul. Peyrin. Greg. XIII. Conſt. 1.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Regimini militantis Eccleſiæ, diſponente Domino, Præſidentes, circà ſtatum fidelium quorumlibet, præſertim Religioſorum, ſtudio piæ vitæ vacantium, proſperè dirigendum attentiùs cogitamus, et eos, vt quietiùs vota ſua Domino perſoluere poſſint, eorumque loca, et domos benignis fauoribus confouemus, ac his, quæ propterea per prædeceſſores Noſtros prouidè conceſſa fuiſſe dignoſcuntur, vt firmiora perſiſtant, cum à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidiū propenſiùs impartimur. Dudum ſiquidem, ſicut accepimus, fel. rec. Sixtus IV Innocentius VIII. Alexander VI. Iulius II. Leo X. Clemens VII. Paulus III. Iulius etiam III. Paulus IV. Pius etiam IV. ac Pius V. prædeceſſores Noſtri, Ordini Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paulâ, illiusque Correctori Generali, et alijs Fratribus, illorumque Eccleſijs, et Conuentibus nonnullas gratias, conceſſiones, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prerogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, diuerſaque alia Priuilegia, et indulta, tàm ſpiritualia, quàm temporalia, etiam per ſolam ſignaturam, aut viuæ vocis oraculo, tàm pro foro conſcientiæ, quàm foro fori, in genere, et ſpecie, etiam per modum communicationis, ſiue extenſionis Priuilegiorum, etiam cum alijs quibuſcumq; Ordinibus Mendicantibus conceſſerunt, aut iam conceſſa confirmarunt, et approbarunt, prout in ſingulis conceſſionibus, et litteris ipſorum prædeceſſorum deſuper confectis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut Dilecti filij Corrector generalis, et Zeloſi dicti Ordinis Minimorum Nobis nuper exponi fecerunt, ea firmiora cenſeantur, quæ Sedis Apoſtolicæ confirmatione ſæpiùs roborantur, ideò Nobis ipſi Corrector generalis, et Zeloſi humilitèr ſupplicari fecerunt, vt prædictis gratijs, conceſſionibus, Priuilegijs, et alijs præmiſſis, et in dictis prædeceſſorum litteris Noſtræ approbationis robur adijcere, aliàsque in præmiſſis opportunè prouidere, de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ad vberes fructus, quos Ordo Fratrum Minimorum huiuſmodi in agro militantis Eccleſiæ producere non ceſſat, de-

debitum respectum habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præmissa, ac omnia, & singula alia Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, Indulgentię, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus eisdem Correctori Generali, & Zelosis, ac alijs Fratribus, Ecclesijs, domibus, Conuentibus, & locis dicti Ordinis Minimorum, ipsiusque Ordinis Minimorum Monialium, Monasterijs, & Ecclesijs, ac ipsis Monialibus, seu Sororibus, & locis eorum quibuscumque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam viuę vocis oraculo, vt præfertur, aut aliàs, tàm per præfatos, & alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem præfatam, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes sub quâcumque formâ, & expressione verborum concessa; ac etiam iteratis vicibus approbata; necnon cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus singulas desuper confectas litteras, & in eis contenta, & inde sequuta quęcumque, illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, dictâ auctoritate Apostolicâ, ac potestatis plenitudine, quatenùs sint in vsu, & Sacris Canonibus, et decretis Sacri Concilij Tridentini nõ aduersentur, approbamus, confirmamus, & intuamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmitèr obseruari, necnon ipsis Correctori, Zelosis, Fratribus, Monialibus, Sororibus, eorumque Ecclesijs, Domibus, Monasterijs, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi suffragari, illisque frui, vti, & gaudere quãdo, ac quotiès opus fuerit posse, & debere in iudicio, & extrà, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus, & per omnia, perindè, ac si specialitèr, & expressè eisdem Correctori, Zelosis, Fratribus, Monialibus, siue Sororibus, Ecclesijs, Monasterijs, Domibus, & locis præfatis concessa fuissent, decernimus; necnon Priuilegia, immunitates, Indulgentias, facultates, libertates, indulta, exẽptiones, fauores, et gratias huiusmodi, modo, & formâ, quibus confirmata à Nobis sunt, ad domos, & loca quæcumque dicti Ordinis Fratrum Minimorum hactenùs recepta, & in posterum recipienda extendimus, et ampliamus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiã generalis Concilij Lateranensis vltimò celebrati, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus; necnon omnibus illis, quæ singuli prædecessores prædicti in suis litteris prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Cæterum, quia difficile foret præsentes litteras ad quęcumque loca, vbi ille necessariæ fuerint deferre; volumus, & prædictâ auctoritate Apostolicâ decernimus, quod earundem litterarum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac Sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, ea prorsùs in iudicio, & extrà fidem adhibeatur plenaria, ac illis stetur in omnibus, & per omnia, sicut originalibus ipsis litteris adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1575. Pontificatus Nostri Anno quarto.

*Confirmarunt dictam Constitutionem Clemens VIII. 1603. Iunij 15. Paulus V. 1609. Iulij 16. Vrbanus VIII. 1624. Iunij 28.*

## CONSTITVTIO CCCLXVII.

### *SVMMARIVM.*

1575. *Nou.* 18.

### GREGORIVS PAPA XIII.

*Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Priuilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium concedit.*

*Ex lib. Priuil. Ordinis SS. Trinitatis Redempt. Captiuorum.*

GREGORIVS Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Regimini militantis Ecclesiæ (disponẽte Domino) præsidentes, circà statum fidelium quorumlibet, præsertim Religiosorum, studio piæ vitæ vacantium, prosperè dirigendum, attentiùs cogitamus, & eos, vt quietiùs vota sua Domino persoluere possint, eorumque loca, & domos, benignis fauoribus confouemus, ac his, quæ propterea per Prædecessores Nostros prouidè concessa fuisse dignoscuntur, vt firmiora persistant, cum à Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidium propensiùs impartimur. Dudum siquidem (sicut accepimus) fel. rec. Innocentius III. Honorius etiam III. Gregorius IX. Cœlestinus IV. Innocentius etiam IV. Alexander III. Vrbanus IV. Clemens IV. Gregorius X. Clemens V. Clemens VI. Innocentius etiam VI. Vrbanus V. Gregorius XI. Vrbanus VI. Alexander V. Eugenius IV. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI Iulius II Leo X. Adrianus VI. Clemens VII. Paulus III. Iulius etiam III. Paulus IV. Pius etiam IV. ac Pius V. prædecessores Nostri, Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Ministro generali, & alijs Fratribus, eorumque, Ecclesiis, domibus, & Conuentibus, nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, facultates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, diuersaque, alia Priuilegia, & indulta tàm spiritualia, quàm temporalia, etiam per solam signaturam, aut viuæ vocis oraculo, tàm pro foro conscientiæ quàm pro foro fori, in genere, & in specie, etiam per modum communicationis, siue extensionis Priuilegiorum, etiam cum alijs quibuscunque Ordinibus Mendicantibus, & Non Mendicantibus concesserunt, aut iam concessa confirmarunt, & approbarunt, prout in singulis concessionibus, & litteris ipsorum predecessorum desuper confectis pleniùs continetur. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus modernus Minister Generalis præfati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Nobis nuper exponi fecit, ea firmiora censeri, quæ Sedis Apostolicæ confirmatione sæpiùs roborantur; ideò Nobis ipse Minister Generalis humilitèr supplicari fecit, vt prædictis gratijs, concessionibus, & Priuilegijs, alijsque pręmissis, & in dictis prædecessorum litteris, contentis, Nostræ approbationis robur adijcere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ad vberes fructus, quos Ordo Sanctissimę

ctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum huiusmodi in agro militantis Ecclesiæ producere non cessat,debitum respectum habentes,huiusmodi supplicationibus inclinati,præmissa,ac omnia,& singula alia Priuilegia,immunitates,exemptiones,libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates dispensationes, gratias, concessiones,indulgentias,& indulta, spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & Non Mendicantibus, eisdem Ministro Generali,ac alijs Fratribus,Ecclesiis,Domibus,Conuentibus, & locis dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, eiusdemque Ordinis Monialium,seu sororum,Monasterijs,seu Domibus, & Ecclesiis,ac ipsis Monialibus,seu sororibus,& locis eorum quibuscunque;in genere, & specie, etiam per solam signaturam, etiam viuæ vocis oraculo, vt præfertur, aut aliàs, tàm per præfatos, & alios quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos,& Sedem præfatam;quàm per Imperatores, Reges, & alios Principes, sub quâcunque formâ, & expresione verborum concessa,ac etiam iteratis vicibus approbata; necnon cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis decretis,& declarationib., singulas desuper confectas litteras, & in eis contenta, & inde secuta quæcunque illorum omnium tenores,& formas,datas,effectus,& decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, dictâ Auctoritate Apostolicâ, ac de potestatis plenitudine, quatenùs sint in vsu, & Sacris Canonibus, & decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur approbamus,& confirmamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmitèr obseruari; necnon in ipsis,Ministro Generali,& Fratribus, Monialibus,Sororibus,eorumque Ecclesiis, domibus, Monasterijs,& locis præfatis;vt illis omnibus (& præcipuè Castellæ,& Legionis Prouinciarum specialitèr) ac etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi, ac aliàs quomodolibet concessis suffragari,illisque frui,vti,potiri,& gaudere,quando, ac quotiès opus fuerit posse,& debere, in iudicio, & extrà, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus, & per omnia, ac si specialitèr, & expresè, eisdem Ministro Generali, Fratribus, Monialibus, siue Sororibus,Ecclesiis, Domibus,seu Monasteriis, Conuentibus, & locis præfatis concessa fuissent,decernimus. Nec non Priuilegia, Immunitates, Indulgentias,facultates,libertates,indulta, exemptiones fauores, & gratias huiusmodi, modo, & formâ, quibus confirmata à Nobis sunt, ad domos, & loca quæcunq; dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum,hactenùs recepta, & in posterum recipienda,extendimus,& ampliamus. Non obstantibus præmissis, & quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,etiam Generalis Concilii Lateranensis,vltimò celebrati,ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis,statutis,& consuetudinibus, nec non omnibus illis, quæ singuli prædecessores prædicti in suis litteris prædictis voluerunt non obstare,cœterisque contrariis quibuscunque.Ceterum quia difficilè foret præsentes litteras,ad quecumque loca,vbi, illæ necessariæ forent, deferri; volumus, & prædictâ auctoritate Apostolicâ decernimus, quod earundem litterarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis,eadem prorsus in Iudicio, & extrà fides adhibeatur plenaria, ac illis stetur in omnib.;& per omnia, sicut originalibus ipsis litteris adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 18. Nou. 1575.Pontificatus Nostri anno 4.

## CONSTITVTIO CCLXVIII.

### SVMMARIVM.

1577. *Maij.* 25.

## GREGORIVS PAPA XIII.

*Priuilegia Congregationis Casinensis, Monachis S.Basilij in Hispaniâ communicat.*

*Bullar. Rom.t.2. Greg.XIII. Const.46.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cogit muneris Apostolici ratio de omnium Religiosorum statu Nos esse solicitos, atque eorum curam suscipere diligentem,qui reiectis mundi delitijs, & illecebris, antiquorum Sanctorum Patrum exemplo in solitudines concesserunt, ieiunijs, orationibus, & cœlestium contemplationi assiduè insistentes,vt cum talium numerum alicubi auctum intelligimus, ipsorum vitam, & mores, sub certâ alicuius approbatâ Regulâ, & normâ,ad Dei gloriam, & eorumdem salutem prouidè dirigamus. Ad Nostram si quidem peruenit notitiam,quod cum ab hinc viginti,vel circitèr annis quondam Matthæus de la Fuente de Halmiruete Toletañ. Diœc., dum soli Deo placere studeret,vnâ cũ duobus, vel tribus socijs in Eremũ del'Tardon Cordubeñ. Diœc.se recepisset, & in eâ proprio labore victum parans, pauperem vitam duceret, nonnulli alij eius exemplo, & religiosæ vitæ famâ commoti, sæculi curis posthabitis, eamdem viuendi rationem amplexi sunt, & se illis socios adiunxerunt; ipsum prætèrea Matthæum per loci Ordinarium ad Sacros Præsbyteratus Ordines fuisse promotum.Et licet Eremi cultores inter se distinctas cellulas inhabitarent, eos tamen consueuisse ad eumdem Matthæum, tamquam eorum Patrem, & Superiorem, à quò in viâ Domini instruerentur, recurrere, statutisque horis,in quodam Oratorio ad piè orandum simul conuenire, ac sub dicti Matthæi voluntariâ obedientiâ degere; huncq; viuendi morem eousq; fuisse seruatum, donec ad eorum notitiam Constitutio fel.record. Pij Papæ V. prædecessoris Nostri deducta fuit,quâ sancitum est ab ijs,qui in Congregationibus sub obedientiâ voluntariâ viuerent, quorum habitus à Præsbyteris sæcularibus esset distinctus, prout ipsorum erat, professionem omnino esse emittẽdam,electa ab ipsis vna, sub quâ degerent ex Regulis approbatis. Nam postquam idem Matthæus, & socij Constitutionis huius certiores facti fuerunt, Regulam S. Basilij, eorum viuendi instituto,vt censuerunt magis accomodatam, ad cuius præscriptum Altissimo pium exhiberent in habitu humilitatis obsequium, delegerunt. Et deinde Matthæus professionem iuxtà dictam Regulam emittere volẽs Præsbyterum ex suis socijs Eremitis, in cuius manibus profiteretur, suo arbitrio, eligit, & in eius manibus tria Vota, iuxtà Regulam prædictam, quantum in se fuit professus est. Reliqui vero omnes Eremitæ in dicti Matthæi manibus


simi-

similem professionem emiserunt, & derelicto cellularum vsu, in domos apud Eremum del Tardon, vt præfertur, & Vallis de Galleguillos Ispalen. Diœc. proprijs eorum manibus, ad Monasterij formam constructas, clausuràque munitas, numero quadraginta, & vltrà demigrarunt, vbi Religiosorum, & Monachorum more viuerent, prout de præsenti viuunt, Horasque Canonicas in Choro, & Missas conuentualitèr, quemadmodum in alijs Monastérijs fieri consueuit, iuxtà Romanum vsum celebrarent, necessariaque ad vitam, proprijs manuum laboribus, iuxtà eorum institutum parando, nec eleemosynas petierunt, nec oblatas acceperunt. Religiosisque in prædictis locis, sic vt præfertur, redactis, idem Matthæus in vtriusq; domibus, quasi illæ in Monasteria iam erecta essent, nonnullorum, qui periti habebantur, consilium sequutus, Abbatis munere donec vixit, sine Canonicâ prouisione functus fuit; & post eius obitum, credentes Religiosi prædicti Monasteria, veri, & legitimi Abbatis esse destituta, alium Religiosorum ex eorũ numero, videlicèt dilectũ Filium Didacum Vida l, in eiusdem Matthęi locum eligerunt. Cum autem ijdem Eremitæ prędictam professionem in manibus eius, qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiserint, eademque professio nulla, & inualida reddatur, ac del Tardon, & Vallis de Galleguillos Domus, & Eremitoria huiusmodi in Monasteria Ordinis S. Basilij adhuc canonicè erecta non fuisse, nec esse constet. Nos dictorum Eremitarum statui opportunè consulendum esse existimantes, ipsosq; & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequédum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Christianæ Religionis propagationem, prædicta del Tardon, & Vallis de Galleguillos Eremitoria, seu Domos, in Monasteria dicti Ordinis S. Basilij, cum suis Ecclesiis, & Conuentibus, necnon Mensis, Sigillis, Arcis, aliisq; omnibus insignibus ad id requisitis, & consuetis, ac in singulis dignitatem Abbatialem, administrationes, & officia in aliis Monasteriis ipsius Ordinis haberi solita pro Abbatibus, & Monachis ad iustum numerum Conuentus, Monasticum cultum, ac Regularem disciplinam ibidem obseruaturis. Ac sic illis erectis, eorumq; Mensis, bona, census, actiones, & iura omnia suarum cuiusque Domorum, seu Eremitoriorum, sic in Monasteria erectorum perpetuò applicamus, & appropriamus. Ac ipsorum Monasteriorum sic erectorum, Abbatibus, Conuentibus in suis quisq; Ecclesiis prædictis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum debitis honore, & reuerentiâ habendi, & retinendi, Missas, & alia diuina Officia latinâ linguâ, secundum consuetudinem, seu ritum Romanæ Ecclesiæ, & iuxtà Breuiarium, & Missale Roman. ex decreto Concilii Tridentini nouissimè restituta, & iussu prædicti Pij Papæ edita, donec aliud Sedi Apostolicæ expedire videbitur, celebrandi, recitandi, & cantandi, licentiam tribuimus. Ipsaque sic erecta Monasteria del Tardon, & Galleguillos, ac Monasteriorum etiam S. Mariæ de Ouiedo eiusdẽ Ordinis S. Basilii Giennen. Diœc. à fel. record. Pio Papâ IV. erectum, institutum, & a Nobis per Nostras litteras in formâ Breuis, Monachis eiusdem Ordinis in Italiâ existentibus, sub vnius Abbatis, seu Præsidentis Generalis in toto Ordine eligendi, obedientiâ subiectum, ac perpetuò coniunctum, & quæcumque alia Monasteria eiusdem Ordinis S. Basilii in Hispaniarum Regnis in posterum construenda, & erigenda, dicto Ordini S. Basilii sub obedientiâ futuri, & pro tempore existentis Abbatis, seu Vicarii Generalis eiusdem Ordinis aggregamus, annectimus, & incorporamus, eademque sic erecta, & erigenda Monasteria, eorumque Abbates, & Monachos sub immediatâ Nostrâ & Sedis Apostolicæ protectione recipimus, illaque & illos ab omni Ordinarii iurisdictione, auctoritate, & potestate eximimus penitùs, & liberamus. Ita tamen, vt tàm del Tardon, & Galleguillos, quàm de Ouiedo, & alia in dictis Regnis sub eâdem Regulâ in futurum construenda, & erigenda Monasteria, vt præfertur, postquam constructa, & erecta fuerint, vnam faciant, & inter se constituant Prouinciam Hispaniarum nuncupandam, in quâ Prouinciale Capitulum vnoquoque triennio per Abbates, & Monachos à Conuentibus Monasteriorum suorum deputados celebretur, & in eo vnus Visitator eligatur, qui cum primum electus fuerit, eò ipso auctoritate Apostolicâ confirmatus censeatur, nullâ aliâ requisitâ confirmatione, nisi eidem Capitulo Abbatem, vel Vicarium eiusdem Ordinis Generalem contigerit præsidere, vel esse præsentem, cuius auctoritate, eò casu omnino debeat confirmari, dictæque Prouinciæ Monachi, secundum Regulam eiusdem S. Basilij, quam profitentur, de cætero viuere. Atque vt Monachi prædicti del Tardon, & Galleguillos in habitu cum reliquis dicti Ordinis Monachis etiam in Italiâ existentibus conueniant, loco habitus Grisei, seu Brunei coloris, cuiusmodi in præsentiarum gerunt, Monasticum habitum Nigrũ prout etiam aliàs Monachis dicti Monasterij de Ouiedo per dictas Nostras litteras concessimus, deferre, & ità in posterum reliqui omnes eiusdem Ordinis, & Prouinciæ Monachi futuri, eodem habitu Regulari vti debeant. Præterea eisdem ac Prouinciæ Hispaniarum Monasterijs quibuscũq; ac alijs membris, & locis ab eâ dependentibus, illorũmque Abbatibus, Prælatis, Monachis, & personis, omnia Priuilegia, indulta, immunitates, prærogatiuæ, exemptiones, libertates, gratias, & indulgentias Ordini S. Basilij prædicti, necnon Congregationi Montis Casinensis aliàs S. Iustinæ de Paduâ, Ordinis S. Benedicti, tàm per Nos, quàm per alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros, Sedemque prædictam aliàs in genere, vel in specie quomodolibet concessa (quatenùs vsu recepta sint, & Concilij Tridentini decretis, alijsque sacris canonibus, & ipsius Ordinis S. Basilij institutis non aduersentur) concedimus, & communicamus. Ac insupèr vt eadem Monasteria felicitèr in viâ Domini dirigantur, prædictorum omnium Monasteriorum dictæ Prouinciæ Conuentibus, & Monachis præcipimus, vt quamprimum Prouinciale Capitulum eorumdem Monasteriorum Prouinciæ Hispaniarum celebrent, in quò, vsque ad numerũ viginti eorum Abbates, & Conuentuum discreti, seu Procuratores, & Monachi habitu, vel professione in eisdem Monasterijs tàm de Ouiedo, quam del Tardon, & Galleguillos antiquiores, donec tot Monasteria dicti Ordinis S. Basilij in eadem Prouinciâ erecta fuerint, quod illorum Abbates, & Conuentuum Discreti, seu Procuratores in eodem Capitulo congregandi eumdem numerum viginti constituát, conueniant. Atque in eo, ex Monachis eiusdem Prouinciæ vnum, quem magis ad id habilem, & idoneũ duxerint eligendum, in eorum Visitatorem ad triennij tempus, & eo completo, successiuè in Prouinciali Capitulo, tertio quoque anno, vt præmittitur, celebran-

lebrando, eligant. Qui omnem in quibuscumq; Monasterijs prædictæ Prouinciæ iurisdictionem habeat, & exerceat, ipsorumq. Monasteriorum Monachos, tàm in capite, quàm in membris visitet, corrigat, & reformet, saluâ semper, & reseruatâ dicti Abbatis, seu Vicarij eiusdem Ordinis Generalis pro tempore existentis, etiam in præmissis obedientiâ, auctoritate, & superioritate, ac Capitulis Prouincialibus huiusmodi præsit, & electioni Abbatum, quorum munus etiam triennale erit, per Monachos singulorum Monasteriorum faciendæ assistat, vel ad assistendum electioni huiusmodi alium ex dictæ Prouinciæ Monachis specialitèr deputet. Prædictus autem Visitator Prouinciæ Hispaniarum huiusmodi, necnon Monasteria, Abbates, Monachi, & personæ dictæ Prouinciæ Hispaniarum prædicto Abbati, seu Vicario Generali vniuersi Ordinis S. Basilij in Italiâ, pro tempore eligendo, constituendo, vel deputando subiecti existant, & ab eo dependeant. Ità vt idem Abbas, seu Vicarius Generalis pro tempore existentes, tàm in dictum eiusdem Prouinciæ Hispaniarum pro tempore Visitatorem, quàm in prædicta, & alia omnia eiusdem Prouinciæ erecta, ac erigenda Monasteria, Abbates, Priores, & alios Prælatos, & Monachos, & personas, pro tempore, existentes, plenam, & omnimodam iurisdictionem, auctoritatem, & superioritatem habeat, dictumque Visitatorem, Monasteria, Abbates, Priores, & Prælatos, ac Monachos, & personas, tàm in capite, quàm in membris visitare, corrigere, & reformare simul, vel ad partem valeat, ipsique Visitator, Abbates Priores & Prælati, ac Monachi, & personæ dicto Abbati, seu Vicario Generali pro tempore existenti, tamquam membra capiti subiaceant, eiusque monitis, & mandatis in præmissis, & alijs omnibus, omni prorsus reclamatione, appellatione, & recursu postpositis, parare, & obedire, illumque, cum ad eos, vel dicta Monasteria diuertere, seu pro Visitatione huiusmodi, ac aliàs accedere contigerit, honorificè, ac benignè recipere, & pertractare teneantur. Denique Visitator Prouinciæ Hispaniarum in eiusdem Abbatis Generalis electione pro tempore facienda, ac alijs rebus ad vniuersum Ordinem S. Basilij pertinentibus, pro quibus pertractandis aliarum Prouinciarum Visitatores, & Superiores euocabuntur, conuenire debeat. Ac in electione Abbatis Generalis huiusmodi idem Visitator, actiuam, & passiuam vocem habeat. Necnon eidem Visitatori, & alijs in Capitulo Prouinciali congregatis, tàm hâc primâ vice, quàm in posterum, singulis triennijs, quæcunque statuta, & ordinationes, licita, & honesta, Sacris Canonibus, ac prædicto Concilio Tridentino, dictiq, Ordinis Regularibus institutis, ac generalibus, illius ordinationibus, & constitutionibus non contraria, condendi, & postquam condita fuerint, illa in toto, vel in parte, iuxtà rerum, & temporum qualitates mutandi, reformandi, illaque in toto, vel in parte tollēdi, & abrogandi, aliaque de nouo statuendi, quæ tamen ab Abbate, seu Vicario dicti Ordinis Generali, & in eius defectum à S.R. Ecclesiæ Cardinales eiusdem Ordinis Protectore, qui tunc erit, approbari debeāt, licentiam, & facultatem concedimus. Cæterum personis Eremitoriorum, seu domorum del Tardon, & de Galleguillos sic in Monasteria erectorū, & earum statui quamprimum consulendum esse rati, Dilectis filijs prædicti S. Mariæ, & S. Benedicti Ispaleñ. Ordinis eiusdem S. Benedicti Monasteriorum Abbatibus, per Apostolica scripta mandamus, vt ipsi, & alitèr eorum, singulos illos in Monachos, & in Fratres suorum quemque Monasteriorum del Tardon, & de Galleguillos admittant, & ab eis professionem Regularem dicti Ordinis S. Basilij, si illam spontè emittere voluerint, recipiant, facientes eos sincerâ ibi in Domino charitate tractari. Sed, & eos, qui in prædictis Domibus, & Eremitoriis del Tardon, & de Galleguillos sub voluntariâ obedientiâ per annum, & vltrà iam permanserint, statim vbi præsentium notitiam habuerint ad profitendum, vt præfertur, omninò teneantur, quod vt faciant præcipimus per præsentes. Postremò animaduertentes eosdem del Tardon, & de Galleguillos, post prætensam professionem in dicti Matthæi manibus, sic vt præfertur emissam, pro verè professis habitos fuisse; decernimus, & declaramus illos iuxtà exemptiones, ac Priuilegia Ordinis S. Basilij, vel aliàs concessa, ad solutionem decimarum frugum, & animarum, ac aliarum rerum, quæ ex suarum manuum labore, à die professionis prætensæ huiusmodi, vsque ad hæc tempora collegerunt, ac in posterum, vsque ad nouæ professionis tempora colligent, vel administrabunt, minimè teneri, vel obligatos fuisse, aut esse, nec ad id per locorum Ordinarios, aut alios quoscunque ad quos decimarum earumdem collectio spectat cogi, siue compelli posse. Irritumq;, & inane quicquid secus super his à quoquam, quāuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quin etiam eos vniuersos, & singulos à solutione prædictâ absoluimus, & liberamus. Quocircà Venerabili Fratri Nostro Patriarchę Alexandrino, & Dilectis filijs Archidiacono Ispaleñ., ac Abbati Sanctæ Fidei in Ecclesiâ Granateñ. per Apostolica scripta mandamus, quàtenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, pręsentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès pro parte prædictorum, & aliorum, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, aut præsentes litteræ quomodolibet concernent, fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostra, easdem litteras, & quæcunque in illis continentur firmitèr obseruari. Non permittētes eos, vel eorum aliquem desupèr à quibuscunque indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per iuris, & facti remedia opportuna, ac demum per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo, ac legitimis super his habendis, seruatis seruandis processibus, illos sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstant: Piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri de vnâ, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltrà tres dietas aliquis, vigore præsentium, ad iudicium non trahatur, & quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis prædicti, illiusque Monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis aliâ firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, cum quibusuis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis, perindè, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore per-

mansuris, hâc vice dumtaxat, specialitèr, & expressè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, præsentium exemplis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio, & extrà haberi, quę eisdem præsentibus habetur exhibitis, vel ostensis. Nulli ergo omnino, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1577. octauo Kal. Iunij Pontificatus Nostri Anno 6.

## CONSTITVTIO CCCLXIX.

*SVMMARIVM.*

1579. Nou. 1.

GREGORIVS PAPA XIII.

*Monachis S. Basilij Priuilegia Congregationis Casinen. Confirmat.*

*Bullar. Rom. Greg. XIII. Const. 59.*

GRegorivs Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Benedictus Dominus Deus Noster, à quo Sancti sui intelligentiæ spiritu repleti, tamquàm imbres, sapientiæ eloquia emiserunt, eumque in oratione confessi sunt, Quò gratiæ munere B. Basilius, cognomento Magnus, â Diuinâ benignitate locupletatus, omnis bonitatis, tantæque in se beneficentiæ authori, quòd recepit, fertilissimi agri more, cum centesimo reddidit incremento. Nam, præter ea, quæ effudit Theologicæ scientiæ, eloquentiæque flumina, quæque edidit continentiæ, abstinentiæ, & susceptorum pro Christo laborum, tolerantiæ documento, adoptatos sibi nouæ Sobolis fœtus, in Cænobiaque procul, à communi viuendi ratione segregatos in compositum Ordinê redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt perpetuâ futurorum temporum successione, verbo, & operè à se instructi, Deum confiterentur, Catholicæque Ecclesiæ ornamento essent, atq; in dubijs rebus adiumento. Qui vitæ sanctitate, & doctrinâ insignes, toto terrarum orbe, maximè verò in Asiâ, Palæstinâ, Thraciâ, Græciâ, Italiâ, multis sæculis floruerunt. Postea verò (quod non sine maximo animi Nostri mœrore recensemus) temporum iniuriâ, totiusque Orientis, â dirâ Turcarum tyrannide oppræssi, calamitate, crebrisque, ità hominum exigentibus culpis, exorientium schismatum defensionibus, Ordo ille alibi penitùs corruit; alibi ità fuit imminutus, vt disciplinâ Regulari laxatâ, charitas illa antiqua deferbuerit, Monachique, alij alio dispersi, sine capite, sicuti oues sine Pastore, errauerint; in aliquibus autem, ne vestigium quidem Monastici remanserit Instituti; Monasteria euersa, & bona fuerint dissipata. Cui incommodo (quod à Nobis Nostri Apostolatus ratio exposcit) prouidere, ipsumq;, Ordinem pristinæ dignitati, Regularique, obseruantiæ, quantum, Domino adiuuante, possumus, restituere volentes, vt quamprimùm in agro Domini vberes fructus, maiorum suorum, & præcipuè tanti Patris, & Magistri exemplo, edere valeant; maximè expedire duximus, à Monasterijs, quæ in Italia, & in vtriusque Siciliæ Regnis consistunt, quorum plagas propius inspeximus, huiusmodi Ordinis instaurationem inchoare; ipsaque Monasteria in ipsam Congregationem, iuxtà Constitutionem fœl. record. Innocentij Papæ III prædecessoris Nostri in Concilio Generali editam, quæ incipit. In singulis, ac Conc. Trid. decreta, redigere, & vt hæc faciliùs optatum consequi possent effectum, primû Generale Capitulum, dicti Ordinis celebrari mandauimus, in quo Abbas Generalis, qui in singula prædicta, & alia eius Ordinis Monasteria, Conuentus, & Regularia loca, vbicumque, sub obedientiâ Nostrâ, & S. R. E. illa fuerint, illorumque personas, absolutâ sit, authoritate præditus. Ac prętetea Visitatores, Procurator Generalis, & alij officiales, quorum electio in Capitulo Generali facienda esset, in Monasterio S. Philareti eiusdem Ordinis, Militensis Diœcesis, in Festo Pentecostes proximè præterito, eligerentur, illo priùs de more indicto, per Dilectum filium Nostrum Guillelmum, Tituli S. Laurentij in Panisperna Presbyterum Cardinalem Sirletum nûcupatum, dicti apud Nos Ordinis, Sedemque Apostolicam, Protectorem, Dilecto Filio Paulo Abbate Monasterij Castri Villaris, Ordinis Sancti Benedicti, Casinensis, Congregationis, eidem Capitulo, eiusdem Guillielmi Cardinalis nomine, præsidente, ac in eius manibus, antequàm ad electionis negotium procederetur, per Priores, & alios Monachos Monasteriorum dicti Ordinis S. Basilij præsentes, vocemque in Capitulo Generali habere debentes, Professioni Regulari, quæ per Monachos eiusdem Ordinis S. Basilij emitti debet, expresse emissa. Et tandem, cum pro electionibus, vt præfertur, celebrandis iam in vnum conuenissent, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt, electionibus eiusmodi commodè interesse, die ad eligendum præstitutâ, vt mos est, Dilectum filium Nicolaum Antonium Abbatem Monasterij S. Nicolai de Butramo dicti Ordinis S. Basilij, Hieracensis Diœcesis, in Abbatem Generalem, ac duos Visitatores, & vnû Procuratorem Generalem, aliosque officiales per secreta suffragia eligentur. Nos autem reductionem eorundem Monasteriorum Priorum, & Monachorum in Congregationem, & Capitulum, dictique Capituli indictionem, & Præsidentiam, ac electiones huiusmodi, ratas, & gratas habentes, Motu proprio, & ex certâ scientiâ Nostrâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, easdem, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, omnesque, tàm iuris, quàm facti, ac omissarum solemnitatum etiam substantialium, vel ex Ordinis prædicti S. Basilij statutis requisitarum defectus, si qui interuenerint, in eisdem, supplemus. Et nihilominùs prædictum Nicolaum Antonium Abbatem, eidem Congregationi vniuersæ, in Abbatem Generalem preficimus, curam illius vniuersam, in spiritualibus, & temporalibus plenissimè committendo; ita vt ipse, & Abbas Generalis pro tempore electus, æque, vt alij aliorum Ordinum in Congregationes reductorum Abbates Generales, & Præsidentes, in suisque Capitulis, & Congregationibus de iure, Priuilegio, & consuetudine habent, & exercent, habereque, & exercere possunt, plenam, & omnimodam superioritatem, iurisdictionem, & authoritatem habeat, & exerceat, tàm in eâ omnia, quæ in Italiâ, & Regnis prædictis sût, quàm etiâ in S. Marię de Ouiedo Giennensis, & del Tardon Cordubensis, ac Vallis de Galleguillos Hispalensis Diœcesis, Ordinis eiusdem S. Ba-

S. Basil. Prouinciæ Hispaniæ, dudū à Nobis in Regnis Hispaniarum institutæ, & protsus in alia quæcumq; Monasteria, domos, & loca in eādem Prouinciā, sub Regulā S. Basilij hactenùs erecta, & in posterum erigenda, eorumque Abbates, Conuentus, Monachos, & personas, quæ Nos pridèm, cum Monachis eiusdem Ordinis S. Basilij in Italiā existentibus, & eorum Congregationi prædictæ, sub obedientiā indè futuri Abbatis, seu Vicarij Generalis eiusdem Congregationis, perpetuò coniunximus, eaq; necnon Visitatorem eiusdem Prouinciæ Hispaniæ, Abbati, seu Vicario Generali Congregationis huiusmodi in Italiā pro tempore eligendo subiecimus, & ab eo dependere decreuimus, inter alia, quemadmodum diuersis Nostris litteris prioribus videlicet Kal. Maij secundo, posterioribus verò . Kal. Iulij, 7. Pontificatus Nostri annis data pleniùs continetur. Iubemus itaq; vniuersos, & singulos eiusdem Congregationis S. Basilij Abbates, Priores, & Prælatos, nec non Monachos, & alias quascumque personas ipsi Abbati Generali tamquam membra Capiti, & eorum legitimo Superiori, in omnibus quæ ad officium Abbatis Generalis pertinent, eorumq; animæ salutem Regularisque obseruantiæ rationem concernunt, promptè, & humiliter obedire. Et vt habitus, qui exteriùs geritis, Religiosis mentis affectibus paritèr respondeat; statuimus, vt omnes Congregationis huiusmodi professores, eundem habitum à Nouitijs distinctum, ex panno, nigri coloris cum capucio, siue cucullā Monachi omninò deferant, veluti, ex antiquo Ordinis instituto, prisci Patres, & Monachi gestare solebant. Vtque omnes eiusdem Ordinis S. Basilij Monachi, & Religiosi, qui in dicto Ordine iam admissi sunt, ad professionem regulares eiusdem Ordinis, in manibus Abbatis, si ibi fuerit, vel Prioris Monasterij, in quo reperientur, expresè emittant. Deinceps verò, nemo in dicto Ordine, illiusque Monasterijs, ad eiusdem Ordinis habitum, & professionem Regularem, siue tacitam, siue expræssam admittatur, nisi in ætate legitimā constitutus, anno demum integro in probationem, iuxtà eiusdem Concilij Trid. decreta perstiterit. Generale autem Capitulum in quo de Ordinis prædicti reformatione, & regulari obseruantiā agendum erit, tertio quoque anno celebretur. Eorundem siue Abbatis Generalis, siue Visitatorum, siue Procuratoris item Generalis munera, siue officia, triennalia sint; licebit tamen in eodem Capitulo Generali, vbi manifestè cognitum fuerit expedire, eosdem omnes, aut eorum aliquos ad aliud triennium in eodem, quod gesserint officio, nec vltrà confirmare, qui tandem ab eisdem muneribus absoluti, saltem per aliud simile triennij spatium officio vacent. Cæterum si dicto Guillielmo Cardinali, & pro tempore dicti Ordinis Protectore videbitur oportunum, à quousque ille expedire censuerit, consilium, & auxilium alicuius Abbatis Congregationis Casinensis, in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longā consuetudine, & experientiā pleniùs instructi, ad ipsum Capitulum Generale poterit adhiberi, qui eiusdem Protectoris authoritate, etiam eidem Capitulo præsideat Generali. In singulis verò Capitulis Generalibus, locus, in quò proximè futurum Capitulum Generale celebrandum sit, designetur. Electiones autem per suffragia secreta fiant, prout Concil. Trid. prædicti decretis, est statutum. Ad hæc, vt ipsi Monachi degentes in Monasterijs, in quibus Mensa Conuentualis non est ab Abbatiali separata, quæque Clericis sęcularibus, & alijs cuiuscumq; gradus, & dignitatis, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, commendata sunt, obsequijs Altissimi liberiùs vacare possint, mensam Conuentualem à mensā Abbatiali distinguimus, & ab eisdem Monasterijs, quousque illa commendata fuerint, eam bonorum stabilium, proprietatum iuriumque partem, quæ tamen intèr immobilia censeantur perpetuò dismembramus, atque diuidimus, quæ ad alendum solitum Monachorum, & ministrorum numerum, ac victum, & vestitum, aliaq; ad eorum sustentationem necessaria, comparanda sufficiant, eosdemq; Commendatarios, ad assignandum totidem bona, proprietates, & iura prædicta, intrà tempus per eundem Guillielmum Cardinalem Protectorem præfigendum, omninò teneri volumus. Hæc autem bona stabilia, proprietates, & iura sic per Nos dismembrata, nec non aliā omnia mobilia, & immobilia, quæ ex priorum fidelium testamentis, legatis, largitionibus, aut aliās quomocumq; ipsis Conuentibus, & Monachis in posterum donata, concessa, & relicta fuerint, pro quorum consecutione Monachi, Conuentuum eorundem nomine, etiam in iudicio agere & experiri, ac in illo interuenire valeant, sed, & oblationes atq; eleemosynas in eorundem Monasteriorum Ecclesijs erogandas pro constituenda cōuentuali in singulis Monasterijs prædictis, ac pro augumento earundem mensarum Conuentualium, etiam perpetuò applicamus, & appropriamus. Nihilominus tamen Commendatarijs incumbat, prout tenentur in eisdem Monasterijs, quæ Conuentum habent, Monasteriorum, & Ecclesiarum eorundem reparationi, ac alijs ad Diuinum cultum necessarijs prouidere, quorum Monasteriorum claustra & ædificia, pro vsu Monachorum constructa, ad Monachos prædictos, qui in eis permanere contigerit eorum liberi, atque absoluti iuris esse decernimus. Liceat porrò Abbatibus, Prioribus, ceterisque dicti Ordinis Monachis, & Religiosis, corporalem possessionem bonorum sic dismembratorum, & applicatorum, ac vt præfertur, assignandorum, cum primum illa per Commendatarios assignata fuerint, & claustrorum, ac ædificiorum Monasteriorum prædictorum Conuētum habentium, per se, vel alium, seu alios, propriā authoritate, absque alicuius Iudicis ministerio, liberè apprehendere, & apprehensam retinere, ac eorundem bonorum, siuè proprietatum & iurium fructus, in communes eorundem Monachorum & Ministrorum vsus, & vtilitatem conuertere, ipsumque claustrorum, & ædificiorum libero vsu pacificè frui, & gaudere, quorumuis licentiā super his minimè requisitā. Vt autem prædicta Monasteria Ordinis S. Basilii sic in vnam Congregationem redacta, eliminatis omnibus abusibus, in viā Domini quotidiè magis proficiant, Conuentus omnium Monasteriorum, virorum Conuentum habentium dicti Ordinis S. Basilii, quæ iam in Italiā, & prædictis Regnis erecta sunt, quæcunque & qualiacunq; sint, & per quoscunque etiam S. R. E. Cardinales, in Titulum, Commendam, vel Administrationem, aut aliās obtinentur, dignitatibus Abbatialibus eorundem semper saluis, ita vt de eis, quotiescunq; vacabunt, per Romanum Pontificem, & Sedem prædictam omni tempore disponi liberè debeat, sine præiudicio iurium ipsius Sedis, quæ inuiolata permanere volumus, ac etiam de Ouiedo, ac del Tardon, ac Vallis de Gallegnillos prædictorum, nec non omnium, & quorumcumq; aliorum, quæ deinceps à Congregatione, & Monachis prædictis, Deo adiuuante, erigentur, & construentur in eisdem Italiā, & Regnis, ac Prouinciā Hispaniæ, ipsi

ipsi Congregationi in perpetuum aggregamus. Ac Monasterijs, Conuentibus, Prioribus, & Monachis prædictis, nec non Cõuersis, & Oblatis aliisque etiam dictorum Monasteriorum S. Basilii Religiosis, & personis, vt de cætero omnibus, & quibuscunque Priuilegijs, prærogatiuis immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentijs, fauoribus, gratijs, & indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus Congregationis prædictæ Casinensis illiusque personis, & locis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & dictam Sedem in genere, & in specie concessis, confirmatis, & innouatis, ac etiam per viam communicationis ad eandem Congregationem Casinensem extensis, quibus illi vtuntur, potiuntur, & gaudent, & vti potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum (Quæ tamen vsu recepta sint, & Sacris Canonibus, ac dicti Concilij decretis, ipsiusque Ordinis S. Basilii institutis non aduersentur) vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant concedimus, & indulgemus. Eamdemque Congregationem S. Basilii, illiusque Conuentus, Monachos, & personas quascunque ab omni Ordinariorum locorum, ac etiam, qui Monasteria dicti Ordinis, etiam Archimandritatus appellata, in Commendam, vel aliàs quomodolibet obtinuerint, eumdemque Ordinem S. Basilii, expressè professi non fuerint, iurisdictione, authoritate, & potestate, penitùs eximimus, & liberamus, ac sub Nostrâ, & B. Petri protectione immediatè suscipimus; Ità tamen, vt omnes, sub dictâ exemptione comprehensi, Abbatis Generalis, Visitatorum, Abbatum, Priorum, & aliorum officialium, tam in dicto Generali Capitulo quàm extrà illud canonicè electorum, & aliorum, qui pro tempore eligentur iurisdictioni, visitationi, morumq; correctioni iuxta eamdem Regulam S. Basilii, ac eius Ordinis instituta, omninò, pro vt eorum incumbit muneri, sint subiecti. Insuper Abbati Generali, & Visitatoribus in Capitulo Generali deputatis, vt Monasteria, Prioratus, & alia loca, ac Abbates, Priores, Conuentus, & personas Congregationis prædictæ visitare, & tam in capite, quàm in membris reformare, delinquentes, inobedientes, & rebelles corrigere, punire, & castigare, Regularia dicti Ordinis S. Basilii instituta in illis exactè custodienda introducere, ac in dicto Capitulo Generali pro tempore congregatis eisdem Congregationis Monachis, quæcunque statuta, & ordinationes, ad salutare ipsius Congregationis regimen, & ad Regularem obseruantiam pertinentia (licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, nec non Regulæ S Basilii Prædictis minimè contraria) ab ipso tamen (Guillelmo Cardinale, & pro tempore existẽte dictę Congregationis Protectore, antequam promulgentur, examinanda, & approbanda, condere valeant, licentiam tribuimus. Decernentes supradicta omnia perpetuò inuiolata fore, sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quàuis causâ & instantiâ, sublatâ cuique aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari debere, nec non irritum, & inane quidquid secùs super his à quoquam, quàuis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Sed ne præsentium litterarum effectus in longum protrahatur, Guillelmo Cardinali prædicto præcipimus, vt per se, vel alium, seu alios ipsas præsentes litteras, & quidquid in eis continetur ab vniuersis, & singulis Ordinis, & Congregationis S. Basilii prædicti Abbatibus Prioribus, & Monachis, aliisque prędictis, & dictorum Monasteriorum, & Archimandritatuũ prædictorum Commendatariis, etiam vt præfertur, qualificatis, inuiolatè faciant obseruari, & ad assignandũ, & cum effectu tradendum, pro Monachorum, & Ministrorum numero alendo, ac Mensâ Conuentuali, his Monasterijs, quibus eorum Conuentus existunt, partem bonorum, & proprietatum, ac iurium, claustraque, & ædificia prædicta, liberè consignandum intrà duos menses à die publicationis earundem litterarum, hic de more constitutionum, & litterarum Apostolicarum faciendæ, numerandos, etiam per priuationem Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum ab eis obtentorum, ceteraque iuris, & facti remedia opportuna compellat; Nos enim illi, & pro temporum existenti Protectori, per se, vel alium, seu alios, contrà Commendatarios omnes Monasteriorum, & locorum Conuentuum prędictorum, sic in Congregationem reductorum, qui congruam assignationem bonorum proprietatum, ac iurium dismembratorum prædictorum, præstituto tempore, facere distulerint, recusauerint, negauerint, vel etiam quouis modo impedierint, ceterosque omnes, sua in præmissis quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum locis publicis affigendum citandi, & monendi; ac contrà eos, & prorsus contrà quoscunque alios contradictores, & rebelles, eisque auxilium consilium, & fauorem, publicè, vel occultè præstantes, etiam summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ iudicij, sed solâ facti veritate inspectâ omni, et quâcunque appellatione remotâ procedendi, et ad hunc aliorumque præmissorum omnium executionem, & effectum, tàm eisdem, quàm etiam quibuscunque Iudicibus, & personis, etiam sub censuris, et pœnis Ecclesiasticis, ac etiam per simile edictum inhibendi, censuras, & pœnas ipsas, etiam sæpius aggrauandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachij secularis vbicunq; opus fuerit inuocandi, necnon partem proprietatum, & possessionum Mensarum Abbatialium prædictarum, quæ ad redditum annuum, pro victu, & aliis ad vsum soliti Monachorum, & ministrorum numeri satis sint, arbitrio eiusdem Guillielmi Cardinalis, & pro tempore Protectoris, vel eorum, qui ab eo deputabuntur eligendorum pro Mensâ Cõuentuali, etiam per subtractionẽ, et aliàs, prout ei visum erit perpetuò constituendi, et assignandi, ceteraque, in præmissis, & circà ea necessaria, & opportuna faciendi, et exequendi, etiamsi talia fuerint, quæ mandatum requirant magis speciale, quam præsentibus est expressum, plenam, & liberam, tenore præsentium, concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac Nostris de Vnionibus committendis ad partes, ac valore fructuum exprimendo, necnon de non tollendo iure quæsito, ac generales, & vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentes, nouissimè celebrati Lateranensis Concilij, ac piæ memoriæ Innocentij Quarti, quæ incipit: Volentes, & Bonifacij Octaui, Romanorum Pontificum, de vnâ, & in eodem Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, constitutionibus, necnon Monasteriorum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Monasterijs, & Ordinibus, eorumque Superioribus, & personis, etiam Monasteria, & Archimandritatus, eiusdem Ordinis, in Commendam obtinentibus, per quoscunque Romanos Pontifices

ces prædecessores Nostros, ac Nos, & eamdem Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, & in specie, etiam ab immemorabili tempore, quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, ac etiam vsu receptis, ac quocunque tempore factis, & promulgatis, & quibuscunque, alijs Indulgentijs, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omninò non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumq; totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris mentio specialis; quæ omnia contra earundem præsentium tenorem, nolumus cuiquam in aliquo suffragari, contrarijs quibuscunque; aut si Commendatarijs, & personis prædictis, vel quibusuis alijs, communiter, vel diuisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Postremò volumus, vt lapsis statim duobus mensibus à publicatione prædictâ, litteræ prædictæ: ita vnumquemque supradictorum arctent, ac si singillatim intimatæ fuissent, earumq; exempla etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati Ecclesiastici Sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem vbique locorum in iudicio, & extrà illud faciant, quàm ipsemet præsentes facerent, exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, perfectionis, commissionis, statuti, distinctionis, dismembrationis, diuisionis, applicationis, appropriationis, decretorum, aggregationis, concessionum, indulti, exemptionis, liberationis, susceptionis, tributionis præcepti, & voluntatum infringere. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1579. Kal. Nouembr. Pontif. Nostri Anno octauo.

## CONSTITVTIO CCCLXX.

### SVMMARIVM.

1587. 7bris 3.

### SIXTVS PAPA V.

*Priuilegia Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium Ordini Minorum de Obseruantiâ, Monialibus Sanctæ Claræ, Monialibus de Pœnitentiâ, seu Tertij Ordinis, sub Regulâ S. Francisci, communicat.*

*Rodriq. Priu. Apost. Sixti V. Const. 14.*

SIXTVS Papa Quintus. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi Mendicantium Ordines, & præsertim Sacer Ordo Fratrum Minorum de Obseruantiâ, qui sedulo ad Vineam Domini Sabbaoth, Dei gratiâ, Ordo ipse magno probitatis, & doctrinæ, ac animarum salutis fructus, semper olim attulerit; & quotidie afferre, summâ diligentiâ, conatur in eâ, quæ immensum exhibere non cessat famulatum, summo semper studio (etiam cum in minorib. constituti essemus) amplexi fuimus. Ad summi tamen Apostolatus apicem (meritis licet imparibus) Diuinâ fauente clementiâ, assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eundem Ordinem de Obseruantiâ, propensiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studijs, honestisque laboribus, ac pro animarum salute, ab Apostolicâ Sede (cuius continuè, pacem, & dignitatem Ordo ipse de Obseruantiâ fortitèr tutatus est) tàm spiritualia, quàm temporalia subsidia, ornamentaque acceperint, & accipient, quibus, & sancta sua officia, ac vitam suam regularem, faciliùs, atque expeditiùs exequi, & transigere possint, & cæteræ Religiosæ personæ, Ordinesq; alij, exemplo ipsorum, promptiores, alacrioresque ad sua officia persoluenda reddantur. Sanè pro parte dilectorum filiorum Francisci à Tholosâ Ministri Generalis, & Thomæ de Massâ Commissarij generalis Cismontanæ familiæ, prædicti Ordinis de Obseruantia, Nobis nupèr expositum fuit, quod cum ex ipsius Sedis prouisione, ac benignâ dignatione prouenire dignoscatur, vt Romanus Pontifex, quandoque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innouet, ac Apostolicâ authoritate, innouata, & restaurata muniat, & fulciat, & in pristinum statum reponat, ac reducat; necnon propterea nonnulli Romani Pôtifices prædecessores Nostri, nonnullas gratias, concessiones, Indulgentias peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia Priuilegia, & indulta, tàm prædictis Fratrum Minorum, quàm Sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentiâ nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac vtriusque sexus personis, & Monasteriis, domibus, Ecclesijs, & locis quibuscunque dictorum Ordinû, nunc, & pro tempore existentibus, in genere, vel in specie, etiam per modum Communicationis, siue extensionis Priuilegiorum, alijs Ordinibus eorumque domibus, & Ecclesijs, & vtriusque sexus personis Ordinum Mendicantium existen: concessorum, côcesserunt, aut iam concessa confirmarunt, & approbarunt, prout in singulis concessionibus, declarationibus, & litteris eorundem prædecessorum expeditis pleniùs dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, illa, quò sæpius, Apostolicâ authoritate prædictâ, munita existunt, maiorem obtineant roboris firmitatem, pro parte eorundem Francisci, & Thomæ Nobis fuit humiliter supplicatum, vt prædictis Priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus fauoribus, conseruatorijs, declarationibus, facultatibus dispensationibus, gratijs concessionibus, indulgentijs, & indultis, pro illorum obseruantiâ, Nostræ approbationis robur adijcere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui omnium votis, præsertim illis, qui sub suaui Religionis iugo, diuinis laudis, & Christianæ Religionis augumento incumbentium personarum trãquillitati, & commoditati consulimus, libentèr annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis; huiusmodi supplicationibus inclinati. Quæcumque præmissa, ac omnia, & singula alia Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas fauores conseruatorias, declarationes, facultates dispensationes, gratias concessiones, indulgentias, & indulta, spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus, Mendicantibus, & Non Mendicantibus eiusdem Fratrum Minorum Regularis

ris Obseruantiæ, & Sanctæ Claræ, & de Pœnitentiâ Tertio Ordine, etiam in Congregatione, sub trium votorum substantialium professione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ huiusmodi obedientiâ degentibus, ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus Sororibus, ac vtriusque sexus, etiam singularibus personis, nec non Monasterijs, Domibus Ecclesijs, & locis, quibuscumque, in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam Viuæ vocis oraculo, vt præfertur, aut aliàs, per eosdem Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, sub quâcunque formâ, & expressione verborum, concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata; nec non omnibus, & singulis in eis forsan contentis clausulis, & certis declarationibus quibuscunque ac singulis desupèr, etiam pluribus vicibus, confectas litteras, & in eis contenta, & inde sequuta quęcunque, illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus, vt in suis essent inserta, pro sufficientèr expressis habentes, dictâ auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certà scientiâ, in his omnibus, in quibus decretis Concilij Tridentini non aduersentur, approbamus, & confirmamus, ac innouamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmitèr obseruari; necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ, & Sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentiâ nuncupato, etiam in Congregatione sub obedientiâ Fratrum Minorum de Obseruantiâ huiusmodi degen; Superioribus Fratribus Monialibus, etiam Tertiarijs nũcupatis, Sororibus, personis, Monasterijs, domib., Ecclesijs, & locis prædictis, etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi, suffragari, illisque vti, frui, & gaudere quando, & quotiès opus fuerit, posse, & debere, in iudicio, & extrà, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus, & per omnia, ac si specialitèr, & expresè eisdem Fratrum Minorum, ac Sanctæ Claræ, & Tertio de Pœnitentiâ Ordinibus per Nos concessa fuissent, decernimus. Supplentes omnes, & singulos iuris, & facti, ac solemnitatum, etiã de iuris necessitate, aut aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, & alios quoscunque defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Quocircà Venerabilibus Fratribus Calaguritano, & Leodiensi Episcopis, ac dilecto filio causarum Cameræ Apostolicæ, generali Auditori, per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, faciant auctoritate Nostrâ, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, plenum eorum effectum sortiri; illisque omnes, quos concernunt pacificè frui, & gaudere; non permittentes quemquam desupèr, contrà præsentium tenorem, sub quouis prætextu, & causâ, etiam defectû intentionis Nostræ, per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, quinimmo quicquid in contrarium attẽtari, vel fieri continget, omnia semper in pristinum reponi; Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascunque de quibusuis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione quâcunque postpositâ, cõpescendo; ac legitimis, super his habendis, seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nec non Sacri Palatij Apostolici causarum Auditores, sublatâ eis quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debere. Non obstãtibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui etiam prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio Generali de duabus dietis editis, dummodo vltrà tres dietas, aliquis, præsentium vigore ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis Constitutionibus, ac Prouincialibus, ac capitularibus, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam in formâ Breuis per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam Motû proprio, ac certâ scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, etiam Priuilegiorum eorum reuocatiuis, restrictiuis, reseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, mẽtis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluriès concessis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, etiam quod in eis caueatur expresè, quod illis nullatenùs, aut non, nisi sub certis modo, & formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ, & obseruatâ inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis, & insertis habentes, motu, scientiâ, & auctoritate similibus derogamus. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eâdem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; cœterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret, præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus fortè opus esset, deferri, volumus, & paritèr Apostolicâ auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius ex Secretariis cuiusuis prædictorum Prælatorum Generalium, & suorum successorum, aut Notarii publici subscriptis, & sigillo officii alterius eorundem, aut alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1587. Pontificatus Nostri Anno tertio.

## CONSTITVTIO CCCLXXI.

*SVMMARIVM.*

1587. Octob. 25.

### SIXTVS PAPA V.

*Priuilegia Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci, concedit Ordini Minorum Conuentualium Reformatorum S. Francisci.*

*Bullar. Rom. Sixti V. Const. 68.*

SIXTVS Episcopus, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolici muneris sollicitudo, Diuinâ dispensatione nobis licet immerentibus delegata, indesinenter requirit, vt circa statum Religiosarum personarum quarumlibet, illarū præsertim, quæ ex singulari deuotionis feruore sub strictiori Religionis iugo, gratum Deo famulatū præstare affectant, & continuo insistunt, assidua mentis cogitatione inuigilantes, ad ea, per quæ Regularis vitæ institutum in melius dirigetur, ipsæque personę Religiosæ in huiusmodi earum laudabili instituto, semoto quocunque perturbationis, & molestiæ obstaculo, quiete, ac tranquillitatis amænitate perseuerare valeant, propensiùs intendamus, ac in his officij Nostri partes libentèr interponamus, prout vndique debitè pensatis circunstantiis, conspicimus in Domino salubritèr expedire. Sanè exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum Fratrum Minorum Conuentualium Reformatorum S. Francisci petitio continebat, quod annis iam pluribus retroactis, nonnulli Ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci, iam tunc expresse professi, strictioris Religionis iugum subire, ac eiusdem Sancti Francisci Regulam, institutumque pium, ac sanctum, exactiùs sequi atque imitari, & sub illis magis gratum Deo famulatum exhibere peroptantes, cęperunt seipsos, iuxta eandem Regulam paulatim reformare, nonnullasque Domos, Conuentus, & loca in Prouinciâ Marchiæ Anconitanæ, in Hetruriâ, ac in Neapolitan. & Siciliæ Regnis, in quibus ipsam Regulam seruare, & secundum illam viuere possent, acquisiuerunt, & acceptarunt. Licet autem in domibus, & locis huiusmodi, sub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis Fratrum Minorum Cōuentualium huiusmodi viuant, nec ideo ab aliquo potuissent, nec possint, vel debuissent, aut debeant, super sic reformato viuendi modo, per quemquam molestari, vel impediri; nihilominus in quibusdam locis, & potissimum in prædicto Siciliæ Regno, aliqui locorum Ordinarij, sub prætextu, quod hęc Fratrum Reformatorum Congregatio, noua, ac nequaquam ab Apostolicâ Sede approbata existeret; permiserunt quidem ipsos Fratres Reformatos Ecclesias, & loca fabricari facere, & acquirere, sed postea eos illis de facto spoliarunt; alij vero in aliis locis eosdem super habitu ipsorum, & seu alias, ac super aliis molestarunt, & inquietarunt. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, dicti Fratres Reformati prouidè, & ne ipsos, eorumque Congregationem super præmissis contingat vlteriùs inquietari, vtque præsens Reformatio magis stabilita, non solum manuteneatur, sed incrementum accipiat, speciali Nostro, & Sedis prædictæ Priuilegio, vt infrà, Dilectis filiis Protectore, & Magistro Generali dicti Ordinis, in hoc etiam consentientibus, præfulciri desiderent, ac pro parte eorundem Fratrum Reformatorum Nobis fuit humilitèr supplicatum, quatenus in præmissis opportunè prouidere, ac eos in huiusmodi pio, & laudabili proposito confouere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui personas deuotas, præsertim vero eas, quæ relicto mundo, Christum secutę sunt, specialibus libentèr prosequimur fauoribus, eosdem Fratres Reformatos, ac illorum singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, reformationem prædictā vbicumque locorum cœptam, & introductam, ac in dies introducenda, ac pro ea, & illius felici, & prospera directione facta, statuta, & ordinationes cum indè secutis quibuscunque, sicuti piè, ac sanctè, sancita, & ordinata sunt, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illaque omnia per quoscunque locorum Ordinarios, et alios ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, inuiolabilitèr obseruari debere decernimus, omnesque, et singulos, tàm iuris, quàm facti, ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui forsan quomodolibet interuenerint in eisdem aut eorum aliquo, de plenitudine Apostolicæ potestatis supplemus. Et nihilominùs eisdem Fratribus Reformatis, quod nunc ac deinceps in perpetuum ipsi ac eorum Congregatio, tàm in prædictis, quàm quibusuis aliis Regnis, & Mundi partibus, Fratres Minores Conuentuales Reformati nūcupari, & pro talibus haberi, & reputari, necnon se ipsos ita vbilibet, & in quibusuis actibus publicis, & priuatis, vocare, & inscribere, & secundum veram Beati Francisci Regulam, Apostolico more in communi, sub dilectorum filiorum nunc, et pro tempore existentium dicti Ordinis Fratrum Minorū Conuentualium Protectorum, & Magistrorum, ac Procuratorum Generalium, & Ministrorum Prouincialium viuere, exceptis dumtaxat Domibus, & Conuentibus Vrbis, & Ciuitatis Neapolitan. quæ sub Obedientiâ Ministri, & in eius absentia Procuratoris Generalis Ordinis, vt par est, degere, & subesse tantum intelligantur. Custodesque Prouinciæ in eis residere debeant, etiamsi aliqui Eremiticam, aliqui sub obedientiâ Fratrum Minorum de Obseruātiâ nuncupatorum, alij vero tanquam Tertiarij, aut alias aliam vitam duxerint, seque voto vitę Quadragesimalis obligauerint, ac etiamsi postea absoliti fuerint, à quibus omnibus votis, & professionibus, quatenus opus sit, eos, & illorum singulos plenariè absoluimus, & liberamus, ac habilitamus, plenariéque absolutos, & habilitatos esse decernimus. Ac quod quicunque ipsorum Fratrum Reformatorum vocati, in quacunque Prouinciâ, Capitulo, seu Congregatione Prouinciali dicti Ordinis Fratrum Conuentualium intersint, in quo particularis fiat Congregatio diuersorum vocalium Reformatorum, & in ea Præsidens ipsius Capituli existat, ac præsideat, ibidemque Custodem Reformatum inter ipsos eligat. Cuius officium per annum tantum duret, quique visitandi, corrigendi, incarcerandi, puniendi, priuandi, collocandi, & deponendi, siue dislocandi, necnon reformandi, ac primas causas cognoscendi, sicut cognoscit Prouincialis, dummodo ab ipso Prouinciali non præueniatur, & ab ipso, eiusque decretis ac sententijs ad ipsum Prouincialem Conuentualium relinquatur recursus, & appellatio, qui vel quę nunquam impediri queat, quoties opportunum fuerit, sed tantum in eos possit Prouincialis prædictus, quantum in Conuentuales, de iure, more, laudabilique consuetudine potest, & debet. Et insuper eorundem Fratrum Reformatorum quilibet, necnon quæcunque domus, Ecclesiæ, & loca ipsorum, omnibus, & singulis Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentijs, stationibus, cæterisque gratijs, tàm temporalibus, quàm spiritualibus, quibus

bus domus, & Ecclesiæ dictorum Fratrum Conuẽtualium, eorumque Guardiani, & Fratres, de iure, vsu, & consuetudine, vel Priuilegio, aut aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformitèr, & sine differentia, dummodo contra puritatem Regulæ eiusdem Beati Francisci non sint, nec ei in aliquo derogent, sed conseruationem, & augmentum dictæ Reformationis concernant, vti, frui, potiri, & gaudere possint in quolibet actu. Concedit itidem, vt in quolibet eorum Conuentu, seu domo, Sindicum, iuxta ordinationem felicis recordationis Nicolai Papæ Tertij prædecessoris Nostri, super hoc factam, cui per Prouincialem Custodem, ac Guardianum loci, cum alijs Fratribus, negocia sæcularia, domus seu Conuentus, ac computa rationum reuidenda, expensæ faciendę, prouisiones necessariæ pro alimentis, & vestimentis, constructiones, & reparationes Conuentuum, ne commutent habitum, etiam quantumuis rudem vilium pannorum, siue nouum, siue veterem, ac de saccis, etiam repetiatum, & resarcitum, non enim habitus exquisitus, in qualitate, vel quantitate decet Fratrem Reformatum, coloris terrei, seu cinericij, ac caputium, seu scapularium in capite rotundum, & à tunica diuisim gestare, ac vbilibet deferre, nudisque pedibus, aut suppositis solis (siue vt vocant) sandalijs, incedere liberè, & licitè valeant, ac etiam debeant. Necnon quod ab Ordinarijs locorum, quorumcunque Regnorũ, & Mundi partium, in quibus pro tempore domus seu Conuentus, & loca habuerint, ac introducti fuerint, aut etiam quibuscunque alijs personis, Superioribus, & Prælatis cuiuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, in hac super, tàm iam fabricatis, ac receptis, et acceptis, quàm deinceps quandocunque, et vbicunque (de Ordinariorum locorum licentiâ) fabricandis, recipiendis, & acceptandis, per eos, ac eis oblatis, & donatis domibus, Conuentibus, Ecclesiis, ac locis, illorumque vsu, habitatione, ac retentione liberis, quietis, et pacificis) dummodo tamen de licentiâ expressa Ministri Generalis pro tempore existentis dictorum Fratrum Conuentualium, ac Capitulo Prouinciali, sic determinante) domos, et loca huiusmodi receperint, & acceptauerint, habitusque delatione, & aliis præmissis, quouis modo, aut quæsito colore, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, vllatenus vnquam molestari, perturbari, vel inquietari. Neque item ipsi Fratres Reformati aliquos alios Fratres alterius cuiuscunque Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia, ac Capuccinorum, aut aliorum Ordinum, iuxta litteras felicis recordationis Pij Papę Quinti etiam prædecessoris Nostri in formâ breuis, sub die prima Decembris, millesimi quingentesimi sexagesimi noni, Pontificatus sui Anno quarto emanatas, sed tantũ Conuentuales, et cum expressa ad hoc habita Ministri Generalis ipsorum Conuentualium licentiâ recipere, minusue sic inter Reformatos ex Conuentualibus recepti, professionem alio tempore, vel anticipato, vel non completo anno, vel ante annum sextũdecimum, vel datis, vel intimatis terminis professionis faciendæ, & hoc etiam in publica Ecclesia, Capitulo, vel Refectorio, prout ipsi Conuentuales emittunt, ac nonnisi iuxta veram, & puram Regulam Beati Francisci prædictam emittere, neque postquã ad Reformatos ex Conuentualibus sic transiuerint, ad dictos Conuentuales indè reuerti; quin etiã prædicti Fratres Reformati ex sæcularibus nullos, nisi qui bonæ vitæ, & famæ, priusquàm in ipsa Congregatione Reformatorum recipiatur, probati fuerint, ac habita prius à Prouinciali dictorum Fratrum Conuentualium licentiã, quàm nec Guardiani, Custodes, vel Commissarij quicunque dare possint, in Fratres Reformatos recipere queant. Demumquod ipsi Fratres Reformati, & eorum Congregatio, dictis Fratribus Conuentualibus, ac cum illis ita vniti sint, & esse censeantur, vt nullo vnquam tempore liceat illis alios Protectores Generales, vel Prouinciales, quàm dictorum Conuentualium habere, nec in Processionibus, & alijs actibus, aliam quam Conuentualium Crucem sequi, vel deferre; nisi fortè ipsi Fratres Reformati in aliquo loco fuerint, in quo non adsunt Conuentuales, quo casu idem Reformati per seipsos ire, ac incedere, sub excommunicationis pœna sese à Conuentualibus vnquam separare, aut segregare vllo modo, vlloue tempore valeãt. Præsentes quoque, & desuper conficiendæ litterę, toti, & soli Congregationi Reformatorum, sub obedientia Conuentualium, in omnibus Prouincijs vi- nentium suffragentur, ac concessæ intelligantur, illæque per quoscunque vniformiter, etiamsi aliqui hactenus in quacunque Prouincia Priuilegium aliquod, aut facultatem particularem, à nobis, et aliis Romanis Põtificibus prædecessoribus Nostris, quomodolibet impetrarint, obseruari debeant, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuò concedimus, et indulgemus. Ac etiam statuimus, et ordinamus easdem præsentes litteras, nullo vnquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis, vel quouis alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus vnquam posse, sed illas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosq; effectus sortiri debere; neque sub quibusuis similiũ, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, per quascunque litteras, vel constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ Regulas, etiam per Nos, & successores Nostros prædictos, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de prædictæ potestatis plenitudine, ac consistorialitèr, necnon sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, necnon quoties illas reuocari, vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum, etiam sub data priori restitutas, et plenariè reintegratas, et de nouo concessas esse, et censeri. Sicque etiam per quoscumque Iudices, Commissarios, et delegatos, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, necnon quosuis alios Ecclesiarum Prælatos, ac Iudices, tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares, sublata eis, et eorum cuilibet, quauis alitèr iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et diffiniri debere; si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, sciẽtèr, vel ignorantèr attentari contigerit, irritum, et inane decernimus, et declaramus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis. Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decrets, etiam Motu simili, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenorib. specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad

ver-

verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia exquisita forma, aut aliqua alia expressio habenda, ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in eis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium copiis, siue transumptis etiã impressis, & manu alicuius Superioris dictorum Fratrum Reformatorum subscriptis, plenaria vbique fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac si originalitèr exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Idibus Octobris, Pontificatus Nostri Anno tertio.

## CONSTITVTIO CCCLXXII.

### SVMMARIVM.

1587. Nouemb. 25.

### SIXTVS PAPA V.

*Priuilegia Congregationũ Casinensis, Vallis Oleti, Sancti Hieronymi, & Cistercienfis, Congregationi S. Benedicti de Portugallià communicat.*

*Rodriquez Bull. Apost. Sixti V. Const. xi.*

SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Iniunctum Nobis desupèr Apostolicæ seruitutis officium, Nos inducit, vt votis Catholicorum Principum, per quæ Personarum Religiosarum sub suaui Religionis iugo, Altissimo famulantium, indemnitatibus, ac commoditatibus salubritèr valeat prouideri, libentèr annuimus, easq; fauoribus prosequimur opportunis. Sanè pro parte Charissimi in Christo filij Nostri, Philippi Hispaniarum, ac Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Catholici, Nobis nupèr exhibita petitio continebat. Quòd aliàs, postquam felicis recordationis Pius Papa V. Prædecessor Noster Claræ memoriæ Sebastiani Portugalliæ, & Algarbiorum Regis supplicationibus inclinatus, vnam Congregationem omnium, & singulorum Monasteriorum Monachorum Ordinis S. Benedicti in Regno Portugalliæ consistentium, quæ de iure patronatus ipsius Sebastiani Regis existebant, sub inuocatione eidem Sebastiano Regi benè visa, & per quosdam tũc expressos Religiosos viros, seu eorum alterum reformandorum ad instar Castellæ seu Sanctæ Iustinæ Paduanensis, vel Casinensis Congregationum, Apostolicâ auctoritate, per quasdam erexerat, seu instituerat, illique sic erectæ, & institutæ, omnia, & singula dicti Ordinis virorum Monasteria in dicto Regno consistentia, & de iure patronatus huiusmodi existentia quæcunquæ quotcunque, & qualiacunque essent ac per quoscunque etiam S. R. E. Cardinales, etiam Legatos de latere, in Titulum, Commendam, & Administrationem, aut aliàs obtinerentur etiamsi actù, tunc quouis modo vacarent, ac tanto tempore vacauissent, quod eorum prouisio, iuxtà Lateranẽsis statuta Concilij, aut aliàs Canonicas sanctiones, ad Sedem Apostolicam legitimè deuoluta existerent, cum illorum Prioribus, ac Conuentibus, & Monachis quibuscunque sub certis modo & formâ, etiam tunc expressis, subiecerat, & supposuerat; ac eidem sic erectæ Congregationi incorporauerat, & aggregauerat, aliaque desuper statuerat, & ordinauerat: cum idem Sebastianus Rex, vt tunc asserebat, non speraret reformationem dictorum Monasteriorum, absque maximâ difficultate exequi posse, si Monasteria ipsa, per Commendatarios, aut Administratores, seu Abbates perpetuos regerentur, prout eatenùs fieri consueuerat, prædictus Prædecessor, eiusdem Sebastiani Regis supplicationibus tunc inclinatus, per aliàs suas litteras, quòd S. Martini de Tibaens, & S. Andreæ de Rendufe, ac S. Romani de Neyuã, tunc Abbatum regimine destituta, & B. Mariæ de Pombeyro, ac eiusdem B. Mariæ de Caruoeyro, nec non S. Ioannis de Arpoiâ, & Sancti Saluatoris de Trauancâ, & eiusdem Sancti Saluatoris de Palmâ, necnon similitèr Sancti Saluatoris de Pazo de Sousã, ac eiusdem Beatæ Mariæ de Buscello, & Sancti Tyrsi de Riuadaue, necnon Sancti Ioannis de Alpendoradâ, Bracharensis, & Portugalensis, respectiuè Diœcesis, & alia quæcunque tunc Abbatum regimine minimè destituta, etiam forsan commendata, vel in administrationem, vel aliàs concessa Monasteria Ordinis huiusmodi, etiamsi de illis consistorialitèr disponi consueuisset, aut deberet: cum primum illa per cessum, vel decessum, seu quãuis aliam dimissionem, vel ammissionem, illa tunc obtinentium, simili regimine destituti, vel illorum triennales in Capitulo Generali ipsius Congregationis per pro tempore existentes, Abbatem Generalem nuncupandum, ac alios Abbates Diffinitores, Visitatores, ac alios ipsius Ordinis Monachos, & personas, qui Capitulo generali, de iure, vel consuetudine, aut aliàs, iuxtà prædictarum Congregationum statuta interuenire solent, eligendos, absque aliâ, quam à generali eiusdem Congregationis Abbate desupèr petendâ, vel obtinendâ confirmatione, regi, & gubernari deberent. Quodque de cœtero prædicta Congregatio, vni Abbati Generali nuncupando, singulis triennijs eligendo, ad instar Congregationum prædictarum, omninò subesset, perpetuò statuit, & ordinauit, & nihilominùs ex tunc, nomen, & titulum perpetui Abbatis, in singulis Monasterijs prædictis, ita quòd de cœtero, perpetui Abbates denominari, seu censeri, ipsaque Monasteria alicui personæ in Titulum, Commendam, vel Administrationem perpetuas conferri non possent, ac quæcunq; collationes prouisiones, commendæ, vel administrationes, & aliæ quæuis dispositiones, de illis, aliàs quàm vt præfertur factæ, nullæ, irritæ, & inanes eò ipsò essent, & esse censerentur, etiam perpetuò suppræssit, & extinxit; nec non Monasteria ipsa ad triennalitatem, absq; tamen illa, tunc in titulum, commendam, administrationem, aut aliàs quomodolibet obtinendum, præiudicio, reduxit. Necnon quod de cœtero Monasterijs præfatis, etiam apud Sedem prædictam vacantibus, & tàm propterea dispositionis suæ, quàm etiam ratione quarumcunque personarum S. R. E. Cardinalium, aut aliàs reseruatis, non nisi per electionem huiusmodi, singulis triennijs faciendam, disponi vlterenùs possit, etiamsi de eis, alitèr quàm per electionem huiusmodi, pro tempore dispositum foret, seu qui ad illam pro tempore electi extitissent, electionẽ suam ad eius vitam, seu ad aliud tempus, vltrà triennium à Prædecessore, seu à Sede prædictis, confirmari, aut aliàs de illis sibi prouideri, vel disponi obti-

nerent, seu si Prædecessor, vel Sedes huiusmodi, aut illius Legati vel Nũtij de eiusdem Monasterijs quomodolibet, etiam per cessionem in dicti Prædecessoris, seu pro tempore existentis Romani Pontificis manibus, spontè factam, vacantibus, alicui personæ, quouis modo prouidere, seu aliquem coadiutorem, pro tempore existentibus ipsorum Monasteriorum Abbatibus, in regimine, & administratione illorum deputaret, tunc, & eo casu, electiones, confirmationes prouisiones, coadiutorum deputationes, ac quælibet aliæ ipsorum Monasteriorum dispositiones, nullæ, irritæ, & inanes, nulliusque roboris, vel momenti essent, & esse censerentur, & nihilominùs illis non obstantibus, Generales, & alij Abbates, Definitores, & aliæ personæ huiusmodi, dicto termino elapso, ad illorum electionem procedere possent, & deberent, &, vt id faciliùs subsequi posset, omnes, & singulas prouisiones, & præfectiones de quibusuis personis, eisdem Monasterijs: nec non quascunque suppressiones, extinctiones, vniones, coadiutorum deputationes, & alias gratias, de illis in posterum, per ipsum Prædecessorem, seu successores suos Romanos Põtifices, aut Sedem huiusmodi, faciendas, nullas, & inualidas esse, nulliusque roboris, vel momenti fore, personasque illas in titulum, commendam, & administrationem, aut aliàs tunc obtinentes, illorum regimini, & administrationi, nisi ad effectum præmissorum, cedere non posse, & si illis quouis modo cederent, eò ipso Generalem, & alios Abbates Definitores, & aliàs personas præfatas ad electionem prædictam, omninò procedere posse, & debere; Monasteriaque præfata, sub generalibus vel specialibus reseruationibus, aut Cancellariæ Apostolicæ regulis, seu decretis minimè comprehendi posse vel debere. ac vltimo dictas litteras, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis suæ, vel quouis alio defectû, etiam ex eo quod ius in dictis Monasterijs habentes vocati non fuerant, ac præmissis non consenserant, alioue quocunque, capite, impugnari, inualidari, aut in ius, vel controuersiam, quâcunque ratione, vel causâ vocari, seu restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, seu quoduis aliud iuris vel gratiæ remedium, cõtrà illa impetrari, aut alio, vel aliis impetratis, siue etiam Motû proprio, & ex certâ scientiâ concessis, vti posse, causamque vel causas, propter quas ipsæ litteræ ab eo emanauerant coram quocumque Iudice, etiam delegato verificari: nec ob id viribus carere, aut per obreptionem, vel subreptionem obtentas præsumi, minusque Sebastianum Regem prædictum ad verificandum gratiam huiusmodi teneri, nec sub quibuscumque, reuocationibus modificationibus, limitationibus, restitutionibus, alijsque contrarijs dispositionibus similium, vel dissimilium gratiarum, tàm per eum, quàm etiam successores suos prædictos quomodolibet, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis pro tempore factis, quorumcunq; tenorum existerent, includi, sed, illis non obstantibus, in suis robore, vigore, & efficaciâ existere, & quotiès illæ emanarent, totiès in pristinum statum repositas, restitutas, & plenariè reintegratas, etiam sub Datum per præfatum Sebastianum, & pro tempore existentem Portugalliæ Regem, eligendâ, de nouo concessas esse, ac incommutabilis voluntatis, & intentionis suæ fuisse, & adhoc, vt perpetuâ firmitate subsisterent, vim validi, & efficacis contractus inter se, & sedem prædictam, ac Sebastianum, & successores suos Portugalliæ Reges prædictos habere decreuit, prout in singulis litteris prædictis pleniùs continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictæ posteriores litteræ, quoad nonnulla ex Monasterijs in illis expressis, suum sortitæ sint effectum, illarumque vigore, aliqua ex Monasterijs, sub dictâ Congregatione comprehensis, per Abbates triennales, in Capitulo Generali eiusdem Congregationis, singulis trienijs electos, hodie gubernentur, & exinde in dictâ Congregatione copiosiùs Religiosorum virorum numerus excreuit, qui sub Religionis iugo, & reformatâ Monasticâ vitâ, gratum Altissimo prȩstant obsequium, ex quo vberiores fructus in agro Domini proueniunt, cum populi Christiani illarum partium spirituali consolatione. Quia tamen superueniente obitû dicti prædecessoris piæ memoriæ, Gregorius Papa XIII. etiam prædecessor Noster, per quamdam eius Constitutionem, in crastinum suæ assumptionis ad Summi Apostolatus apicem æditam, & in Cancellariâ Apostolicâ publicatam, suppressiones, & extinctiones Monasteriorum, & aliorum Beneficiorũ Ecclesiasticorum, eatenùs effectum non sortitas, primò, & deinde per alias suas speciales, in formâ Breuis litteras, & dicti Sebastiani Regis nomine obtentas, & postremò Nos per quamdam Nostram Constitutionem per Nos in crastinum assumptiones Nostræ ad summum Apostolatus apicem ȩditam, & in Cancellariâ prædictâ, etiam publicatam, similes suppressiones, & extinctiones, quæ eatenùs suum nõ sortitȩ fuerant effectum, reuocauimus: nonnulla alia sub dictâ Congregatione compræhensa Monasteria, sub regimine, & administratione Abbatum, seu commendatariorum perpetuorum adhuc remanserint, ipsi Abbates, seu Commeadatarij perpetui, fructus, redditus, & prouentus mensarum Abbatialium ipsorum Monasteriorum, pro eorum libito, consumant, & Religionis in eis degẽtibus necessaria ad cõmunẽ vitam in Regulari obseruantiâ ducendam, nõ solum minimè subministrare, sed etiam, quod dolendum est, ædificia Monasteriorum eorumdem reîdaurare, ac ornamenta Ecclesiastica ad Diuinum cultum necessaria, prout deceret, dare negligant, quo fit, vt in reliquis Monasterijs huiusmodi Regularis Obseruantia commodè introduci, aut conseruari nequeat, in Monasteriorum, & Ordinis huiusmodi, nõ modicum detrimentum. Quare, vt incommodo huiusmodi, & alijs præmissis faciliùs occurri possit, dictus Philippus Rex eorundem Monasteriorum patronus, illorum prosperum, & salubrem statum, ac in illis Regularis Obseruantiæ augumentum, singulari affectu desiderans, Nobis humilitèr supplicari fecit, quatenùs dictorum Monasteriorum indemnitatibus consulere, ad vltimò dictas Pij prædecessoris litteras, cum omnibus, & singulis in eis contentis ab earum Datâ confirmare, & approbare, aliàsque in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica alijs vniri tenerentur exprimere verũ annuum valorem, secundum communem ȩstimationem, etiã Beneficij, cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio nõ valeret, & semper in vnionibus, commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, eumdem Philippum Regem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententijs, censuris, vel pœnis à iure, vel ab homine, quàuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, necnon verum, & vltimum singulorum, Monasteriorum, præfatorũ vacatio-

cationis modum, etiamsi ex illo, quæuis generalis reseruatio, etiam in corpore iuris clausa resultet, illorumque situationes, denominationes, inuocationes, & Diœceses, eorumque fructuum, redditcuum, & prouentuum veros annuos valores, etiam iuxtà illorum in libris Cameræ Apostolicæ taxationem, necnon singularum litterarum præfatarum, ac indè secutorum quorumcunq; tenores, præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vltimodictas Pij prædecessoris litteras, cum statuto, ordinatione, suppressione, extinctione, reductione, indultis, & concessionibus, ac omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & derogationibus, necnon processus habitos, vel habendos per easdem, ac indè secuta quæcunque, ab earundẽ Datâ, ac dictam Congregationem illiusque Generalem, & Abbates, ac alios, Definitores, Visitatores, & alias personas prædictas, quoàd ipsarum litterarum effectum consequendum, aduersùs prædictas, & alias quascunque Constitutiones, illarum reuocatorias, seu moderatorias in pristinum, & in eum in quò, antequam Constitutiones, & litteræ prædictæ emanarent, & perindè, ac si nunquam emanassẽt, quomodolibet erat, statũ, in omnibus, & per omnia, ex certâ Nostra scientiâ Apostolicâ authoritate, tenore presẽtiũ restituimus, reponimus, ac plenariè, & plenarijssimè reintegramus. Et nihilominus ex nũc, tàm B. Mariæ de Pombeyro, & S. Ioannis de Alpendoradâ, ac S. Saluatoris de Palmâ, necnon de Gamfei, ad præsens Abbatum regimine destituta, quàm S. Tyrsi de Ribadaue, S. Michaelis de Bustello S. Ioannis de Arnoia, ac B. Mariæ de Caruoyero prædicta, necnon S. Claudij de Cucugaens, & de Cabanis, & de Mirandâ, & Dargâ, eiusdem Ordinis Monasteria, quorum, & illis forsan annexorum, fructus redditus, & prouentus, sex millium ducatorum auri de Camerâ, secundum communem æstimationem, valorem annum, vt dictus Philippus Rex asserit, non excedunt, & quæ de iurepatronatus dicti Philippi Regis, vt asserit, existunt, adhuc ipso regimine forsan non destituta, etiam forsan commendata, aut in administratione, vel aliàs quomodolibet concessa, etiamsi de illis consistorialitèr disponi consueuerit, seu debeat: cum primum illa per cessum, vel decessum, seu quamuis aliam dimissionem, vel ammissionem, illa ad præsens obtinentium, simili regimini destituti, vel illorum Commendas, vel administrationes, vel concessiones huiusmodi, cessare contigerit; etiamsi actu nunc eodem regimine destituta sint, aut illorum Commendæ, vel administrationes, vel cõcessiones huiusmodi cessent, aut illa alio quouis modo, etiam apud Sedem Apostolicam vacent, per Abbates triennales, vt præfertur, eligendos absque vllâ aliâ, quàm, vt premittitur, desupèr petenda, & obtinenda confirmatione, regi, & gubernari debere, modo, & formâ præmissis ex certâ scientiâ, de authoritate, & tenore premissis, etiam perpetuò statuimus, & ordinamus, necnon ex nunc, nomen, & titulum perpetui Abbatis, sine tamen præiudicio, quoàd temporalia, illa ad præsens obtinentium, in singulis Monasterijs prædictis, modo, & formâ in dictis litteris contentis, authoritate, & scientiâ similibus, similitèr perpetuò supprimimus, & extinguimus, et insupèr Congregationis sic erectæ, illiusque Generali, & illius Abbatibus, Definitoribus, Visitatoribus, & alijs personis prædictis, quæ ex nunc, tàm secundodictarum litterarum, quàm præsentium vigore, singulorum, & quorumcunque aliorum Monasteriorum prædictorum, corporalem, realem, & actualem possessionem, sine tamen illa ad præsens obtinentium, præiudicio, liberè, apprehendere, & perpetuò retinere; illaque iuxtà prędictæ Congregationis Regularia Instituta, regere, gubernare, & reformare, illorumque fructus, redditus, & prouentus, in Congregationis, & Monasteriorum eorumdem, ac Religiosorum in illis degentium, vsus, & vtilitatem conuertere, Diœcesani loci, vel cuiusuis alterius licentiâ desupèr, minimè requisita: quodq; Abbas Generalis dictæ Cõgregationis, qui pro tempore fuerit, cum consilio, et assensu Capituli Generalis, illa ex Monasterijs prædictis, quæ in locis incommodis, & minus populosis reperiuntur, ad commodiora loca, vbi Monachorum doctrina, & vitæ exemplum, Populo Christiano magis vtilis futura sit, et fructuosa, propriâ authoritate, Ordinariorum locorum, vel cuiusuis alterius licentiâ minimè requisitâ, cum eorum Monachis, & suppellectilibus paramentis, & ornamentis, alijsque rebus necessarijs transferre, & mutare, ac seu fructus, redditus, et prouentus eorundem Monasteriorum, seu cuiuslibet eorum, vel illorum partem, Generalis, et Capituli prædictorum arbitrio, alij, seu aliis eiusdem Congregationis Monasteriis magis indigentibus perpetuò, vel ad tempus etiam renitentibus Abbatibus Monasteriorum eorundem, et quibusuis aliis personis applicare, et assignare, prouiso tamen, quod animarum Cura, personarum sæcularium incumbens Abbatibus, & Conuentibus Monasteriorum transferendorum huiusmodi, in Ecclesijs eorum, nullatenùs negligatur, sed per Monachos dictæ Congregationis Regulares, vel Præsbyteros sæculares idoneos, & ab Ordinarijs approbandos, laudabilitèr exerceatur, liberè, & licitè valeant; plenam, & liberam, Apostolicâ authoritate, eorũdem tenore præsentium, licentiam concedimus, & facultatem. Decernentes restitutionem, repositionem, reintegrationem præfatas, statutamq; ordinationem, suppressionem extinctionem, & concessionem, posteriores huiusmodi de subreptionis, obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quouis alio defectu, etiam quod ius habentes in ipsis Monasterijs, vocati non fuerint, ac aliàs, eisdem, modo, & formâ, quibus Pius prædecessor prædictus decreuit, nec sub quibuscunque similibus, vel dissimilibus reuocationibus, modificationibus, & alijs contrarijs dispositionibus per Nos, & successores Nostros quomodolibet, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusq; & aliis decretis pro tẽpore factis, includi, sed semper ab illis exceptas fore, & esse, ac in suis robore, & efficaciâ permanere, & quoties illæ emanabũt, totiès in pristinũ statũ restitutas, repositas & plenariè reintegratas, sub Datâ per eandẽ Cõgregationem, aut Philippum Regem, & successores suos eligendos, & denuò concessas fore, & esse, & ad hoc, vt perpetui roboris firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractus inter Sedem prædictam, ac Philippum Regem, & successores suos prædictos habere. Præterea eidem Congregationi, ac omnibus, & singulis illius Monasterijs, Prioratibus, & aliis regularibus locis, tam præsentibus, quam futuris, eorũque generali, & aliis Abbatibus difinitoribus, Visitatoribus Superioribus, Monachis Religiosis, Nouitiis, Conuersis, & cæteris personis, nunc, & pro tempore existentibus, vt omnibus, & singulis Priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, antelationibus, fauoribus, præeminentiis, indultis, licentiis, stationibus declarationibus, facultatibus concessionibus, indulgentijs, etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, ac relaxationibus aliisque vni-

vniuersis, & singulis gratiis spiritualibus, & temporalibus S. Hieronymi, & S. Bernardi, aliàs Cistercienper vniuersum Orbem constitutis, ac cuiuslibet sis Ordinis, nec non Casinensis, & Vallis soleti, dicti Ordinis S. Benedicti Congregationibus huiusmodi, per vniuersum Orbem cõstitutis, ac cuiuslibet eiusdem Congregationis S. Benedicti, Regni Portugalliç Monasterijs, seu illarum Ecclesijs, & Regularibus locis, eorumque Generalibus, & alijs Abbatibus Definitoribus Visitatoribus, Superioribus, Conuentibus Monachis Religiosis. Nouitijs, Conuersis, Familiaribus ac personis, ac illorum intuitù, & contemplatione, per quoscumque prædecessores Nostros, ac etiam Nos, & successores Nostros Romanos Põtifices, ac Sedem prædictam, ac etiam Imperatores Reges, ac alios Principes, & quemcumq; seu quoscumqe alios, sub quâcunque formâ, & verborum expressione, ac quâuis, tàm Apostolicâ, quam Ordinariâ, vel aliâ authoritate, nec nõ, tàm in genere, quã in specie, & particularitèr, & tàm per modum communicationis, extensionis, & ampliationis, quàm simplicis, & indiuiduæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & denique aliàs quomodolibet concessis hactenùs, ac etiã iteratis vicibus confirmatis, & approbatis, ac in posterum pro tempore concedendis, confirmandis, approbandis, etiamsi talia forent, quę specialem eorum requirant mentionem, ac quibus illa, & illi quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, illorum omnium, ac litterarum, & aliarum scripturarum desupèr quomodolibet confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficientèr expræssis, & insertis habentes, tam coniunctim, quàm diuisim, non solum ad eorum instar, sed æque principalitèr, & pariformitèr in omnibus, & per omnia, & absque vlla penitùs differentiâ, perinde, ac si illis, & eorum cuilibet, specialitèr, & expresse, ac nominatim, & specificè concessa fuissent, vti potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, authoritate, & tenore præmissis, perpetuò concedimus, & indulgemus, illaq; & illas eis perpetuò communicamus, & ad ipsam Congregationem, vt pręfertur, erectam, illiusque Monasteria, & Ecclesias, Prioratus, & alia loca, necnon Generalem, & alios Abbates, Definitores, & alias personas pręfatas, eorumque singulos perpetuò extendimus, & ampliamus, ac concessa, communicata, & extensa, ac ampliata perpetuò esse, ac censeri, eisque, & eorum cuilibet suffragari debere: nec non pręsentes litteras, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, sicque in præmissis, ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales, etiam Legatos de latere, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane decernimus, si secùs super his à quoquàm, quâuis authoritate, scietèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocircà dilectis filijs Brachatensis, & Portugalensis Decanis, & Colimbriensis, Ecclesiarum Scholastico, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, ac in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties requisiti fuerint, solemnitèr publicantes, faciant, authoritate Nostrâ, præmissa omnia seruari, contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, necnon legitimis super his habendis, seruatis processibus, illos, sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando; inuocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis; Non obstantibus recol. memoriæ Bonifacij Papæ VIII. similitèr prædecessoris Nostri de vnâ, & Concilij Generalis, de duabus dietis, dummodo quis, vigore præsentium, ad Iudicium vltrà tres dietas non trahatur, ac Nostrâ voluntate præfatâ, nec non omnibus, quæ dictus Pius prædecessor, voluit non obstare; ac constitutionibus seu reuocationibus ac alijs præmissis, & Nostrâ de non concedendis indulgentijs ad instar, & alijs Cancellariæ Apostolicæ regularis, alijsque Apostolicis, nec non in alijs vniuersalibus, & generalibus constitutionibus, & ordinationibus; nec non Monasteriorum, & Ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Conuentibus, Prioribus Superioribus, & personis, in genere, vel in specie, sub quibusuis tenoribus, & formis, & quibusuis clausulis & formis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ac irritantibus, & alijs decretis, etiam motù, scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, etiam motù simili, & consistorialitèr in contrarium, etiam pluriès, & iteratis vicibus concessis, vel confirmatis, & innouatis, etiam Marimagno, Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, derogamus; contrarijs, quibuscunque; aut si aliquibus communitèr, vel diuisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod, interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ absolutionis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, statuti, ordinationis, concessionum, decretorum, indulti, communicationis, extensionis ampliationis, mandati, & derogationis infringere &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. 7. Kalendas Decembris Pontificatus Nostri Anno tertio Pro reuerendissimo D. Summatore. A. Iustus. A. de Alexijs loco plumbi. Registrata, apud Thomam Secretarium &c.

## CONSTITVTIO CCCLXXIII.

### *SVMMARIVM.*

1588. Apr. 9.

### SIXTVS PAPA V.

*Inter Priuilegia Congregationis S. Benedicti Portugalliæ, comprehendi Conseruatorias concessas Congregationi Casinensi, alijsque Congregationibus, declarat, & de nouo concedit.*

*Ro-*

*Rodr. Bullar. Apost. Sixti V. Const. 13.*

SIXTVS Papa V. Ad futuram rei memoriam. Regularium personarum quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ eorum religiosum propositum impedire quomodolibet possent, quantum in Nobis est, libentèr annuimus. Aliàs siquidem Congregationis S. Benedicti in Regno Portugalliæ â fel. recor. Pio Papa V. prædecessore Nostro erectæ, ac omnibus, & singulis eorum Monasterijs, Prioratibus, & alijs Regularibus locis, eorumque Generali, Abbatibus, Definitoribus, Visitatoribus, Superioribus, Monachis, Religiosis, Nouitijs, Conuersis, & cœteris personis nunc, & pro tempore existentibus, omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, antelationes, fauores, præeminentias, indulta, licentias, facultates, concessiones, indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remissiones, ac relaxationes, aliasque vniuersas, & singulas gratias spirituales, & temporales Congregationibus S. Hieronymi, & S. Bernardi, aliàs Cisterciensis Ordinis, necnon Casinensis, & Vallisoleti dicti Ordinis S. Benedicti, per vniuersum orbem constitutis, tàm Apostolicâ, quàm Ordinariâ, aut aliâ quâuis auctoritate quomodolibet concessas, ac quibus S. Hieronymi, S. Bernardi, ac S. Benedicti Casinensis, & Vallisoleti Congregationes præfatæ quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, per aliàs Nostras litteras perpetuò concessimus, illaque, & illas primodictæ Congregationi, illius Monasterijs, locis, & personis præfatis perpetuò communicauimus, & ad eandem Congregationem, illiusque Monasteria, loca, & personas huiusmodi extendimus, prout in dictis litteris pleniùs cõtinetur. Cum autem, sicut exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Generalis primo dictæ Congregationis à nonnullis dubitetur, an vigore concessionis, communicationis, & extensionis præfatarum, concessæ communicatæ, ac extensæ etiam censeantur Litteræ Conseruatoriæ ad fauorem dictarum Congregationum S. Hieronymi, S. Bernardi, aliàs Cisterciensis, S. Benedicti Casinensis, & Vallisoleti Ordinum, â Sede Apostolicâ emanatæ, ac gratiæ facultate, prærogatiuæ, ac aliæ in eisdem litteris Conseruatorijs compræhensę. Nos omnem in premissis, dubitandi materiam de medio tollere volentes, ac tenores Priuilegiorum, & Litterarum Conseruatoriarum, præfatarum, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & inserentur præsentibus, pro sufficientèr expressis, & insertis habentes, dicti moderni Generalis, hâc in parte supplicationibus Nobis humilitèr porrectis, inclinati, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus, sub concessione, communicatione, & extensione, ac litteris præfatis compræhendi, & concessas censeri debere omnes, & quascunque gratias, facultates, immunitates, & prærogatiuas dicti Sancti Hieronymi, S. Bernardi, aliàs Cisterciensis, S. Benedicti Casinensis, & Vallisoleti, per vniuersum orbem Congregationibus, etiam in Litteris Conseruatorijs, per dictos Romanos Pontifices quomodolibet concessas, & in posterum concedendas, ac Litteras Conseruatorias præfatas, & in eis contenta quęcumque, iuxtà S. Conc. Trid. decreta, ità vt primodicta Congregatio S. Benedicti in dicto Regno Portugalliæ erecta, illiusque Monasteria, Loca, Generalis, Abbates, Definitores, Superiores, Conuentus, Monachi, Religiosi Nouitij, Conuersi, ac cæteræ, personæ præfatæ, eisdem facultatibus, & Litteris Conseruatoriis frui, potiri, & gaudere possint, perinde, ac si in primo dictâ concessione, communicatione, & extensione, nominatim compræhensa, ac eis æquè principalitèr, & pariformitèr Litterę Conseruatoriæ præfatæ concessæ, & specialitèr directè fuissent, ac ad eorundem instantiam emanassent; quas nihilominùs pro potiori cautelâ, quatenùs opus sit, ad primodictam Congregationem illiusque Monasteria, loca, & personas huiusmodi etiam de nouo, perpetuò extendimus, & ampliamus; sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, quàuis authoritate fugentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere; necnon quidquid secùs super hìs à quoquam, quâuis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irritum, & inanè decernimus. Non obstantibus pręmissis, ac quibuscunque aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis Conseruatorijs, ac Nostris litteris præfatis, concessa sunt non obstare, cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis 1588. Pont. Nostri Anno.

## CONSTITVTIO CCCLXX.

### SVMMARIVM.

1591. *Iul.* 18.

### GREGORIVS PAPA XIV.

*Clericis Regularibus Minoribus, Priuilegia Clericorum Regularium Theatinorum, communicat.*

*Bullar. Rom. Greg. XIV. Const. 2.*

GREGORIVS Papa XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, præsertim Regularium vota, Religionis propagationem, & augmentum respicientium, ad exanditionis gratiam libentèr admittit, prout conspicit in Domino salubritèr expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum, nobis exhibita petitio continebat, quod cum ipsi cupiant pro illorum Congregationis augmento, vt ipsi in via Domini sub suaui Religionis iugo, Deo dãte, plurimum proficere possint, omnia priuilegia, gratias, facultates, tàm spirituales, quàm temporales, ac indulta Congregationi Presbyterorum Theatinorum nuncupatorum concessa, eorum Congregationi huiusmodi concedi, nobis humilitèr supplicari fecerunt, quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula Priuilegia, prærogatiuas, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, & peccatorum remissiones, cæterasque gratias spirituales, & temporales, ac tàm coniunctim, quàm diuisim etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet dictæ Congregationi Presbyterorum, Theatinorum, nũcupatorum, illiusque Generali, alijsque Superioribus, Officialibus,

libus, Ministris, & personis, eorumque domibus Regularibus quibuscunque concessa, ac quibus dicta Congregatio Theatinorum, eiusque domus Regulares, necnon Generales, Superiores, Officiales, Ministri, & aliæ quæcunque illius personæ, de iure, vsu, consuetudine, Priuilegio, aut concessione Apostolicâ, vel alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, & extensionis vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, eidem Congregationi Clericorum Minorum, illiusque domibus Regularibus, necnon Præposito Generali, alijsque Superioribus, Officialibus, Ministris, & alijs quibuscunque illius personis, nunc, & pro tempore existentibus, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, illaque omnia, & singula ad dictam Congregationem Clericorum Minorum, illiusque domos Regulares, necnon Præpositum generalem, Superiores, Officiales, Ministros, & personas prædictas, itaut dicta Congregatio Clericorum Minorum, eiusque Regulares domos, illorumque Generalis, Superiores, Officiales, Ministri, & personæ nunc, & pro tempore existentes, præmissis omnibus, & singulis, æquè, & pariformitèr, & sine aliqua differentia, vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, perindè ac si singula præmissa illis specialiter, & expresse ac principaliter, non autem ac instar concessa, & præsentibus expressa, ac de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso inserta fuissent, auctoritate, & tenore prædictis extendimus, illaque omnia, & singula dictæ Congregationi Clericorum Minorum, illiusque domibus Regularibus, & personis prædictis communicamus. Decernentes præsentes litteras de subreptionis, aut obreptionis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quouis alio defectu, notari, impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi nullatenus vnquam posse, sed illas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri. Sicque, & non aliter per quoscunque Iudices, quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane, quicquid secùs super his à quoquam, quauis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus Nostrâ de non conceden. Indulgentijs ad instar, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis Theatinorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis dictę Congregationi Theatinorum, eiusque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficientèr insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hatum serie specialitèr, & expresse derogamus; cœterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Superioris dictæ Congregationis Minorum subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis munitis, eadem prorsùs fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 18. Februarij, millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri Anno primo.

## CONSTITVTIO CCCLXXV.

### SVMMARIVM.

1591. *Iun.* 12.

## GREGORIVS PAPA XIV.

*Priuilegia Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium, Congregationi Cruciferorum, Concedit.*

*Bullar. Rom. Greg. XIV. Const. 13.*

GREGORIVS Papa XIV. Ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex Religiosis Altissimo famulantibus concessa priuilegia, nedum confirmare, sed, & alia Congregationum Regularium personis concessa, ad eos quandoque extendere consueuit, prout eorumdem Religiosorum vota exposcunt, & ipse conspicit in Domino salubritèr expedire. Sanè dilecti filii Magister Generalis, & Fratres Congregationis Cruciferorum Nobis nupèr exponi fecerunt, quod cum eidem Congregationi, quæ per B. Cletum instituta, & per fel. rec. Alexandrum Tertium Romanos Pontifices predecessores Nostros reformatâ fuit, & in quâ ad præsens quamplures Sacræ Theologiæ Magistri, & Verbi Dei Concionatores reperiuntur, diuersa Priuilegia, gratias, & indulta concessa, & per eosdem, ac alios Romanos Pontifices etiam prędecessores Nostros confirmata, & innouata fuerint, prout in diuersis litteris desupèr confectis pleniùs continetur; cupiant Magistri, & Fratres prædicti, Priuilegia, gratias, & indulta huiusmodi, pro illorum subsistentiâ firmiori per Nos confirmari, & approbari, necnon alia, tàm Mendicantium, quàm NonMendicantium Ordinibus, & Congregationibus, ac eorum Monasterijs, & domibus, & locis ac personis, per quoscunque Romanos Pontifices, & præsertim piæ memoriæ, Pium Quintum prædecessores Nostros quomodolibet concessa Priuilegia, facultates, & gratias ad dictam Cruciferorum Congregationem, illiusque Fratres, & personas extendi, illaque eis communicari. Quare pro parte Magistri Generalis, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humilitèr supplicatum, quatenùs eorum desiderio annuere, aliasque in pręmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Congregationem Cruciferorum prædictam, eiusque Fratres, & personas quascunque, ob eorum Regularem disciplinam specialibus, fauoribus, & gratiis prosequi volentes, ac singulorum Priuilegiorum, gratiarum, ac litterarum desupèr confectarum, huiusmodi tenores pręsentibus pro sufficientèr expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula Priuilegia, prærogatiuas, concessiones, facultates, exemptiones, libertates, immunitates, indulta, indulgentias, cœterasque gratias spirituales, & temporales dictæ Congregationi Cruciferorum, omnibusque, & singulis illius, tàm virorum, quàm mulierum

Mona-

Monasterijs, Hospitalibus, Domibus, & Congregationibus, necnon illorum Prioribus, Superioribus, Officialibus, & personis, tàm in genere, quàm in specie, ac aliàs quomodolibet, & quomodocunque, tàm per prædictos, quàm per alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Sedem Apostolicam quomodolibet concessa, necnon desupèr confectas litteras, & scripturas quascunque, quatenùs in vsu sint, & decretis Concilij Tridentini non aduersentur, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerunt in eisdem, supplemus, & nihilominùs pro potiori cautelâ, illa omnia dictę Cruciferorum Congregationi, singulisque illius Monasterijs, Hospitalibus, Domibus, Conuentibus, Prioribus, & Superioribus, & personis, eisdem auctoritate, & tenore, de nouo concedimus. Et insupèr omnia, & singula Priuilegia, prærogatiuas, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, cœterasque gratias spirituales, & temporales, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, & aliàs quomodolibet, quibusuis Mendicantium Ordinum, & Non Mendicantium Congregationibus, ac tàm virorum, quàm mulierum Monasterijs, domibus, & Regularibus locis, in quibuscunque Mundi partibus consistentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, & personis per dictum Pium Quintum, & alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem eamdem, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs concessa, decretis eiusdem Concilij minimè contraria, ac quibus singulæ Congregationes prædictæ, eorumque Monasteria, domus, & loca, ac Superiores, Fratres, Monachi, & personæ huiusmodi de iure, vsu, consuetudine, vel Priuilegio, aut concessione Apostolicâ, vel aliâ quâcunque auctoritate, aut aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, ad prædictam Cruciferorum Congregationem, itaut illa, eiusque, tàm virorum, quàm mulierum Monasteria, Hospitalia, Conuentus, seu Regulares domus, illorumque Priores, Superiores, Officiales, Fratres, Ministri, & aliæ personæ nunc, & pro tempore existentes, præmissis omnibus, & singulis, æquè, ac pariformitèr, & sine vllâ prorsùs differentiâ, vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, ac si illa dictæ Cruciferorum Congregationi, illiusque Monasteriis, Hospitalibus, Conuentibus, & domibus Regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, Ministris, & alijs personis prædictis, specialitèr, & expressè, principaliter, non autem ad instar, concessa, ac præsentibus, de verbo ad verbum inserta fuissent, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò extendimus, illaque omnia, & singula dictæ Cruciferorum Congregationi, illiusque Monasterijs, Hospitalibus, Conuentibus, ac Regularibus domibus, necnon Prioribus, Superioribus, Officialibus, Fratribus, Ministris, & personis prædictis quibuscunque, communicamus. Decernentes sic, et non alitèr per quoscunque Iudices, quâuis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quicquid secùs super his â quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocircà Dilecto filio, moderno, & pro tempore existenti Cruciferorum Congregationis Protectori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, solemnitèr publicando, ac dictæ Cruciferorum Congregationis Fratribus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistendo, faciant, auctoritate Nostrâ, præsentes, & in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari, ac singulos, quos ipsæ litteræ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem desupèr contrà præsentium tenorem per quoscunque, etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, ac censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, quâcunque appellatione postpositâ, compescendo, inuocato adhoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, Synodalibus, generalibus Concilijs editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Mendicantium, & Non Mendicantium Ordinum, Congregationum, Monasteriorum, & Regularium domorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, illis eorūq; Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro sufficientèr expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, harum seriè, specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo dictæ Cruciferorum Congregationis, vel illius Protectoris obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ in Monte Quirinali, sub Annulo Piscat. die 12. Iulij Pont. Nostri Anno Primo.

## CONSTITVTIO CCCLXXVI.

### SVMMARIVM.

1591. *Sept.* 21.

### GREGORIVS PAPA XIV.

*Priuilegia Congregationis Casinensis, aliorumque Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium, Congregationi Clericorum Ministrantium Infirmis communicat.*

*Bullar. Greg. XIV. Const. 17.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Illius, qui pro Gregis Dominici salute in arâ Crucis immolari non abnuit, vices, quamuis immeriti, gerentes in terris, curis vrgemur assiduis, & continuâ meditatione pulsamur, circà ea, quę pro Pauperum Christi Infirmorum necessitatibus nedum corporalibus, sed etiam spiritualibus adiuuandis, in hâc Vrbe Nostrâ piè instituta sunt omni studio intendere, & quę propterea prouidè facta fuisse dicuntur, vt firmâ perpetuò, & illibata persistant, Apostolico munimine roboramus; & vt ad præmissa peragenda Christi fideles libentiùs concurrant, fideles ipsos spiritualibus muneribus prosequimur, vt exinde reddantur diuinâ gratiâ aptiores, ac charitatis, & misericordiæ feruor in dies ampliùs augeatur in eis; aliaque desuper concedimus, prout conspicimus salubritèr in Domino expedire. Cum itaque dudum felicis recordationis Sixtus Papa Quintus prædecessor Noster, certis causis adductis ex certâ suâ scientiâ, Congregationem sub vocabulo, seu nomine Ministrantium Infirmis, in Vrbe tunc constitutam, per suas in formâ Breuis desupèr confectas litteras perpetuò approbauerit, & confirmauerit, prout in ipsis litteris pleniùs continetur. Et sicut accepimus, dilecti filij Camillus de Lellis, modernus ipsius Præfectus, & alij eius socij cupientes in charitatis vinculo persistere, & maiori cum animi quiete Deo seruire, & ad perficiendam, & conseruandam eorum Congregationis in Christo vnionem, quamdam viuendi formulâ iuxtà ea, quæ ad propositum sibi finem conducere, vsu didicerunt, ediderint, factumque sit, vt eorumdem Camilli, & Sociorum vitæ institutum sub dictâ formulâ comprehensum, fidelibus gratum, & acceptum, ac ad proximi subuentionem adeò vtile, & necessarium existat, vt ipsa Congregatio numero Sociorum admodùm creuerit, & quam plures Christi fideles summo desiderio, & affectu in dictam Congregationem recipi, & admitti plurimùm exoptent. Formulæ autem prædictæ tenor sequitur, qui talis est. Quisquis decreuit se huic charitatis muneri,

*Et cæteræ Constitutiones dictorum Clericorum quæ ommittuntur, quas habes in Bullario Rom. t. 2. Greg. XIV. Const. 17.*

Cum autem, sicut accepimus, in præmissis nihil, quod pium non sit, aut salutare reperiatur? Nos vt Camillus, & Socij præfati in eorum piè viuendi proposito, eò promptiores reddantur, quò se maiori Sedis Apostolicæ gratiâ, & fauore complecti animaduerterint, & præmissæ dictæ Sedis patrocinio communiri, & corroborari viderint, prouidere volentes, ad Camillum, & Socios prædictos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxàt. consequendum, harum serie absolüentes, & absolutos fore censentes. Nec non dictarum litterarum datam, ac præmissorum omnium, & singulorum veriores, etiam totos tenores, ac occasiones, & causas, ac circumstantias, etiam hic de necessitate exprimendas, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & insertis habentes, Motû proprio, non ad dictorum Camilli, & sociorum præfatorum, aut aliorum pro eis Nobis desupèr oblatæ petitionis instantiam; sed ex certâ scientiâ Nostrâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, præmissa omnia, & singula, tamquam ad spiritualem profectum animarum pertinentia, & opportuna, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur, & patrocinium adijcimus, & apponimus; omnesque, & singulos, tàm iuris, quam facti, ac quarumcumque solemnitatum, etiam substantialium, hic forsan de necessitate exprimendarum, & inserendarum defectus, perpetuò supplemus. Dictosque Camillum, & Socios, ac ipsam Congregationem, illiusque membra omnia, nunc, & pro tempore in quibusuis locis consistentia, sub Nostrâ, & huius Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Beati Petri speciali, & immediatâ protectione suscipimus, & admittimus. Et nihilominus pro potiori cautelâ, Camillo, & Socijs præfatis, ac eorum cuilibet, vt quandocumque eis visum fuerit, possint prædicta substantialia Religiosæ vitæ Paupertatis, videlicet Castitatis, & Obedientiæ, & perennis Ministerij ægrotantium vota, iuxtà præfatæ formulę tenorem emittere. Et Prefectus hâc primâ vice eligendus in manibus cuiuscumque personæ, in dignitate, seù administratione Ecclesiasticâ constitutæ sæcularis, vel cuiusuis Ordinis Regularis solemnitèr profiteri; & tàm ipse, quàm alij pro tempore existentes Præfecti, & Socii eiusdem Congregationis, sub nomine, & nũcupatione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, in communi, & de communi viuentes in locis sibi forsan iàm concessis, vel in futurum concedendis, sub dictâ immediatâ, & speciali protectione, in vnum habitare, & ex eis inter se Superiorum, Præfectum, nuncupandum, eligere, vt præfertur, iuxtà eorum formulam huiusmodi. Et quoscunq; alios Sæculares Clericos, quâuis dignitate fungentes, seu Laycos, qui Deo inspirante, ad huiusmodi propositum, & communem viuendi modum sese conferre, & conformare voluerint, recipere, & post approbationem, iuxtà prædictam eorum formulam ad huiusmodi votorum professionem, in manibus eorum Superioris seù Præfecti emittendam, & ad communem viuendi modum admittere. Nec non inter eos quascumque Constitutiones particulares, quas ad huiusmodi Congregationis, seu Religionis finem, & Omnipotentis Dei gloriam, proximique vtilitatem conformes esse, & conducere iudicauerint, condere, & tàm hactenùs factas, quàm in posterum faciendas Constitutiones ipsas, iuxtà temporum, & locorum, ac rerum qualitatem, & varietatem, mutare, alterare, seù in totum cassare, vel alias de nouo condere, facere, & edere possint, & valeant quæ postquã mutatæ, seù de nouo conditæ, æditæ, ac ab Vrbis Vicario examinatæ, & approbatę fuerint, eo ipso, dictâ Apostolicâ authoritate, confirmatæ, & approbatæ, ac etiam de nouo concessæ, etiam sub quâcumque datâ, per Præfectum, seù alios Superiores dictæ Congregationis eligenda, sint, & esse censeantur, dũmodo tamen Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, ipsiusque Congregationis Regularibus institutis non contrarientur, quas, vt præfertur, sine nouâ approbatione Sedis Apostolicæ, vel primò cõditas, vel mutatas seruare in omnibus teneantur secundum instituti rationem. Nec non etiam eidem Camillo, & Socijs, ac pro tempore existentibus Prefectis Generalibus, alijsque omnibus, & singulis personis dictæ Congregationis, vt omnibus, & singulis, quibuscunque, etiam speciali notâ dignis Priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus auctoritatibus, indulgentijs, fauotibus,

ribus,prærogatiuis, concessionibus, & gratijs, quorumuis,etiam Cistercien:Cluniacen:ac Sancti Benedicti Monachis,Clericis Regularibus,& Presbyteris Collegialibus Societatis Iesu,& Canonicis,Congregationis Lateranensis,ac quibuscumque aliis Clericis Regularibus, & aliorum, tam Mendicantium, quam Non Mendicantium,Ordinum,& Congregationum Fratribus,& personis, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus,in specie,vel in genere,etiam communicatiuè per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, ac Sedem præfatam quomodolibet concessis,quæ tamen sunt in vsu;nec sub vllis reuocationibus comprehensa,neque decretis dicti Concilij, nec ipsius Congregationis Regularibus institutis contraria;& quibus illi,tam in vità, quam in mortis articulo, etiam circà peccatorum remissiones,& iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet vti, potiri, frui, & gaudere possunt, aut poterunt quomodolibet in futurum,perpetuis futuris temporibus vti,potiri frui, & gaudere, ac illorum omnium participes esse possint,& debeant pariformitèr, & æque principalitèr, absque vllâ prorsùs differentiâ,perindè ac si Congregationi, Præfectis,Sociis, ac Personis, & eorum domibus, & Ecclesiis, vel Oratoriis huiusmodi nominatim,& specialitèr,ac generalitèr concessa fuissent. Ac pro tempore existenti Præfecto Generali huiusmodi, vt per se, vel alium, seù alios, ad id per eum pro tempore deputatum, seu deputatos, omnesq; & singulos eiusdem Congregationis socios,& personas sub eius obedientiâ,disciplinâ,& correctione pro tépore degentes ab omnibus,& singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis,nec non à quibusuis excommunicationis,suspensionis, & Interdicti, aliisq; Ecclesiasticis,& sæcularibus sententiis,censuris,& pœnis, à iure, vel ab homine, non tamen nominatim, quomodolibet latis, & promulgatis, & huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis, diuina officia celebrantes, & suscipientes, & censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut aliàs ex quocunque capite, vel causâ, præterquam Homicidij voluntarij, Bigamiæ, ac membrorum mutilationem irregularitatem incurrentes Apostolicâ auctoritate in foro conscientiæ tantum absoluere, necnon cum eis,si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione,& abstersione inhabilitatis, & infamiæ maculæ dispensare;ità tamen,quod sic absoluti, & dispensati pro tépore, si huiusmodi Congregatione quandocumque egrediantur, eo ipso,in pristinas sententias, & Censuras à quibus eos absolui contigerit, relabantur, & reincidant. Ipsique socijs,& fratribus expressè professis Congregationis huiusmodi, & eorum singulis,vt à quibuscunq; maluerint Catholicis Antistitibus,gratiam, & communionem dictæ Sedis habentibus, ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines sub titulo Paupertatis Congregationis huiusmodi promoueri,de licentiâ tamen Præfecti, seù alterius eorum Superioris, secundum eorum Constitutiones, ipsique Antistites, Ordines ipsos huiusmodi Socijs, absque obedientiæ, & omni aliâ promissione, vel obligatione conferre. Ac dicto Præfecto generali pro tempore existenti, seù, de illius licentiâ, Præfectis inferioribus aliorum locorum, seù Prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus,& illorum Vicariis, ac Locatenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis defectum Natalium,etiam ex adulterio, sacrilegio,incestu,& quouis alio nefario,& illicito,ac prohibito, & damnato coitu,prouenientem patientibus, postquàm in dictâ Congregatione vota emiserint,vt defectu huiusmodi non obstante, ad quoscumque Sacros, etiã Presbyteratus Ordines promoueri,& in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare, necnon ad quascunque administrationes,personatus, præeminentias,& officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & assumi,illaque gerere,& exercere. Ac Præfecto, & Sociis Congregationis huiusmodi, & quæcumque loca,& domus ad inhabitandum eis donata, vel ab illis quomodolibet habita,in domos,& Oratoria Ordinis,& Congregationis huiusmodi erigere, facere, seu erigi procurare, absque nouâ dictæ Sedis desupèr obtinendâ approbatione,liberè, & licitè possint, & valeant. Necnon,si contingat Præfectum, & Socios ipsos aliquam Domum, Ecclesiam,Oratorium, seù quemuis alium locum dictæ Congregationis ædificare, & construere, seù id per alicuius personæ testamentum mandari,vel quouis modo offerri,domum Ecclesias, seu Oratoria, vel loca huiusmodi, cum omnibus ad id necessarijs, & opportunis, construi,& ædificari, ac locum pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse, ipsasque, Domos, Ecclesias, Oratoria, & Cellas vbilibèt per dictos Socios pro tempore constructa,vel eis donata,eo ipso, quò ædificata,vel donata fuerint,Apostolicâ auctoritate erecta,approbata,& confirmata,ac bona quæcumque pro Domorum, vel Oratoriorũ huiusmodi,vel personarũ inibi commorantium sustentatione,& manutentione,per quoscũq; Christifideles pro tempore donata, relicta, & legata; eo ipso prædictâ auctoritate perpetuò applicata, & appropriata esse, & censeri, Ecclesiasque, & Oratoria præfata cum cœmeterijs, per quoscumque Episcopos, benedici, seù consecrari,& quouis modo polluta,reconciliari possint,& debeant perpetuò concedimus, & indulgemus,statuimus,et ordinamus.Et volumus quod à correctione Regulæ Congregationis huiusmodi,secundum ordinationes factas,vt vigor disciplinæ meliùs conseruetur, appellari, aut talis appellatio per vllum Iudicem admitti, nec ab officiis absolutio, aut priuatio peti nullatenùs possit. Nec Præfectus Generalis dictæ Congregationis pro tempore existens, aliquam dignitatem extrà Religionem, seù Congregationem ipsam, sine eiusdem, seù illius Congregationis expressâ licentiâ,nec aliquis ex Sociis huiusmodi, absque consensu dicti Præfecti generalis,& expressâ licentiâ,quæ dari non valeat,nisi ad id à Romano Pontifice, per obedientiæ præceptum, pro tempore fuerint coacti, Prælaturæ, vel quamcumque aliam dignitatem, acceptare, vel ad illam assumi queat. Necnon, quod quilibet ex Sociis Congregationis huiusmodi,peccata sua proprio Præfecto,vel ab eo deputato,seù deputatis, & aliàs, secundum ordinationes Congregationis præfatæ designatis,seu designandis,confiteri debeat, nisi super hoc à dicto proprio Præfecto alium Confessorem eligendi facultatem habuerit. Ac inhibemus,ne quis post emissa vota, secundum constitutiones, seù ordinationes, eiusdem Congregationis ad quẽuis alium Ordinem, etiam per Sedem præfatam approbatum(Carthusiensium Ordine dumtaxat excepto)transferri;egressi vero aliàs, quàm vt præfertur, de Ordine, seu consortio huiusmodi, in nullo alio,præterquàm Carthusiensium Ordine prædicto admitti,recipi,vel retineri possint. Ipsi Præfectus Generalis, & alij inferiores Præfecti eiusdẽ Congregationis,per se,vel alios,illos sic egressos,& alios quoscunque dictæ Congregationis Apostatas, & etiam alios quos vis insolentes, & qui id mereri videbuntur,

tur, in quocunque habitu Apostatas Præfatos contingerit reperiri, excommunicare, capere, incarcerare, coercere, & aliàs suæ disciplinæ submittere, necnon ad id, si opus fuerit, auxilium brachij sæcularis inuocare. Insupèr Præfecto Generali, vel de eius licentià, alijs locorum Præfectis, seù Superioribus dictæ Congregationis, etiam pro tempore existentibus, vt in sua Congregatione quoscumque alios sæculares, Laicos, Clericos, seù in Presbyreratus ordine constitutos aggregare, & adijcere, pro pijs Misericordiæ, & Charitatis operibus huiusmodi exercẽdis, qui sic aggregati, omnibus, & singulis indulgentijs, & gratijs eiusdem Congregationis gaudeant, & potiantur, & gaudere, ac potiri debeant, & illas consequantur, dummodo ea opera faciant, & exerceãt, quæ pro eisdem indulgentijs, & gratijs consequendis fuerint præscripta. Necnon Præfecto Generali, & alijs Superioribus, necnon de eorum etiam facultate, vniuersis Fratribus, & Socijs Congregationis Ministrantium Infirmis huiusmodi, in Presbyteratus ordine constitutis, vt in locis, vbi degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria, & in eis Missas, & alia Diuina officia celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta recipere, liberè, & licitè possint, & valeant, respectiuè, etiam concedimus, & indulgemus. Ipsamque Congregationem Ministrantium Infirmis, & vniuersos illius Socios, & personas singulas, ac eorum bona, & res quascumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione, & visitatione, quorumcunque locorum Ordinariorum, & Episcoporum, saluâ tamen decretorum dicti Concilij dispositione, eximimus, & penitùs liberamus. Necnon Priuilegia, Indulgẽtias, prærogatiuas, exẽptiones, immunitates, gratias, & indulta, Monachis, & Fratribus, ac Societatis Iesu, & Canonicis, aliisque Personis supradictis, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, tàm in specie, quàm in genere, etiam communicatiuè concessa, vt præfertur, ad Præfectum generalem, etiam pro tempore existentem, aliosque Socios, & etiam particulares Congregationis huiusmodi Ministrantium infirmis, perpetuò extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere, & suum plenarium effectum sortiri debere, decernimus, & declaramus. Et insupèr animarum profectui prouideri volentes, de Omnipotentis Dei Misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur die primi illorum ingressus, & receptionis, ac emissionis, professionis; necnon, qui similitèr pœnitentes, & confessi, si id commodè fieri poterit, ac dictâ Communione refecti, in dictâ Congregatione pro tempore decesserint, in eorum mortis articulo, præsertim in proximi subuentionem, ratione pestis, seu cuiuscumque alterius morbi contagiosi in formâ Iubilei Anni Sancti Romæ concedi soliti; Necnon etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, in piorum operum Misericordiæ, & Charitatis exercitio perseuerantibus, singulis primus diebus Dominicis, cuiuslibet mentis, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditèr in Domino concedimus, & elargimur. Ac eisdem Socijs, & Religiosis dictæ Congregationis, & in eâ aggregatis, vt etiam omnibus, vt præfertur, & singulis Indulgentijs, quibus ipsimet Religiosi gaudent, & eos gaudere, ac potiori volumus; quotiescumque Infirmis præstò fuerint, ac illos noctu visitauerint, & curauerint, eorumque lectos faciendo, ac illis ad manducandum porrigendo, ac auxiliando, ac disponendo ad bene moriendum, & viam salutis, ac doctrinam Christianam illos docendo, ac denique omnia officia Charitatis, vel spiritualia, vel corporalia, quæ ad animarum ædificationem pertinent, exercendo, & Sacramenta Ecclesiastica administrando, cæteraq; similia præstiterint, pro quolibet præmissorũ piorũ operũ, necnon omnib., & singulis Officialibus, & Ministris, ac aliis personis dictæ Congregationis ob infirmitatem, vel propter obedientiam, seu aliâ de causâ domi remanentibus, si quinquies orationẽ Dominicam, & totiès salutationem Angelicam deuorè recitauerint, etiam viginti annos, & totidem quadragenas de eis iniunctis, & aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditèr in Domino relaxamus. Ac quod omnes, & singuli vtriusq; sexus Benefactores huius Congregationis, possint esse participes omnium operum meritorium, quę in Congregatione huiusmodi pro tempore fient, etiam concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras sub quibuscumque similium, vel dissimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de dictâ Vrbe, seu Cruciatæ Sanctæ, aut etiam per Nos, seu per alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac dictam Sedem, etiam Motù, & potestatis plenitudine, similibus, seu ad quorumuis Imperatorum, & Regum instantiam pro tempore quomodolibet factis, minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quotiès illæ emanabunt, totiès in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de nouo concessas esse, & censeri debere. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, quãuis auctorite fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & defiiniri debere, irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam; quâuis auctoritate scientèr vel ignorantèr contigerit attentari. Quocircà Venerabilibus Fratribus Nostris Ostien. & Tusculano Episcopis, ac Dilecto filio causarum Curie Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica scripta, Motu pari, mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, ac omnia, & singula in eis contenta, vbi, & quando expedierit, ac quotiès pro parte Præfecti, & Sociorum prædictorum fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præinsertis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostrâ, præmissa omnia obseruari. Non permittentes Præfectum, ac Socios præfatos desupèr à quoquam quomodolibèt molestari, seu inquietari; contrâdictores dictâ auctoritate Nostrâ, appellatione postpositâ, cõpescendo. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui, etiam prædecessoris. Nostri, quâ cauetur, nè Mendicantes loca ad inhabitandum recipere, seu recepta mutare præsumant, absque dictæ Sedis licentiâ speciali, de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciente. Nec non dicti Sixti prædecessoris ac Pictauien. Concilij contrà illegitimos, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, ac Nostrâ de non concedendis indulgentijs ad instar, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Cistercien. Cluniacẽ. Sancti Benedicti, Mendicantium & societatis Iesu, & Canonicorum Lateranen. Ordinum huiusmodi, iura-

iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & cõsuetudinibus, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis personis per quoscumque Rom. Pontifices prædecessores Nostros præfatos, ac Nos, & dictam Sedem, etiam Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibèt, etiam pluriès concessis approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quęuis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dûtaxat specialitèr, & expressè, Motû pari derogamus, cõtrarijs quibuscũque. Aut si aliquibus cõmunitèr, vel diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo alicuius Canonici Metropolitanę, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ, sed personæ indignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus eisdem adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrę absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, appositionis, suppletionis, susceptionis, admissionis, concessionis, indulti, statuti, ordinationis, exemptionis, liberationis, extensionis, ampliationis, decreti, declarationis, relaxationis, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Vndecimo Kalend. Octob. Pontificatus Nostri Anno quarto.

## CONSTITVTIO CCCLXXVII.

### SVMMARIVM.

1591. *Sept.* 24.

### GREGORIVS PAPA XIV.

*Priuilegia Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium, Eremitis Ordinis Camalduleu. & S. Michaelis de Murano, communicat.*

*Bullar. Rom. Greg. XIV, Const.* 18.

GREGORIVS Papa XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, ad ea, quæ â Prædecessoribus Nostris pro Ecclesiasticarum, præsertim Regularium personarum, quæ sub suaui Religionis iugo, Altissimo famulantur directione, & tranquillitate statuta, & concessa fuerunt, conseruanda, & augenda, libentèr inducimur, vt Apostolicis gratijs, & fauoribus circumsepti, & muniti, cum maiori quiete, ac deuotionis feruore, sub Regularis vitæ Obseruantiâ, ac Monasticâ disciplina, viuere, ac Deo optimo Maximo præces fundere liberiùs valeant. Sanè pro parte Dilectorum filiorum Generalis, & Visitatorum, ac Prioris Eremi, necnon Congregationis eiusdem Eremi, & S. Michaelis de Murano Camaldulensis Ordinis, Nobis nupèr exhibita petitio continebat, quod aliàs fel. rec. Leo Decimus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, Iulius etiam Tertius, Gregorius Decimus tertius, & Sixtus Quintus, ac alij etiam Romani Pontifices Prædecessores Nostri tunc existentes, Generali, et Visitatoribus, & Priori Eremi, necnon Congregationis eiusdem Eremi, & S. Michaelis de Murano, diuersa Priuilegia, facultates, indulta, ac gratias spirituales, & temporales cõcesserunt, omniaque, et singula Priuilegia, indulta, facultates, & gratias, ac concessiones ipsis, ac personis, domibus, & bonis eorumdem eatenùs, tàm Apostolicâ, quàm Ordinariâ, Imperiali, vel Regiâ auctoritatibus quomodolibet concessa, et consuetudine legitimâ præscripta, acquisita, Apostolicâ auctoritate, certis modo, & formâ confirmauerunt. Ac inter alia statuerunt, & voluerunt, quod Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, Hospitalia, Capellæ, & loca dicti Ordinis, et Congregationis tunc, & pro tempore existentia, ac eorum quodlibet, necnon Abbates Priores, Abbatissę, Fratres, & Sorores, ac personæ in eis degentes, in ius, & protectionem Beati Petri, & Sedis Apostolicæ, ac sub eorum, et suâ protectione essent. Eademque Monasteria, Ecclesiæ Prioratus, & loca, manualia, grangiæ, possessiones, & bona, ac Prælati, & personæ Congregationis prædictæ ab omni impositione, exactione, collectâ, decimâ, charitatiuo Subsidio, ac alio quocumque reali, ac personali, mixto onere, vel grauamine omninò immunes essent, & exempti. Statuto præterea, quod omnia, & singula Monasteria, Hospitalia, Prioratus, & Beneficia Ecclesiastica, et loca eidem Congregationi vnita, & aggregata, seu in posterum aggreganda, per quoscumque cuiusuis dignitatis fuerint in titulum, vel commendam obtenta, cum primum per cessum, vel decessum illa obtinentium vacarent, ad eumdem Ordinem effectualitèr reuerterentur, & Congregationi prædictæ huiusmodi pleno iure, & cum effectu aggregarentur, possentque Prælati, & alij, qui beneficia, & loca aliqua dicti Ordinis in titulum, vel commendam haberent, titulo, et administrationi dictorum locorum in manibus Generalis, et Capituli cedere; qui possessiones huiusmodi admittendi potestatem habere intelligerentur, ad hoc, vt eidem Congregationi vnirentur, et effectualitèr aggregarentur; ita tamen, vt loca, quæ sic applicari contingeret, Monachis dictæ Religionis iuxtà eorum instituta concedenda, debitis propterea non fraudarentur obsequijs, sed per Prælatos Monasteriorum, vel locorum, quibus applicata forent, et annexa, onera, et officia consueta implerentur. Insupèr statuerunt, et ordinarunt, quod, & eiusdemmet Ordinis Prælatorum numerus augeri non posset, nec plures essent, quam septem, qui essent eiusdem Monasterij professi, excepto tamen Generali, qui in dicto numero non comprehenderetur. Ac præterea eidem Generali pro tempore existenti, vt Monachos, & Moniales dictæ Congregationis â quibusuis, etiam maioris excommunicationis, suspensionis, et interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis â iure, vel ab homine quâuis occasione, vel causâ latis, & quibus pro tempore irretiti forent, etiamsi illorum absolutio dictæ Sedi speciali-

cialitèr,vel generalitèr reseruata foret,satisfacto tamen ijs, ad quorum instantiam censuræ ipsæ forsan emanauerant;ac à quibusuis irregularitatibus, tàm de iure, quàm ex ipsius Eremi constitutionibus, & Regularibus institutis quomodolibet prouenientibus,& quibuscumque aliis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam talibus, quod de illis esset Sedes prædicta meritò consulenda, & dictæ Sedi qualitercumque reseruatis;exceptis contentis in Bullâ in die Cœnæ Domini legi consuetâ, quotiès opportunum foret, eorum Confessionibus diligentèr auditis,absoluere, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac seipsum à quocumque alio Prælato,vel Eremitâ Sacerdote, vices suas illi committendo, absolui facere liberè, & licitè posset, facultatem concesserunt. Eisdemque Priori,& Eremitis Eremi huiusmodi,quod omnibus,et singulis Priuilegijs,indultis,concessionibus,Indulgentijs,et gratijs Eremitis S.Romualdi aliàs de Massalio in genere quomodolibet concessis, approbatis, et innouatis,& quibus Eremitæ Congregationis S.Romualdi huiusmodi vtebantur,potiebantur, & gaudebant,ac vti,potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum,vti,gaudere,potiri liberè,& licitè possent. Et quod quidquid dubij in dictis Priuilegijs, concessionibus,et gratijs emerserit, id datâ verborum ambiguitate,ac Iuris peritorum interpretatione, in fauorem Congregationis, & locorum particularium eiusdem interpretari deberet statuerunt, et ordinarunt,prout in diuersis dictorum Prædecessorum desuper confectis litteris,& ordinationibus viuę vocis oraculo factis,pleniùs continetur. Quarè pro parte Generalis,& Visitatorum,ac Prioris Eremi,necnon Congregationis eiusdem Eremi, ac S. Michaelis de Murano huiusmodi Nobis fuit humilitèr supplicatum,vt singulis prædictis, cœterisque in eisdem litteris contentis robur Nostræ approbationis adijcere,& aliàs in præmissis opportunæ prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur eosdem Generalem, & Visitatores,ac Priorem Eremi, necnon Congregationem eiusdem Eremi, & S.Michaelis de Murano, ac singulares personas Monasteriorum,& locorum eorumdem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, præcibus etiam Venerabilis Fratris Nostri Ptolæmæi Episcopi Tusculaneñ: S. R. E. Cardinalis Comensis nuncupati eiusdem Ordinis,& Congregationis Camaldulensis Protectoris,inclinati,eosdem Generalem, Visitatores prædictos à quibusuis excommunicationibus, et censuris absoluentes,ac singularum litterarum prædictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs ommisso insererentur, præsentibus pro expressis habentes,cessiones,vniones,aggregationes, et incorporationes singulorum Monasteriorum,Ecclesiarum,Hospitalium,Beneficiorum,et locorum quorumcunque in eisdem Prædecessorum litteris, et præsertim Leonis X. expressorum eidem vestræ Congregationi rigore eorumdem indultorum Apostolicorum, et facultatum huiusmodi huiusque factas,et quæ effectum sortitæ sunt ratas, et validas,ac efficaces existere decernimus, et declaramus. Necnon vniones,et aggregationes huiusmodi, et omnia,ac singula Priuilegia,facultates,et indulta præmissa, prout expressa sunt, necnon omnia, & quæcunque alia Priuilegia, indulta, concessiones, exemptiones, immunitates, facultates, & gratias, tàm spirituales,quàm temporales,Generalis,Visitatoribus Priori,& Congregationi, ac Ordini prædicto; necnon Monasterijs, Ecclesijs,Domibus,& locis,illorumque singularibus personis,tàm per dictos Prædecessores, quàm aliàs quomodolibet dictâ auctoritate Apostolicâ concessa; necnon singulas dictorum Prędecessorum litteras,ac omnia, & singula in illis contenta, & indè secuta quæcunque quatenùs sint in vsu, & prout hactenùs obseruata fuerunt,Apostolicâ auctoritate prædictâ, ex certâ Nostrâ scientiâ,tenore præsentium, approbamus, confirmamus, & innouamus, illisque perpetuæ, ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & singulos,tàm iuris, quàm facti, ac solemnitatum quarumcumque quomodolibet commissarum, aliosque defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem,supplemus; vnionesque,& aggregationes, ac omnia alia,& singula præmissa, & in eisdem litteris contenta,& comprehensa,ac superiùs expressa, eisdem Generali, Visitatoribus, Priori, & Congregationi,ac prędictis, eorumque personis, & ministris, & cuilibet eorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam de nouo, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ Nostrâ,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuò concedimus, & indulgemus. Ac districtiùs præcipiendo mandamus quibusuis Archiepiscopis, Episcopis, ac locorum Ordinarijs quibuscumque,vt super Priuilegijs,exemptionibus,immunitatibus,facultatibus,& gratijs huiusmodi,tàm spiritualibus, quàm temporalibus eosdem Generalem, & Abbates, etiam ratione Visitationis, correctionis, aut alio quouis prætextu, etiam respectu Monasteriorum Monialium eiusdem Ordinis sub curâ, & gubernio Generalis, & Abbatum prædictorum existentium vllatenùs molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant. Ac præterea volentes eosdem Generalem, Visitatores, Priorem Eremi, necnon Congregationis eiusdem Eremi,ac S.Michaelis de Murano,ac Ordinum prædictum Camaldulensem amplioribus fauoribus, & gratijs prosequi,eiusdem Generali,Visitatoribus, Priori, Monasterijs, Domibus, & locis Ordinis, & Congregationis prædictæ omnia,& singula Priuilegia,prærogatiuas,concessiones,iurisdictiones,cautelationes,fauores,facultates,declarationes,depositiones, immunitates, exemptiones indulta cuiuscumq; generis existentia;necnon Indulgentias etiam Plenarias,ac peccatorum remissiones,cœterasque gratias spirituales, & temporales quibusuis alijs Regularium Congregationum Ordinibus, eorumque Monasterijs,tam virorum, quam mulierum, eorumque Generalibus, Abbatibus, alijsque Superioribus, & personis eorumdem in quibuscunque mundi partibus existentibus aliàs quomodolibet concessa,& cõcedenda, ac quibus de iure, vsu, consuetudine, vel Priuilegio,aut concessione Apostolicâ,Regiâ,Imperiali,Archiepiscopali,Episcopali,in genere,vel specie tàm coniunctim, quàm diuisim, etiam per viam communicationis, & extensionis aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet possunt,& poterunt in futurum; etiam si talia sint,vel fuerint,quæ specialem,& indiuiduam requirerent mentionem, seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem, & seu particularem concessionem,eisdem auctoritate & tenore,perpetuò communicamus,extendimus,& concedimus. Ità quod ijdem Generalis,Visitatores,Monasteria,& loca prædicta, vt præfertur, ac eorum Prælati, Fratres, & personæ prædictæ, ac eorum res, & bona, sub eorum curâ, & secundum eiusdem Congregationis instituta nunc,& pro tempore viuentes, & existentes,pręmissis omnibus,& singulis ęquè pariformitèr,& absque aliâ penitùs differentiâ,perindè

ac

ac si illis,& eorum singulis personalitèr, & specialitèr, & expressè, ac nominatim, necnon ad instar concessa essent, in quantum eidem Congregationi expediat, dummodo eiusdem Congregationis Regularibus Ordinibus, eiusque gubernis, Priuilegijs, Constitutionibus, & definitionibus non aduersentur vti,frui potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant. Insupèr, cum eiusdem Ordinis, & Congregationis Prelati qui sint eiusdem Monasterij professi plures,quàm septem,excepto Generali, qui in dicto numero non computatur, ordinationibus Apostolicis minimè esse valeant, tenore præsentium eadem auctoritate Apostolica numerum Prælatorum dictæ Congregationis augemus;ita quod futuris temporibus octo Prælati eiusdem Monasterij professi, excepto Generali, quem in dicto numero volumus non comprehendi,esse possint,& valeant; ac præsertim in his dictæ suæ Congregationis Monasterijs, & Ecclesijs,videlicet S.Mariæ à Puteo stratæ Taurinēsis,S.Viti in Carcubio Mediolanensis,S.Catharinæ, & Romualdi Cremonensis, necnon S. Augustini de Bassiano de Abrutio, & etiam S. Nicolai de Cornu eiusdem Prouinciæ Abrutij Pennen: suos Abbates, & Prælatos eligere,deputare,ac instituere,vt & in alijs suis Monasterijs dictæ Congregationis possint, & valeant. Decernentes sic, & non alitèr per quoscumque Iudices, quāuis auctoritate fungentes, etiā locorum Ordinarios,ac S.R.E.Cardinales,etiam de latere Legatos, Vicelegatos, Sedis Apostolicæ Nuncios, & causarum Palatii Apostolici Auditores, sublatâ eis,& eorum cuilibet quāuis alitèr iudicandi,& interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quicquid secùs super his à quoquam, quāuis auctoritate,scientèr,vel ignorantèr contigerit attentari.Et nihilominus eidem Venerabili Fratri Nostro Ptolomæo Episcopo Tusculan.S.R.E.Cardinali Comensi eiusdem Congregationis,& Ordinis Protectori nūc & pro tempore existenti,ac Dilecto filio Curię Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes committimus,& mandamus quatenus ipsi,vel duo,aut vnus eorum pèr se,vel alium,seu alios pręsentes litteras vbi,& quando opus fuerit,ac quotiès pro parte eorumdem Generalis, Visitatorum, Prioris Eremi, & Congregationis prædictæ, aut alicuius eorum fuerint requisiti solemnitèr publicantes,eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ, easdem præsentes litteras,& in eis,contenta quæcumque inuiolabilitèr obseruari, ac plenum effectum sortiri; necnō Generalem,Visitatores,Abbates,Priores, & Monachos prædictos,& eorum singulos, omnibus præmissis pacificè frui,& gaudere;non permittentes eos & eorum quemlibet desupèr contrà præsentium tenorem,sub quouis prætextu, etiam subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, etiam defectu Nostræ intentionis per quoscumq; quomodolibet molestari,perturbari,vel impediri;Contradictores quomodolibet,& rebelles etiam per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia,appellatione postpositâ compescendo; legitimisque super his habendis,seruatis processibus sententias,censuras,& pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus Nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar,ac fel.rec.Bonifacii Papæ Octaui Prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque Apostolicis, & in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, etiā iuramento,confirmatione Apostolicâ, vel quāuis firmitate aliâ roboratis statutis,consuetudinibus,declarationibus,inhibitionibus,& decretis, Priuilegiis quoq; indultis,& litteris Apostolicis,Legatis,Nunciis, Ordinariis, ac Congregationibus, & Ordinibus prædictis sub quibuscumque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis,etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis irritantibus in genere, vel in specie per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam Motu simili, & Consistorialitèr, aut aliàs quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis,eorumque tenoribus, & formis specialis,specifica expressa,& indiuidua,ac si de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,etiamsi in eis caueretur expressè quod illis nullatenùs,aut non nisi sub certis modo,& formis derogari posit,illorum omnium,& singulorum tenores,ac si de verbo ad verbum,nihil penitùs ommisso, & formâ in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hāc vice dumtaxat harum seriè ad effectum pręmissorum derogamus,cœterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communitèr, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum,quod interdici,suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem,vt præsentibus Nostri,litteris,per quascumq; reuocationes,seu Apostolicas cōstitutiones sub quibuscumque verborum formis, etiamsi motu proprio,& ex certâ scientiâ,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine emanauerint, derogari non possit, nisi eorumdem Priuilegiorum, & præsentium totus tenor de verbo ad verbum inseratur,ac de omnibus,& singulis dictæ Congregationis Monasterijs nominatim specifica mentio fiat.Quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis,manu alicuius Prælati dicti Ordinis,aut Protectoris,ac Notarij publici subscriptis,& sigillo dictæ Congregationis,aut alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutę munitis, eadem fides adhibeatur in iudicio, & extrà, quæ eisdem præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ,vel ostensę. Datum Romę apud S.Marcum sub Annulo Piscatoris die 24. Septembris 1591. Pontificatus Nostri Anno Primo.

*Eadem concessit Paulus Papa III. dictis Eremitis S. Michaelis de Murano,& Montis Coronæ, totique ordini Camaldulensi.Bull.t.1. Pauli III. Constitutio 1.*

# CONSTITVTIO CCCLXXVIII.

## SVMMARIVM.

1601. Ap. 25.

## CLEMENS PAPA VIII.

*Priuilegia Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium spiritualia, Ordini S. Hieronymi sub Regulà S. Augustini Regnorum Hispaniarum, communicat.*

*Rodriq. Bull. Apost. Clem. VIII. Const. 19.*

CLEMENS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. In supremo militantis Ecclesiæ solio, meritis licèt imparibus, à Domino constituti, inter alias grauissimas curas Nobis assiduè incumbentes, non prætermittimus Fideles quoslibet, præsertim, sub suaui Religionis iugo, deuotum, & sedulum Altissimo in ipsius Ecclesiæ agro colendo, & vepribus expurgando, salutarisque disciplinæ semine instaurando, famulatum assiduè præstantes, facere, ac eorum Priuilegia, & indulta, non solum confirmare, sed potiùs extendere, & ampliare, cum præsertim pia Catholicorum Regum vota id exposcunt, Nosque aliàs conspicimus in Domino salubritèr expedire. Sanè Charissimus in Christo Filius Noster, Philippus eius nominis Tertius Hispaniarum Rex Catholicus, pro singulari, quem erga Ordinem Sancti Hieronymi sub Regulâ S. Augustini Regnorum Hispaniarum gerit, deuotionis affectu, tàm suâ, quã Dilectorum filiorum Generalis moderatoris, ac Priorum, Monachorum, & Fratrum eiusdem Ordinis nominibus, Nobis nuper exponi fecit, quod, cum diuersi Rom. Pontifices, & præcipuè Gregorius XI. Benedictus XIII. Eugenius IV. Martinus V. Sixtus etiam IV. Pius II. Paulus III. Pius similitèr IV. & Sixtus etiam V. & Gregorius XIV. Innocentiusque Nonus Prædecessores Nostri, pleraque Priuilegia, prærogatiuas immunitates, exemptiones libertates, conseruatorias, & alias facultates; gratias, ac indulta spiritualia, & temporalia, tàm vniuerso Ordini huiusmodi, quampluribus, eius Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, locis, Conuentibus, Monachis, Fratribus, Monialibus, Religiosis, & personis concesserint, ijdemque, et seu alij Romani Pontifices, etiam Prædecessores Nostri illa omnia confirmauerint, et innouauerint, ac ad singula ipsius Ordinis Monasteria extenderint, excommunicationis quoque, & alijs pœnis aduersus illorum violatores, cõminatis, & inflictis, prout in litteris Apostolicis desupèr confectis pleniùs continetur. Idem Philippus Rex, ac Generalis Moderator, ac Priores, Monachi, et Religiosi præfati, vt ea omnia tantò firmiùs subsistant, quantò sæpiùs Apostolicæ authoritatis robore fuerint communita, illis etiam Nostræ approbationis, et extensionis robur adijci summoperè cupiunt. Ac propterea Nobis, idem Philippus Rex, suo, et aliorum præfatorum nomine, Nobis humilitèr supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Sacrarum Religionum commodis, et felici successui libentèr consulimus Generalem moderatorem, necnon Priores, et Fratres prædictos, corumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, et pœnis à Iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, et absolutos fore censentes, necnon Priuilegiorum, indultorum, immunitatum, exemptionum, libertatum, facultatum, aliarumque gratiarum huiusmodi, ac litterarum, et aliarum scripturarum desupèr confectarum, et expeditarum tenores, præsentibus, pro expressis habentes, ipsius Philippi Regis supplicationibus inclinati, omnia, & singula Priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, conseruatorias facultates, gratias, fauores, & indulta, tàm spiritualia, quàm temporalia, eidem Ordini S. Hieronymi, ac omnibus, & singulis eius Monasterijs Ecclesijs domibus, locis, Congregationibus, Capitulis, Conuentibus, Superioribus, Prioribus, Fratribus, Ministris, Monialibus, & aliis personis vtriusque sexus, tàm per prædictos, & alios quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, illius etiam de latere Legatos, & Nuncios, in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, seu etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principũ, necnon Generalium Priorum, & aliorum Ordinis huiusmodi Superiorum instantiam, quàm etiam ipsosmet Imperatores, Reges, Reginas, Duces, & Principes in genere, vel in specie, etiam per modum communicationis, seu extensionis inter se, ac cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & Non Mendicantibus, sub quâcumque forma, & expressione verborum quomodolibet concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, communicata, & innouata, ac litteras desuper confectas, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, & decretis quatenùs sint in vsu, & decretis Sacri Conc. Trid. non aduersentur, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, præsentisque scripti patrocinio communimus illisque omnibus, & singulis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus; necnon omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti, ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui interuenerint in eisdem, supplemus, ac illa omnia, & singula de vno ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis extendimus, ac adinuicem, & vicissim communicauimus, perindè, ac si cuique illorum nominatim concessa extitissent. Et vlteriùs, omnia, & singula alia quibusuis alijs, tàm virorum, quàm mulierum Ordinibus Religionibus, Congregationibus, Capitulis, Monasterijs, domibus, Ecclesijs, & locis, in quibuscunque mundi partibus consistentibus, illorumque Superioribus, Officialibus, Ministris, Monachis, Fratribus, Sororibus, & personis quibuscunque vtriusque sexus, per prædictos, aut quosuis alios Romanos Pontifices, etiam Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam quomodolibet, tàm coniunctim, quàm diuisim in genere, vel in specie concessa, approbata, & confirmata, Priuilegia, gratias, & indulta spiritualia, similitèr quatenus sint in vsu, ac decretis eiusdem Concilij, & Regularibus institutis ipsius Ordinis Sancti Hieronymi contraria non existant; quorum etiam omnium, & singulorum, & desupèr confectarum litterarum tenores, similitèr, præsentibus pro sufficientèr expressis, & insertis habentes, volumus ad prædictum Ordinem S. Hieronymi, ac ad omnia, & singula

singula eius, tàm virorum, quàm mulierum nunc, & pro tempore existentia, Monasteria, Domos, Ecclesias, & loca, tàm hactenus erecta, quàm imposterum erigenda, eorumque Congregationis capitula, Superiores, Officiales, Ministros, Monachos, Fratres, Moniales, Sorores, & personas vtriusque sexus; ità quòd præmissis omnibus, & singulis æquè principalitèr, & pariformitèr, & absque prorsus vllâ differentiâ, vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, ac debeant perinde, ac si illa omnia, ipsis, eorumque singulis specialitèr, & expresse, ac principalitèr, non autem generalitèr, neque ad instar concessa fuissent, authoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus, illaque eis communicamus. Decernentes præsentes vllo vnquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, seu in ius, vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas, quodcunque iuris facti, aut gratiæ remedium impetrari posse, sed semper perpetuò validas existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac, ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabilitèr obseruari; Sicque, & non alitèr per quoscunque Iudices, quâuis authoritate fungentur, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæ Sedis Nuncios, vbi, & in quàuis instantiâ iudicari, & diffiniri debere; necnon irritum, & inane; si secùs super his à quoquam, quâuis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit, attentari. Quocircà omnibus Nostris, & dictæ Sedis Legatis, ac Nunciis, in prædictis Hispaniarum Regnis ac aliàs vbilibet constitutis, ac quorumcumque locorum Ordinarijs, necnon Dilectis filijs causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Priuilegiorum Ordinis S. Hieronymi huiusmodi Conseruatoribus nunc, & pro tempore existentibus, eorumque singulis per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs easdem præsentes, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quotiès pro parte Generalis moderatoris, Procuratoris, Vicarij, Priorum, et aliorum Superiorum præfati Ordinis, nunc, et pro tempore existentium, seu alicuius eorum, desupèr fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, ipsisque efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate Nostrâ præsentes litteras, et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inuiolabilitèr obseruari; ipsosque Generalem, Moderatorem, Vicarium, Procuratorem, Priorem, et alios prædictos, illis omnibus, et singulis pacificè frui, potiri, et gaudere. Non permittentes ipsos, vel eorum quemlibet desupèr contra earundem præsentium tenorem, quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo; legitimisque supèr his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratibus vicibus aggrauando; inuocato etiàm ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac Nostrâ de Indulgentijs, & gratijs ad instar non concedendis, necnon piæ memoriæ Bonifacij Papę VIII. prædecessori Nostri de vnâ, & in Concilio generali ædita de duobus dietis, dummodò vltrà tres dietas aliquis, authoritate præsentium, ad iudicium non trahatur; alijsque Apostolicis, necnon in vniuersalibus, prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs, editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum, Monasteriorum, & locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eorumque Superioribus, & personis necnon Legatis Nuntijs, & Ordinarijs prædictis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac eum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialitèr, aut aliàs, quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mētio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruandum foret, illorum tenores formas, datas, & decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum, nil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, etiam præsentibus, pro sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expresse derogamus, & sufficientèr derogatum esse decernimus; Necnon omnibus illis, quæ in singulis supradictorum prædecessorum litteris expressis non obstare, ceteris contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communitèr, aut diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Cœterum, quia difficile est easdem præsentes ad singula quæque loca, & Prouincia, vbi opus fuerit, circumferre volumus, & dictâ authoritate decernimus, quod illarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo illius Ordinis Sancti Hieronymi, vel personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutę obsignatis, plena, & indubia, ac ea prorsus fides vbique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eidem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romę apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 25. Septembr 1601. Pontific. Nostri, Anno 10. M. Vestrius Barbianus.

## CONSTITVTIO CCCLXXIX.

*SVMMARIVM.*

*1606. Martij 17.*

PAVLVS PAPA V.

*Priuilegia, præcipuè Congregationis Casinensis, Monachis S. Basilij concessa, confirmat.*

*Bullar. Rom. Paul. V. Const. 17.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Iniuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt Sacrarum Religionum in militanti Ecclesiâ suaues in Domino fructus prēsentium, paternam curam gerentes, ea, quæ à Romanis Pontifici-

bus prædecessoribus Nostris concessa sunt, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robur libentèr communicamus. Cum itaque, sicut accepimus, fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor Noster, animaduertens Ordinem S. Basilij, cæteros omnes Regulares antiquitate præcedere, ac ex eo Dei Ecclesiam, Christianamque Rempublicam ab ipsius Ordinis initio vberes fructus recepisse, vt dicti Ordinis Monachi commodiùs Altissimo famulari, Regularemque obseruantiam seruare possent, per quamdam suam perpetuò valituram Constitutionem, eos in vnam Congregationem redegit. Nonnullaque Priuilegia, gratias, & immunitates, illasque præcipuè, quibus Congregatio Casinensis illiusque Monachi potiuntur, & gaudent, dictæ Congregationi sic erectæ concessit. Cui etiam Congregationi, Monasteria omnia dicti Ordinis, vbiq; existentia perpetuò vniuit, & donec Monasteria ipsa in Commendam manerent, mandauit vt Mensa Conuentualis in tot bonis stabilibus, pro victu, & vestitu, ac visitatione Monachorum, alijsque necessarijs expensis, ad quæ Commendatarij, iuxtà Canonicas sanctiones, ac præsertim tenore litterarum Eugenij Papæ IV, similitèr prædecessoris Nostri tenentur, perpetuò separarentur. Cumque separationibus huiusmodi tunc minimè perfectis eiusdem Gregorij superueniente obitu, Sixtus V. piæ mem. ad Summi Apostolatus apicem assumptus fuisset, idem Sixtus Bruto Farneto per alias suas litteras dedit in mandatis, vt in illis Monasterijs, in quibus separationes factæ, vt præfertur minimè fuerant, constitutionem Gregorij exequeretur, mensasque separatas reuideret. Verum cum ipse Brutus, præmissa totalitèr adimplere minimè potuisset, ipso etiam, ac successiuè dicto Sixto Pontifice vitâ functo; Clemens VIII. recen. mem. volens, vt tam pium necessariumque opus omninò sortiretur effectum, eandem facultatem Dilecto filio Theodoro de Sauocâ ipsius Ordinis Abbati Generali per alias litteras dedit, prout in omnib. dictis litteris pleniùs continetur. Qui Theodorus, diuinâ fauente clementiâ plures separationes fecit, factaque etiam, iuxta sibi tributam facultatem reuidit. Nos quieti, & perpetuæ tranquillitati, ac religionis, ipsiusque Theodori Abbatis Generalis, & Monachorum indemnitati consulere, eosque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pęnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad Theodori, seu Monachorum, vel alicuius alterius super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ Nostrâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultationibus, & negocijs Episcoporum, ac Regularium deputatorum, prędictas Prædecessorum Nostrorum litteras, ac separationes prædictas, tàm Bruti, & Theodori, ac quorumuis aliorum in vim litterarum prædictarum factas, cum omnibus indè sequutis, ac prædicta omnia Priuilegia, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficientèr expressis haberi volumus, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti, & solemnitatum, etiam de iure necessariarum, vel aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, & alios defectus (si qui interuenerint) in eisdem supplemus, illasque, & illa Ordini prædicto, illiusque Abbati Generali, Abbatib. Prioribus, aliisque Superioribus, & Fratribus suffragari, eosque vniuersos, & singulos illis frui, vti, et gaudere, vbi, quando, et quoties opus fuerit, posse, et debere, in omnibus, et per omnia. Sicque per quoscumque Iudices, et Commissarios, quâuis auctoritate fungentes, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales iudicari, et diffiniri debere, ac irritum, et inane, quidquid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, et Apostolicæ Sedis delegatis, et Nuncijs per præsentes cõmittimus, et mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel aliũ, seu alios faciant auctoritate Nostrâ, præsentes litteras, et in eis contẽta quæcumq., eorum effectum sortiri, illisq; omnes quos concernunt pacificè frui, et gaudere; non permittentes quempiam desuper cõtrà præsentium tenorem, per quoscumque, quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, et rebelles per censuras, et pęnas Ecclesiasticas, et alia opportuna iuris, et facti remedia (appellatione quâcumq; postpositâ) compescendo; inuocato etiam adhoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo vltrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, Priuilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusq; Abbati Generali, seu Abbatibus, et Prioribus, aliisq; Superioribus, et Rectoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expresse derogamus, contrarijs quibuscumq; aut si aliquibus, communitèr, vel diuisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Martij 1606. Pontificatus Nostri Anno primo.

CON-

## CONSTITVTIO CCCLXXX.

### SVMMARIVM.

1606. Iulij 9.

### PAVLVS PAPA V.

*Priuilegia Ordinum Non Mendicantium, ad Congregationem B. Mariæ Fuliensis, Ordinis Cisterciensis, extendit.*

*Bullar. Rom. Pauli V. Const. 25.*

PAVLVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Diuinâ disponente clementiâ, in eminenti Apostolatus, specula, meritis licet imparibus, constituti, animo reuoluentes, quod, & si ea, quæ pro salutari, & quieto Christifideliû quorumlibet, præsertim sub Religionis iugo, Regularibusque piæ vitæ institutis, virtutum Domino famulantium laudabili, & prouidâ Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum Ordinatione concessa, & facta dignoscuntur, plenam roboris obtineant firmitatem; illis nihilominùs Nostræ approbationis, & innouationis robur adijcimus, vt eo firmius illibata perdurent, quò sæpiùs erant Sedis Apostolicæ præsidio communita, efficacemq; operam circà earumdem conseruationem libentèr adhibemus, vt fideles ipsi Priuilegijs, & gratijs sibi côcessis huiusmodi, in Domino plenè gaudentes, in pacis, & tranquillitatis amœnitate conquiescant, ac in eorum Instituti Regularis obseruantiâ, & mandatorum Domini semitâ, ac ergà dictam Sedem deuotione feruentiùs perseuerent. Sanè pro parte Dilecti filij Ioannis à S. Hieronymo Vicarij Generalis Congregationis Regularis B. Mariæ Fuliensis nuncupatę Nobis exhibita petitio continebat, quod aliàs, postquam felicis recordationis Sixtus Papa V. prædecessor Noster &c. *Habes in Bullar. Rom. Sixti V. Const.* 32. Piæ memoriæ Clemens Papa VIII. etiam prædecessor Noster, ob laudabilem vitam, & plurimas alias virtutes, & opera fructuosa &c. *Habes in Bullar. Rom. Clementis VIII. Const.* 12. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Ioannes Vicarius Generalis præ cæteris sibi, iuxtà statuta, & Ordinationes ipsius Congregationis, vsque ad proximam illius Capituli generalis celebrationem demandati officij Vicariatus Generalis dictæ Congregationis post obitum quondam Petri ac S. Bernardo Superioris Generalis eiusdem Congregationis ad præsens defuncti, incumbentibus solicitudinibus, hâc curam potissimam suam existimans, vt per Sixtum, & Clementem prædecessores præfatos concessa, & approbata, in suo robore conseruentur, propterea præmissa omnia etiam munimine Nostro roborari summopere desideret, pro parte eiusdem Ioannis Vicarij Generalis Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt singulis litteris eidem Congregationi concessis prædictis, pro illorum viridi obseruantiâ, etiam robur Nostræ confirmationis adijcere, aliâsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dictæ Congregationis Fuliensis, & Monachorum eius statum prosperum, & tranquillum propter vberes fructus, quos Congregatio ipsa, multâ præfulgens gloriâ meritorum, & gratiâ sanctitatis in agro militantis Ecclesiæ hactenùs produxit virilitèr, & produxit, & in futurum producturam fore, spe firmâ tenemus, intentis desideramus affectibus, prædictorum Sixti, & Clementis, ac aliorum prædecessorum Nostrorum vestigijs inherentes, ipsumque Ioannem Vicarium Generalem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie, absoluentes, & absolutû fore censentes, eiusdem Ioannis Vicarij Generalis supplicationibus huiusmodi in hâc parte inclinati, Sixti, & Clementis prædecessorum litteras huiusmodi eidem Congregationi Fuliensi, ac illius Monasterijs, Prioratibus, Oratorijs, & locis necnon eorum Superioribus, Abbatibus, Monachis, Monialibus, & Religiosis in genere, vel in specie, sub quâcumque verborum formâ concessas, ac omnia, & singula in eis contenta, quatenùs sint in vsu, & dicti Concilij Tridentini Decretis, ac alijs Canonicis Sanctionibus non contrarientur, nec sub vllis reuocationibus Apostolicis comprehendantur, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus; ac illa perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus. Et insupèr, vt Monachi, & Religiosi Congregationis huiusmodi, tantò feruentius Diuinis beneplacitis insistant, quanto maioribus se viderint spiritualibus gratijs fore munitos, omnia, & singula Priuilegia, prærogatiuas, concessiones, fauores, facultates, declarationes, conseruatorias, immunitates, exemptiones, libertates, cęterasque gratias, præeminentias, & indulta cuiusuis generis existentia, spiritualia, & temporalia qualiacumque illa sint, quæ tàm eidem Cisterciensi Ordini, ac Abbati Monasterij Cistercij, ac eiusdem Cisterciensis Ordinis, & Capitulo etiam generali, ac quibusuis Monasteriorum Abbatibus, etiam quatuor primis, videlicet de Firmitate, Pontiniaco, Claraualle, & Morimundo, quam etiam alijs Religionibus Monasticis, eorumq; professoribus, ac vtriusque sexus eorum Monasterijs, Ecclesijs, necnon Dilectis filijs earundem Religionum Generalibus, Presidentibus, & quibusuis superioribus, Prælatis, & Capitulis etiam Generalibus, & Prouincialibus, seu intermedijs, eorumque Definitoribus, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Monachis, Monialibus, Nouitijs, Fratribus, Conuersis, Donatis, ac quibuscumque eorum, & earum vtriusque sexus Regularibus personis, tàm in dictâ Vrbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus côsistentibus, & illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, seu per Nos, & successores Nostros aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, & concedentur, quibus de iure, vsu, consuetudine, vel priuilegio, seu concessione Apostolicâ, vel Imperiali, Archiepiscopali, Episcopali, in genere, vel in specie, ac tàm coniunctim, quam diuisim, aut aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, vel poterunt in futurum, quorum concessorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ac si de verbo ad verbum insererentur etiamsi talia sint, quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem, & seu particularem insertionem, ad dictam Congregationem Fuliensem, ac singula illius, tàm virorum, quam mulierum Monasteria, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque vtriusque sexus Regulares personas auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuò extendimus, illaque eis communicamus, & de nouo con-

concedimus,ac suffragari volumus. Ità tamen,quod dictâ Congregatio Fuliensis, illiusque vtriusque sexus Monasteria,Prioratus,Grangiæ, Domus, Ecclesiæ,Oratoria,Collegia, pia, & charitatiua loca, res, & bona, Sanctorumque festiuitates, Conuentus, & Capitula generalia,particularia,seu prouincialia,eorumque Superiores Generales, & Seniores assistentes,Definitores,Visitatores,Abbates,Abbatissæ,Priores, & quicumque alij Superiores; necnon Officiales,Ministri,Monachi,Moniales, Nouitij, Conuersi, Donati,Familiares, Procuratores, & negotiorum gestores, Benefactores, & aliæ singulares vtriusque sexus Regulares personæ sub eorum curâ, & secundum eiusdem Congregationis instituta nunc, & pro tempore degentes,& existentes,præmissis omnibus, & singulis æque pariformitèr respectiuè, & absque vllâ penitùs differentiâ, singula singulis concernentia, perinde, ac si ea omnia illis, & eorum singulis principalitèr, & expresse, & non ad instar concessa, ac si in eis talis Congregatio Fuliensis, illiusque Capitula, Monasteria, Ecclesiæ, dictique Superiores, Prælati,& vtriusque sexus personæ, res, & bona expressa prænominata, necnon à principio in fauorem eorumdem à Sede Apostolicâ emanassent,& immediatè concessa essent, & fuissent, in quantum eidem Congregationi expediat, eiusque gubernio, & Constitutionibus non aduersentur,vti,frui,& gaudere liberè,& licitè possint,& valeant. Et insupèr præsentes litteras, sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus,aut derogationibus similium, vel dissimilium gratiarum,concessionum, & aliorum quorumcumque nullatenùs comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse,& censeri debere, ac quouis quæsito colore,vel ingenio de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio,seu intentionis Nostræ defectu notari, vel impugnari nullatenùs posse, sed illas semper validas,& efficaces existere,suosque plenarios,& integros effectus sortiri, & inuiolabilitèr obseruari, ac eidem Congregationi Fuliensi, illiusque Superiori Generali, & Monachis perpetuò suffragari. Sicque, & non alitèr in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios,& delegatos, quàuis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores,& ipsius S.R.E. Cardinales in quibusuis causis,& instantiis iudicari, & definiri debere. Necnon si secùs super his à quoquam, quàuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr attentari contigerit irritum,& inane decernimus. Quocircà Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Tolosano, & Episcopo Parisiensi, ac Dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta,mandamus, quatenùs ipsi vel duo,aut vnus eorum per se,vel alium,seu alios præsentes litteras, & in eis contenta huiusmodi, vbi, & quando opus fuerit,ac quotiès pro parte dicti Ioannis Vicarii generalis, necnon pro tempore existentis Superioris generalis, ac dilectorum filiorum Abbatum, & aliorum superiorum dictæ Congregationis Fuliensis in præmissis ius,& interesse quomodolibet habentium, seu alicuius eorum desupèr fuerint requisiti solemnitèr publicantes,eisque in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ, præsentes litteras, & in eis contenta,huiusmodi ab omnibus ad quos spectat,& spectabit quomodolibet in futurum inuiolabilitèr obseruari; ac etiam Vicarium Generalem pro tempore existentem,aliosq; Superiores,& Abbates Congregationis,& interesse habentes huiusmodi,necnon eorum singulos illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes eos, aut aliquem eorum desupèr per quoscumque quomodolibet indebitè molestari,perturbari,vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras,& pœnas Ecclesiasticas,aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, necnon legitimis super his habendis, seruatis processibus,censuras,& pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam adhoc, si opus fuerit,auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus recol.mem. Bonifacii Papæ octaui similitèr prædecessoris Nostri, quâ cauetur expressè, nè quis extrà suam Ciuitatem,vel Diœcesim, nisi in certis tùc expressis casibus,& in illis vltrà vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur; seu nè Iudices à prædictâ Sede deputati extrà Ciuitatem, vel Diœcesim in quibus deputati fuerint contrà quoscumq; procedere,aut alii,vel aliis vices suas committere audent, vel præsumat. Et in Concilio generali edita de duabus, dummodo vltrà tres dietas aliquis, auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, aliisque quibusuis Apostolicis;necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam aliorum Monasteriorum, Ecclesiarum, Ordinum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento,confirmatione Apostolicâ, vel quàuis firmitate aliâ roboratis stabilimentis, vsibus, & naturis, Priuilegiis quoque indultis, ac litteris Apostolicis illis,vel alicui eorum,& præsertim eidem Cistercienfi Ordini,ac Abbati Monasterii Cistercii Superioribus & personis per quoscumque Romanos Pontifices paritèr prædecessores Nostros,& Sedem prædictam, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu simili,& ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine,etiam forsan consistorialitèr,aut aliàs quomodolibet in genere, vel in specie concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis,& innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris hâc vice dumtaxàt specialitèr, & expressè derogamus, ac nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere decernimus. Necnon omnibus illis quæ Sixtus, & Clemens prædecessores prædicti in dictis suis litteris voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque aut si aliquibus communitèr,vel diuisim à dictâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam,& expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret, præsentes litteras originalitèr ad omnia,& singula loca in quibus opus esset deferri;volumus,& prædictâ auctoritate Apostolicâ decernimus, quod earumdem præsentium transumptis,etiam impressis,manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut manu Superioris Generalis, & sigillo eiusdem Congregationis munitis,eadem prorsus fides adhibeatur, quæ originalibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc

pagi-

paginam &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1606. quinto Idus Iulii Pontificatus Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLXXXI.

### SVMMARIVM.

1607. Aug. 24.

### PAVLVS PAPA V.

*Regulares coràm suis Superioribus, vel coràm suis Conseruatoribus in causis eorum, non autem coràm Ordinarijs conueniendos esse, declarat.*

*Bullar. Rom. Paul. V. Const. 24.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Religiosorum sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium quieti prospicere cupientes, quæ illam quoquo modo perturbare posse videntur, opportuna nostra declaratione è medio tollere, ac alias desuper opportunè prouidere curamus, prout in Domino salubritèr conspicimus expedire. Cum itaque nomine dilecti filij Basilii Anguissolæ Procuratoris generalis Ordini Fratrum Carmelitarum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilij interpretum, expositum fuerit, in Hispaniarum Regnis, quosdam Ordinarios Locorum contendere, Religiosos intra claustra degentes coram ipsis Ordinarijs conueniri debere in causis ciuilibus, cap. Volentes, de priuileg. in 6. comprehensis, propter illius innouationem à Concilio Tridentino factam, sess. 7. cap 14. quo præfatos Religiosos, eorum Priuilegijs abrogatis, defendunt comprehendi. Prætereà eosdem locorum Ordinarios paritèr contendere, eosdem Religiosos intra claustra degentes in prima instantia coram ipsis conueniri debere ex decreto eiusdem Concilii Tridentini, sess. 24. cap. 20. de Reformat. Cumque ab eodem Basilio Procuratore generali in eadem Congregatione supplicatum fuerit, vt super vtraque re responsa darent. Ab eadem vero Congregatione fuerit responsum, Neque constitutione in generali Concilio Lugdunensi edita, quæ incipit. Volentes, neque decreto Concilii Tridentini cap. 14. sess. 7. comprehendi Regulares, ideoque eos iuxta eorum priuilegia, coram suis Superioribus, vel Conseruatoribus esse conueniendos. Necnon Decretum eiusdem Concilii Tridentini dicto cap. 20. sess. 24. ad Regulares non pertinere; nec eorum Conseruatorias imminuere, nec quoad primam illarum instantiam aliquid noui inducere, ipseque Basilius Procurator Generalis nobis humilitèr supplicari fecerit, vt pro sui Ordinis quiete, supradictas declarationes ab eisdem locorum Ordinariis seruari debere, Apostolicâ auctoritate præcipere dignaremur. Nos illius huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis locorum Ordinariis, in virtute Sanctæ obedientiæ per præsentes districtè præcipiendo, mandamus, ne Fratres, & Religiosos dicti Ordinis Carmelitarum contra dispositionem declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare quoquo modo audeant, vel præsumant, irritum nihilominus, & inanè decernentes quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocirca dilectis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religiosorum, eorumue Superiorum fuerint requisiti solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos eorundem præmissorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo: inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus fel. recordat. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris Nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si originaliter forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 24. Augusti 1607. Pontificatus Nostri Anno tertio.

## CONSTITVTIO CCCLXXXII.

### SVMMARIVM.

1607. Nouemb. 9.

### PAVLVS PAPA V.

*Priuilegia Ordinum Mendicantium, Communicat Clericis Regularibus Congregationis Somaschæ.*

*Ex libro Priuilegiorum Congregationis Somaschæ.*

PAVLVS Papa Quintus. Ad perpetuam rei memoriam. Ex quo Diuina Maiestas ad Pastorale fastigium Nos, quamquam immeritos, euexit, illud, quantum in Nobis semper fuit, superno auxilio freti, agere conati sumus, vt piorum hominum Congregationes, quæ ad diuini cultus augmentum, & animarum salutem institutæ sunt, & in obseruatione Institutorum suorum pie, & religiosè persistunt, magis quotidiè in huiusmodi suo pio proposito cōfirmentur. Cum itaque sicut accepimus, Dilectorum filiorum Congregationis, & Clericorum Regularium Somaschæ aliàs Sancti Maioli Papiensis nuncupatorum, fortiores quotidie vires, coadiuuante Domino, in Militantis Ecclesiæ Castris appareāt, vt Clerici Congregationis huiusmodi eò feruentiùs adhuc pugnare studeant, quò maioribus se viderint spiritualibus gratijs fore munitos; ipsos, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs, cen-

censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quāuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, præter alia quæcunque Priuilegia, & gratias iisdem Congregationi, & Clericis hactenùs quomodolibet concessa; omnia, & singula Priuilegia, prerogatiuas concessiones, fauores, facultates, declarationes, immunitates, exemptiones, libertates, cæteras que gratias, præeminentias, & indulta cuiusuis generis existentia spiritualia, & temporalia, qualicunque illa sint, exceptâ tamen exemptione à iurisdictione Ordinariorum quibusuis Mēdicantium Ordinum Congregationibus eorumque Professoribus, ac eorum Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, & Regularibus locis, necnon dilectis filiis earundem Religionum, & Congregationum Generalibus Præpositis, Superioribus, Prælatis, & Capitulis, tàm Generalibus, quàm Prouincialibus, Fratribus, Nouitijs, Conuersis, Donatis, ac quibusuis eorum, & earum personis in quibuscunq; mundi partibus existentibus, & illorum intuitu, & per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores Nostros, seu per Nos, & successores Nostros, aut alios authoritatem habentes concessa sunt, & concedentur, ac quibus singulæ Congregationes prædictæ, eorumque Monasteria, Ecclesiæ, Domus, & loca, ac Superiores, Fratres, & personæ huiusmodi de iure, vsu, consuetudine, vel Priuilegio, aut concessione Apostolicâ, vel aliâ quāuis authoritate in genere, vel specie, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, aut aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, vel poterunt quomodolibet, in futurum, quarum concessionum tenores præsenti bus pro expressis habentes, ac si de verbo ad verbum insererentur, etiamsi talia sint & forent, quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem, seu particularem insertionem, quatenùs sint in vsu, & non sint reuocata, neque sub vllis reuocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non aduersentur, ad eandem Congregationem Somascham, seu Sancti Maioli, ac singulos illius Conuentus, illorumq; Superiores, Præpositos, Prælatos, & quascunque personas, authoritate, & tenore præsentium perpetuò extendimus, illaque eis communicamus, & de nouo concedimus, ac suffragari volumus, & declaramus. Non obstante tàm fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de vnâ, & in Concilio Generali editâ de duabus dietis, dummodo vltrâ tres dietas aliquis, authoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, quàm aliis quibuscunque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis tàm de Iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quàm personis vltrà certum numerum ad iudicium non vocandis; Necnon quibusuis Priuilegiis, & indultis Apostolicis quibusuis sæcularibus, vel Regularibus, Militiis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Capitulis, Castris, Villis, Terris, & quibusuis Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis, aut alijs Ecclesiis, Capitulis, Cōuentibus, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis piis locis, etiam motū, & scientiâ similibus, & de non trahendis eorum subditis, vel personis ipsarum Ecclesiarum, Ciuitatum, Vniuersitatum, Castrorum, Villarum, & locorum respectiuè extrà eas, aut coràm illis iudicibus, & personis, quàm etiam vigore quarumcunq; litterarum Apostolicarum, aut aliàs quibusuis modis, & qualitercunque ac quibusuis verborum formis, & tenoribus de quibus etiam plena, & expressa, specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris specialitèr, & expressè derogamus; seu si aliquibus commmunitèr, aut diuisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non faciētes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, cœterisque contrariis quibuscunque. Cœterum volumus, & dictâ authoritate decernimus, quòd earundem præsentium transumptis, & manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut manu Præpositi Generalis, & Sigillo eiusdem Congregationis Somaschæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Nouembris 1607. Pontificatus Nostri Anno tertio. Scipio Cobellutius.

## CONSTITVTIO CCCLXXXIII.

### SVMMARIVM.

1610. Iulij 31.

### PAVLVS PAPA V.

*Lectiones linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ, à Regularibus instituendis, eorumque linguarum peritos, cœteris paribus, ad dignitates, & officia præferendos decernit. Protectoribus Ordinum, executionē præsentis Constitutionis, iniungit.*

*Bullar. Rom. Pauli V. Const. 75.*

PAVLVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ seruitutis onere, infirmitati nostræ à Domino, inscrutabili consilio eius imposito, assiduè admonemur, sapientibus, & insipientibus constitutos nos esse debitores; vt scilicet per ministerium Nostri Apostolatus, qui sapiunt, quod Sanctus docet Bernardus, non desipiant, qui non sapiunt, sapiant, & qui desipuerunt resipiscant, quibus verbis instrui nos satis perspicimus, vt fideles in fide, & charitate conseruare, infideles ab infidelitatis tenebris educere, & hæreticos, ac peccatores à peruersitate erroris, ac seruitute peccati liberare aspirante gratia Dei, à quo omnis sapientia, pastorali sollicitudine procuremus. Cum vero præceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac testimonium eius fidele sapientiam præstet paruulis, omni vigilantia procurare debemus, vt Prædicatores, & Doctores verbi Dei ad opus Dei operandum instructi reddantur in dies magis, & partes suas quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius, & vtilitatem animarum quotidie meliùs, & feliciùs adimpleant. Cui rei plurimum conducere satis constat Linguarum cognitionem, Hebraicæ præsertim, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ, hæc enim conuersio Infidelium opportunissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut Arabicæ loquitur aut intelligit: ac si vnquam reliquarum

trium

trium Linguarum notitia in Ecclesia Dei vtilis fuit, diebus Nostris profectò vtilissima est: hostis enim humani generis Linguarum scientia singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius Largitoris contumeliam, & fidei suę Catholicæ detrimentum, nunc, vt cum maximè abutitur. Quamobrem fel. rec. Clementis Papæ V. Prædecessoris Nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigijs insistentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, deque Apostolicæ nobis attributæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, vt in cuiuscunque Ordinis, & Instituti Regularium, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectorum, Studijs omnib. trium Linguarum huiusmodi, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinę, in maioribus vero ac celebrioribus etiã Arabicæ Doctores, Regulares quidem, & eiusdem Ordinis, si in illo harum Linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, sæculares aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, si Studia in Vrbibus, & locis existunt, vbi Linguarum prædictarum peritos conducendi facultas est. Studijs vero Locorum, vbi huiusmodi Doctores desunt, cum primum in alijs Studijs, vbi Linguæ huiusmodi docebuntur, Scholares tantum profecerint, vt docendis alijs idonei sint, de iisdem Scholaribus prouideatur. Quod vt citius, & facilius fieri possit, & sperati fructus ex Linguarum huiusmodi studio appareant, omnibus, & singulis Regularium Superioribus sub indignationis nostræ pœna eadem auctoritate, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, & si ipsi negligentes fuerint, eorundem Ordinum Regularium apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus iniũgimus, eorum conscientias desuper onerantes, vt omni cura, & sollicitudine quanto citiùs prouideant, vt Scholæ Linguarum huiusmodi quamprimum instituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque Linguarum Lectionibus Scholares assignentur, qui illis sedulam, & assiduam operam nauent. Hi vero Scholares vt alacrius huic studio incumbant, volumus, & decernimus, vt in promotione ad Doctoratus gradus, & ad alios sui Ordinis honores, illi cæteris paribus, preferantur, qui in cognitione trium saltem Linguarum prædictarum profecerint, ita vt ad illas docendas apti sint. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis Vniuersitatibus, illarumque Rectoribus, ac Ordinibus prędictis, & illorum Superioribus, & personis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores pręsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Sanctionis, statuti, ordinationis, præcepti, mandati, iniunctionis, onerationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, pridie Kal. Augusti, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo decimo, Pontificatus Nostri Anno sexto. M. Card. Nazarenus Prodat.

## CONSTITVTIO CCCLXXXIV.

### *SVMMARIVM.*

*1611. Martij 19.*

### PAVLVS PAPA V.

*Abbatibus Congregationis Montis Virginis Priuilegia Abbatum Camaldulensium, concedit.*

*Bull. Rom. t. 3. Const. 89.*

PAVLVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Postulat ratio pastoralis officij, Nobis licet imparibus meritis diuina prouidentia cõmissi, vt Congregationum ad diuini cultus augmentum, & Religionis propagationem institutarum conseruationi intendentes, illa statuamus, & decernamus, per quæ non solum ipsæ Congregationes conseruari, verum etiam incrementum suscipere valeant. Cum itaque sicut accepimus alias Dilectus filius Ioannes de Leonardis Clericus Regularis Congregationis Lucensis, ad restituendam, & augendam Regularem disciplinam Monachorum Ordinis S. Benedicti Cõgregationis Montis Virginis à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore Nostro delegatus, decretis Concilij Tridentini inhærens, & in vim facultatum sibi à dicto Clemente prædecessore attributarum, ne maior esset Monachorum numerus, quàm eiusdem Congregationis redditibus ali posset, quædam Monasteria Ordinis, & Congregationis prædictorum perpetuo retinendas, alia per modum prouisionis, & ad certum tempus reliqua supprimendas decreuerit. Experientia vero compertum sit in executione decretorum ipsius Ioannis difficultates, & incommoda, & detrimenta varia circa Ecclesiasticum cultum, redituum, & Monasteriorum conseruationem, & manutentionem nasci, & proindè dictus Clemens prædecessor multa ex illis sustulerit, & immutauerit, multaque alia pro conseruatione, & augmento Ordinis, & Congregationis prædictorum veniant abroganda. Idcircò Nos dictorum decretorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, matura deliberatione desuper habita, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione, perpetuò statuimus, & ordinamus, quod Monasteria quibus tota Congregatio Montis Virginis constare debet, infrascripta vigintiquatuor sint, & in eisdem infrascriptis Monachorum numerus ali debeat, qui neque minui, neque augeri, nisi quatenus augeatur dictorum Monasteriorum redditus possit. Videlicet Monasterium Montis Virginis de Monte, in quo sint Monachi centum computatis omnibus, tàm Professis, quàm Oblatis, & famulis; ita tamen vt dimidia saltem pars sint Sacerdotes. Monasterium S. Mariæ Montis Virginis de Neapoli, in quo sint sexdecim; Et Monasterium Casæ Marianæ in quo quatuordecim, comprehensis Professis, Oblatis, & famulis, vt supra dictum est. Monasterium Sanctæ Mariæ Virginis de Capua; Sanctæ Mariæ de Gratia Terræ Pintæ; Sanctæ Mariæ Montis Virginis Terræ Candidæ,

didæ; Sanctæ Mariæ de Gratia Mariliani; Sanctæ Mariæ Virginis de Auersa; & S. Agathæ Vrbis Romæ; S. Saluatoris de Guleto; S. Agathæ de Apulia; S. Mariæ Lauretanæ montis Falcionis; S. Ioannis de Argento, in quibus singulis sint Monachi duodecim, omnibus supradictis computatis. Prædicta vero Monasteria gubernentur sub titulo Abbatis, ijsq; non præficiantur nisi Monachi spectatæ virtutis, & disciplinæ. Monasteria S. Honufrij Terræ Abbedinæ; Sanctæ Crucis Terræ Palmæ; S. Ioannis de Sarno; S. Iacobi in Terra Lauri; S. Benedicti de Ariano; S. Ioannis Baptistæ de Castello; S Ioannis Baptistæ Nuceriæ; S. Iacobi de Beneuento; S. Mariæ de Gratia de Caruiscara; Sanctissimi Corporis Christi Mõtis Aurei; S. Iacobi Terræ S. Angeli de Scala, in quibus sint Monachi sex pro quolibet Monasterio, neque plures, neque pauciores, computatis omnibus supradictis; & Monasteria predicta gubernentur sub titulo Prioris. Qui quidem Priores, Abbatibus decedentibus, per gradus præficiantur Monasteriis maioribus supradictis, prout eorum virtutum merita, & administrationis ratio postulare videbuntur. Ex numero vero dictorum vndecim Priorum, qui erunt ad nutum amouibiles, tres eligantur per vota secreta ipsorum tantum vndecim Priorum, fabis albis, & nigris in pixidem conjciendis, & qui plura vota tulerint, ij vocem electiuam in ea in Capitulo habeãt: ea vero electio celebretur coram Abbate Generali, & duobus Diffinitoribus, vel saltem vno, si alter aliquo impedimento intercedente adesse non poterit. Decanus vero, Diffinitores, seu Visitatores, Procurator Generalis in Vrbe pro tempore existens, necnon supradicti omnes Abbates, & Magister Nouitiorum, qui tantum est ad præsens, & Vicarius similitèr ad præsens existens Presbyterorum Mõtis Virginis qui declaretur Abbas, & deinceps eligetur ex supradicto numero Abbatum, semper vocem habeant actiuam, & passiuam in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, & in electione Abbatis Generalis, & Diffinitorum. Omnesque Abbates supradicti gaudeant, & gaudere debeant omnibus Priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentiis quibus gaudent Abbates Camaldulenses quocumque iure. Monachi quoque senes, & sexaginta annis maiores, cum fuerint Abbates ad minus decem annis, & seu per dictum temporis spatium ijs locis præfuerint, qui nunc Abbatiæ appellantur, licet velint cedere officio quod obtinent, habeant paritèr vocem actiuam, & passiuam in omnibus Capitulis, & electionibus, si tamen ad id consenserit Capitulum Generale, & non alias. In aliis Monasteriis seu domibus, & membris quæ prædictis Monasteriis vnita, & annexa, vel aliter reperiuntur, nulla in posterum constituatur familia, sed Monachus tantum vnus Sacerdos, quadraginta annorum maior, ac probatæ vitæ cum vno Conuerso, seu Oblato collocetur, qui sint, & censeantur ex familia, cui domus seu membrum illud vnitum fuerit, ac in ea Ecclesia celebrent, & bonorum, & reddituum curam habeant. Huiusmodi vero Monasteria seu domus sint infrascriptæ; videlicet Monasterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Salerno; S. Mariæ de Niue de Triuico; S. Bartholomæi de Troia; S. Ioannis Baptistę de Auellino; Annunciatæ Altauillę; Sanctæ Mariæ Annunciatæ de Merculliano; Montis Virginis de Thiano; S. Mariæ de Niue de Prata; Sancti Leonardi de Montefusculo; S. Mariæ de Ascensione de Caristo; S. Mariæ Annunciatæ de Illiceto; S. Donati de Asculo; S. Mariæ de Tocco; S. Marię de Boiano; S. Marię de Montis Virginis de Altouilla Capacii; S. Catharinæ de S. Martino; S. Mariæ Annunciatæ de Matalona; S. Mariæ de Airola; & Sancti Rocchi de Baniolo. In Monasteriis autem feudi, quod sicut accepimus membrum est Monasterii Montis Virginis, & animarum curam habet, sint Monachi, quot sicut paritèr accepimus in eo esse solent, numero quinque; in Monasterio Puteolano, quod vt asseritur hospitium est, & membrum Monasterii Neapolitani, numero tres: in reliquis domibus seu membris, deputetur vnus Oblatus Professus spectatæ probitatis, & ætatis, qui sit ex familia Monasterii cui domus annexa est, qui Ecclesiæ suppellectilis ædium, & reddituum curam habeat. Si vero fortè contigerit, vt aliquod seu aliqua ex Monasterijs prædictis, vel domibus ad formam Monasterii redigantur, competenterque dotentur, itaut duodecim in eo Monachi, vel saltem sex ali possint, vt supradictum est, tunc cum Capituli Generalis consensu, & Protectoris licentia restituantur, sub Abbatis, vel Prioris titulo respectiuè gubernanda. Præterea ad propagationem Congregationis vnum in Monasterio Montis Virginis de Monte, & alterum in Monasterio S Agathæ de Vrbe Nouitiatum, in quib. postquam fabrica, & rebus necessarijs instructi fuerint, Nouitij recipi, & admitti, ac sumptibus dictorum Monasteriorum respectiuè ali, & manuteneri debeant, instar aliorum dictę Congregationis Nouitiatuum Apostolicâ auctoritate tenore præsentium, sine alicuius præiudicio perpetuò erigimus, & instituimus. Illisque sic erectis & institutis, necnon Nouitiis, & aliis personis Regularibus professis, in aliis pro tempore existentibus, quod omnibus, & singulis Priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, antelationibus, fauoribus, præeminentiis, indultis, licentiis, aliisque gratiis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliis eiusdem Congregationis Nouitiatus, & illorum Nouitii, ac Regulares personæ, de iure, statuto, vsu, consuetudine, priuilegio, aut alias quomodolibèt vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipsi paritèr, & pariformitèr, ac æquè principaliter, absque vlla prorsus differentia, in omnibus, & per omnia, ac si illa nominatim, & expressè per præsentes concessa, & impartita forent, etiamsi talia essent quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem, & sub generali expressione non comprehenderentur, vti, potiri, & gaudere possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis, itidem perpetuò concedimus, & indulgemus. Quo vero ad vniuscuiusque loci qualitatem, & Nouitiatus, ac recipiendorum in Nouitios formam spectat, eorumque regimen, decreta super prædictis à Sede Apostolicâ euulgata omnino seruentur. Et quoniã vt ex statu personali Monachorum dictæ Congregationis nobis constitit, ex quorundam Superiorum negligentia, seu aliquo humano affectu factum est, vt ex eadem patria, & etiam ex eadem familia multoties maior numerus Monachorum receptus fuerit, quàm par erat, seu Monasterii redditibus, qui in eadem patria sunt, ali possit, decernimus non plures Nouitios, quàm tres eiusdem patrię in posterum in Congregatione prædicta recipiendos, nisi in defectum aliorum; quo casu recipiendi munus huiusmodi ad Capitulum Generale cum Protectoris licentia spectet, & non alitèr. Nemo etiam Abbas, Prior, vel Cellerarius creari possit in propria patria. Insuper duo alii Nouitiatus Monachorum professorum arbitratu Capituli generalis constituantur, in quibus Nouitii professi vsque ad presbyteratus, vel sal-

saltem ad Subdiaconatus ordinem, in obseruantia disciplinæ Monasticę, studiis incumbant. Sicut autem vestitus Nouitiorum à vestitu Monachorum professorum distinctus esse debet, sic Conuersorum professorum vestitus à non professis distinctus omninò sit: & Oblatis non professis Tabanus tantum cum beretto albi coloris concedatur Volumus etiã, & decernimus, vt filiationes Monasteriorum, vti habent alię Congregationes Sancti Benedicti, in Congregationem huiusmodi introducantur. Et tàm Abbates, quàm Priores prædicare verbum Dei in locis vigintiquinque milliaribus à suis Monasterijs distantibus. Et postquàm cursum in Theologia peregerint, & quinque annos continuos legerint, gradum Doctoratus suscipere cum licentia Abbatis generalis, qui nulla tamen gaudeant exemptione, possint, & valeant. Ac omnes Oblati, tàm hactenus professi, quàm qui in posterum emiserint professionem, debeant post illam emissam, deferre scapulare paruum, latitudinis palmi, longitudinis vsque ad genua, ac in ima parte ad figuram oui redactum, cum cuculla rotunda, & sine cauda, vt dicunt, & dicto scapulari consueta: dictaque professio non possit ab illis emitti, nisi de vita, & moribus à Religiosis Monasteriorum vbi seruierunt, & tunc seruient fuerint approbati, ac seruatis decretis à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore Nostro, conditis, & publicatis; antequàm vero emiserint dictam professionem, debeant gestare tunicam oblongam dumtaxat cum mantello, & pileo. Hi autem omnes supradicti Oblati, teneantur per annum integrum Nouitiatum facere, & quę sunt necessaria addiscere. Alij verò, qui recipientur ad seruitia vtilia obeunda, nec emittent professionem, solum vnam vestem vsq; ad genua, & non infra oblongam, vna cum mantello, & pileo ad instar laicorum sęcularium habere debeãt. Decernentes pręsentes litteras, ac in eis contenta quæcunque, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrę, vel quopiam alio defectu notari, seu impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, seu inualidari, aut in ius, vel controuersiam vocari, aut aduersus eas, & ea quodcunque iuris, & facti, vel iustitiæ, & gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus vnquam posse, sed ab omnibus quos concernunt, & concernent, quomodolibet in futurum inuiolabilitèr obseruari debere. Sicque, & non aliter, per quoscunque Iudices ordinarios, & Delegatos, ac Commissarios, quauis auctoritate fungentes, ac etiam S.R.E. Cardinales, & de latere Legatos, sublata eis, & eorumcuilibet, quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inanè, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus nostra, ac Cancellarię Apostolicæ regula de Priuilegijs ad instar concedendis, ac quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, & Ordinis prędictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus. Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, cõfirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut diuisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas nõn facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 19. Martii 1611. Pontificatus Nostri Anno 6.

## CONSTITVTIO CCCLXXXV.

### SVMMARIVM.

*1622. Aug. 23.*

### GREGORIVS PAPA XV.

*Priuilegia Congregationis Casinensis ac Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris Bononiensis Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium concedit, ac confirmat.*

*De Iure Abbatum Tom. I.*

GREGORIVS Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Iniuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt Sacrarum Religionum gratos Domino fructus assiduè præstantium, paternam curam gerentes, Priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prędecessoribus Nostris concessa, quo validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robur libentèr communicamus. Exponi siquidem Nobis nupèr fecit dilectus filius Iacobus à Bononiâ Procurator Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, quòd nonnulla Monachorum Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, & alia diuersa Priuilegia, gratiæ, & indulta, a diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, eidem Congregationi Lateranensi, tàm per viam communicationis, & extensionis, quàm aliàs concessa fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Iacobus prædictus plurimum cupiat Priuilegia, gratias, & indulta huiusmodi pro eorum maiori validitate, & subsistentiâ, Apostolicæ Nostræ Confirmationis robore communiri, & alia Priuilegia eidem Congregationi Casinensi hucusque concessa, dictę Congregationi Lateranensi concedi: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, vt supèr pręmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Iacobum prædictum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, ipsumque ac singulares dictæ Congregationis personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quãuis occasione, vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore cẽsentes huiusmodi supplicationibus inclinati; Omnia, & singula Priuilegia, gratias, & indulta prædicta per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros eidem Congregationi Lateranensi, tàm per viam communicationis, & extensionis, quàm aliàs, vt præfertur, concessa, dummodò tamen sint in vsu, & non sint reuocata, neque sub aliquibus reuocationibus compræhensa, sacrisque Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis, & Romanorum Pontificum

tificum prædecessorum Nostrorum, ac Nostris Constitutionibus non aduersentur, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac, quatenùs opus sit, dictæ Congregationi Lateranensi de nouo concedimus. Præterea eidem Congregationi Lateranensi, illiusq; Abbatibus, Superioribus, Canonicis, alijsque personis, quòd omnibus, & singulis alijs Priuilegijs, gratijs & indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, tàm eidem Congregationi Casinensi in huncusque diem, quàm Congregationi Canonicorum Regularium S. Saluatoris Bononiensis, illarumque Abbatibus, Superioribus, & personis quibuscunque etiam, vt præfertur, aut aliàs quomodolibet per quoscunq; Romanos Pontifices prędecessores Nostros, ac etiã nos concessis, ac quibus vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere possunt, & poterũt quomodolibet in futurum, dummodò similitèr sint in vsu, & non sint reuocata, neque sub aliquibus reuocationibus compræhensa, nec Sacris Canonibus, ac Concilij prædicti Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent, pari modo vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant auctoritate, & tenore præsentis, etiam concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentes litteras perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac primò dictæ Congregationi, alijsque prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstante Nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus Priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 23. Augusti 1622. Pontificatus Nostri Anno secundo. S. Card. S. Susannæ.

## CONSTITVTIO CCCLXXXVI.

### SVMMARIVM.

1622. oct. 15.

### GREGORIVS PAPA XV.

*Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei Scholarum Piarum Priuilegia Ordinum Mendicantium communicat.*

*Bullar. Rom. Greg. XV. Const. 14.*

GREGORIVS Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Ad vberes fructus, quos dilecti filii Minister Generalis, & Clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Militanti Ecclesia, cuius regimini diuina disponente clementia præsidemus, in dies afferunt, mentis nostræ aciem conuertentes, ac vberiores ex ipsa Congregatione fructus in dies prouenturos esse sperantes, ad ea meritò libentèr intendimus, per quæ Congregatio ipsa felicioribus in dies proficiat incrementis. Vt igitur Minister, & Clerici prædicti eo feruentius in suo laudabili instituto perseuerent, quo maioribus se viderint fauoribus, & gratiis munitos, prouidere volentes, ac singulares Ministri, & Clericorum prædictorum personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quâuis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatę existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Congregationi prædictæ, illiusque Ministro, & Clericis, aliisque personis vt omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis, & indultis tàm spiritualibus, quam temporalibus Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, Professoribus, necnon Ecclesiis, Monasteriis, Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Rom. Pontifices Prędecessores Nostros, ac etiam Nos quomodolibet concessis, & quibus ipsi, necnon Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca huiusmodi de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, seù aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehẽsa, nec Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis aut Constitutionibus Apostolicis repugnent, pari modo non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principalitèr, perinde ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent, vti frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore pręsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, dictaque priuilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias, & indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus. Decernentes, præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Præposito, & Clericis prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquàm quâuis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstañ nostra de gratijs ad instar non concedeñ, ac quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinum prędictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, eorum teñ præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die

die 15. Octobris MDCXXII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLXXXVII.

### SVMMARIVM.

1623. Feb. 3.

### GREGORIVS PAPA XV.

*Priuilegia Ordinum, & Congregationum Non Mendicantium, & Mendicantium, Congregationi Carthusiensi, concedit.*

*Bull. Rom. Greg. XV. Const. 42.*

GREGORIVS Papa XV. Ad vberes, & suaues fructus, quos dilecti filij Prior Generalis, & Monachi Ordinis Carthusiensis in Militanti Ecclesiâ, cuius regimini, Diuinâ disponente clementiâ, præsidemus in dies afferunt, mentis Nostræ aciem conuertentes, ac vberiores ex ipso Ordine fructus prouenturos esse sperantes, ad ea meritò libentèr intendimus, per quæ Ordo huiusmodi felicioribus in dies proficere valeat incrementis. Vt igitur Prior Generalis, & Monachi prædicti eò feruentiùs in suo laudabili instituto perseuerent, quo maioribus se viderint fauoribus, & gratijs munitos, prouidere volentes; ac singulares Prioris Generalis, & Monachorum prædictorum personas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum, harum serie, absoluentes, & absolutos fore censentes; Motu proprio & ex certâ scientiâ Nostrâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Ordini prædicto, illiusque Priori Generali, & Monachis, alijsque personis; Vt omnibus & singulis Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, gratijs, & indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus quibusuis alijs tàm Mendicantium, quàm Non Mendicantium Ordinibus, illiusque Superioribus Abbatibus, Monachis, alijsque Regularibus personis; necnon Ecclesijs, Monasterijs, & Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac etiam quomodolibet concessis, & in futurum concedendis & quibus ipsi, necnon Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca huiusmodi, de iure, vsu, & consuetudine, Priuilegio, aut concessione Apostolicâ in genere, vel in specie, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, seu aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum; dummodo tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, aut Constitutionibus Apostolicis non repugnent, pari modo, & non solum ad eorum instar, sed pariformitèr, & æquè principalitèr, perinde, ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent vti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, perpetuò concedimus, & indulgemus; dictaque Priuilegia, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta primodicto Ordini, illiusque Priori Generali, & Monachis, alijsque personis, necnon eorum Ecclesijs, Monasterijs, & Regularibus locis communicauimus; illaque ad eos, & illa extendimus. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac primodicto Ordini, illiusque Priori Generali, & Monachis, ac personis huiusmodi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquâm, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari. Non obstantibus Nostrâ de gratijs ad instar non concedendis, ac quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenùs opus sit Ordinum huiusmodi, etiã iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, sub die tertia Februarij 1623. Pontificatus Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLXXXVIII.

### SVMMARIVM.

1624. Aug. 14.

### VRBANVS PAPA VIII.

*Priuilegia, Exemptiones, & Immunitates Congregationis Casinensis, aliorumq; Ordinum Mendicantium, & Non Mendicantium, communicat Congregationi Cælestinorum.*

*De Iure Abbat. tom. 1.*

VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti Apostolatus, ministerium, quod ineffabilis diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei Altitudo, humilitati Nostræ nullis licèt suffragantibus meritis per abundantiam cœlestis misericordiæ, credidit, iugitèr Nos admonet, vt inter multiplices, grauissimasque Apostolicæ seruitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, quã Priuilegia pijs Christifidelium Congregationibus in militanti Ecclesiâ ad Diuini Nominis laudem, & gloriam; Sanctæque Fidei Catholicæ exaltationem salubritèr institutis, à Sede Apostolicâ concessa, non solum conseruantur, verùm etiam Congregationes ipsæ nouis ab eâdem Sede gratijs, atque indultis decorentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino salubritèr expedire. Hinc est quòd Nos ad vberes fructus, quos

dilecti filij Monachi Congregationis Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti, vel ab ipsius Congregationis primordiò in eâdem Ecclesiâ, magno cum Reipublicæ Christianæ spirituali commodo, attulerunt, & in dies afferunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes, quòd Congregatio prædicta, vna ex duodecim existit, quæ cum Camerâ Apostolicâ tempore fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris Nostri de Subsidio ordinario concordarunt, necnon Monachos prædictos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspēsionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad Abbatis, seù Procuratoris Generalium, aut aliorum quorumcunque Superiorum, vel Monachorum eiusdem Congregationis, aut alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Priuilegia, prærogatiuas, fauores, facultates, declarationes, libertates, immunitates, exemptiones, præeminentias, indulta, aliasque gratias, tàm spirituales, quàm temporales, cuiusuis generis, & speciei existentes, tàm Casin. Ordinis S. Benedicti, quàm quibusuis alijs Monachorum Congregationibus, earumque Superioribus Præsidentibus, Abbatibus, Monachis, alijsque Regularibus personis, necnon Ecclesijs, Monasterijs, & locis Regularibus quibuscunque tàm specialitèr, & nominatim, quàm in genere, & per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Rom. Pont. prædecessores Nostros, seù Nos, & Sedem Apostolicam eorumque, & Nostros de Latere Legatos, & Nuncios, sufficienti ad id auctoritate suffultos, concessa, & in futurum per successores Nostros, aut alios auctoritatem habentes, concedenda, & quibus ipsę Congreg. earumque Abbates, & alij quocunque nomine nuncupati Superiores, & Monachi, cœteræque personæ Regulares de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tàm coniunctim, quam diuisim, seu aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodò tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa, ac Sacris Canon. & Conc. Trid. decretis non aduersentur; Congreg. Cœlestinorum prædictæ illiusque Generali, ac cœteris Abbatibus, Prioribus, & alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, Monachis, & personis Regularibus quibuscunque necnon Monasterijs, Ecclesiis, Domibus, Conuentibus, & locis Regularibus quibuslibet, tenore præsentium perpetuò concedimus, dictaque Priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, & gratias spirituales, & temporales, huiusmodi primo dictæ Congreg. illiusque Generali, cœterisque Abbatibus, Prioribus, Monachis, & personis prædictis, nec non Ecclesijs Monasteriis, & Regularibus locis communicamus, illaque ad eos, & ad illa extendimus. Ità quod Congregatio Cœlestinorum prædicta, illiusque Generalis, & cęteri Abbates, Superiores, & Monachi; & personæ huiusmodi, eorumque Monasteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Ecclesiæ, Oratoria, Collegia, & alia loca Regularia; necnon res, & bona quæcunque pręmissis omnibus, & singulis, non solum ad aliarum Congregationum instar, sed pariformitèr, & æquè principalitèr vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, perindè ac si omnia illis, & eorum singulis specialitèr, & expresse, & non ad instar, sed à principio concessa, & in primo dictæ Congreg. fauorem à Sede Apostolica nominatim emanassent, Decernentes præsentes litteras nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quopiam de facto notari, impugnari, redargui, seù infringi, aut in ius, vel controuersiam reuocari posse, sed eas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Congr. Cœlestinorum huiusmodi, illiusq; personis, & locis Regularibus suprà expressis in omnibus, & per omnia, plenissimè suffragari. Sicque per quoscumque Iudices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Apost. Auditores, vbique iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inanè quidquid secùs super his à quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocircà Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis quibuscunque, necnon Dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs quilibet eorum, quandocunque per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis cōtenta quæcunq; vbi, & quandò opus fuerit, ac quotiès pro parte Abbatis Generalis, & Monachorum Congreg. Cœlestinorum Ord. S. Benedicti prædictorum, fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ easdem plenum eorū sortiri effectum, illisque omnes, quos concernunt pacificè frui, & gaudere, nō permittentes, quicquam desupèr contrà præsentium tenorem, sub quouis prætextu, & causâ, etiam defectu intentionis Nostræ quoscunque quomodolibet indebitè molestari; quinimmo quidquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omninò semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascunque de quibusuis eis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis, seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac piæ me. Bonifacii Papę VIII. etiam prædecess. Nostri de vnâ, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltrà tres dietas aliquis, auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, aliisq; Apost. Const. & Ordinis, ac Ordinum, & Congregationum huiusmodi statutis, ac consuetudinib. etiā iuramento, confirmatione Apost. vel quâuis firmitate aliâ roboratis; Priuilegiis quoque indultis, & litteris Apost. sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, ac innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quęuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, etiam quòd in eis caueatur expresse, quòd illis nullatenùs, aut non, nisi sub certis modo, & formâ derogari posset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis

stiis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq; aut si aliquibus communitèr, aut diuisim ab Apost. sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apost. non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Verum quia difficilè foret principales litteras vbicunque opus esset deferri; Volumus & pariter auctoritate Apostolicâ decernimus, quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti 1624. Pontificatus Nostri Anno secundo.

## CONSTITVTIO CCCLXXXIX.

### SVMMARIVM.

1634. *Martij* 28.

### VRBANVS PAPA VIII.

*Congregationis Casinensis, & Ordinum quorumcunque Priuilegia Fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Discalceatis Hispaniarum, communicat.*

*Bullar. Rom. Vrb. VIII. Const. 21.*

VRBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Redemptoris Nostri Iesu Christi Saluatoris exemplo, quo se ipsum exinaniens formam Serui accipiens, sui sanguinis profusione Nos redemit, assiduâ meditatione pensantes, continuis excitamus stimulis, vt tantæ liberalitatis memores, gemitui, maximè Filiorum Ecclesiæ in vinculis compeditorum, & misericordiam Nobis postulantium audientes, paternâ solicitudine, ad opem illis, aliquam ferendam, eò promptiùs excitemur, quò illos apud gentes barbaras, & incultas, durior seruitus premit, vincula coarctant, perdita patria, & amissi parentes affligunt; necnon eorum, quos frequens Sacramentorum Ecclesiæ participatio non recreat; imò spiritualis perditionis euidentiùs terret periculum, saluti, quantum cum Domino possumus, libentèr consolamus, illosq; ab illa miserabili seruitute subleuemus, ac operarios illi messi, quæ vtique non pauca existit, ex professo inuigilantes, adiuuemus; eorumque pium exercitiū, quò ipsi labores expeditiùs suscipiendo, tàm pium opus alacritèr continuent, & promptiùs exequantur, gratijs, & fauoribus, quibus possumus, amplissimis confoueamus, prout in Domino salubritèr cōspicimus expedire. Sanè pridem fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor Noster, Cōgregationem Fratrum Discalceatorum Ordinis Sāctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Hispaniarum, inter cæteros Mendicantium Ordines adscripsit, ac illam, & illius Fratres sub Mendicantium nomine comprehendi debere decreuit, & declarauit, propterea omnia Priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, libertates, Indulta, & alias gratias Mendicātium Ordinibus concessa, ad ipsam Congregationē, eiusque, Fratres, Domos, Ecclesias, & loca extendit, & ampliauit. Omnia prætera Priuilegia, speciali quoque notâ digna, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, gratias, tàm spirituales, quàm temporales, vniuerso Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captiuorum Ordini, illiusque Domibus, Ecclesijs, Superioribus, ac Fratribus concessa, præfatæ Congregationi pariter concessit, communicauit, & extendit, ac alias, prout in litteris Apostolicis desupèr expeditis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nupèr pro parte Dilecti filij Ioannis de Annunciatione, ipsius Congregationis Procuratoris Generalis, petitio continebat, Fratres, & Religiosi eiusdem Ordinis, iuxtà particulare eorum Institutum à piæ memoriæ Innocentio Papa III. etiā Prędecessore Nostro approbatum, sub Regulâ propriâ Sanctis Patriarchis Ioannis, & Felici, dictę Religionis Fundatoribus tradita, in Captiuorum Redemptione, pro viribus occupentur, & longos, & tædiosos labores in transfretando Mari, & apud ipsos Infideles dietim sustineant, non modo in redemptione ipsâ, quæ ad omnes Captiuos nunquam extendi potest, sed etiam exhortationibus, concionibus, ac admonitionibus ad reliquos, qui dictam duram seruitutem continuant, nè Fides eorum deficiat, occupentur, proprias facultates libentèr exponant, discrimina quælibet, & pericula alacritèr indefessi subeant; & vt tàm pium opus, eò alacriùs Fratres ipsi continuent, & vtiliùs exequantur, promptiores ad id reddantur; ac propterea plurimum cupiant, aliarum Religionum, & Ordinum gratias, & Priuilegia hactenùs à Sede Apostolicâ concessa, Congregationi præfatæ, illiusque Fratribus, & locis per Nos, & Sedem eamdem, vt infrà, concedi, & communicari. Quarè pro parte eiusdem Ioannis, Nobis fuit humilitèr supplicatum, quatenùs ipsius Congregationis ampliationi in præmissis opportunè prouidere, & consulere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsius Congregationis augumentum, & conseruationem firmissimis vallare præsidijs desiderantes, ipsumque Ioannem, ac singulas personas eiusdem Congregationis à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; necnon litterarum præfatarum tenores, etiam veriores, ac datas, præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotijs Regularium præpositorum, Congregationi Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, illiusq; Domibus, & Regularibus locis sub illâ compræhensis, necnon Ministro Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessori, Ministrisque Prouincialibus, & Conuentualibus, alijsque cuiuscunque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in eâ professis, Fratribus pro tempore ad Captiuos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus, personis Regularibus, Nouitijs, Conuersis, Donatis, Oblatis, Ministris, Famulis, cunctisque tàm officiarijs, quàm domesticis, & eorum Domibus inseruientibus, & cæteris primodictæ Congregationis, ac Domorum, & Regula-

gularium locorum personis quibuscunq; pro tempore existentibus;necnon quibusuis alijs personis,ac Christifidelibus, illorum Ecclesias, seu Cappellas pro tempore visitantibus, vt omnibus, & singulis Priuilegijs,libertatibus,immunitatibus,exemptionibus,præeminentijs, antelationibus, concessionibus, indultis, fauoribus,Indulgentijs, alijsque prærogatiuis,& gratijs vniuersis,& singulis,tàm spiritualibus, quàm temporalibus, singulis Domibus, Conuentibus,& alijs Regularibus locis, ac personis, tàm Canonicorum, quàm Clericorum Regularium vbiuis existentium institutis, & non solum Ordinibus Monasticis, Regularibus Mendicantium, tàm pro redimendis captiuis,quàm aliàs quomodolibet, Ordini Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captiuorum, illiusque Domibus,Conuentibus, & Fratribus, necnon Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum,ac etiam omnibus, & quibuscumque Congregationibus Regularibus, & præcipuè Clericorum Regularium Infirmis ministrantium, & Canonicorum Congregationis Sanctissimi Saluatoris Lateranensis,S Saluatoris de Bononia, ac etiam Sãcti Ruffi Valentiæ,& S.Crucis Colimbriæ,Clericorum Regularium de Somaschâ, & Pauperum Matris Dei,ac Scholarum Piarum, ipsique Monasticis Congregationibus, etiam Casinensi, alijsque Monachis, & Monasteriis S.Benedicti, S.Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conuentui B.Marię de Guadalupe,necnon Societati Iesu,ipsisque Carthusiensium, Præmonstratensium, & Reformatorum Cisterciensium,Seruitarum,Oliuetanorum Ordinibus,alijsque Familiis, & Societatibus Regularibus Militiis,Hospitalib. quibuscunque, & piis locis Regularibus, ac quibuscunque personis nunc, & pro tempore existentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, Congregationum Regularium,per Nos,& Sedem prædictam, ac alios quoscunque Prædecessores Nostros Romanos Pontifices,necnon eiusdem S.R.E.Cardinales, & de latere Legatos, & quosuis Sedis prædictæ Nuncios, vel etiam tàm Apostolicâ prædictâ,quàm Ordinariâ,& Regiâ, vel Imperiali auctoritatibus respectiuè, aut aliàs quomodolibet quibuscumque verborum expressionibus,& tenoribus in genere, vel in specie,ac particularitèr, tàm per modum communicationis, & ampliationis, quàm simplicis, & indiuiduæ, ac particularis,& specialis concessionis, ac etiam Motu proprio,& ex certâ scientiâ,& de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenùs,vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi,tàm in vita,quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de iure, vsu, aut Priuilegio, vel consuetudine quomodolibet vtuntur,fruuntur,potiuntur, & gaudent, ac vti,frui,potiri,& gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum,quamuis illa sint speciali notâ digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem,& ad illorum instar;sed speciatim, & nominatim,pariformitèr, & æquè principalitèr in omnib., & omnia absque vllâ prorsus differentiâ, perindè ac si illa primodictæ Congregationi, illiusque Capitulis Generalibus, Ministro Generali pro tempore existenti,illiusque Superioribus, & personis præfatis specialitèr,& expresè,& nominatim,etiam per viâ, & modum simplicis,& indiuiduæ;ac particularis,& specialis concessionis, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent;quatenùs tamen sint in vsu, & non reuocata, nec sub aliquâ reuocatione comprehensa; vti, frui,potiri,& gaudere liberè, & licitè possint, & valeant. Ita quòd omnes,& singuli primodictæ Congregationis, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores,& Ministri;quocumque nomine appellari,eosdem fauores, gratias Apostolicas, & Priuilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum,Societatum, etiam Societatis Iesu, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, aut locorum Regularium, & Familiarum Generalis, Superiores,Præpositi,Prouinciales, Rectores, Priores,Cõuentuales,aut Claustrales,Visitatores, Guardiani,Custodes,aut alio quocunque nomine, dignitate, titulo insigniti habent, similitèr, vt suprà, habeant.Fratresque,& personæ Regulares primodictę Congregationis Generales, Superiores, Ministri, & cœteri alij cuiuscunque appellationis Præpositi, & Prefecti in primodictâCongregatione expresè professi,& in eius gremio, & obseruantiâ viuentes Fratres, & personas Regulares primodictæ Congregationis,cum Priuilegijs,gratijs, & fauoribus Apostolicis Ordinum,& Congregationum huiusmodi perpetuò secundum obseruantiam Regularem, & Canonicum institutum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis regere,& gubernare, & respectiuè valeant visitare. Neque primodicta Congregatio super præfatis omnibus, & singulis â quoquam, quâuis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in iudicio, & extrà impediri possint Apostolicâ auctoritate, earumdem tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Decernentes, easdem præsentes semper, & perpetuò, tamquam Diuini cultus, & bonorum operum augumentum, & Religionis propagationem tendentes,validas,& efficaces esse,& fore, suosque plenarios,& integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmitèr, atque inuiolabilitèr obseruari, & adimpleri debere, nec ab illis vllo vnquam tempore, quouis prætextu, occasione, vel causâ, recedi, aut resiliri; easdemque præsentes sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus,& alijs contrarijs dispositionibus, etiam per Nos, & successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque præfatam, sub quibusuis tenoribus, & formis, & cum quibusuis clausulis,& decretis pro tempore factis, minimè comprehendi,vel confundi; sed semper,& perpetuò ab illis excipi,& quotiès illæ emanabunt, totiès in pristinum,atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de nouo etiam sub quâcunque posteriori datâ,quandocumque eligenda concessas esse,& fore; primodictæque Generalis Ministri, & Fratrũ Discalceatorum huiusmodi Congregationi suffragari. Sicque,& non aliàs per quoscunque Iudices, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S.R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos,Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios,iudicari,& diffiniri debere; irritum quoque, & inanè quidquid secùs super his â quoquam, quâuis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus præmissis,ac quibusuis Apostolicis, & in Synodalibus, & Prouincialibus, & Vniuersalibus Concilijs editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus Priuilegijs quo-

quoque indultis, & litteris Apostolicis primodictæ Congregationi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè, harum serie, derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque Volumus autem, quod ipsarum præsentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, & alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ sigillo, & Notarij publici manu obsignatis stetur, eademque prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, quinto Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Vndecimo.

## CONSTITVTIO CCCLXXXX.

### SVMMARIVM.

**1638.** *Martij* **21.**

***Decretum Sac. Congregationis EE. & RR. DD. Cardd. super negotijs Regularium, ac Episcoporum Prorogationis, temporis Legendi Constitutionem Vrbani VIII. De Celebratione Missarum.***

*Peyrin. Priuil. Regul.*

PROCVRATOR Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini supplicauerat, à S. Congregatione benignè condonari pœnas ijs Superioribus, qui in die præfixo lectioni Constitutionis Sanctissimi De Celebratione Missarum, per obliuionem, vel inaduertentiam legi non fecissent; & simul prorogari terminum præfixum dictæ lectioni: & Sac. Congregatio respondit, vt infrà.

Sacra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præposita præfatis precibus benignè annuendo, gratiosè condonauit supradictis Superioribus Localibus Ordinis Eremitarum S. Augustini omnes, & quascumque pœnas de præterito incursas, ob inobseruantiam decreti de publicandis Ordinationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum De Celebratione Missarum, & ijsdem Superioribus permisit, vt in posterum facere possint dictas Ordinationes perlegi, vel die in ipsis Ordinationibus præscriptâ, vel infrà terminum decem dierum immediatè subsequentium. Romæ die 21. Martij 1638. Fr. Ant. Cardin. S. Honuphrij. C. Fachenettus Sec.

## CONSTITVTIO CCCLXXXXI.

### SVMMARIVM.

**1638.** *Apr.* **16.**

***Decretum Sac. Congregationis EE., & RR. DD. Cardd. super negotijs Regularium, ac Episcoporum, Prorogationis temporis Legendi Constit. Vrb. V III. De Celebratione Missarum.***

*Peyrin. Priuil. Regular.*

SACRA Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita, præfatis præcibus benignè annuendo, gratiosè condonauit Superioribus Localibus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensis, Ordinis S Augustini omnes, & quascumque pœnas de præterito incursas ob inobseruantiam decreti de publicandis Ordinationib. Sac. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum De Celebratione Missarum, & ijsdem Superioribus permisit, vt in posterum facere possint dictas ordinationes perlegi, vel in die, in ipsis Ordinationibus præscripta, vel infrà terminum vnius Mensis immediatè subsequentis. Romæ die 16. April. 1638. Fr. Ant. Card. S. Honuphrij. C. Fachenettus Sec.

FINIS.

| Fol. | Col. | Lin. | Errata. | Corrige. |
|---|---|---|---|---|
| 9 | 2 | 21 | quinta | quintadecima |
| 13 | 1 | 11 | Episcopi | Episcopis |
| 15 | 1 | 59 | futurum | fructum |
| 15 | 2 | 24 | Martij | Ianuarij |
| 16 | 1 | 41 | in nos in tuitionē | nos in tuitionem. |
| 29 | 1 | 49 | successores tui | successoribus tuis |
| 31 | 1 | 60 | Passaranum, cum | Passaranum, Mōrē Porculum, cum |
| 39 | 1 | 53 | 13 | 7 |
| 40 | 1 | 21 | vestræ | Nostre |
| 43 | 1 | 23 | benedicta | benedicta, indulget. |
| 46 | 1 | 44 | Castella | Castellanæ |
| 49 | 2 | 24 | S.Martæ | S.Mariæ |
| 50 | 2 | 20 | Octobris | Nouembris |
| 50 | 2 | 41 | teneant | teneantur |
| 51 | 1 | 37 | conseruationem | conuersationem |
| 51 | 2 | 44 | admouere | amouere |
| 52 | 2 | 58 | Monachos | Monachis |
| 57 | 1 | 3 | Prælati | Prælatos |
| 57 | 2 | 48 | literas ad aliquod, | *dele duplicatum* |
| 58 | 1 | 14 | tertio Calendas | tertio Idus |
| 63 | 1 | 23 | dicta in | dictam |
| 63 | 2 | 6 | Testimonia | Testimonium |
| 69 | 1 | 31 | emanasset | emanassent |
| 70 | 2 | 18 | Præsidentis | Præsidenti |
| 75 | 2 | 13 | Iulii 2. | Iunii 30. |
| 77 | 1 | 15 | tamen | tamen iure |
| 77 | 1 | 18 | à pluribus, | ,qui à pluribus |
| 80 | 1 | 64 | nec Monasteriis | necnō Monasteriis |
| 82 | 1 | 40 | Prioratum | Prioratuum |
| 82 | 2 | 53 | volumus | voluimus |
| 83 | 2 | 39 | 5 | 4 |
| 84 | 1 | 42 | inferatur, ac apertè | inferatur, causamque vrgentem, sufficientem, ac rationabilem expressè, ac apertè |
| 89 | 2 | 9 | Statuti | statui |
| 89 | 2 | 42 | ordinibus | ordinationibus |
| 93 | 1 | 3 | Visitatoris Cōgregationem | Visitatorum Congregationis |
| 95 | 2 | 55 | Ianuarij | Februarij |
| 102 | 1 | 34 | eidemque | eisdemque |
| 103 | 2 | 54 | 1298 | 1498 |
| 106 | 1 | 64 | suffulti | suffulta |
| 108 | 1 | 44 | ministrare | ministri |
| 110 | 1 | 51 | quartodecimo Calendis | quarto, decimo calendas |
| 111 | 2 | 25 | nonnulla | nonnullis |
| 114 | 1 | 33 | persona | personas |
| 114 | 2 | 19 | quod | qui |
| 115 | 2 | 43 | maiestatis | maiestati |
| 117 | 1 | 37 | coaductoribus armigerum | Cōductoribus armigerorum |
| 118 | 2 | 21 | Congregationis | Congregationem |
| 119 | 1 | 42 | illatam | illata |
| 119 | 2 | 19 | Maij 12. | Iunii 1. |
| 119 | 2 | 22 | Monasticis ad | Monasticis, etiam Ordinibus Mendicantibus |
| 121 | 2 | 7 | Lateranensem | Lateranense |
| 122 | 1 | 34 | præbeat | præbeatur |
| 123 | 1 | 2 | inentio | mentio |
| 124 | 1 | 16 | non esse | non esse. Priuilegia eidem concessa conualidat |
| 124 | 1 | 59 | Lateranensem | Lateranense |
| 124 | 2 | 65 | expressione | expressionibus |
| 127 | 1 | 50 | qui aliàs non fuit Præsidens | *dele* |
| 127 | 2 | 4 | quam | cum |
| 127 | 2 | 56 | quiete | quietem |
| 129 | 1 | 14 | gentes | agentes |
| 129 | 2 | 2 | gentibus | agentibus |
| 139 | 1 | 51 | 17. | 27. |
| 139 | 1 | 54 | Præsidens | Præsidentem |
| 142 | 2 | 52 | retroactis &c. | *dele duplicatum* |
| 144 | 2 | 38 | irriti | initi |
| 146 | 2 | 23 | vestram | vestræ |
| 146 | 2 | 54 | Octobris | Decembris |
| 154 | 1 | 15 | illis in suo | illis aliàs in suo |
| 154 | 2 | 45 | 16 | 6 |
| 155 | 1 | 27 | dirigere. Minores | dirigere. Altarium consecrationes cuicūq; Episcopo demandare. Minores |
| 157 | 2 | 47 | 1532. Nouemb. | 1537. Nou. 5. |
| 161 | 1 | 40 | fructibus | fructus |
| 163 | 2 | 60 | derogari | denegari |
| 165 | 1 | 61 | impedire | impediri |
| 165 | 2 | 35 | Dilectis filiis | Dilecti filij |
| 169 | 2 | 49 | Ordinem | Ordines |
| 170 | 1 | 13 | 14 | 22 |
| 171 | 2 | 40 | quorumcumque | quorumque |
| 173 | 2 | 60 | 8 | 9 |
| 175 | 1 | 36 | Congregationum huiusmodi. | Congregg. earumdē, seu ii, quib. locopensionum fructus Congregg. huiusmodi. |
| 175 | 2 | 19 | etiam de | etiamsi de |
| 178 | 1 | 18 | Nouembris | Octobris |
| 183 | 2 | 57 | census | processus |
| 186 | 2 | 61 | cura | cum |
| 186 | 2 | 65 | Montis | Montes |
| 187 | 2 | 9 | Religiosè | Religiosi |
| 187 | 2 | 65 | concedere | condere |
| 188 | 1 | 51 | diuersis | decursis |
| 190 | 2 | 21 | innouerat | innotuerat |
| 192 | 2 | 62 | 5 | 18 |
| 193 | 2 | 58 | super excrescētia | superexcrescentia |
| 199 | 1 | 2 | Apostolicæ, &c. | *dele duplicatum* |
| 200 | 2 | 58 | de non recipiendis, nec | de recipiendis, ac |
| 206 | 2 | 20 | habentes | habere |
| 209 | 1 | 29 | impositi | impositorum |
| 209 | 2 | 67 | vniuersitatibus | vniuersalibus |
| 211 | 2 | 9 | Sanctissimus | Sanctissimi |
| 212 | 1 | 3 | scriptos | se ipsos |
| 212 | 2 | 39 | concernentiam | concernentia in |
| 212 | 2 | 65 | anni | annui |
| 213 | 1 | 9 | quæ | quod |
| 214 | 2 | 4 | eligendi | erigendi |
| 215 | 1 | 60 | laborare | liberare |
| 216 | 1 | 1 | mensibus | montibus |
| 216 | 2 | 45 | Alexander | Alexandri |
| 218 | 1 | 50 | realibus | reatibus |
| 221 | 1 | 34 | præmis | præmissis |
| 223 | 1 | 1 | equorum | equitum |
| 223 | 1 | 19 | præmissa | ne præmissa |
| 224 | 1 | 5 | Decembris | Decemb. 30. |
| 224 | 1 | 40 | subiectis, in | subiectis, ordinariam |
| 225 | 2 | 58 | extinguetur | extinguantur |
| 228 | 2 | 5 | Congregationem | Congregationis |
| 229 | 1 | 46 | exortas | extortas |
| 231 | 2 | 23 | laudabiliis | laudabilibus |
| 231 | 2 | 61 | censentur | censeantur |
| 232 | 1 | 48 | restituas | restitutas |
| 236 | 2 | 31 | Iulij | Iunii |
| 237 | 1 | 38 | explicat. | explicat. Constitutionesque ab eâdē editas confirmat |
| 238 | 2 | 49 | Sedem | apud Sedem |
| 241 | 1 | 27 | electionem | electione |
| 244 | 2 | 59 | Procuratorem | Protectorem, eximit. |
| 245 | 2 | 7 | 1572 | 1577 |
| 247 | 1 | 3 | Aprilis | Augusti |
| 251 | 1 | 34 | considerantes | commendantes |
| 251 | 1 | 64 | 13 | 22 |
| 257 | 1 | 4 | puo andaruene | piu andarui |
| 268 | 2 | 5 | 1609. April. 19. | 1601. Apr. 29. |
| 268 | 2 | 49 | Augusti | Augustini |
| 269 | 1 | 35 | regenda | redigenda |
| 270 | 1 | 14 | Congregationis | Congregationes |
| 274 | 1 | 52 | curam | cura |
| 275 | 2 | 46 | prædictas | præditas |
| 276 | 1 | 3 | 10 | 4 |
| 277 | 2 | 54 | vel | vt |
| 279 | 1 | 29 | fuerit | fuerint |
| 282 | 1 | 27 | earumdem, à suis | earūdē, ac easdem alloquendi, à suis |
| 83 | 1 | 1 | Sacræ | Sacri |
| 284 | 1 | 59 | intentiones | intentionis |
| 284 | 2 | 39 | concedendi | concedendis |
| 284 | 2 | 58 | 25 | 21 |
| 287 | 2 | 56 | 3 | 23 |
| 288 | 1 | 35 | 6 | 7 |
| 288 | 1 | 38 | Monasteria | Monasterii |
| 291 | 1 | 40 | volui | voluit |
| 295 | 1 | 13 | eorum | cornu |
| 291 | 1 | 41 | Abbates | Abbas |
| 295 | 1 | 43 | Abbas | Abbates |
| 301 | 2 | 7 | verecundij | verecundiā |
| 301 | 2 | 10 | sic | hic |
| 305 | 1 | 42 | Amplitudinæ | Amplitudini |
| 308 | 1 | 10 | admonendo | admonendos |
| 308 | 1 | 43 | Monasterium | Monasteriis |
| 310 | 1 | 41 | Octob. 5. | Octob. 1. |
| 330 | 1 | 15 | grastus | gradus |
| 336 | 2 | 39 | Sacra Congregatione | Sacræ Congregationis |
| 338 | 2 | 20 | Quo | Qui |
| 348 | 2 | 37 | 1642 | 1462 |
| 349 | 2 | 59 | prædictum | prediorum |
| 350 | 2 | 19 | 1477 | 1476 |
| 355 | 2 | 24 | Vnitatem | Vnitatis |
| 369 | 1 | 38 | 25 | 27 |
| 369 | 1 | 60 | sic | hic |
| 374 | 1 | 7 | 13 | 7 |
| 374 | 1 | 48 | id | in |
| 379 | 1 | 9 | die | diei |
| 386 | 2 | 3 | 8 | 11 |
| 392 | 1 | 31 | intuamus | innouamus |
| 392 | 1 | 65 | fidem | fides |
| 393 | 1 | 36 | in ipsis | ipsis |
| 395 | 1 | 69 | & alitèr | aut alter |
| 396 | 1 | 12 | habetur | haberetur |
| 396 | 2 | 44 | eligentur | elegerunt |
| 399 | 1 | 49 | Claræ Monialibus | Claræ Fratribus, ac Monialibus |
| 400 | 2 | 56 | 25 | 15 |
| 404 | 2 | 36 | Religionis | Religiosis |
| 408 | 1 | 28 | ac instar | ad instar |
| 409 | 2 | 10 | Iunij | Iulij |
| 413 | 1 | 27 | sed | seu |
| 414 | 1 | 59 | rigore | vigore |
| 415 | 1 | 59 | quomodolibet | quoslibet |
| 416 | 1 | 3 | Aprilis | Septembris |
| 417 | 2 | 60 | præsentium | præbentium |
| 419 | 1 | 3 | 9 | 11 |
| 419 | 2 | 6 | concessorum | concessionum |
| 427 | 2 | 2 | communicauimus | communicamus |
| 428 | 2 | 9 | de facto | defectu |